


GRANADA
Sala
15-61

R. P. D.
ANTONINI
DIANA
RESOLUTIONVM
MORALIVM
PARS SEXTA.

0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34



15-61

R. P. D.
ANTONINI
DIANA
RESOLUTIONVM
MORALIVM
PARS SEXTA.

Del. G. de la Conf. de los de Granada
BB. 2. 5048 R. P. D. *Compañía de V. Pedro de Montoya.*

ANTONINI
DIANA
PANORMITANI,
CLERICI REGVLARIS,
ET SANCTI OFFICII REGNI
SICILIAE CONSULTORIS,
RESOLUTIONVM MORALIVM
PARS SEXTA;

*In qua selectiores casus conscientiae breuiter, dilucide, & ut plurimum
benignè explicantur.*

Editio vltima à mendis expurgata.




Pinx. Iul.

LUGDVNI,
Sumpt. hæred. GABR. BOISSAT, & LAURENTII ARISSEON,

M. DC. XLIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS





EMINENTISSIMO
PRINCIPI,
BERNARDINO SPADA,
S. R. E. CARDINALI
AMPLISSIMO,
ANTONINVS DIANA,
CLERICVS REGVLARIS, F. P.

DESTINATVM iam diu tibi opus, nunc tandem tibi sisto, BERNARDINE, CARDINALIS EMINENTISSIME, obseruantiaë meæ rudimenta isthæc sunt, quæ deberi excelssimo tuo Nomini diutius nolui; conspirauitque non vna quidem causa, ea vt tibi consecrarem; vt qui non vno planè nomine adfectus meos omnes, deuotúmque eximia virtuti tuæ animum demeruisti. Suasit in primis summa illa, qua excusa antehac à me scriptorum meorum monumenta, non strictim delibas, sed accuratè perlegis, oblectatio, quæ vt ingenio meo æstimationem, ita splendidum qui-

dem facit operi pretium. Abundè hoc , Herclè , pulchrum & magnificum , non sinè voluptatis sensu contrectari illa , terique tua manu. Olim laureato proscindi vomere , ac paludata versari dextera gaudebat tellus. Quidni gaudeant modò lucubrationes meæ purpurata illa, inclytâque tua manu peruolutari ; Illa vi præstantis ingenij, acerrimique iudicij pensitari, illa præclaræ mentis luce irrigari, probari humanitate, protectione confoueri? Quo planè effecisti, vt postremus labor hic meus vtrò in sinum aduolaret tuum, satis se publicæ rei litterariæ probatum iri sperans famæque celebritatem collecturum non exiguam, si tu ipsum eadem, qua reliquos voluptate percurreres, beneuolentia commendares. Porrò, in me ipsum quàm in vigilias meas haud certè remissior tua comitas, animique amplitudo: quippè, adè me luculentis, spectatisque humanitatis tuæ argumentis obstrinxisti, vt dubius sim, scriptionem ornaueris speciosius, an Scriptorem oneraueris magnificentius beneficiorū magnitudine? ea propter, è tuorum in me meritorum conscientia addita fax lateri animum acerrimè inflammavit, vt ara veluti concinnata iusta religione tuis adolerem, litarémque Gratiis hoc volumine. Quanquàm, non hæc quidem præcipua huiusce obsequij contestandi rationum fuere capita. Re-

cenfendus

cenfendus primo loco erat ille virtutum omnium concentus, quo non in hac Quiritium modò luce, sed vniuersis fermè Europæ, orbisque finibus in paucis prædicaris; Mens illa homine altior, cui & spectatæ frontis, orisque species par; animi candor ad miraculum; moderatio; morum in omnes suauitas, elegantia; ardens, atque illustre honestandis, fouendisque litteris studium, geniūque; illud denique ad omnia factum ingenium, quo tantum non grauissimarum scientiarum studia complecteris, sed amœniorum quoque litterarum elegantis ardentis naturæ quadam festiuitate ita oblectaris, vt nihil doctrinæ seuerioris maiestati detrahas musarum munditiis, multum venustatis è scientiarum grauitate accersas musis, quæ in te vno dum lætiores vmbas excipiunt Parnasiis è lauris, clarissimo in infularum, ac scientiarum splendore apricantur. At enim verò, quòd singularem in rebus agendis prudentiam prætermiserim, constat profectò, quod nullus eam exæquet stilius. Vidit te Roma in ipso Aulæ tyrocinio, instar solis, ipso statim mane, diuturna, ac matura pube lucis adoleuisse. In Apostolicæ Camere administratione stipendia meruisti emeritis. Mox, ad laudis luculentioris incrementum Romanæ sedis Nuntium aspexit Gallia, suspexit inter rerum grauissimarum momenta fidem, solertiam,

ā 4 eloquentiam.

eloquentiam. Meritò, dum inter Gallica floreris lilia magna indole, effloruisti in purpurā. Nempè, non modò, vt esses regij spiritus, verùm adscito illo cultu, nitoréq; purpuræ, etiam videreris, & explorati ad lydium Romanæ, Gallicæque Aulæ lapidem, mores aurei, Vaticano illo murice picturati, orbi gratiùs illucerent, & pulchriùs. Iam, Bononiensem Legationem si repetam; attemperata majestati humanitas, dignitati **Comitas**, suauitas supercilio tantum tibi decus adstruunt, vt nihil ad exactam optimi Principis laudem gloriámque desiderauerim. Nam, & scitè populos moderari, & felicitati tuæ imperare; emendare Vrbes, legibus, moribus ornare; citrà odium præesse; illibata Ciuium beneuolentia timeri; obsequi, nec parere; secures Urbium securitati exacuere; fasces illigandis vulneribus aptare, præclaræ fuere artes, quas ipse egregiè posuisti in exemplo posteritati. Cæterùm, ne sim ipse longior, reliquam virtutum tuarum panegyrim Romana in orchestra tu ipse disertissimè absoluis; vbi amplissimis Infulis, ac fama tua maior nulli dees muneri, nulli Purpuratorum Conuentui, nulli Christianæ Reipublicæ negocio, altitudine solertis ingenij, consilio, vsu rerum, peritia gubernandi. Igitur tot, tantisque animi tui ornamentis, præclarisque naturæ, ac fortunæ dotibus laceffit, dum hoc quaecumque opus

tibi

tibi dico, vt tuæ Mentis Celsitudini ex æquo respõdeat munus præstantissimũ, quod inuistum impressumque gestat fronte, **T V I N O M E N** intueri; Intuere obseruantiam, animique obsequium mei: postremò votum quo prolixè aueo & precor, vt cum ipse tergeminum stemmatis tui Ensem indole verè aurea, virtutis Chryso-pæia in aurum commutaueris, adsint subinde sidera, cælumque adspiret, vt in Orbem pulchrè flectantur Enses aurei ad tergeminum meritæ frontis coronamentum. Romæ 23. Nouemb. 1641.



AUCTOR



AVCTOR LECTORI.



AGNUM in tui commodum molior opus, Amice Lector, nec iam diu ero in aere tuo; Nam quantocius Panormum reuersurum spero.

*Iste terrarum mihi, prater omnes,
Angulus ridet.*

Quid dixi angulum? & non potius Europæ delictum, seu partem Cæli ibi delapsam. Risisti? accede, & vide. Ibi igitur in optato nostrorum Librorum Museo, oppignoratam tibi fidem, statim liberabo. Interim verò vt tuo DIANA fruaris, accipe hanc sextam mearum Resolutionum Moralium Partem; & in ea qua soles benignitate selectas quæstiones deliba, quas in tui gratiam, aduersa quasi semper vtens valetudine, Romano Cælo mihi parum fauente, elucubraui. Scire etiam te volo ex Typis Venetis, opera nostra, vt lucem aspicerent, me numquam adfectasse; & tamen, cum ex his iteratam lucem, Pars Quinta videret, in ipsa Anonimi inseritur Additio, quæ sententiam à me in Resolutione firmatam, de directo refellebat; vnde illam coactus fui, in hac sexta Parte satis latè, & fundamentaliter impugnare, vt in Tract. 3. infra patebit. Enixè itaque Typographum Venetum deprecor, ne amplius imposterum Opera nostra prælo suo subiiciat, alia utiliora, & digniora inueniet; mea hunc honorem non merentur. Vale, Lector amantissime, & pro te diu noctuque laborantem redama.

APPROBA

APPROBATIONES.

EX commissione Reuerendissimi P. Generalis D. STEPHANI MEDICES expendi Partem Sextam Resolutionum Moralium R. P. D. Antonini Diana, & cum nihil repererim quod aut fidei aduersetur aut bonis moribus noceat, dignas cenfeo vt in lucem prodire possint, & consuetum emolumentum studiosis afferre, Auctori laudem, & plausus parere.

D. ZACHARIAS PASQUALIGVS S. Theologiæ Professor. Cler. Regul.

EX commissione Reuerendissimi P. Generalis D. STEPHANI MEDICES diligenter perlegi Sextam Partem Resolutionum Moralium R. P. D. Antonini Diana, & nihil in eis reperi quod sanæ Doctrinæ & bonis moribus aduersetur sed valde vtilis Confessariis, & Moralis Theologiæ studiosis futuras cenfeo & ideo typis mandari posse iudico.

D. THOMAS DE AFFLICTIS S. Theologiæ Professor. Cler. Regul.

LICENTIA.

HOC opus inscriptum *Sexta Pars Resolutionum Moralium à R. P. D. ANTONINO DIANA* compositum, & à PP. quibus id commissum approbatum, vt typis mandetur quò ad nos spectat facultatem concedimus. In quorum fidem præsentem litteras manu propria subscripsimus, & solius nostro sigillo firmauimus. Romæ die 7. Septembris 1641.

D. STEPHANVS MEDICES Præpositus Generalis Congregationis Cler. Regul.

Locu. Sigilli.

D. IOAN. BAPTISTA Lanfranchi, Secretarius.

Imprimatur si videbitur R. P. Mag. S. P. Apostolic.

IOAN. ALTHERIVS Epif. Cam. Viceger.

Imprimatur.

F. IOAN. VINCENTIUS MORENVS Magister & Socius Reuerendissimi P. F. Vincentij à Florencioli Magistri Sacri & Apostolici Palatii.

LICENTIA ORDINARII.

HANC Resolutionum Moralium R. P. ANTONINI DIANA Panormitani, Clerici Regularis, & Sancti Officii Regni Siciliae Consultoris sextam partem, vidimus, euoluimus, priorum quinque germanam quidem, natuque minorem; ac certè meritis non postremam; quippe quæ vario eruditionis splendore insignis, Quæstiones non recentes, sed quæ antè obscuræ, nunc claritatem præ se ferunt nouitiam, extricet: Vnde gratæ aded & Doctorum virorum palato suauis, vt semel in manibus accepta, oculisque subiectæ, non se tibi sinant inexhaustæ. Neque id dubiè immerito, quos enim de causis ad vtrumque forum spectantibus libros tractantes, non versauit, non perlegit solertissimus Author? quanta eius in Authorum sententiis referendis, discutiendis, elucidandis, atque etiam si quando res postulat enervandis naturalis comitas? quanta acris iudicij maturitas, rationum soliditas, exquisita resolutio in concludendo, quanta denique in propriis animi sensibus aperiendis & propalandis modestia? Quare, quorsum cunctandum? Prælum subbeat hoc opus, cum præfatis nominibus atque orthodoxa doctrina, tam publico commodo & applausu commendatum; sui que Authoris dignitati meritum honorem vbini terrarum persoluendum curet. Lugduni Calend. Septembr. M. DC. XLII.

DE VILLE Vic. Gener. Substitutus.

APPROBATIONES.

NOS infra scripti Facultatis Parisiensis Doctores, fidem facimus pelegisse R. P. D. ANTONINI DIANA Resolutionum Moralium Partem sextam, nihilque in ea fidei Orthodoxæ contrarium reperisse. Lugduni die 28. Martij 1642.

FR. CLAVDIUS COGHET Prior. Prædic. Lugdunens.
FR. MICARD Guardian. Conuentus S. Bonauenturæ.

SVMMA

SVMMA PRIVILEGII REGIS CHRISTIANISSIMI.

LUDOVICI XIII. Galliae & Navarrae Regis auctoritate sancitum est, ac patentibus Litteris cautum, ne quis in Regno suo, aliisque locis ditioni suae subiectis; intra proximos annos decem, à die impressionis primae inchoandos, ac numerandos, excudat, vendat, excudendum, vendendumque quovis modo & ratione curet, Librum, qui inscribitur, *Resolutionum Moralium* P. ANTONINI DIANA, *Pars sexta*, praeter LAURENTIUM ANISSON, Bibliopolam Lugdunensem, aut illos, quibus ipsemet concesserit. Prohibitum insuper eadem auctoritate Regia omnibus suis subditis, eundem Librum extra Regni sui limites imprimendum curare, vel quemquam, ubicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare, sine consensu dicti LAURENTII ANISSON. Idque omne sub confiscatione Librorum, aliisque poenis originali Diplomate contra delinquentes expressis. Datum Lugduni, die 31. Augusti. 1642.

De mandato Regis,

Signatum,

FAVRE.

Desit praelum primae editionis 10: Octobris 1642.

SERIES TRACTATVVM.

- I. De immunitate Ecclesiarum.
- II. De familia laica Nuntiorum Apostolicorum.
- III. De Statuto prohibente alienationem bonorum stabiliium in Ecclesias.
- IV. De Bello.
- V. De Consuetudine.
- VI. VII. & VIII. Miscellanei.


INDEX



INDEX TRACTATVVM ET RESOLUTIONVM, SEXTÆ PARTIS.

TRACTATVS I.

De immunitate Ecclesiarum.

- RESOL.  *Venam Ecclesia tribuat confugientibus immunitatem.* pag. 2
- I. *An fines Ecclesia per aliquem circuitum gaudeant immunitate.* 4
 3. *An qui adhaesit ostio clauso Ecclesia, gaudeat eius immunitate? Et quid si confugiat supra tectum.* 6
 4. *An Palatia Episcoporum gaudeant Ecclesiae immunitate.* 8
 5. *An Palatium Episcopi Titularis gaudeat immunitate.* 9
 6. *An cœmeteria, hospitalia, & monasteria gaudeant Ecclesiarum immunitate.* 11
 7. *Quenam personarum conditio, & quodnam delicti genus loco sacro protegi, aut non protegi possit.* 13
 8. *An qui confugit ad Ecclesiam armatus gaudeat eius immunitate.* 15
 9. *An fures debeant immunitate Ecclesiarum gaudere.* 16
 10. *An qui deliquit prope Ecclesiam sub spe ad Ecclesiam confugiendi, gaudeat eius immunitate.* 18
 11. *An Assassinus gaudeat immunitate; etiam homicidio non sequuto.* 19
 12. *An qui proditoriè conatur aliquem occidere: si mors non sequatur, gaudeat immunitate.* 21
 13. *An si quis occidat aliquem appensatè, & animo premeditato sit priuandus Ecclesiae immunitate.* 23

14. *An Raptores Virginum sint excludendi ab immunitate Ecclesiae.* 24
15. *An publici Latrones, & grassatores vicarum gaudeant immunitate.* 25
16. *An incendiarij priuandi sint Ecclesiarum immunitate.* 27
17. *An Decoctores, vulgò dicti Falliti gaudeant immunitate.* ibid.
18. *An reus criminis lese Majestatis humane debeat gaudere Ecclesiarum immunitate.* 28
19. *An Monetarij gaudeant immunitate.* 29
20. *An fraudantes Regia Tributa gaudeant Ecclesiarum immunitate.* ibid.
21. *An exules, seu Banniti confugientes ad Ecclesiam gaudeant eius immunitate, si non commiserunt delicta in iure exceptuata.* 30
22. *An damnati ad Triremes gaudeant immunitate.* 31
23. *An Iudei & alij infideles si confugiant ad Ecclesiam gaudeant immunitate.* 32
24. *An Hereticus quoad alia delicta gaudeat Ecclesiarum immunitate.* 33
25. *An immunitas Ecclesiarum neganda sit aliquibus Rejs; etiam si non commiserint delicta in iure exceptuata.* 34
26. *Enumerantur aliqua delicta, quae contra opinionem Sarpi gaudere debent Ecclesiarum immunitate.* 36
27. *An Reus sit necessario restituendus Ecclesiae, à qua fuit violenter extractus.* 39
28. *An iudices Laici possint sine licentia Episcopi extrahere Reos, qui commiserunt crimina* 6

Index Tractatum,

- crimina exceptuata, quae non gaudent immunitate. 44
29. An saltem ratione consuetudinis Iudices Laici possint extrahere reos ab Ecclesia in delictis exceptuatis, & excusationem habere, ne obseruent Bullam Gregorij XIV. de immunitate Ecclesiarum. 45
30. An in dubio: An Reus gaudeat immunitate, necne; spectet ad Iudicem Laicum definire controuersiam. 48
31. An Episcopus, ut ferat sententiam, si Reus debeat, necne gaudere immunitate Ecclesiarum, debeat stare processui facto à Iudice Laico: & an requiratur plena delicti probatio. 51
32. An dum causa agitur: An Reus gaudeat immunitate, necne: possit Iudex secularis illum ab Ecclesia extrahere, & in suis carceribus detinere. 56
33. An Reus, dum existit in Ecclesia; possit à Iudice seculari damnari ad mortem, vel ad poenam: & sint ei alimenta praestanda. 59
34. Refelluntur aliqua argumenta à Sarpo adducta contra Ecclesiarum immunitatem; quam non habuisse originem ab Imperatoribus demonstratur. Et violantes illam, an possint ab Episcopo absolui, discutitur. 60
35. An Iudex Laicus iubens interfici Reum in Ecclesia incurrat in excommunicationem Constitutionis Gregorij XIV. tam ipse, quam eius ministri. 63
36. In Diocesi N. volentes ad Ordines promoueri prius adscribuntur Ecclesiae Cathedrali, & per annum gestant habitum Clericalem inseruiendo eidem Ecclesiae prout faciunt Clerici iam ordinati. Queritur an in dicto anno gaudeant privilegio fori. 67
2. Proponuntur fundamenta affirmatiua sententiae. 70
3. Confirmatur ex aliis rationibus affirmatiua sententia. 71
4. Ex declarationibus Sacrae Congregationis, approbationis à S.D. nostro Urbano VIII. etiam affirmatiua sententia firmatur. 72
5. Proponuntur responsiones ad argumenta quae adducit Moscosus. 75
6. Responsio ad secundum argumentum. 76
7. Responsio ad tertium argumentum. 77
8. Responsio ad quartum argumentum. 78
9. Responsio ad quintum & sextum argumentum. 79
10. Responsio ad septimum argumentum. 80

TRACTATUS III.

De statuto prohibente alienationem bonorum stabiliu in Ecclesias.

- RESOL. **A**N statutum, seu lex prohibens I. ne bona stabilia alienentur in Ecclesias, & personas Ecclesiasticas, sit licitum. 82
2. Proponuntur fundamenta pro negatiua sententia. ibid.
3. Fundamentum secundum. 83
4. Fundamentum tertium. 84
5. Fundamentum quartum. 85
6. Fundamentum quintum. 86
7. Proponuntur responsiones ad argumenta contraria. 89
8. Responsio ad secundum & tertium argumentum. 90
9. Responsio ad quartum argumentum. 91
10. Responsio ad quintum & sextum argumentum. 92
11. Continuatur responsio ad sextum argumentum. 94

TRACTATUS IV.

De Bello.

- RESOL. **Q**uis possit indicare bellum offensiuum. 96
2. An Papa in aliquo casu possit prohibere, ne Principes Christiani inter se pugnent. 97
3. Quae

& Resolutionum Partis VI.

3. Quae sint causa iusta inferendi bellum. ibid.
4. An si Princeps inferat bellum ex iusta causa sine recta intentione, bellum sit iniustum. 98
5. An aliquando possit denegari transitus militum pro bello inferendo aliqui Principi. ibid.
6. Si cum consensu Principis eius Vassallus magnam inferret iniuriam in alium Principem, qui tamen omnem iniuriam satisfactionem respueret, nisi illius auctor ad eum morze plebendum sibi daretur, quod alter Princeps negaret: An, inquam, in tali casu bellum contra illum iuste indicere possit. ibid.
7. An Princeps habens aliquam iustam causam inferendi bellum: si ex illo tamen imperniciem Regnoru maxima damna timerentur; possit tamen illud adhuc indicare. 99
8. An post inchoatum bellum, si alius Princeps offerat condignam satisfactionem, bellum adhuc prosequi possit. 100
9. An milites teneantur examinare iustitiam belli. 101
10. An in bello liceat uti insidiis & stratagematis: & sit standum promissis. ibid.
11. An liceat in bello innocentes occidere. ibid.
12. An bona innocentium possint in bello diripi & deuastari. 102
13. An innocentes possint in seruitutem redigi. 103
14. An capti in bello iusto possint fugere. 105
15. An licite possit inferri bellum infidelibus propter solam infidelitatem, maxime ex licentia Papae. 106
16. An licitum sit inferre bellum infidelibus committentibus Idololatriam, & violentibus iura naturalia; maxime si accedat auctoritas summi Pontificis. 107
17. An sit iustus titulus bellandi, si infideles nolent excipere praedatores fidei: sed illos occidant, & liberum transitum in alias prouincias ad predicandum denegent. 108
18. An licite indicitur bellum contra infideles, ex titulo donationis obtentae à Pontifice de eorum Prouinciis. 109
19. An licitum sit indicare bellum haereticis propter solam haeresein. 110
20. An aliquando sit licitum in bello obsides occidere. ibid.
21. An liceat totam ciuitatem militibus diripiendam dare. 111
22. Quam satisfactionem possit Princeps in bello petere. ibid.
23. Ad quem bona capta in bello pertineat. ibid.
24. An detur bellu ex utraq; parte iustum. 112
25. An milites teneantur cum vita periculo non deserere arcem & stationem: & an possint relinquere castra. 113
26. In quo peccent milites erga eos, apud quos commorantur. ibid.
27. De peccatis Ducum in exercitu regendo. 115
28. De peccatis aliorum Officialium in exercitu commorantium. 116
29. De peccatis Regum & Principum, etiam si bellum iustum exerceant, in ordine ad milites. ibid.
30. An qui bellum iniustum bona fide gessit; cognita iniustitia belli teneatur resarcire omnia damna quae intulit. 117
31. An gregarij milites iniuste inuadentes & depraedantes aliquam urbem teneantur restituere in integrum. ibid.
32. Quo tempore licitum sit bellare. 118
33. An liceat Episcopis esse Duces supremos in aliquo exercitu terrestri vel maritimo. 119
34. An Clerici constituti in Minoribus, vel beneficiati licite possint pugnare. ibid.
35. An in aliquo casu licitum sit Clericis pugnare. 120
36. An Clerici sine superioris licentia in aliquo casu possint bello interesse absque peccato. ibid.
37. An Clerici modo quo supra licite bello assistentes spolia Aduersariorum accipere & retinere possint. 121
38. An Clerici qui in graui necessitate pugnant in bello, incurrant irregularitatem? Et quid de Clericis ex licentia summi Pontificis bello assistentibus. ibid.
39. An Clerici bello assistentes pro spirituali militum auxilio, si illos in conflictu incitent ad preliandum, incurrant irregularitatem. 122
40. An Clerici assistentes in bello sine licentia Pontificis, teneantur restituere praedam captam. ibid.

TRACTATUS II.

De familia Laica Nuntiorum Apostolicorum.

- RESOL. **A**N familia Laica Nuntij Apostolici gaudeat privilegio fori. 69

TRACTATUS V.

De Consuetudine.

- RESOL. **Q**uam dicatur consuetudo rationabilis. 123
2. *Quanam dicatur consuetudo legitime praescripta.* 124
 3. *An tempus decem annorum sufficiat ad consuetudinem inducendam, non solum inter praesentes sed etiam inter absentes.* 125
 4. *An consuetudo decennalis, vel quadragenaria interrumpatur per unicum actum.* 126
 5. *An tempus determinatum, ut consuetudo sit legitime praescripta, procedat etiam in foro conscientiae.* *ibid.*
 6. *An consuetudo non legitime praescripta sufficiat ad legem abrogandam ex conuenientia Principis.* 127
 7. *Quanam frequentia actuum introducat consuetudinem.* *ibid.*
 8. *An ad stabiliendam consuetudinem requirantur saltem aliqui actus iudiciales.* 128
 9. *Quales actus ad stabiliendam consuetudinem requirantur.* 129
 10. *An actus supradicti debeant procedere ex intentione introducendi consuetudinem: hoc est introducendi obligationem.* 130
 11. *Quomodo cognoscatur consuetudinem esse introductam cum animo inducendi obligationem.* 131
 12. *An in dubio si consuetudo sit inducta animo obligandi obliget.* *ibid.*
 13. *An ad stabiliendam consuetudinem requiratur expressus, vel saltem tacitus Principis consensus.* *ibid.*
 14. *Quinam possint consuetudinem introducere.* 134
 15. *An mulieres possint introducere consuetudinem.* *ibid.*
 16. *An consuetudo Laicorum obliget Clericos.* 135
 17. *Quas personas consuetudo obliget.* *ibid.*
 18. *An non usus possit introducere consuetudinem.* 136
 19. *An consuetudo possit abrogare poenam legis manente obligatione legis.* 137
 20. *An consuetudo possit abrogare legem quoad culpam, manente obligatione quoad poenam.* *ibid.*

21. *An consuetudo possit abrogare legem prohibentem consuetudinem contrariam.* 138
22. *An prior consuetudo remaneat abrogata per legem: si in ipsa non efficitur mentio de consuetudine in contrarium.* 139
23. *An si lex improbat consuetudinem per verba generalia, non solum de consuetudine praeterita, sed etiam de futura intelligatur.* *ibid.*
24. *An consuetudo habeat vim interpretandi legem.* 140
25. *An consuetudo possit lege abrogari.* *ibid.*
26. *Qualis esse debeat consuetudo ut lex non censeatur illam abrogare ex praesisa positione legis, sed addenda sit clausula derogatoria.* 141
27. *An consuetudo legitime praescripta possit abrogare aliam consuetudinem, et de tempore ad hoc requisito, praecipue in materia Ecclesiastica.* *ibid.*
28. *An credendum sit Doctori testanti de consuetudine.* 142
29. *An in materia praecedentiae sit attendenda consuetudo.* 143
30. *An valeat consuetudo, quod minor numerus testium quam septem in testamento sufficiat.* *ibid.*
31. *An consuetudo particularis attendenda sit, ubi adest vniuersalis: et an consuetudo extendenda sit de loco ad locum.* 144
32. *An consuetudo immemorialis censeatur derogata per clausulam generalem reuocantem consuetudines.* *ibid.*

TRACTATUS VI.

Miscellaneus.

- RESOL. **A**N Proreges possint pro eorum arbitrio aggratiare, ut vulgo dicunt, delinquentes, qui accusatorem non habent, et pro dictis gratis pecuniam accipere. 146
2. *An Proreges, ut vulgo dicitur, nella Nomina de gli Officiali, teneantur proponere Regi digniores.* 149
 3. *An Proreges possint vendere officia; et pecunias sibi ipsis applicare.* 151
 4. *An Proreges possint concedere Priuilegiatis Tractas pro anno sterili non extractas: et an*

- an possint vendere tractas, et in eorum commodum pecuniam accipere.* 154
5. *An Proreges ex causa necessitatis possint homines mala vita in carceribus existentes deponere super Regis Trementibus, donec eorum cause expediantur.* 157
 6. *An omisio vnius integrae Horae paruae sit pars notabilis ad constituendum peccatum mortale.* 158
 7. *An si dentur Sacerdoti particula pro communicandis Laicis, non solum post offertorium, sed etiam post Praefationem, possit illas adhuc consecrare.* *ibid.*
 8. *An Sacerdos possit applicare partem Missae sibi competentem, et pro illa stipendium accipere.* 159
 9. *An Sacerdos possit applicare diuersos fructus vnius Missae diuersis personis: et ab illis duplicata stipendia accipere.* *ibid.*
 10. *Quanam facultas per decreta Sacrae Congregationis de celebratione Missarum sublata sit Episcopis et Generalibus Ordinibus reuocandi Missas ad minorem numerum.* 160
 11. *An per Decreta Sacrae Congregationis fuerint reuocata priuilegia Regularium circa legata Missarum.* *ibid.*
 12. *An Sacerdos obligatus celebrare in Altari priuilegiato satisfaciat si celebret alibi cum numismate, vel calculo priuilegiato.* 161
 13. *An quando solum constat Capellanum teneri quotidie celebrari in tali Ecclesia vel Altari, teneatur applicare valorem Missae pro fundatore Capellaniae.* *ibid.*
 14. *An post susceptam Eucharistiam in eadem die sit peccatum veniale petere debitum causa captandae voluptatis.* 162
 15. *An licitum sit diebus festis occupare puellas in faciendis recamaturis.* *ibid.*
 16. *Utrum liceat iniurianti respondere, Mentiris.* 163
 17. *An liceat Sacerdoti in Sacristia, dum adhuc sacris vestibus est indutus sumere reliquias Hostiae inuentas in Calice.* 164
 18. *An qui mane Missam dixit, vel sacram Eucharistiam jumpsit: si post prandium incidit in articulum mortis, possit eodem*

- die iterum communicare.* 165
19. *Quidam vouerat singulis festiuitatibus Annunciationis Beatae Virginis Communionem, festum illud accidit feria sexta Hebdomadae sanctae: quaeritur an teneatur in illa die sacram sinaxim sumere.* *ibid.*
 20. *An Principes ad vitanda maiora mala possint in aliquo casu absque incursum censurarum permittere duellum.* 166
 21. *An si conuentio de pugnando facta sit in rixa, et inter conuentionem et pugnam intercedat tempus, incurratur in poenas latas contra Duellantes.* 167
 22. *An Superiores Regulares possint reconciliare eorum Ecclesias consecratas, pollutas, si Episcopus distet per duas dietas.* 168
 23. *An liceat Sacerdoti post ablutionem sumptam consumere particularum fragmenta: si in alia Missa fuerint ab alio Sacerdote praefatae.* 169
 24. *Quidam in Ecclesia rixando cum alio, illum pugno in naribus percussit: ex quibus magna sanguinis quantitas exiuit: petierunt a me. An Ecclesia remanserit polluta.* 170
 25. *Quidam fuit occisus ante Ecclesiam, et dum adhuc calidus esset, intra eam illatus; credens inimicus esse adhuc vinum, vulnus graue ei intulit, ex quo emanauit copiosa sanguinis effusio: quaesitum fuit: An Ecclesia remaneret interdita.* *ibid.*
 26. *Olim in Ecclesia Regularium fuit quidam cum sacculis arene ita acriter contusus, ut post tres dies extra illam mortuus sit. Quaeritur, an Ecclesia remanserit polluta.* *ibid.*
 27. *An Ecclesia non censeatur polluta per quamcunque delicti notitiam: nisi hoc fuerit per sententiam Iudicis declaratum.* 171
 28. *An in Ecclesia polluta si quis celebret, remaneat consecrata.* *ibid.*
 29. *An Magister tertiae classis in nostra Religione, vel ut dicitur in aliis nouiter Professorum, debeat habere aetatem 35. annorum necessariam pro Magistro Nouitiorum iuxta constitutiones Clementis VIII. 172*
 30. *An blasphemus consuetudinarius, et ad-*

- monitus sapè in aliis Confessionibus sit statim absoluendus; & an teneatur acceptare aliquam pœnam, si fortè postea blasphemet? Et idem queri potest de irante falsum ex consuetudine. *ibid.*
31. An peccatum confessum ut dubium debeat cessante dubio iterum ut certum confiteri. 173
32. An Sacerdos si ante celebrationem; vel Laicus ante Communionem dubitet, an commiserit aliquod mortale. v. g. An consenserit morosæ delectationi, teneatur confiteri. 174
33. An quando quis induxit aliquos ad peccandum, teneatur in confessione explicare non solum numerum personarum; sed etiam & speciem peccati ad quod prauo suo exemplo illos induxit. 175
34. An si quis comedat vel bibat usque ad ultimum ictum horologii designantis horam mediæ noctis possit die sequenti communicare. 176
35. An Eunuchus, vel frigidus accusans in confessione se fornicatum fuisse, teneatur explicare circumstantiam impotentiae. *ibid.*
36. An in peccato Sodomiae pœnitens teneatur explicare se fuisse patientem. 177
37. Quidam inchoabat copulam cum uxore, & postea ob morbi periculum, ex eius consensu se retraherat. Verum ex hoc aliquando sequebatur pollutio: quaesitum à me fuit, an talis actus esset licitus. *ibid.*
38. Per litteras quaesitus fui à quodam Episcopo: An ipse teneatur in sua Diocesi curare, ut leges Pontificiae publicentur & obseruentur. 178
39. An si aliquis sciat Romæ aliquam legem promulgatam, teneatur illam obseruare. 179
40. An pœnitens bona fide confitens casum reseruatum nesciens esse talem, absoluitur valide: Et quid si dubitet an sit reseruatus, & post absolutionem nouit esse talem. 180
41. An mortuo Episcopo quilibet Confessarius possit absoluere à casibus ipsi reseruatis. 182
42. An qui ignorat reseruationem alicuius casus, incurrat in illam. *ibid.*
43. Quis fecit pœnitentiam impostam à Confessario absque intentione illam adimplendi, imo cum intentione contraria: Queritur, an teneatur illam denuò facere. 183
44. Quidam Confessarius voluntariè omisit imponere pœnitentiam in confessione peccatorum tantum venialium; quaesitum, an peccatum mortale commiserit. *ibid.*
45. An adimplere pœnitentiam in statu peccati mortalis, sit saltem peccatum veniale. 184
46. An idem Confessarius possit extra Confessionem pœnitentiam à se impostam commutare. *ibid.*
47. Quidam fuit in Ecclesia vulneratus, & persequens inimicum fugientem magnam copiam sanguinis extra Ecclesiam vulneris effudit. Queritur an Ecclesia remanserit polluta. 185
48. An licentia excipiendi Confessiones praesertim Regularibus concessa ad beneplacitum, expiret mortuo Episcopo. 186
49. An quis possit legere libros prohibitos securus, quod nocuum non accipiet ex eorum lectura. 187
50. An Regulares vigore priuilegiorum possint dispensare ratione alicuius urgentis necessitatis in voto castitatis absoluta, in quo casu potest Episcopus dispensare. 188
51. An Hereticus externus, per accidens occultissimus incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ. Et an irregularitas quam nemo scit nisi ipse homicida, sit ab Episcopo dispensabilis. 189
52. An confessio facta simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo sit nulla. 191
53. Vtrum ministrans Sacramenta scienter in peccato mortali, peccet mortaliter. 194
54. An Regulares possint absoluere seculares ab hæresi occulta. 196
55. An qui legit librum Hæretici de Religione tractantem, hæresim tamen non continentem, incidat in censuram Bullæ Cœnæ. 197
56. An si Prælati Regularis neget pio Confessario licentiam absoluendi subditum à reseruatis; possit adhuc Confessarius illum absoluere. 198
57. An absolutio casuum reseruatorum ex presumptione

- sumptione ratihibitionis sit valida. 199
58. An licentia præsumpta liberet Regulares à vitio proprietatis: etiam si Superior adiri facile possit, vel res differri. 201
59. An electores ad Maioratum, ad Cathedralam, Capellam, &c. Et qui debent eligere pauperes pro diuidenda eleemosina, possint sine onere restitutionis pro his actibus aliqua munera recipere. 202
60. An secreta Principum seu Exercitus licitum sit reuelare ad euitanda tormenta, & iacturam vite. 203
61. An votum, vel iuramentum factum alicui Ecclesie, vel pauperi; post eorum acceptationem possit auctoritate Episcopi, vel propria in melius commutari. 204
62. An votum ingrediendi Religionem possit quis propria auctoritate commutare in susceptionem Episcopatus. 205
- tio, subtrahit se, & effundit semen extra vas. 210
8. An Ecclesia Romane adhuc competat priuilegium prescriptionis centum annorum. 211
9. An ne crimen socij manifestetur in confessione, obligetur pœnitens adire alium Confessarium, cui confitendo in cognitionem complicis venire non possit. 213
10. An qui priuatim recitat diuinum officium, sufficiat vocem formare labia mouendo, etiam si à seipso audiri non possit. *ibid.*
11. An Clericus vel Religiosus conduens agros alienos, teneatur soluere gabellam ex fructibus inde perceptis. 214
12. An quis tuta conscientia possit detinere rem, quam iuxta leges præscripsit, si postea cognoscat fuisse alterius. *ibid.*
13. An Parochus qui numquam vel raro concionem habet ad populum, peccet; etiam si in sua Parochia non desint Concionatores. 216
14. An in Bulla Gregorij XIII. de datis & promissis in Romana Curia, sub nomine Gratiarum includantur absolutiones, indulgentiae, dispensationes, beneficia & aliae gratiae, quae solo verbo perficiuntur, *ibid.*
15. An cum quis cubitum iret, ori saccharum imposuit: & nescit postea an ante mediam noctem liquefactum fuerit, possit adhuc Missam dicere, aut Eucharistiam sumere. 217
16. An capti in bello habito inter Christianos tacitè possint redimi: & in conscientia teneantur soluere pretium promissum suae redemptionis. *ibid.*
17. An si v. g. non inueniatur hostia magna possit Sacerdos Missam celebrare, & consecrare particulam paruam. 218
18. De quibusdam quaestis circa aquam naturalem necessariam in Baptismo; & sacrificio Missæ. 219
19. Quidam ex graui necessitate Parentum egressus Religione non poterat illos iuuare, nisi habitum Religionis dimitteret seruiendo viro nobili in habitu seculari: queritur an licitè hoc fieri poterat. 220
20. An filij succedentes patribus per interme-

TRACTATUS VII.

Miscellaneus.

- RESOL. **N.** Ex genere Mahometano, sed
1. **N.** infans baptizatus; & postea in Religionem ingressus: queritur an possit sine ulla dispensatione ad Prælaturas assumi. 206
2. An aliquando Confessarius possit obligare pœnitentem ad declarandum complicem 207
3. An Papa teneatur sub mortali ad confessionem peccatorum semel in anno. Et quid de Horis Canonici, & de ieiunio. *ibid.*
4. An quis ob amissionem vnius rei teneatur aliquando ad duplicem restitutionem. 208
5. An Confessarius excusetur à culpa si imponat leues pœnitentias propter illa verba, quae in absolutione semper adduntur: Quidquid boni feceris, aut mali sustinueris, &c. maxime si hoc pœnitenti explicet. *ibid.*
6. An iniungenda sit pœnitentia scrupuloso frequenter intra eandem horam accedenti ad Confessarium. 209
7. An peccet mulier reddendo debitum viro, qui saturanda libidinis causa coitum incipit; sed postea ne sequatur genera-
20. An filij succedentes patribus per interme-

- diam personam hereditantes tantum maioratus, vel bona vincularia tenentur solvere debita parentum post eorum obitum: Et quid de uxore mortuo viro. *ibid.*
21. An filius peccet mortaliter si non ducat dignam, quam Pater vult: sed aliam ducat aequè dignam. 222
22. Impubes ante 14. annum nondum completum vouet Religionem ingredi, factò pubere moritur Pater, & ei legitimus Curator constituitur: queritur verum possit Curator votum illud irritare. *ibid.*
23. An bona fide dispensans in voto existimans adesse causam, cum tamen non sit, valeat dispensatio. 223
24. An leuitas in vouendo praestet sufficientem causam dispensationi: etiam si vouens non habeat difficultatem exequendi votum. 224
25. In quodam Tribunali Sanctae Inquisitionis N. fuit tanquam hereticus formalis publicè damnatus: queritur, an quia Ecclesiae se reconciliauit, eius uxor teneatur illum recipere, & secum cohabitare. *ibid.*
26. Quidam Episcopus, dum erat Religiosus, multa vota emiserat; quaesuit à me, an postea potuerit illa irritare Praelatus Religiosus. 226
27. An votum seu iuramentum de non procurando, seu acceptando Episcopatum, vel non esse Senatorem, Iudicem, Praesidem, &c. sit validum. *ibid.*
28. An Pater teneatur non solum alimenta, sed etiam dotem filiis spuris praebere. 227
29. An habitantes in ea Parochia, ubi Concilium Tridentinum de clandestinis matrimoniis publicatum est, & seruat: si transeant v. g. in Galliam non animo ibi habitandi, sed cum voluntate ibi contrahendi, ac mox ad locum habitationis redeundi: an, inquam, in tali casu matrimonium sit validum. 228
30. An commorantes in Terris infidelium possint contrahere matrimonium non seruata forma Concilij Tridentini. 229
31. An Indulgentiae concessae alicui diei festo transferantur, si dies festus transfe-

ratur. *ibid.*

32. An Indulgentia alicui Templo concessa perseueret, si Templum aliò transferatur. 230
33. In Rubrica Indulgentiarum quinque Sanctorum dicitur: Quòd si amittatur granum possit pro alia vice aliud subrogari. Queritur, inuento primo, cui ex duobus Indulgentia censeatur affixa remanere. *ibid.*
34. An propositum non peccandi de cetero, expressum & formale sit necessarium confitenti in articulo mortis. 231
35. An qui v. g. accepit unum Ordinem ab Episcopo originis, possit variare, & alium accipere ab Episcopo Beneficij. 232
36. An si quis v. g. recitando officium, vides mulierem & concupiscit eam, teneatur non solum illam prauam concupiscentiam confiteri: sed etiam dicere, quòd tale peccatum admisit psallendo, vel orando. *ibid.*
37. An sit licitum pulsare campanas in signum, quòd aliquis Malefactor manè furca suspendendus sit. 233
38. An Religiosus, seu Clericus, qui mane antequam professionem acciperet, vel Subdiaconatum susciperet, recitauit Officium, teneatur, hoc non obstante, illud iterum recitare. 234
39. An sub generali communicatione priuilegorum mendicantium veniant communicata Altaria priuilegiata. *ibid.*
40. An prohibitio moderandi Missas facta Episcopis in Decreto de Celebratione Missarum, comprehendat etiam Anniversaria, & officia Defunctorum. 235
41. An electo Vicario possit Capitulum Sede vacante aliquam exercere iurisdictionem. *ibid.*
42. An qui promisit aliquam summam pecuniae pro beneficio obrinendo, protestans se illam daturum gratitudinis causa, & non ex debito iustitiae, incurrat in crimen Simoniae. 236
43. An ob vitandum peccatum Titij licitum sit prouocare illum ad se inebriandum. 237
44. An si aliquis minaretur alicui mortem, nisi se vino oppleret, licitum sit se inebriare. 238

45. Quidam

45. Quidam dispensatus à Summo Pontifice in voto Religionis ratione infirmitatis, post multos annos conualuit: quaesuit an ad ingressum Religionis sub mortali teneretur. 239
46. Quis in Religione obtinuit licentiam à Superiore confitendi per spatium octo dierum cum quodam Sacerdote, à quo absolutionem obtinuit: post aliquot dies recordatur aliquorum peccatorum; quaesuit an possit illa confiteri cum supradicto Sacerdote. *ibid.*
47. An in dubio quis sit priuandus Ecclesiastica sepultura: & an possit dari ignorantia inuincibilis, quòd in aliquo casu homicidium sit licitum. 240
48. An Ducibus & Militibus super naues Indicas, quae vulgò dicuntur la Flotta, quando aliter manus hostium effugere non possunt, licitum sit ignem adhibere, ut ipsi & naues absumantur. 241
49. An sit absolutio impertienda Blasphemo consuetudinario, qui emendationem proposuit, nec est emendatus. 242
50. An Clericus in Minoribus constitutus possit exercere Medicinam sine alia Pontificia dispensatione. 243
51. Quidam Religiosus ex causa metus annullauit suam professionem: postea matrimonium inire volebat: quaesuit à me an licitè fieri possit. 244
52. Quis emiserat votum certa Religionis, à qua absolute repulsus fuit: sed postea inuitatus à Superioribus quaesuit à me, an teneretur ingredi. *ibid.*
53. An qui vouit perseuerantiam in Religione, si ex iusta causa exeat, vel expellatur, ea cessante teneatur iterum ingredi. *ibid.*
54. Quidam erat obstrictus vinculo voti Religionis: sed cum haberet sororem in graui necessitate constitutam, quaesuit, an ex hac causa potuerit differre Religionis ingressum absque alia dispensatione. 245
55. An legitima debeatur filiis statim post professionem Patris. *ibid.*
56. An ad ratificandam professionem nullam requiratur scientia nullitatis professionis praecedentis. 246
57. Quidam Religiosus, cum in casum reseruatum incidisset, ex industria occasione cuiusdam negotij se transtulit in aliam Ciuitatem, ut ibi absolueretur: quaesuit an valida fuisset illa Confessio. *ibid.*
58. An seculares satisfaciant precepto Communionis Paschalis, si sumant Eucharistiam in Ecclesijs Regularium. 247
59. An Religiosus approbatus in una Diocesi censeatur ubique approbatus. 249
60. An Religiosus praesentatus, & iniuste ab Episcopo ad Confessiones non admissus possit adhuc Confessiones excipere. 251
61. An Confessarius Regularis possit approbati cum limitatione, ad tempus, ad personas, &c. 253
62. An Confessarius Regularis semel approbatus possit ab eodem Episcopo iterum examinari; & licentia data reuocari. 254
63. An Superiores Regularium possint illos absolueri ab haeresi occulta. 255
64. An propter notabile damnum salutis corporeae possit conuix negare debitum peccati: etiam si in illo adsit periculum incontinentiae. 257
65. An aliquando sint licita oscula & tactus inter uxoratos cum periculo pollutionis. *ibid.*

TRACTATVS VIII.

Miscellaneus.

- RESOL. AN Pragmatica super Chartam I. vulgò dictam Papel Sella do violet Ecclesiasticam immunitatem. 259
2. An liceat Principibus Legatos eorumque famulos atrociora scelera perpetrantes sine violatione iuris gentium, condigna violatione punire. 262
3. An offendens Cursorem, seu alium Ministrum Episcopi, non in executione officij sui, sed ex odio, vel inimicitia priuata, sit puniendus ab Ecclesiastico, vel à Iudice seculari. 265
4. An statutum, ne extrahatur vel introducatur in ciuitate vinum, frumentum, &c. comprehendat Clericos. 266
5. An

Index Tractatum,

5. An qui ab aliis violententer extractus fuit à manibus Satellitum, si confugerit ad Ecclesiam sit protegendus, ut eius immunitate gaudeat. 272
6. An uxores Equitum D. Iacobi Alcantarae, Calatranae, &c. gaudeant privilegio fori. 273
7. An Novitij in Religione Clericorum Regularium tempore Hospitij gaudeant privilegio Canonis. 274
8. An in Ieiunio Eucharistico detur parvitas materiae excusans à peccato mortali. 275
9. An Christianus se fingens Infidelem, & petens iterum baptizari propter eleemosynam acquirendam, debeat abiurare. 276
10. An post Decreta Urbani VIII. possit quis sine peccato mortali celebrare per tertium, retinendo sibi partem stipendij. 277
11. An Regulares duas Missas celebrare teneantur occurrente Festo cum feria in Quadragesima: aut aliàs privilegiata. 278
12. An Religiosi nondum in Sacris constituti, quando à Choro absunt, teneantur privatim Officium recitare. ibid.
13. An Regulares, vel Canonici seculares satisfaciant obligationi psallendi in Choro, si canant in sacristia, ex aliqua iusta causa. 279
14. An aliæ Religiones possint per communicationem gaudere privilegio concesso Patribus Franciscanis, recitandi Officium Corporis Christi, singulis quintis Feriis extra Quadragesimam & Aduentum non impeditis Festo novem lectionum. ibid.
15. An Vicarij Superiorum localium, & praesertim nostræ Religionis, possint eligere Confessarium, etiam praesente Superiore, extra Religionem. 280
16. De quodam voto conditionali postea confirmato, an possit per Episcopum dispensari. ibid.
17. Excusatur quaedam conventio Equitum Hierosolymitanorum à labe Simoniacae. ibid.
18. An materia & forma Ordinum fuerint instituta à Christo Domino. 284
19. An qui in Ordinatione Sacerdotij tetigit tantum Calicem, & non patenam, valide ordinatus fuerit. ibid.
20. An Regulares sint ab Episcopis examinandi, si munus praedicationis exercere velint in alienis Ecclesiis. 285
21. An si Episcopus omittat aliquam ceremoniam appositam in Pontificali pro benedictione Chrysmatis, dicatur, hoc non obstante, Chrysm benedictum. ibid.
22. An sit valida ordinatio si porrecta patena cum hostia, vinum intra calicem ex incuria non apponatur. 286
23. Quæ causa requiratur ad dispensandum in interstitiis pro Sacerdotio assumendo. ibid.
24. An ut Episcopus possit ordinare aliquem ratione beneficij existentis in sua Diocesi, sufficiat ut beneficium sit simplex. 287
25. An ex matrimonio rato, & non consummato oriatur impedimentum affinitatis. ibid.
26. An impedimenta Matrimonij per Concilium Tridentinum sublata, censeantur etiam sublata in Prouinciis ubi illud non est publicatum. 288
27. An Episcopi, ubi Concilium Tridentinum non est usque receptum, possint uti privilegio eis concesso per dictum Concilium in sess. 24. cap. 6. de Refor. 289
28. An Episcopi, vel Monialium Superiores possint ultra tertiam vicem concedere subditis Monialibus Confessarium extraordinarium. 290
29. An initiatus Ordinibus minoribus, & sacris, non suscepta primâ tonsurâ sit irregularis, & teneatur dictam tonsuram sumere. 291
30. An sorores Tertiariae possint à Sacerdotibus suarum Religionum in articulo mortis sumere Viaticum, & Extremam unctionem; ubi multa de Tertiariis vulgò Bizoche. 292
31. Duo dubia satis practicabilia circa Indulgentias discutiuntur. 294
32. An Regulares possint dispensare in impedimento affinitatis ad petendum debitum inter coniugatos. ibid.

33. An

& Resolutionum, Partis VI.

33. An saltem Generalis Religionis possit precipere subdito, ut Episcopatum acceptet. 295
34. An vota vite Quadragesimalis Minorum, Redemptionis captiuorum Mercenariorum, non acceptandi Prælaturas extra Religionem Patrum Societatis IESV, & Discalceatorum D. Augustini, & similia sint dispensabilia saltem per Generalem. 296
35. An Generales Religionum possint auocare ad se causas pendentes coram inferioribus Prælatibus. 297
36. An licitum sit parentibus castrare filios ad conseruandam vocem, ipsis consentientibus. ibid.
37. An ad euitandum periculum vite, & infamiae puella pregnantis sit licitum procurare abortum si foetus non sit animatus. 298
38. An si quis dicat Potta di Di, Renego di Di, Al cospetto di Di, ommissa littera O, sit censendus blasphemus hereticalis. 299
39. An Regulares in grangiis, seu in cellis particularibus possint celebrare cum Altari portatili contradicente Episcopo. ibid.
40. Quibus Privilegiis gaudeant Cardinales quoad celebrationem Missæ in eorum Capellis. 300



INDICV



INDICVLVS

Decisionum nouissim. Sacrae Rotae Romanae,
quae in calce huius VI. Partis in gratiam
studiosorum apponuntur.



- D**ECISIO Sacrae Rotae Romanae coram R.D. Coccino Decano:
Barchinonen. Exemptionis. *Luna 20. Iunij 1636.* pag. 309
- Decisio Sacrae Rotae Romanae Coram R. D. Coccino Decano,
in causa Hispalen. Sponsalium. *Veneris 6. Martij 1637.* pag. 310
- Decisio Sacrae Rotae Romanae coram R. P. D. Merlino : in causa Gerun-
den. Scribaniae. *Mercurij 1. Iulij 1637.* pag. 314
- Decisio Sacrae Rotae Romanae coram Eodem, in eadem causa. *Vene-
ris 27. Nouembris 1637.* pag. 315
- Decisio Sacrae Rotae Romanae coram R. P. D. Merlino: Gerunden. Scri-
baniae. *Veneris 26. Februarij 1638.* pag. 318
- Decisio Sacrae Rotae Romanae coram R. P. D. Carillo, in causa Cordu-
ben. Decimarum de Lucena. *Veneris 29. Maij 1638.* pag. 320
- Decisio Sacrae Rotae Romanae coram R. P. D. Roias, in causa Firmana
Professionis. *Veneris 2. Decembris 1639.* pag. 323
- Decisio Sacrae Rotae Romanae coram R. P. D. Merlino, in causa Maiori-
cen. Indultorum. *Luna 11. Aprilis 1639.* pag. 325
- Decisio Sacrae Rotae Romanae coram R. P. D. Merlino, in causa Cordu-
ben. de Lucena. *Luna 7. Februarij 1639.* pag. 327
- Decisio Sacrae Rotae Romanae coram R. D. Coccino Decano, in causa
Toletana Nullitatis Matrimonij. *Veneris 18. Februarij 1639.* pag. 330
- Decisio Sacrae Rotae Romanae coram R. P. D. Peutingero, Maioricen. In-
dultorum. *Veneris 16. Nouembris 1640.* pag. 332
- Decisio Sacrae Rotae Romanae coram R. P. D. Roias, in causa Romana do-
nationis. *Mercurij 1. Februarij 1640.* pag. 334
- Decisio Sacrae Rotae Romanae coram R. P. D. Merlino, in causa Perusina
Oblationum. *Veneris 27. Ianuarij 1640.* pag. 337
- Decisio Sacrae Rotae Romanae coram R. P. D. Dunozet, Pampilonen. ele-
ctionis Canoniorum. *Veneris 11. Maij 1640.* pag. 338
- Decisio Sacrae Rotae Romanae coram R. P. D. Carillo, in causa Vlixbo-
nen. Professionis. *Veneris 17. Maij 1641.* pag. 340

TRACTA



TRACTATVS PRIMVS,
S E V
APOLOGETICA DISCEPTATIO
D E
IMMUNITATE
ECCLESIARVM.



QUAE a Sacra Congregatione Romana & vniuersalis Inquisitionis
licentiam quosvis libros prohibitos legendi obtinuissem, perue-
nit ad manus meas liber Petri Sarpi de Iure Asylorum; qui primò
Italicè conscriptus, postea Latinitate donatus fuit ab Augerio
Frielburgio, & editus Lugduni Batauorum in officina Elzeui-
riana anno 1622. Ego existimo nomen huius Auctoris fictitium
esse: & verum ex validissimis praesumptionibus propalarem; sed ex dignis rationi-
bus nolo. Hic Auctor in tota serie dicti libri procaciter & irreuerenter nihil
aliud intendit, nisi prorsus euertere sacrorum templorum immunitatem, pro qua
stabilenda, licet ego ipse *in part. 1. tract. 1.* per totum, & *in tract. 1. part. 3. 4. & 5.* non
sine communi vtilitate, vt reor, multa congesti, tamen necessarium esse existimaui
aduersus ea quae dictus Sarpus eructat, me opponere, & sigillatim refelle-
re. Sed quia ipse totam hanc materiam ad tria capita reducit. Primum. Quenam sint
sacra loca, quae ad se confugientes rueantur. Secundum. Quenam personarum
conditio, & quodnam delicti genus loco sacro protegi, aut non protegi possit.
Terrium. Quanam ratione a sacris locis extrahi debeant ij, qui eisdem tegi ad-
uersus iustitiam non possunt. Ideò de his ego secundum hunc ordinem pertra-
ctabo; addendo etiam aliqua ad complementum huius materiae.

Aduertendum tamen est, quòd licet Sarpus pro confirmatione suarum opinio-
num soleat aliquando adducere aliquos Doctores; hi vel non sunt audiendi, quia
scripserunt ante Bullam Gregorij X I V. vel stando in iure communi antiquo ve-
niunt etiam refellendi ex rationibus & Doctoribus a nobis inferius adducendis: &
Farinacius saepe a Sarpo adductus se retractauit in Appendice de immunitate vt
infra patebit.

Nec desinam hic obiter adnotare aliquos graui censura dignos esse, qui fauorem
Principum aucupantes asserunt Sacram Congregationem his temporibus libros
iurisdictionem Regiam defendentes statim prohibere: hoc enim falsum est: nam
nullus liber in Indice apponitur, quia defendit iurisdictionem saecularem, vbi licitè
defendi potest: hoc enim Summi Pontifices, nequaquam voluerunt, nec volunt; vt
patet *ex cap. causam quae, qui filij sint legit. cap. quoniam dist. 10. cap. cum ad verum
dist. 96. cap. solite, de maiorit. & obed. cap. nouit, de iudic. & cap. si duobus §. denique de
appellat.* Sed prohibentur, quia propter iurisdictionem Regiam ampliandam

docent aliquas opiniones falsas, & de directo contra Sacros Canones, Bullas Pontificias, & Concilia Generalia admittendo insuper minus legitimam interpretationem constitutionum, litterarum seu dispositionum Apostolicarum, vt loquitur nouissimè SS. P. N. Urbanus VIII. in Bulla *Romanus Pontifex* data sub die 5. Junij 1641. & publicata die 14. Augusti eiusdem anni. Vnde ex his Sacra Congregatio fuit adstricta super aliquos recentiorum libros nigrum præfigere theta: Et in Regulis confectis à Patribus Concilij Tridentini; & appositis in principio Indicis librorum prohibitorum à dicto Sacro Concilio *in tit. de correctione librorum*, §. 1. Reg. 14. Sic habetur. Expurgandæ sunt etiam propositiones, quæ sunt contra libertatem, & immunitatem, & iurisdictionem Ecclesiasticam.

Quanam Ecclesia tribuat confugientibus immunitatem?

RESOL. I.

SARPUS in dicto libro de Iure Asylorum, cap. 4. fol. 39. sic ait. Ecclesiæ nomine statuunt unanimiter Doctores omnes Oratoria non comprehendi, quanquam in eis aliquando res sacra fiat: vt ea, quæ in priuatorum domibus, & in Collegiis Laicorum, quas vulgò Confraternitates vocant, ædificantur. Neque omitti debet, immò atenta cura animaduerti, quòd Episcopus Couarruuas lib. 2. var. cap. 20. de hac re disserit, hisce videlicet temporibus occurrendum maximè esse eorum temeritati, qui Ecclesiarum immunitate confisi quodcunque delictum perpetrare audent. Et ob id, in quibusdam ciuitatibus nolunt Ecclesiastici Præfules quamcunque Ecclesiam ius immunitatis obtinere, sed eas tantummodò, quæ continuis temporibus sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum habent. Ita ille.

Sed non est verum asserere ita absolutè Oratoria Confraternitatum non gaudere immunitate: nam si sunt affixa alicui Ecclesiæ, vel Monasterio, immunitate gaudent. Ita Peregrinus de immunit. cap. 4. num. 68. Adde quòd si auctoritate Episcopi erecta sunt, sunt loca sacra & religiosa; & ideo Episcopus habet ius illa visitandi. Et quando dicta oratoria habent cymbalum super tectum, & publicè pulsatur, est omnino præsumendum auctoritate Episcopi esse erecta; quia priuatis oratoriis hæc publica cymbali pulsatio non conceditur; ergo gaudent immunitate. Vide cap. presentibus, de priuileg. Sanchez de Matrimonio, lib. 9. disput. 15. num. 39. Mascardum de probation. conclus. 869. num. 1. & 2. Decianum lib. 6. cap. 25. num. 16. & alios.

Ad id verò, quod Sarpus ex Couarruuia asserit, illas Ecclesias debere priuilegio immunitatis gaudere, quæ retinent sanctissimum

Eucharistiæ Sacramentum; & ita obseruare aliquos Episcopos: assero hoc non esse verum; quia in cap. Ecclesia de immunit. Eccles. & in aliis textib. hoc non expostulatur. Et ratio concedendi hanc immunitatem non est continua Christi Sacramentalis præsentia; sed quòd talis locus destinatus sit auctoritate Episcopi ad diuina ibi celebranda. Et ita docet Peregrinus de immunit. cap. 4. numer. 2. Italia lib. 1. cap. 4. §. 3. numer. 5. Farinacius cap. 17. numer. 254. Bonacina disput. 3. quest. 7. punct. 4. num. 2. Castrus Palaus tom. 2. tract. 11. punct. 6. num. 2. Et hanc sententiam Episcopos in fauorem Ecclesiæ sequi debere omnis recta ratio expostulat; nec aliter ab ipsis puto fieri posse: nam restringere immunitatem Ecclesiarum quoad delicta, & quoad loca, non ad ipsos, sed ad summum Pontificem spectat: Vnde consuetudinem, quam approbat Sarpus ex Couarruuia, reprobatur Gambacurta vir quidem doctus sed parum fauens immunitati Ecclesiarum lib. 3. cap. 4. & 5. vbi probat multitudinem Ecclesiarum non obesse Christianæ Reipublicæ ad impunitatem delictorum, & omnibus Ecclesiis hanc immunitatem competere docet.

Verùm ad confirmationem supradictorum. Nota primò contra Ambrosinum de immunit. cap. 10. numer. 2. vers. quod præcipuè. Decianum lib. 6. cap. 24. num. 24. Glossam in cap. inter alia de immunit. Eccles. vers. celebratur, & ibi Zabarellam & Butrium num. 2. & 3. & alios, vt Ecclesia gaudeat priuilegio immunitatis, non egere, vt in ea diuina celebrentur: sed eo ipso quòd auctoritate Episcopi fuerit constructa, immunitate gaudebit: quia talis locus est religiosus, & diuinis obsequiis dicatus: quòd autem in ipso diuina non celebrentur, est per accidens, & sufficit quòd celebrari possint. Ita Ludouicus Correa in Relect. de immunit. part. 2. numer. 8. Peregrinus cap. 4. num. 7. Raphaël de la Torre tom. 2. in 2. 2. quest. 99. art. 3. disp. 7. gradu 8. Germonius de Sacrament. lib. 3. cap. 16. num. 23 & sequent. Bonacina disput. 3. quest. 7. punct. 4. n. 2. & Farinacius de immunit. cap. 17. numer. 258. qui optimè

optimè num. 261. hanc opinionem extendit ad Ecclesiam non perfectè constructam: nam eo ipso quòd auctoritate Episcopi cept constructui, dicitur locus diuinis obsequiis dicatus, & immunitate gaudet. Nec admittenda est limitatio Italiæ lib. 1. cap. 14. §. 3. num. 15. & sequent. nempe hoc procedere quando Ecclesia continuè & perseueranter construitur; secus si constructio intermittatur: quia tunc, ait ipse, potius est locus desertus quàm domus orationis. Sed optimè obseruat Farinacius de immunit. cap. 17. num. 261. & Palaus tom. 2. tract. 11. disp. 1. punct. 6. num. 4. hanc rationem esse inefficacem, cum obcessationem ab ædificio deputatio Ecclesiæ ad diuina celebranda non tollatur.

Nota secundò. Ecclesiam pollutam & interdictam gaudere priuilegio immunitatis: quia ratione pollutionis non aufertur sanctitas loci; & Ecclesia non perdit esse sacram ob interdictum: & sicut Clericus interdictus retinet sua priuilegia, ergo à simili Ecclesia interdicta. Ita Suarez de Relig. tom. 2. lib. 3. cap. 9. num. 6. Azorius part. 2. lib. 9. cap. 8. quest. 4. Bonacina disp. 3. quest. 7. punct. 4. num. 3. Ludouicus Correa in Relect. de immunit. part. 2. numer. 9. Panormitanus in cap. Ecclesia, num. 8. de immunit. Hostiensis in summa tit. de immunit. §. in quantum vers. sed nunquid hoc priuilegium. Marsilius in leg. unica, Cod. de Rapt. virg. n. 116. Clarus in pract. lib. 5. quest. 30. num. 5. Farinacius cap. 57. num. 29. Tuschus verb. Ecclesia conclus. 9. num. 9. Layman lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 2. Fagundez part. 2. lib. 4. c. 4. num. 62. Raphaël de la Torre tom. 2. in 2. 2. q. 99. art. 3. disp. 7. gradu 8. Villalobos in summa tom. 2. tract. 39. disp. 5. num. 1. Vnde ego puto non esse admittendam limitationem Deciani, tom. 2. lib. 6. cap. 25. num. 20. asserentis hanc sententiam non procedere quoad homines de populo, propter quorum delictum interdicta fuit Ecclesia; sed bene procedere quoad peregrinos. Sed tu contrarium absolutè quoad omnes tene cum Peregrino de immunit. cap. 4. num. 14. qui citat Tuschum.

Nec obstat aduersus supradicta cap. Ecclesia de immunit. Eccles. vbi dicitur: in qua diuina officia celebrentur, sed in Ecclesia interdicta non possunt diuina officia celebrari: ergo, &c. Nam respondetur: quòd vt Ecclesia gaudeat immunitate, non est opus, vt in ea diuina officia celebrentur actu; sed sufficit esse locum ad hoc destinatum. Vide Italiam lib. 1. cap. 4. §. 3. n. 8. Peregrinum c. 4. num. 17. Gambacurta lib. 4. cap. 2. n. 6. & alios penes ipsos & nos etiam supra probauimus.

Nota tertio. Aliquos docuisse Ecclesiam destructam non gaudere immunitate quia Ecclesia destructa, si iterum reædificetur; de no-

uo censetur facta, iuxta textum sic intelligendum in l. si ita §. vlt. in fin. ff. de legat. 1. Ergo si de nouo erigitur, noua debet habere priuilegia; ac subinde vetera euauerunt: & facit textus in leg. si is, qui quadraginta §. quedam ibi, qui & propriam formam, ff. ad leg. falci. d. Deinde non assignatur maior ratio, cur vasa sacra post fractionem amittant suam consecrationem, quàm Ecclesia post destructionem. Et tandem si ab Altari lapis amoueatur, iterum debet consecrari, vt docet cap. in cap. 1. de consecrat. Eccles. vel Altar. Ergo, &c. Et ita hanc sententiam, si Ecclesia ita corruat, vt in ea celebrari nequeat, tenet Ludouicus Correa in Relect. de immunit. Eccles. part. 2. n. 10.

Verùm affirmatiuæ sententiæ ego adhæreo, quia Ecclesia diruta ratione loci in quo ædificata erat, non desinit esse sacra, vt patet ex leg. ad sacra, ff. de contrahend. empr. & ex leg. in tantum §. sacra in fin. ff. de vendit. Quod tamen intellige, si auctoritate superioris destructa non sit, & si adit spes reædificationis: Et ita tenet Farinacius de immunitate, cap. 17. num. 260. Scortia in Bull. Pontif. Epit. 152. theoretem: 385. Sanchez in opuscul. tom. 1. lib. 6. cap. 1. dub. 7. num. 2. Ambrosinus de immunit. cap. 10. num. 3. Palaus tom. 2. tract. 11. disp. 1. punct. 6. num. 7. Bonacina tom. 2. disp. 3. quest. 7. punct. 4. num. 4. Tuschus tom. 3. littera E. conclus. 9. n. 10. Italia de immunit. lib. 1. cap. 4. §. 3. num. 11. & alij, quos ad fatietatem adducit Carolus Maranta part. 2. respons. 35. num. 2. Vnde ego olim consului quosdam Reos confugientes ad Ecclesiam dirutam magnæ tamen deuotionis, & in qua ostia erant lignis, & aliquibus lapidibus penè clausa: gaudere eius immunitate: & adduxi pro mea sententia vt gratiam Ministris Laicalibus, Petrum Gambacurtam de immunit. lib. 4. cap. 2. num. 11. Pater igitur ex supradictis contra Sarpum omnes Ecclesias modo supra explicato, etiam quæ non retinent sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, gaudere Ecclesiarum immunitate.

Sed quæro hic obiter. An Porticus Ecclesiæ gaudeat eius immunitate; & videtur negatiuè respondendum: quia illud quod Ecclesiæ conceditur, non est in porticu concessum; quemadmodum etiam illud, quod in Ecclesia prohibetur, in porticu admittitur iuxta textum in cap. 1. de Decimis, & ibi Abbas num. 4. Facit etiam, quòd appellatione domus porticus non contineatur, vt tradit Bartolus in leg. cetera §. hoc Senatus 2. ff. de legat. 1. num. 1.

Sed his non obstantibus contrarium tenendum est ex textu expresso in cap. si quis conuizumax 17. quest. 4. ibi, vel de porticibus Ecclesiæ: & ita tenent communiter Doctores, qui hoc priuilegium etiam extendunt ad scalas

ipſius Eccleſiæ, vt probat Sperellus *decif. 60. num. 14.* & alij plures penes ipſum; & me citato Nouarius in ſumma Bullar. *tit. de immunit. num. 56.* Vnde vt vno me expediam verbo, non ſolum Eccleſia gaudet hoc priuilegio, quoad eius ambitum internum, ſed etiam quoad totam ſuam fabricam, vel habitationem coniunctam, vt Turrès cymbalorum, clauſtrum, hortos & familia.

Nec obſtat dicere, quòd ſanguinis, vel ſeminis effuſio ſupradicta loca non contaminat: quia ad effectum pollutionis, cum ſit pœnalis, ſolus internus ambitus Eccleſiæ ſpectandus eſt: ſecus quoad priuilegium immunitatis, quod eſt ſauorabile, & ideò latè interpretandum per Doctores, quos citat & ſequitur Decianus *lib. 3. conſil. 80. num. 19. & 22.* Sperellus *decif. 63. num. 10.* & plures alij.

Et tandem nota, Domus ſeminarij, Domus Puellarum, vel Orphanorum auctoritate Episcopii fundatas; Domus Clericorum in communi viuentium, vt ſunt Religioſiſſimi Patres Oratorij Diui Philippi Nerij gaudere etiam hac immunitate.

An fines Eccleſiæ per aliquem circuitum gaudeant immunitate?

R E S O L. II.

Sic reſpondet Sarpus *cap. 4. fol. 39.* De ſitu, qui adhæret Eccleſiæ quadraginta aut triginta paſſuum ſpatio, cuiusdem immunitatem Eccleſiis iis, quæ ſunt intra ciuitatis, vel Caſtrorum mœnia, haud conuenire certiffimum eſt. Hac enim de re Canon expreſſè ſtatuit, & Doctores conſentientes loquuntur; nec vlla poteſt exoriri dubitatio: immò verò non deſunt, qui id etiam extra Vrbes omninò negent, cum dicunt eiufmodi ius vel nunquam vſu obrinuiſſe, vel certè conſuetudini ei, qua fuit, derogatum eſſe. Cauſa verò cur in ciuitate concludant omnes ſpatium illud nullam prorsùs habere immunitatem, licet aliquis exiſtimet obiuſtitiam fieri, cum tot ſint in ciuitatibus Eccleſiæ, adeòque frequentès, vt vniuerſa ciuitas immunis eſſet, iuſtitiaque vis ipſa irrita, longè tamen alia videtur extitiſſe nonnullis, qui affirmant eam fuiſſe cauſam, quòd cum alio Canone ſtatutū ſit, vt qui ſacto in loco peccat, eum ſacri cuiuſlibet loci immunitate defendere ſe non poſſe: ideòque ſi quadraginta paſſuum ſpatium ſacrum eſſet, qui facinus aliquod in eo perpetrarent, iidem nullibi ob Eccleſiarum frequentiam ſeſe immunitate tueri poſſent. Sed quæcunque ea fuerit cauſa, parui refert: cum illud exploratum omninò ſit in ciuitatibus & caſtris nullam huiusmodi ſpatii concedi immunitatem. Ita Sarpus.

Sed hæc opinio de iure non eſt admittenda, cum ſit contra ſacros Canones: nam *cap. ſicut antiquitus 17. queſt. 4.* & *cap. definiuit, & cap. quiſquis 17. queſt. 4.* indiſtinctè loquuntur de Eccleſiis: & dum lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus *ex leg. de pretio ff. ad public. in rem act. & leg. Praſes ff. de offic. Praſid.* Deinde ſupradicti Canones aſſerunt non ſolum Eccleſiam matricensem, ſed etiam alias Eccleſias non matrices gaudere hac immunitate paſſuum: ſed Eccleſia Matrix ſemper eſt intra muros & parietes ciuitatis, vel Terræ: ergo dum eadem iura loquuntur de vtriuſque Eccleſiis, & Eccleſia Matrix ſemper ſit intra muros ciuitatis, ſequitur quòd intelligant etiam de alijs Eccleſiis non matrilibus, quæ ſunt intra muros ciuitatis, & tantò magis, quia vt dictum eſt, nullam mentionem faciunt de muris & parietibus. Et ita hanc ſententiam prorsùs tenendam eſſe docet Peregrinus *de immunit. cap. 4. num. 33.* Qui tamen optimè addit hanc ſententiam limitandam eſſe in Eccleſiis, quæ ſunt intra ambitum murorum Caſtelli, in quo propter loci anguſtiam non poteſt dicta opinio ſeruari: vt habetur *in cap. quiſquis inuentus 17. queſt. 4.* quod etiam cum pluribus Doctores obſeruat Farinacius *de immunit. cap. 17. n. 290.* Non eſt igitur de iure verum id, quod tanquam certum ſupponit Sarpus, hac immunitate triginta paſſuum non gaudere Eccleſias intra muros ciuitatis conſtructas: quod etiam præter Peregrinum reſellit Farinacius *in praxi queſt. 28. numer. 12.* Ambroſinus *de immunitate cap. 10. num. 4.* & Doctores communiter. Et Marius Italia *lib. 1. cap. 4. §. 6. num. 3.* dicit ſomniaſſe, qui docuerunt Eccleſias conſtructas intra muros ciuitatis non gaudere paſſuum immunitate, & *num. 15.* aſſerit talem opinionem, quam immeritò Sarpus tanquam certam & communem ſupponit, eſſe ridiculoſam & fabuloſam.

Sed videamus modò. An ſit verum id, quod pro certo aſſerit Sarpus, ſaltem ratione conſuetudinis Eccleſias amplius non gaudere dicta triginta paſſuum immunitate. Et affirmatiuam ſententiam ex multis tener Villalobos *in ſumma tom. 2. tract. 39. difficult. 5. num. 3.* vbi ſic aſſerit. [Haſe de aduertir que ſegun derecho eſta concedida eſta inmunidad no ſolo a las Ygleſias Matrices y treynta paſſos al derredor de las demas. Mas, dize Couarruias, que ya por la coſtumbre ha ceſſado eſto quanto a las Ygleſias, que eſtan edificadas en las Ciudades. Iulio Claro da la razon, porque antiquamente auia pocas Ygleſias, y el dia de oy en cada calle ay ſu Ygleſia, y aſſi no ay donde poder prender a los delinquentes, que a penas ay lugar que no eſte dentro de los treynta paſſos. Però ſi en alguna parte no ſe hallaſſe eſta coſtumbre, deueſe guarar el derecho.] Ita ille, qui licet faciat pro Sarpo quoad conſuetudinem: tamen docet apertiffimè contra illum de iure communi Eccleſias non ſolum extra ciuitates, ſed etiam intra gaudere triginta paſſuum immunitate: quod ipſe Sarpus tam petulanter negauit. Verùm dictam opinionem Villalobos quoad conſuetudinem ſequitur etiam Vulpellus *conſil. 230. num. 4.* Nauarrus *in Manuali, cap. 25. num. 18.* Fagundez *part. 2. lib. 4. cap. 4. num. 61.* Ambroſinus *de immunit. cap. 10. num. 4.* Caſtrus Palauſ *tom. 2. tract. 11. diſput. unica punct. 6. numer. 15.* Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 9. num. 8.* Layman *lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 2.* & Gauantus *in addit. ad Manual. Episc. verſ. immunitas Eccleſiaſtica, num. 1.*

At his non obſtantibus, non eſſe verum hanc Eccleſiæ immunitatem quoad paſſus triginta vel quadraginta de conſuetudine eſſe ſublataſ; & quatenus aſſerit, quòd ſeruanda non ſit, docet Peregrinus *de immunit. cap. 4. num. 33. in fine,* & ante illum Cardinalis Tufcus *verſ. immunitas conſul. 59. vbi n. 1. & ſeq.* affirmat immunitatem Eccleſiarum eſſe de iure diuino, vt confugientes ad Eccleſias, & ad triginta vel quadraginta paſſus deſtinatos non poſſint capi, vel extrahi aut offendi: & *num. 18. & ſequent.* probat Doctores teſtantibus de tali conſuetudine non eſſe credendum, niſi intelligendi eſſent de Eccleſiis Caſtrorum. Et inſuper addit tria valde notabilia circa hanc materiam.

Primum. Quòd fortè admittenda eſſet hæc conſuetudo, ſi Eccleſiæ non haberent hoc ſpatium: quia in quantum eſſent prope Eccleſias ædificata domus Laicorum, poſſet tolerari, quòd ſolum extenditur iſtud ſpatium immunitatis ad loca libera, prout ſunt plareolæ, & viæ; & ad domos contiguas quæ ſunt Eccleſiæ infra ſpatium: & non eſt perdita iuriſdictio Eccleſiaſtica in totum per ædificium aliquarum domorum prope Eccleſias: ſed ſolum pro illa parte, pro qua eſt factum tale ædificium.

Secundum. Hæc immunitas habet locum; etiam ſi loca, quæ ſunt infra triginta, vel quadraginta paſſus, ſint loca non ſacra: quia ſufficit, quòd ſint Eccleſiæ, & Deo loca dicata; & ideò non eſt verum, quòd immunitas quadraginta, vel triginta paſſuum ſit conceſſa propter cœmeteria ſacra; quia immò conceſſa eſt etiam Eccleſiis non conſecratis, quibus non poteſt applicari cœmeterium ſacrum. Ultra quod notiffimum eſt, quòd immunitas paſſuum conceditur omnibus Eccleſiis, & tamen non omnes Eccleſiæ habent cœmeteria, ſed ſolum Eccleſiæ parochiales.

Tertium. Hæc immunitas conceſſa conſue-

gentibus ad Eccleſiam, habet locum etiam ſi confugiant ad loca exiſtentia infra triginta, vel quadraginta paſſus, *ex cap. quiſquis, & cap. definiuit 17. queſt. 4.* & ita obſeruat: quicquid dixerit in contrarium Ioannes de Vichis, qui credidit eſſe neceſſarium primò confugere ad Eccleſiam; & poſtea poſſe ſtare intra triginta vel quadraginta paſſus: ſed reprobarur & bene per Remigium, quia confugiens ad loca immunitatis dicitur confugere ad Eccleſiam. Et hæc omnia docet Thufcus vbi ſuprà: vnde ex his tribus reſellendus venit Caſtrus Palauſ *tom. 2. tract. 11. diſp. unica, punct. 6.*

Primò. Quatenus *num. 13.* aſſerit immunitatem triginta paſſuum competere Eccleſiis ædificatis extra ciuitatem.

Secundò. Quatenus *num. 14.* notat dictam immunitatem habere eos, qui iam ad Eccleſiam confugerunt, & ex illa progrediuntur per triginta, vel quadraginta paſſus.

Tertiò. Quatenus *num. 15.* teſtatur abſolutè hoc priuilegium hodie amplius non procedere ratione conſuetudinis.

Rectè etiam contra Oldradum *conſil. 55.* dicendum eſt ex his cum Doctores, quos plena manu adducit & ſequitur Chartarius *decif. criminal. 46. num. 20.* Domus Clericorum iunctas Eccleſiæ, vel intra triginta, vel quadraginta paſſus conſtructas gaudere immunitate Eccleſiæ. Et idem dicendum eſt à fortiori de domo ipſius Eccleſiæ coniuncta, vel exiſtente intra dictos paſſus. Immò Chartarius vbi ſuprà *numer. 21.* & alij, quos ego ipſe citauit *in part. 3. tract. 1. reſolut. 71.* cum Giurba *conſil. 10 poſt num. 11.* & Villagut. *de extenſ. leg. Titul. de extenſione immunitatis Eccleſiarum, numer. 86.* etiam docet ædes ſupradictas, dummodò ſint intra fines triginta vel quadraginta paſſuum, gaudere immunitate Eccleſiæ, non obſtante, quòd fuerint Laicis locata. Et ita in facti contingentia accidiffè Mediolani anno 1593. teſtatur Chartarius *loco citato:* nam reſtitutus fuit Eccleſiæ Reus captus in ædibus dictæ Eccleſiæ Laicis locatis. Vnde non eſt audiendus Naldus *in ſumma verſ. Eccleſia, n. 7.* contrarium docens. Hæc autem omnia non procedunt in viis publicis, & Laicorum domibus; etiam ſi ſint proxima Eccleſiis, cum non pertineant ad Eccleſiam ipſam: igitur neque gaudebunt ipſius immunitate.

Sed ex his oritur noua & difficilis queſtio: An domus Eccleſiæ intra eius confines exiſtens, conceſſa tamen Laicis ad Emphyteuſim, gaudeat immunitate. Et negatiuè reſpondet Ioannes Maria Nouarius *in ſumma Bullar. tit. de immunitate, num. 25.* vbi ſic ait. Ad hoc autem propoſitum fuit à me queſitum: ſi quædam domus, quæ exiſtebat intus Venerabilem Eccleſiam Sanctæ Mariæ ad Capellam, verum

concessa ad Emphyteusim cuidam Laico, gauderet immunitate Ecclesiastica; ex quo ab ea fuerat extractus quidam Reus. Et pro negativa opinione respondi: nam licet captus in domo Ecclesie gaudeat immunitate, si ipsi cohaereat: tamen debet esse in dominio directo & utili, & non liuellaria, vel emphyteutica per saeculares possessa. Ita ille.

Sed pro affirmatiua sententia (attendas, quaeso, amice Lector) posset quis dicere. Certum est per Canones domum Ecclesie sitam intra eius confines gaudere immunitate: sed dicta domus, licet Laicis ad Emphyteusim concessa, est sita intra confines Ecclesie, & est domus ipsius Ecclesie: ergo eius immunitate gaudebit.

Dices cum Nouario, quod dicta domus dicitur Ecclesie quoad dominium directum, non quoad dominium utile: ergo non debet gaudere immunitate. Respondere quis potest, certum esse quod loca sacra immunitate gaudent exceptis casibus in iure expressis, ut docet Bonacina tom. 2. disp. 3. quest. 7. punct. 4. n. 7. & alij communiter: sed casus de quo loquimur nullibi exceptus & expressus reperitur: ergo, &c. Confirmatur, quia omnia iura, quando tribuunt immunitatem domibus adherentibus Ecclesie, vel sustentibus intra eius confines, absolute loquuntur, & non distinguunt, si Ecclesia habeat in dictas domus dominium directum, vel utile: ergo dicendum est absolute gaudere immunitate: cum lex generaliter loquens generaliter sit intelligenda ex text. in leg. in fraudem §. ultim. de testament. milit. & docet Surdus consil. 271. num. 28. & alij: & cum lex non distinguit, nec nos distinguere debemus ex textu in leg. Praeses de offic. Praesid. ut docet idem Surdus consil. 301. num. 50. & alij: maxime cum privilegium immunitatis sit favorabile, atque adeo potius ampliandum, quam restringendum, ut firmant Decianus & Farinacius se retractantes: ille consil. 80. numer. 19. & 22. lib. 3. hic in Appendice de immunitate, cap. 2. numer. 21. quibus adde Ambrosinum cap. 10. num. 7.

Vel respondere quis posset magis ad hominem contra Nouarium, parui faciendam esse in casu, de quo loquimur, eius distinctionem de dominio directo & utili: nam, ut obseruat facta Rota in vna Romana domus Scapucij die 19. Ianuarij 1611. coram Domino meo Coccino Decano, connexitas, quam habent ista dominia inter se non efficit, quin dominium utile dicatur proprium Laici, non autem Ecclesie. Et ideo in vna Veneta Censurarum anno 1607. omnes Sacrae Rotae Auditores in Assertionem Ecclesiasticae libertatis cap. ultimo, fol. 196. 197. & 198. statuerunt rem Ecclesie, concessam Laicis ad Emphyteusim remanere

Ecclesiasticam ratione illius inseparabilis connexitatis dominij utilis & directi. Immo Berous in cap. qua in Ecclesiarum de constitut. num. 13. docet maiorem connexionem esse inter directum & utile dominium, quam inter possessionem & proprietatem: quia possessio penes aliquem sine proprietate consistere potest, & vice versa, ut patet ex leg. 1. ff. vii possidetis: & maxime cum possessio & proprietas nihil inter se commune habeant, ex leg. naturaliter, §. nihil commune ff. de acquir. possess. ac dominium utile non potest a dominio directo separari.

Vnde ex hoc principio eadem Sacra Rota die 28. Maij 1631. coram Domino meo Merlino, ratione connexitatis dominij utilis cum directo, statuit cum multis Doctoribus bona Ecclesie concessa Laicis ad Emphyteusim gaudere privilegio fori, nec posse collectari: ergo & in casu nostro domus Ecclesie concessa ad Emphyteusim debent etiam gaudere privilegio immunitatis ipsius Ecclesie: cum eis non obstat Ecclesiam habere tantum dominium directum, & non utile: quia, ut dictum est ex Sacra Rota, dicta domus licet ad Emphyteusim Laicis concessa, dici potest & est verè domus Ecclesie: cuius quidem dominium utile, licet quantum ad usum & administrationem pertineat ad Emphyteutam, quantum verò ad naturam & essentiam est Ecclesie, & ab ea recognoscitur. Ita ex Campezio firmat Sacra Rota in citata Assertionem Ecclesiastica libertatis. Ergo, &c.

Adde quod omnes rationes, quas ego supra in part. 3. tract. 1. resol. 71. adduxi ad probandum: quod domus Ecclesie sita intra eius confines, etiam si sit locata laicis, gaudeat immunitate, procedunt etiam si dicta domus sit concessa ad Emphyteusim: locatio enim ab Emphyteusi non differt nisi solo tempore, ut obseruat Layman lib. 3. tract. 4. cap. 22. num. 1. & Doctores communiter: & in utroque contractu dominium utile stat penes conductorem & Emphyteutam: ergo ut domus locata Laicis in probabiliiori & communiori sententia gaudet immunitate: ita etiam eadem immunitate Ecclesie gaudere debet, si fuerit concessa in Emphyteusim. Et haec viris doctis maturanda relinquo, nolo enim esse huius sententiae primus Auctor.

An qui adhaerit ostio clauso Ecclesie, gaudeat eius immunitate. Et quid si consuegat supra tectum?

RESOL. III.

Negatiue respondet Sarpus cap. 4. fol. 41. vbi sic ait. Hinc etiam constituitur, quod solet

solet saepius accidere. An scilicet Lectores possint eum, qui ad Ecclesiam confugerit, & clausis iam ostiis adhaerit, ab iisdem diuellere. Cum enim quae Ecclesie in ciuitatibus & Castris finitima sunt, nihil habeant immunitatis, reliquum est, ut ea tantum quae interiorius sunt, immunitate reos protegant. Quamobrem qui parietibus aut valuis, aut etiam tecto innititur, nulla defenditur sacrarum aedium immunitate: nihilque interest inter parietes & ostium clausum, cum pariter utraque sint extra Ecclesiam; imò propior est Aræ, proximus eidem paries, quam Ecclesie ianua; quare si quando de ostio facta sit mentio, dum de Ecclesiarum immunitate agitur, de iis Ecclesiis tantum sermo est, quae extra ciuitatis & Castrorum moenia positae immunitatem ad quadraginta passuum spatium porrigunt Ita Sarpus.

Sed iste Auctor nimis audacter in hac quaestione se opponit, ut infra videbimus, torrenti Doctorum; imò eius opinio est contra ius Canonicum & Ciuile: nam portas Ecclesie gaudere eius immunitate patet ex textu expresso in cap. si quis contumax 17. quest. 4. vbi declarantur spatia immunitatis, & dicitur vsque ad extremas fores: nota verbum extremas. Quae iura contra Sarpum absolute loquuntur de omnibus Ecclesiis, & non de illis, ut perperam vult ipse, quae extra muros ciuitatis sunt extractae. Adde quod supra iam satis est labefacta eius opinio distinguens inter Ecclesias extra vel intra moenia ciuitatis extractas: & ideo affirmatiuam sententiam docent communiter Doctores asserentes, quod si quis ad Ecclesiam confugiat, eamque clausam reperiens manu portas ipsas, seu portarum vectes apprehendat, immunitate gaudebit. Et ita tenet Ludouicus Correa in Relect. de immunit. part. 2. numer. 16. Megalium in 3. part. lib. 4. cap. 2. quest. 2. numer. 37. Decianus lib. 6. cap. 25. num. 17. Bobadilla in Polit. tom. 1. lib. 2. cap. 14. num. 81. Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 7. numer. 2. Chartarius decis. crimin. 7. numer. 1. & 11. Villalobos in summ. tom. 2. tract. 39. difficult. 5. num. 4. Suarez tom. 1. lib. 3. cap. 9. numer. 8. Bonacina tom. 2. disput. 3. quest. 3. punct. 4. num. 19. Castrus Palaus tom. 2. tract. 11. disput. vnic. punct. 6. num. 9. Nauarrus in Manuali, cap. 25. numer. 17. in fine, Locatellius in Breuiar. de Torturas, inspect. 5. num. 163. Farinacius de immunitat. cap. 17. num. 279. Igneus in leg. 1. num. 17. ff. ad Senat. consult. sill. cum aliis penes ipsos; quibus adde duos non multum fauentes Ecclesiarum immunitati, videlicet Gambacurtam lib. 4. cap. 1. numer. 9. & Couarruuiam variar. resolut. lib. 2. cap. 20. num. 18. Et praeter Canones adductos potest etiam per tali sententia aliquis rationem adducere, quia

appellatione Ecclesie continetur etiam eius ostium: sicut appellatione domus ostia etiam continentur, ex leg. si aqueductum, Cod. de contrahent. empr. maxime in fauorabilibus, ut notat Vincentius de Franchis decis. 402. num. 11: & Sperellus decis. 60. num. 38.

Ad argumentum verò, quod adducit pro sua opinione Sarpus: nempe non gaudere immunitate Ecclesie, si quis confugiat, & tangat eius parietes; ergo neque tangentes portam. Responderent aliqui esse disparem rationem inter vtrumque casum: sed ego assero in utroque casu Ecclesie immunitate gaudere, & tangentem ostia Ecclesie, & tangentem eius parietes; ut ego iam alibi satis probaui in part. 3. tract. 1. resolut. 73. & videtur etiam me citato idem tenere Nouarius in summ. Bullar. de immunitate, numer. 16. & nouissime Trullench in Decal. tom. 1. lib. 1. cap. 11. dub. 1. num. 4. docet, partes parietum Ecclesie exteriores gaudere eius immunitate, quod etiam docet Scipio de Rubeis in Aphor. Episc. ver. immunitas, n. 1.

Quod autem dictum est de ostio Ecclesie: dicendum est etiam contra Sarpum de eius tecto: vnde Villalobos vbi supra, num. 5. sic ait. [Gozara de la inmunidad el que esta sobre el texado de la Yglesia.] Idem docet Correa, Bonacina, & Palaus locis citatis. Suarez num. 8. Farinacius num. 282. Marius Italia lib. 1. cap. 4. §. 9. num. 24. & sequenti. Acugna de Tabileo, cap. 7. dub. 13. numer. 20. ad fin. Perficus de offic. Sacerd. lib. 1. cap. 9. dub. 11. num. 98. Sperellus decis. 63. num. 9. Fagandez part. 2. lib. 4. c. 4. num. 63. Peregrinus cap. 4. num. 40. & alij penes ipsos. Et probatur haec opinio validissimis quidem rationibus, Primò, quia domus nedum ex solo, sed etiam ex superficie constat, ut patet ex leg. eum qui in princip. & ibi gloss. ff. de usufructu. Secundo quia tectum cum sit intrasitum Ecclesie, dicitur esse in Ecclesia: nam ibi dicitur aliquis esse propriè, vbi pedes habet, licet à tali corpore non circumdetur: vnde corpus Christi est in caelo, quia pedibus calcatur superficiem conuexam caeli, licet à corpore caelesti non circumdetur, ut docet omnium Magister Diuus Thomas in 3. part. q. 57. art. 4. ad 2.

Dicendum est igitur existentem supra tectum Ecclesie eius immunitate gaudere: quia verè est in Ecclesia, et si ab Ecclesia non circumdetur: & ideo verum est Ecclesie adherere, & in Ecclesie situ existere. Quod idem & optimè asserit Sperellus decis. 63. numer. 9: de tecto Palatii Episcopalis, domorum Canonicorum; & tu adde Monasteriorum, Hospitalium, & aliorum locorum huiusmodi immunitate gaudentium.

Sed aduersus supradicta adest non infirmum argumentum: nam dicitur in cap. propositi

suis de consecrat. Eccles. & cap. Ecclesis dist. 68. quod Ecclesiarum polluuntur, si in eis sanguinis vel feminis effusio accidat, sed si supra tectum semen vel sanguis effundatur, Ecclesia non remanet polluta, ut docet Gloss. in cap. unico verb. sanguis de consecrat. Eccles. & notant Doctores quos ad fatietatem adducit Pericus de offic. Sacerd. lib. 1. cap. 7. dub. 9. numer. 86. Ergo dicendum est, quod stans super tectum Ecclesiarum, non dicitur stare in Ecclesia, alioquin Ecclesia per feminis, vel sanguinis effusionem pollueretur: & ideo qui inuentus est super tectum Ecclesiarum, non debet eius immunitate gaudere.

Respondeo priuilegia esse amplianda, odia autem restringenda: & sic in casu simili, qui manibus apprehendit valuas ostij Monasterij Monialium, non dicitur reus violationis clausuræ: & tamen, ut dictum est supra, apprehendens manibus valuas Ecclesiarum, eius immunitate gaudebit: quia illa est materia pœnalis, ista fauorabilis: & ideo illa restringenda, hæc autem amplianda. Ita Fagundez part. 2. lib. 4. cap. 4. numer. 63. Bonacina tom. 2. disp. 3. quest. 7. punct. 4. num. 20.

*An Palatia Episcoporum gaudeant
Ecclesiarum immunitate?*

R E S O L. IV.

PRorsus negatiuam sententiam tenet Sarpus cap. 4. fol. 41. vbi ita asserit. Quod verò attinet ad Episcopi domum, non conueniunt inter se Doctores: multi namque ex eorum numero animaduertunt alio Canone statutum esse, ut Episcopus domum suam Ecclesiarum proximam & adhaerentem habeat: quare necessariò intra quadraginta passuum spatium esse debet. Et pro certo constituunt, Episcopi domum, si longius ab Ecclesia distat, nullam omninò immunitatem obtinere: cum verò quadraginta passuum spatium in ciuitatibus & Castris non habeat locum: consequens est, ut Episcopi domus nullam pariter immunitatem habere possit. Ita ille.

Sed hæc opinio est contra Sacros Canones: nam in cap. id constituimus 17. quest. 4. aperte dicitur, quòd ab Ecclesiarum atriis, vel domo Episcopi reos abstrahere omninò non liceat: & hic Canon fuit desumptus ex Concilio Aurelianensi sub Hormisdæ Papa celebrato anno 515. & absolutè loquitur: nec distinguit, si Palatium Episcopi situm sit intra spatium quadraginta passuum necne. Ergo absolutè dicendum Domo Episcoporum, in quocunque loco sita sint gaudere Ecclesiarum immunitate.

Primò: quia, ut dictum est, expressè & sine

vlla limitatione in supra citato, cap. id constituimus, conceditur Domui Episcopali hoc priuilegium, igitur non est limitandum, cum fauorabile sit & pium.

Secundò: quia si intra quadraginta passus deberet Domus Episcopalis existere, ut hoc priuilegio gauderet, nulla ei specialis prerogatiua conceditur, quæ non concedatur cuilibet alteri Domui Ecclesiarum, vel Canonicorum ibi existenti, ut supra dictum est, cum iis omnibus in probabilissima sententia hoc priuilegium concessum sit.

Tertiò: quia tale priuilegium non conceditur, quia ipsa domus Episcopi deputata sit diuinis officiis: nulla enim talis est: neque quia Ecclesiarum adhæret, tanquam aliquid illius: aliàs cæteris domibus hoc esset priuilegium concedendum: sed conceditur in reuerentiam & decorem dignitatis Episcopalis, quæ est maxima dignitas in Ecclesia. Et ita tenent hanc sententiam Abbas, Archidiaconus, Ioannes Andræas, Zabarella, & alij, quos citat & sequitur Farinacius de immunit. cap. 17. n. 273. quibus adde Pericum de offic. Sacerd. lib. 1. c. 9. dub. 11. num. 97. Fagundez part. 2. lib. 4. cap. 4. numer. 60. Quæ quidem sententia procedit, etiam si palatium Episcopi non habeat oratorium pro celebratione Missæ, ut inter alios obseruat Gambacurta lib. 4. cap. 3. numer. 7. & ex Archidiacono Farinacius vbi supra, & alij penes me ipsum in part. 1. tract. 1. resolut. 27. & me citato Ciarlinius controuers. Forens. c. 116. num. 14. Giurba consil. 10. num. 13. Quod euidenter patet ex rationibus superius adductis: & hoc priuilegio gaudere Domum Episcopis etiam si sit absens vel mortuus optimè docet Italia lib. 1. cap. 4. §. 9. num. 4. & 13. vbi ampliatur etiam in domo Episcopi, quando in visitatione per suam Diocesim transcurrit. Quod etiam docet & sequitur Farinacius vbi supra num. 270. quicquid malè in contrarium asserat Peregrinus de immunit. cap. 4. num. 79.

Restat modò respondere ad ea, quæ pro sua sententia adducit Sarpus: nempe à Sacris Canonibus impositum esse Episcopo habere domum proximam, & adhaerentem Ecclesiarum. Respondeo primò his temporibus hoc non esse verum, ut patet in Ceremoniali Romano edito à Clemente VIII. cap. 2. vbi supponitur Episcopum posse habere domum in loco distanti ab Ecclesia. Adde quia illa iura prisca temporibus fuerunt publicata: quando Clerici habitabant vnà cum ipsomet Episcopo: & ideo illa iura præcipiunt, quòd domus Episcopi non debet abesse ab Ecclesia maiori: sed quia nostris temporibus Clerici dispersim habitant quisque per se ipsum ideo nihil refert, an domus Episcopi ablit ab ipsa Ecclesia. Ita Italia lib. 1. cap. 4. §. 9. num. 1.

Ve 1

Vel etiam secundò respondeo hoc argumentum non conuincere: quia non quicquid fit contra ius, tollit immunitatem à iure concessam. Ita Bonacina tom. 2. disput. 3. quest. 7. punct. 4. n. 11. & Castrus Palas tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 6. num. 12. in fine. Sed quia post hæc scripta quæstio incidit inter viros doctos, quid dicendum sit de Palatio Episcopi Titularis: & quid de Palatio Episcopi extra suam Diocesim commorantis, non grauabor hic ea, quæ tunc meditaturs sum apponere. Ideo quæro,

*An Palatium Episcopi Titularis gaudeat
immunitate?*

R E S O L. V.

CAsus est curiosus & nouus, & ad illum negatiuè respondet Ciarlinius controuers. forens. lib. 1. cap. 10. num. 10. vbi sic ait. Sentio Palatium Episcopi Titularis non gaudere immunitate, nisi sit positum in loco exempto: quia tale priuilegium conceditur Palatio Episcopali habita relatione ad Ecclesiam eius sponsam: ne domus sponsi sit minus priuilegiata, quam domus sponsæ. Ita elicitur ex cap. id constituimus, & Peregrino in tractat. de immunit. cap. 4. num. 69. Propter quòd si Episcopus extra suam Ecclesiam habeat Palatium, vbi Pontificalia exercere non potest, in eo non gaudet hac immunitate. Italia cap. 4. §. 9. num. 19. & 20. Peregrinus cap. 4. numer. 73. in quibus concludi potest Palatium Episcopi Titularis non tribuere Ecclesiarum immunitatem. Hucusque Ciarlinius.

Sed pro affirmatiua sententia aliqua mihi occurrunt non infirma argumenta. Primò, quia in cap. id constituimus 17. quest. 4. absolutè dicitur domum Episcopi gaudere priuilegio immunitatis. Sed lex vbi non distinguit, nec nos distinguere debemus, ut patet, ex leg. de pretio, ff. de public. in rem action. ex leg. distingue-mus, ff. de recept. arbitr. ex leg. preces, ff. de offic. Præs. & aliis vulgaris iuribus: Ergo dicendum est Palatium etiam Episcopi Titularis immunitate gaudere: cum iura absolutè, & sine vlla distinctione loquantur. Et cum priuilegium immunitatis sit fauorabile, nõ est restringendum: sed potius extendendum, ut docet Bonacina tom. 1. disp. 3. quest. 7. punct. 4. num. 5. Gratianus tom. 2. c. 340. num. 21. Decianus consil. 80. n. 19. & 21. lib. 3. Ambrosinus de immunitate, cap. 10. num. 7. Gambacurta de immunitat. lib. 3. cap. 4. numer. 7. & alij quos citat, & sequitur Prosper Farinacius in Appendice de immunitate, cap. 2. num. 21.

Secundò Priuilegium immunitatis concessum Palatio Episcopi non est concessum habi-

ta relatione ad Ecclesiam vel Oratorium in eo existens: nam ut ego docui in part. 1. tr. 1. resolut. 27. & part. 4. tract. 1. resolut. 96. & me citato docet ipse Ciarlinius cap. 116. num. 14. Palatium Episcopi etiam si sit remotum ab Ecclesia, & non habeat in se capellam, adhuc gaudebit immunitate: sed tale priuilegium est concessum ratione personæ in reuerentiam, & decorem dignitatis Episcopalis, ut rectè obseruat Castrus Palas tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 6. num. 22. & alij. Ergo hoc priuilegium debet etiam competere Episcopis Titularibus: cum non minus eis debeatur honor ac reuerentia: nam licet Iacobatius de Conciliis, lib. 1. illos vocet Episcopos nulla tenentes, & nimis liberè dicat Melchior Canus de locis Theologicis, lib. 5. cap. 7. illos sine causa esse in Ecclesia Dei: tamen eorum necessitatem optimè explicat Petrus BOLLUS in OEconomia Canonica class. 3. cap. 2. §. 4. Et dictos Episcopos dignitatem Episcopalem retinere habetur in cap. legimus, verb. vbiunque distinct. 93. & docet Cellotius de Hierarchia, lib. 4. cap. 18. §. 3. Gratianus disceptat. forens. tom. 2. cap. 29. n. 65. Menochius de arbitrariis questionibus, lib. 2. centur. 1. casu 68. num. 5. & alij. Vnde quidem manifestè patet, quòd satis indecorum esset, si Satellites Laici cubicula, & secretiore recessus Palatij Episcopi Titularis ad quærendos Reos lustrare possent. Ergo, &c.

Tertiò, & hoc, ni fallor, validissimum est argumentum. Sacra Congregatio immunitatis decreuit sæpius interrogata familiam Laicam Episcopi Titularis gaudere priuilegio fori, ut patet in Epistola Cardinalis Bandini ad Episcopum Rhegiensem die 17. mensis Iunij anno 1628. & in Epistola Cardinalis Gesse ad Eminentissimum Cardinalem Columnam die 21. mensis Augusti anni 1638. & nouissimè ex litteris Auditoris Cameræ ex ordinè Sanctissimi Domini Nostri Urbani VIII. directis ad Comitem Nouellare in causa Archiepiscopi Rhodiensis impressis anno 1639. Romæ. Ergo Palatium Episcopi Titularis debet etiam priuilegio immunitatis gaudere. Probo consequentiam ex doctrina Petri Gambacurta Authoris parum fauentis Ecclesiarum immunitati. Is enim lib. 4. cap. 3. num. 7. docet ex eadem ratione, qua competit Episcopo priuilegium suæ familiæ, competere etiam priuilegium sui Palatij: sed familiam Laicam Episcopi Titularis certum est gaudere priuilegio fori: ergo etiam eius Palatium gaudere priuilegio immunitatis dicendum est: cum hæc duo priuilegia familiæ & Palatij Episcopalis ex eodem motivo & ratione ut asserit Gambacurta, concessa sint: nempe propter dignitatem, & reuerentiam Episcopo debitam. Vnde si ex hoc sacra Congregatio declarauit familiam

liam Laicam Episcopi Titularis priuilegio fori gaudere; consequenter dicendum est etiam Palatium Episcopi Titularis immunitatis priuilegio frui: nam sicut indecens pro Episcopo, & indecorum esset eius familiam à Sacerdotibus capi, sic & eius Palatium à Licetibus perquiri, atque reos ab ipso abstrahi.

Restat modò respondere ad argumenta Ciarlinij superius adducta. Et ad primum respondeo priuilegium concessum Palatio Episcopi esse concessum ratione eius personæ, & propter reuerentiam & decorem dignitatis Episcopalis. Nec ex Peregrino, nec ex textu in cap. id. constitutum à Ciarlinio adductis deduci potest id, quod ipse perperam dicit, ut legentibus patebit: immò contrarium patet ex superius adductis in primo argumento pro firmanda nostra sententia. Et ideò Pater Suarez de Religione tom. 1. lib. 3. cap. 9. num. 9. rectè obseruat fauorem priuilegij in dicto cap. id. constitutum concessum Palatio Episcopi non esse limitandum sine fundamento in textu: sed in textu dicti cap. absolute & simpliciter dicitur Domum Episcopi gaudere immunitate: Ergo gratis à Ciarlinio limitatur quoad Episcopum Titularem.

Ad secundum Argumentum. Quòd Palatium Episcopi commorantis extra suam Diocesim non gaudet priuilegio immunitatis. Fateor aliquos Doctores ita sensisse. Sed hæc opinio mihi non placet. Primò quia textus in dicto cap. id. constitutum loquitur indistinctè de Domo Episcopi, ut rectè obseruat Canisius in lib. 3. Decret. tit. 49. Syluester verb. immunitas 3. num. 1. & alij. Ergo gratis dictus textus limitatur: & gratis ab aliquibus distinguitur inter domum Episcopi commorantis, vel non commorantis in propria Diocesi: lex enim generaliter lata generaliter est intelligenda, ut habetur in l. in fraudem, §. vltim. de Testament. milit. & in l. 1. §. generaliter. de Aleat.

Secundò Palatia Cardinalium, vbicumque ipsi extra Romam existant, gaudent priuilegio immunitatis: ut ego probaui in part. 1. tract. 1. resol. 37. & part. 5. tract. 2. resol. 34. & me citato tenet Barbosa de iure Ecclesiastico, lib. 2. c. 3. num. 71. Ergo dicendum est Palatia Episcoporum vbicumque commorantium etiam immunitate gaudere. Probo consequentiam. Nam Castrum Palaus tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 6. numer. 23. Larrea de immunit. Ecclesiast. part. 2. num. 19. & alij obseruant & docent Palatia Cardinalium gaudere immunitate ex similitudine quam habent cum palatiis ipsorum Episcoporum.

Tertiò cum Sacra Congregatio decreuerit familiam Laicam Episcopi Titularis gaudere priuilegio fori: à fortiori id est concedendum familiæ Episcoporum extra Diocesim com-

morantium: ergo etiam eorum Palatia, non obstante, quòd extra Diocesim existant, priuilegio immunitatis gaudere dicendum erit ex rationibus adductis in fauorem Domorum Episcoporum Titularium: & ex doctrina Gambacurtæ adducta in tertio argumento pro firmanda nostra sententia.

Quartò probatur hæc opinio respondendo ad argumenta, quæ pro contraria sententia adducunt Italia & Peregrinus. Et primò afferunt Palatium Episcopi extra Diocesim commorantis non gaudere priuilegio immunitatis: quia Episcopus tenetur in sua Ecclesia residere. Secundò quia Episcopus in aliena Diocesi non potest exercere Pontificalia nec vllam iurisdictionem. Respondeo ad primum argumentum, dato & non concesso, ad summum procedere quoad Episcopos commorantes extra suam Diocesim peccaminosè, & sine causa: secus autem si commorarentur cum causa, puta per tres menses Concilij, vel ex aëris intemperie, vel ex alia dispensatione Pontificia, quando potest fieri: nam in his casibus Episcopus licitè à sua Diocesi abest. Vnde cessat ratio, quam adducit Italia. Sed meliùs respondendum est absolute, negando argumentum: dato enim quòd Episcopus absens à sua Diocesi peccaret, non tamen ex hoc sequitur amittere priuilegium: peccatum enim non aufert ab eo dignitatem Episcopalem pro cuius reuerentia & honore, ut probatum est supra, tale priuilegium largitum fuit.

Ad secundum argumentum quòd Episcopus extra suam Diocesim non potest exercere iurisdictionem. Respondeo quòd non valet consequentia: Ergo eius Palatium non potest gaudere priuilegio immunitatis. Nam Cardinales extra Ecclesias Titulares non possunt exercere iurisdictionem & tamen eorum Palatia, vbicumque ipsi existant, ut dictum est supra, fruuntur immunitate. Vtrisque enim hoc priuilegium concessum fuit propter eorum dignitatem, quam vbique commorantes repræsentant. Ergo, &c.

Dicendum est itaque Palatia Episcoporum Titularium, vel extra Diocesim existentium gaudere immunitate. Est tamen notandum, quòd cum ipsi in tali casu non habeant Tribunal, neque iurisdictionem in actu, ad Ordinarios Ecclesiasticos, in quorum Diocesi existunt, controuersias circa hæc priuilegia adducendas esse: Et dicti Episcopi Diocesani iudicabunt de delictis familiæ dictorum Episcoporum Titularium, & extra Diocesim commorantium, & de Reis in eorum Domos confugientibus. Verùm his non obstantibus hæc omnia disputationis causa dicta esse volo. Vnde illa Sacre Congregationis

gregationis immunitatis oraculo humiliter maturanda relinquo.

An cœmeteria, Hospitalia, & Monasteria gaudeant Ecclesiarum immunitate?

RESOL. VI.

Sic respondet Sarpus cap. 4. fol. 42. De cœmeteriis verò, Hospitalibus, & Conclauibus, vbi fratres dormiunt, ne verbum quidem lex vlla fecit. Canonistæ tantummodò, quos ignorantia sæpè, aut ambitio transfuersos rapit, Ecclesiarum nomen amplificare, atque ad hæc etiam protrahere voluerunt, plurimis tamen cõditionibus iisdemque adeò variis, ac inter se repugnantibus, ut vix duo conueniant. Ex eorum autem sententiis consuetudo diuersa inducitur, prout illi plus minùsve auctoritatis habuerunt, & huiuscemodi locorum, aut etiam delictorum numerus exigere videbatur. Quò fit: ut sicuti de iis locis nihil omninò legibus sancitum est, sed consuetudine tantum, atque interpretatione eorum immunitas introducta est: ita vbi est contraria consuetudo, eadem à quocunque iudice seruari debeat citra vllam errandi formidinem. Hæc Sarpus parum modestè, falsò & procaciter.

Et incipiendo quoad cœmeteria; assero contra Sarpum adesse textum expressum de eorum immunitate in cap. final. de immunitate Eccles. ut patet in illis verbis, vel earum cœmeteriis. Et ibi adnotarunt Ancharanus, Ioannes Andreas, Turrecremata, Archidiaconus, Imola (vide Lector, quos homines ambitiosos vocauerit Sarpus) penes Farinacium de immunit. cap. 17. num. 262. Quibus ex Theologis adde Armillam verb. Cœmeterium, num. 1. Villalobos in summ. tom. 2. tract. 39. difficult. 5. numer. 6. Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 7. n. 2. Castrum Palaum tom. 2. tract. 11. disput. unica, punct. 6. numer. 16. Suarez de Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 9. num. 8. Azorium part. 2. lib. 9. cap. 8. q. 6. Perficum de offic. Sacerd. lib. 1. cap. 9. dub. 11. Diuum Antoninum in summ. part. 3. tit. 12. in princip. ver. Et cœmeteria earum cum aliis. Ex Iuristis Valascum tom. 1. consult. 81. numer. 1. Bobadillam in Polit. tom. 1. lib. 2. cap. 14. n. 80. Decianum lib. 4. cap. 24. numer. 21. Manticam consil. 60. num. 8. Ambrosinum de immunitate, cap. 10. num. 5. Italia lib. 1. cap. 4. §. 7. per totum. Thuscum ver. Ecclesia conclus. 10. numer. 3. Germonium de Sac. immunit. lib. 3. c. 16. n. 30. Peregrinum c. 4. num. 58. Ludouicum Correa in Relect. de immunit. part. 2. numer. 12. & alios penes ipsos.

Et hæc opinio procedit non solum quoad

cœmeterium contiguum & coniunctum cum Ecclesia; sed etiam quoad separatum, ut contra Decianum lib. 6. cap. 24. num. 20. & 30. docuerunt Germonius, Italia, Nauarrus, & Villagut apud Farinacium numer. 264. quibus adde Castrum Palaum tom. 2. tract. 11. disput. vnic. punct. 6. num. 16. & Bertacchinum in Repertorio; verb. Cœmeterium, num. 2. quia eo ipso quod fidelium sepulturæ destinatum est, præsumitur benedictum esse, & auctoritate Episcopi sacratum. Et quod dictum est de cœmeterio, dicendum est etiam de eius otio & portico: ut inter cæteros obseruat Correa in Relect. de immunit. part. 2. numer. 16. & Peregrinus cap. 4. numer. 55. & 56. qui etiam in sequentibus numeris docet cœmeterium benedictum non ab Episcopo, sed à simplici sacerdote, gaudere immunitate Ecclesiæ, & etiam si à nemine benedictum fuerit, si aliquis Christianus mortuus cum Ecclesiasticis officiis cum licentia Episcopi, & voluntate Domini, ibi sepultus sit.

Nota etiam, quòd Peregrinus, vbi supra optimè addit, cœmeterium pollutum, vel interdictum gaudere etiam immunitate, sicut supra firmatum est de Ecclesia. Et ratio horum omnium erit, quia non solum immunitas cœmeterij fundatur in consuetudine, ut perperam voluit Sarpus: sed de ea adest textus expressus in iure, ut visum est supra. Et licet iura expressa non darent priuilegium cœmeteriis, nihilominus tamen quæ de Ecclesiis loquuntur, in cœmeteriis locum haberent, cum Ecclesia & cœmeterium ex eadem causa æquiparentur, est in consequentia ipsius Ecclesiæ, iuxta ea quæ tradit Paulus de Castro consil. 441. Et ideò quoad sacrilegium, interdictum, & pollutionem Ecclesiæ & cœmeterium pari passu procedunt, ut docet Thuscus de visitat. lib. 1. cap. 12. num. 7. & 8. cum aliis communiter.

Sed transeamus ad immunitatem hospitalium. Dico igitur, quòd si non fuerint priuata, sed publica, & Episcopi auctoritate erecta, gaudebunt vtique Ecclesiarum immunitate, ex cap. ad hac de Relig. domib. & cap. definit. 17. quest. 4. & ex leg. omnia priuilegia, Cod. de Episc. & Cler. vbi omnia priuilegia Ecclesiis concessa, hospitalibus conceduntur: nam cum sit Episcopi auctoritate constructum hospitale, factus est locus religiosus, & ad prophanos vsus conuerti non debet: ergo, &c. Et ita hanc sententiam ex pluribus docet Farinacius de immunit. cap. 17. num. 265. quibus adde Raphaëlem de la Torre tom. 2. in 2. quest. 99. art. 3. grad. 8. Sperellum decis. 55. num. 19. Scortiam in Bull. Pontif. Epit. 152. theorem. 385. Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 7. numer. 2. Ciarlinium Disceptat. forens. cap. 116. numer. 7. Castrum

Castrum Palaum *tom. 2. tract. 11. disput. vnic. punct. 6. num. 17.* Perficum *de offic. Sacerd. lib. 1. cap. 9. dub. 11. numer. 97.* Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 9. numer. 9.* Sanchez *de Matrim. lib. 9. disput. 15. numer. 17.* Megalium *in 3. part. lib. 4. consil. 2. quest. 2. num. 37.* Fagundez *part. 2. lib. 4. cap. 4. num. 60.* Villalobos *in summ. tom. 2. tr. 39. difficult. 5. num. 2.* Layman *lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 3.* Peregrinum *de immunit. cap. 4. num. 69.* vbi ex Cardinale Thufco obseruat hanc sententiam procedere, etiam si in Hospitali ab Episcopo constructo sacrificium Missæ non celebretur: quod etiam docuit Paulus de Castro *consil. 458. lib. 2.*

Dicendum est igitur, quod licet in Hospitali non sit campanile, altare, neque Ecclesia, si ex aliis signis comprehendatur esse fundamentum Episcopii auctoritate: vt si sit institutum sub nomine alicuius Sancti, & visitetur ab Episcopo, gaudebit priuilegio immunitatis. Vide in casu contingenti Ciarlinium *in controuers. forens. cap. 116. per totum.*

Et tandem idem dicendum est de Monasteriis Religiosorum, secundum totum illud quod septum est, id est, claustrum, dormitorium, hortus, domus familiarium, & animalium & similia: hæc enim pro locis sacris & religiosis habentur quoad priuilegium immunitatis, quia Ecclesiæ adherent. Vide *cap. si quis contumax, cap. frater, cap. si quis in atrio cap. minor. 17. quest. 4. cap. 2. de consuetud. & habetur expressè in leg. pateant. Cod. de his qui ad Eccles. confug. in illis verbis. Quicquid fuerit intraiacens, siue in cellulis, siue in domibus, hortulis, balneis, atque porticibus confugas interioris templi iure tueantur. Et idè hanc sententiam tenent Doctores, quos citant & sequuntur Sanchez *de Matrim. lib. 9. disp. 15. numer. 42* & Farinacius *de immunitat. cap. 17. numer. 168.* quibus adde Bonacinam *tom. 2. disput. 3. quest. 7. punct. 4. num. 10.* Palaum *tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 6. num. 18.* Ludouicum Correa *in Relect. de immunit. part. 2. numer. 2. & sequent.* Raphaëlem de la Torre, *tom. 2. in 2. 2. Diui Thomæ quest. 99. art. 3. disput. 7. grad. 8.* & Villalobos *in summ. tom. 2. tract. 39. difficult. 5. numer. 6.* vbi sic ait. [Gozan desta inmunidad todos los Monasterios pues no solo están fundados con autoridad del Obispo, sino tambien del Papa, y entiendese quanto à toda la clausura, huerta y atrio, y aun las granjas de los Religiosos por vna concessio hecha a los Padres de Cistel.] Ita ille. Et hoc quod ipse asserit de Grancias, docet etiam Rodriguez *in Quest. Regul. tom. 2. quest. 75. art. 2.* & Peregrinus *de immunit. cap. 4. num. 58.* vbi firmat Grancias Religiosorum gaudere Ecclesiarum immunitate: & Grancias sunt quedam parue domus Religiosorum, quæ sunt veluti hospitia*

ipforum, & membra Monasterij quæ sunt sub potestate & iurisdictione Prælati Monasterij, cuius sunt Grancias. Et ideo refellendus venit Ægidius Trullench *in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 11. dub. 1. num. 12.* vbi docet Grancias Religiosorum non gaudere immunitate: & amicus simus Barbofa *de iur. Eccles. lib. 2. cap. 3. n. 73.* asserens priuilegium immunitatis non extendi ad cellulas, domos, hortulos, balneos, ac septa Ecclesiæ, & Monasterij.

Vnde ex his omnibus, valde miror, quæ fronte Sarpus ausus sit dicere immunitatem cæmeteriorum, Hospitalium, & Monasteriorum non esse in iure fundatam: sed ex arbitrio Canonistarum variam, vt vix duo quoad ipsius conditiones conueniant: cum visum sit sacros Canones de tali immunitate apertè loqui, & non solum omnes Canonistas, sed etiam Legistas & Theologos quoad illam stabilendam vnanimiter conuenire. Et ideo Georgius Ritherfusius *de iure Aylorum, cap. 12.* stomachatur in Sarpum asserentem leges nihil disposuisse de immunitate cæmeteriorum, Hospitalium, &c.

Sed pro complemento huius materiæ, non desinam vnum hic adnotare: nempe delinquentem gaudere immunitate, si capiatur per aliquam pallij partem, quæ prominet extra tectum, aut valuas, aut extra alium locum immunem ex superius dictis. Et idè Villalobos *in summa tom. 2. tract. 39. difficult. 5. numer. 4.* Sic ait. [Lo mismo es, quando el delinquente esta dentro de la Yglesia, y lo prenderon por la ropa, que estaua estendida azia fuera, que tan poco lo pueden sacar.] Ita ille. Vbi citat Couarruiam, Paz, & Bobadillam. Immo ego consului in facti contingencia incidisse in excommunicationem Satellites, qui extraxerunt reum per pedem extra locum sacrum existentem; alium verò pedem & caput in Ecclesiam habentem, & tunc in mei fauorem adduxi Peregrinum *cap. 4. n. 61.* Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 3. c. 12. num. 4.* & Bonacinam *tom. 2. disp. 3. quest. 7. punct. 4. num. 20.* qui tamen secus asserit dicendum de illo, qui ambobus pedibus in via publica existeret, & humeris solum attingebat parietes Ecclesiæ; non autem si manibus apprehenderat ferrum, seu valnam Ecclesiæ, vt supra dictum est. Sed ego contrarium consului in alio casu, dum quidam reus fugiens è manibus satellitum cecidit super liminare portæ Ecclesiæ, & cum humeris & capite eam tangeret, licet tibias & pedes extra haberet, fuit per illos extractus extra Ecclesiam: tunc inquam consului talem reum fuisse restituendum: nam præcipuam corporis partem, vt caput & humeros habebat in loco sacro, quando fuit captus, ergo eius immunitate gaudere debebat, & post hæc scripta inueni nostram

nostram sententiam docere Trullench *in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 11. dub. 1. num. 12.* Sed cum actum sit de locis, quæ præstare possunt immunitatem, transeamus ad ea, quæ Sarpus docet de Reis in dictis locis immunitate gaudentibus.

Quenam personarum conditio, & quodnam delicti genus loco sacro protegi, aut non protegi possit?

RESOL. VII.

Generaliter ad hoc quaesitum sic primò *in cap. 5.* respondet Sarpus *fol. 43.* Est omnium certissima sententia, qui in loco sacro deliquerit: licet leue delictum, nec atrox facinus fuerit, eum tamen sacro eodem loco non defendi: immò verò & ibidem, & quocunque alio sacro loco sisti à Lictoribus, & in carcerem trudi posse; cum æquum nullo modo sit, vt Ecclesia eos tueatur, qui in ea peccantes iniurias eidem intulerunt, nec Ecclesiæ cæteræ defendant eiusmodi reum, cum omnes vnium idemque sint ob earum in Christum Iesum coniunctionem. Quod ita clarum atque certum est vt superuacaneum omninò fuerit pluribus confirmare: Ita ille.

Sed contrariam sententiam tenendam esse puto: dico igitur omnia crimina in Ecclesia commissa gaudere eius immunitate: nisi fuerit homicidium, vel membri mutilatio, cum de istis delictis, iura tantum loquantur, vt legentibus patebit *in cap. inter cetera de immunit. Eccles.*

Neque obstat rationem decidendi dicti textus æquè in aliis delictis & casibus procedere: hoc enim solum probat iure in aliis idem constitui posse, non tamen probat de facto esse constitutum. Neque credendum est homicidium & vulnerationem exempli gratia tantum apposita esse in dicto capite: sed verè apposita esse vt materiam integrè prohibitam. Adde quòd alia crimina in Ecclesia commissa sacrilegium continent, vt regulariter omnia crimina ibi commissa hanc qualitatem habent: ergo poterit delinquens à iudice Ecclesiastico puniri; vel si aliter placet, poterit impetrare à Pontifice, vt non obstante immunitate delinquentes tradantur iudici sæculari. Et ita hanc sententiam, maximè post Bullam Gregorij X V. tenent communiter Doctores, quos, ego ipse citavi & sequutus sum *in part. 1. tract. 1. resol. 2.* Et stando in contraria sententia in terminis iuris communis, refellendus est etiam Sarpus, asserens esse intelligendum in quocunque delicto: nam quoad delicta leuia, Reus committens illa in Ecclesia eius immunitate gaudebit. Et idè Villalobos *in summa*

tom. 2. tract. 39. difficult. 5. num. 6. sic ait. [Hæc de aduertir que para que el que commetio el delicto en la Yglesia, ne goze de la inmunidad; es necessario que el delito se graue, que si es ligero, no si podran sacar della.] Ita ille, qui citat Panormitanum, & Suarez de Paz, quibus adde Fagundez *part. 2. lib. 4. cap. 4. numer. 48.* Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 8. numer. 15.* Perficum *de offic. Sacerd. lib. 1. cap. 9. dub. 15. num. 108.* Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 11. num. 6.* Couarruiam *lib. 2. variar. cap. 20. numer. 15.* Farinacium *de Carceribus quest. 28. num. 63.* Raphaëlem de la Torre, *tom. 2. in 2. 2. Diui Thomæ questione 99. art. 3. disput. 7. gradu 8.* Chartarium *decis. crimin. 74. num. 6.* Peregrinum *de immunit. cap. 6. num. 29.* cum Paulo Castrensi *lib. 2. consil. 459.* vbi testatur hanc opinionem esse communem, vt reuera est: & tamen Sarpus, vbi supra, non veretur dicere contrariam sententiam esse certissimam.

Vnde ex his sequitur vulnerantem in Ecclesia, si ex tali vulnere mors non sequatur, non esse priuatum immunitate: quia vulnerare non est mutilare vel occidere: sed per *cap. final. de immunit. & maximè Bullam Gregorij X V. foli mutilanti vel vulneranti priuatio immunitatis est imposita: Ergo, &c.* Et ita præter alios à me alibi citatos tenet Chartarius *decis. crimin. 74.* & Castrus Palaus *tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 6. num. 10.* Vnde sacra Congregatio Episcoporum die 16. Nouembris 1618. teste Barbofa *de iur. Ecclesiast. lib. 1. cap. 3. num. 13.* declarauit inferentes sfrigia in faciem alicuius intra Ecclesiam, gaudere ipsius immunitate: non obstante quòd sit atrox & graue crimen, vt obseruat Menochius *de arbitr. iudic. cas. 263. num. 27.* Pacianus *conf. 92. num. 2.* & alij, infligere sfrigium, seu vulnus alicui in faciem.

Sed quid dicendum, si quis occiderit aliquem in Ecclesia, vel cæmeterio, in rixa orta per accidens, & maximè prouocatus, an gaudeat immunitate. Respondeo affirmatiue: & ita decisum fuit Romæ hoc anno 1639. occasione cuiusdam homicidij facti in Ecclesia Sancti Ioannis Lateranensis. Et ita etiam docet Doctores, quos citavi *in part. 1. tr. 1. resol. 11.* & me citato Nouarius *in summ. Bullar. tit. de immunit. num. 58.* & Auctor casuum conscientiarum Bononiæ discussorum anno 1637. Mense Nouembri *cas. 2. fol. 94.* & Zambellus *in Reper. Mor. vers. Ecclesia quoad eius immunitat. n. 3.* Quibus adde alios, quos citat & sequitur Spirellus *decis. 59. numer. 36.* vbi ait, hanc opinionem esse veram, etiam circumscripita constitutione Gregorij X V. Igitur occidentes, vel mutilantes in Ecclesiis, vel cæmeteriis, non appentatè & ex proposito, sed de pura rixa,

gaudebunt immunitate. Vnde refellendus prorsus venit Barbofa *de iur. Pontif. lib. 2. cap. 3. num. 104.* per ea, quæ adducit Chartarius *decif. crimin. 74. num. 12.*

Oritur etiam ex his pulchra & practicabilis quæstio. An occidens, vel vulnerans aliquem in scalis, atrio, seu porticu, vel tecto Ecclesie gaudeat eius immunitate. Et videtur negatiue respondendum, quia supradicta loca comprehenduntur sub nomine Ecclesie, vt supra visum est: & idem ad illa confugientes, gaudent eius immunitate. Sed contrarium alibi docui, & nunc iterum doceo: quia nomen Ecclesie sumitur aliquando strictè & quandoque largè; & idem quando tractatur de pollutione Ecclesie, sumitur strictè: vnde Campanile & Atrium, & similia loca non veniunt nomine Ecclesie in dicto casu, quia non sunt principaliter Deo dicata, sed in quandam consequentiam: Et etiam si sanguis humanus effundatur in dictis locis, non polluitur Ecclesia. Sed verò quando tractatur de priuilegio immunitatis, tunc supradicta loca veniunt nomine Ecclesie. Dicendum est igitur, quod scala, porticus, tectum, &c. Ecclesie, in odiosis non includuntur sub eius nomine; secus autem in fauorabilibus.

Et idem dicendum est de Palatio Episcopi, domibus Canonorum & Clericorum, & Monasteriis Religiosorum. Vnde ego olim in facti contingentiâ consului occidentem super tecta dictorum locorum immunitate Ecclesie gaudere. Et ita docet nouissimè Alexander Sperellus in suis doctis decisionibus fori Ecclesiastici *decif. 60. & 63.* Carolus Maranta in *controuers. iur. part. 2. respons. 36. per tot.* Antonius de Marinis *variarum resolutionum, c. 170. numer. 12.* Barbofa *de iur. Ecclesiast. libro 2. cap. 3. numer. 64. 65. & 66.* cum aliis penes ipsos.

Et tandem hic obiter inquirendum est. An extrahens aliquem ab Ecclesia violenter, & illum extra Ecclesiam occidens vel mutilans gaudeat immunitate. Negatiue respondet Barbofa *de iur. Ecclesiast. lib. 2. cap. 3. num. 114.* Scortia in *Bull. Pontif. Epit. 152. theor. 385.* Peregrinus *de immunit. cap. 6. num. 16.* vbi citat Abbatem, Syluestrum & Remigium de Goani: quibus adde etiam Azorium *part. 2. lib. 9. cap. 9. quæst. 14.* & Farinacium *de immunitate, cap. 16. numer. 239.* Et ratio est, quia per talem extractionem violatur Ecclesia, & in ipsa datur causa occisionis.

His tamen non obstantibus affirmatiuam sententiam tenet Bonacina *tom. 2. disputat. 3. quæst. 7. punct. 6. §. 2. numer. 4.* Quam ego olim consului, & mordicus contra aliquos Iuriconsultos, & Theologos tenui; & nunc iterum teneo: pro qua in *part. 4. tract. 1. resolut. 107.*

adduxi Castrum Palaum *tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 9. num. 18.* Nec obstat ratio adducta pro sententia Barbofae, Peregrini, & aliorum, quia illa causa mortis data in Ecclesia non fuit causa necessaria, cum liberè postea occisio facta est: ergo reus non est immunitate priuandus. Adde quod in Bulla excipitur homicidium & mutilatio in Ecclesia. Ergo.

Vnum etiam valde notandum mihi accidit olim acerrimè altercati cum viris doctis, & præcipuè cum Ioanne Baptista de Blaschis iustitiæ Præsidi in Regno Siciliae, viro integerrimo, quod non desinam hic adnotare, & fuit. An mandans aliquem occidere in Ecclesia, morte sequuta gaudeat immunitate: mandantarius fuit captus à Birruariis, & vocauit mandantem, qui in Ecclesiam aufugerat; & idem tunc casus iste fuit agitatus. Et quod non debeat gaudere docet Peregrinus *de immunitat. cap. 6. numer. 36.* vbi citat Decianum & Remigium de Gonna, quibus ego addo Suarem *tom. 1. lib. 3. cap. 11. numer. 7.* Farinacium *de immunit. cap. 16. numer. 230.* Azorium *part. 2. lib. 9. cap. 9. quæst. 14.* & Italiam *lib. 1. cap. 6. §. 3. numer. 48.* quia sic mandans occidi in Ecclesia verè committit crimen homicidij & sacrilegij. Ergo, &c.

Sed mihi contraria sententia magis placet: quia illi casus non gaudent immunitate, qui expressi sunt in iure, præsertim in constitutione Gregoriana. Sed est expressum in iure, vt occidentes in Ecclesia non gaudeant immunitate non autem mandantes occidere: neque sub nomine occidentis mandans etiam comprehenditur, nisi latè & extensa significatione, quod in pœnalibus faciendum negamus. Ergo propriè mandans occidere non dicitur occidere in Ecclesia, sed mandare homicidium; & sequitur non esse immunitate priuandum. Et idem si censura fulminetur, contra facientes aliquid, non ligat mandantes, nisi exprimat.

Nec obstat dicere, quod qui per alium facit, per se ipsum facere videtur: nam respondeo ceteri per alium facere fictione iuris, non autem realiter; & pœna priuationis immunitatis in iure imposita est propter realem occisionem & mutilationem, vt patet in illis verbis. Quisve homicidia & mutilationem membrorum in ipsis Ecclesiis, earumve cœmeteriis committere non verentur: quæ quidem verba ex determinatione Pontificis omnem extraneam interpretationem reiiciunt, cum ibi tollat facultatem aliter interpretandi, & extendendi casus in Bulla expressos ad non expressos. Ergo, &c. Et ita pro hac sententia tunc adduxi Bonacinam *tom. 2. disp. 3. q. 7. punct. 6. §. 2. num. 10.* quem postea sequitur Castrus Palaus *tom. 2. tract. 11. disput. vnic. punct. 4. n. 17. & seq.*

Sed

Sed quid dicendum. Si existens in Ecclesia mandet occidere aliquem extra Ecclesiam. Et talem non gaudere immunitate docet ex Syluestro Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 11. n. 7.* quia, ait ille, hic peccat grauiter in Ecclesia: & de illo dici potest debere puniri in eo, in quo deliquit. Idem etiam tenet Barbofa *de iur. Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 116.* Ioannes Gutierrez in *pract. quæstionib. lib. 3. quæstione 2. per totam.* Azorius *part. 2. lib. 9. cap. 9. quæst. 14.* & alij penes ipsos.

Verum ego puto existentem in Ecclesia, si mandet occidendum extra Ecclesiam, non esse priuandum immunitate: & ita docet Castrus Palaus & Bonacina *vbi supra*: quibus adde Decianum *tom. 2. lib. 6. cap. 24. num. 17.* Farinacium *de immunit. cap. 16. numer. 231.* Ambrosinum *cap. 5. num. 9.* Ioannem de Vischis *tract. de immunit. Eccles. num. 6.* & Peregrinus *cap. 6. n. 3.* Quia, ait ille, mandans committi homicidium extra Ecclesiam, videtur habere reuerentiam Ecclesie, vt intra eam non committatur. Sed meliùs dico supradictum reum debere immunitate gaudere, quia in iure hic casus non est exceptuatus, & præsertim in Bulla Gregorij X I V. & licet mandatum occidendi fuerit datum in Ecclesia, homicidium non fuit factum in Ecclesia: & Bulla excludit ab immunitate homicidia facta in Ecclesia physice, & non moraliter. Ergo, &c. Vnde ex his refellendus venit Sarpus *fol. 44.* vbi docet non differre, an delictum totum in Ecclesia perpetratum sit; an quoddam extra Ecclesiam initium habuerit, & in ipsa finem, vel etiam è contrà.

An qui confugit ad Ecclesiam armatus gaudeat eius immunitate?

RESOL. VIII.

Negatiue respondet Sarpus *cap. 5. fol. 43.* vbi ita asserit. Hinc illud consequitur, vt eadem Ecclesiarum immunitas nullo modo protegat eum, qui verita legibus arma in Ecclesiam detulerit, ea namque deferre peccatum est: quique ea in Ecclesiam defert, in Ecclesia peccat; quod fit vt in ea à Lictoribus vinciri possit, & in quolibet etiam alio sacro loco. Sic ille.

Sed contrariam sententiam prorsus tenendam esse puto: nam licet armorum vsus etiam de iure communi prohibitus sit tam Laicis, quam Clericis, ac tam intra, quam extra Ecclesiam *ex leg. 1. Cod. vt armorum vsus in scio Principe interdictus sit, lib. 11. & ex cap. Clerici arma, de vit. & honest. Cleric.* & docet Cornæus *consil. 20. lib. 3.* & alij: Tamen delatio armorum inspecto iure communi est leue delictum, vt notat Bartolus in *leg. leuia. ff. de ac-*

cusation. num. 9. Decianus *lib. 8. cap. 4. num. 21.* & alij quos citat Farinacius *quæst. 28. post n. 66.* Sed satis supra firmatum est delinquentes in Ecclesia illius immunitatem consequi, maxime si delictum leue fuerit, quod in Ecclesia commiserunt: & tradunt Hostiensis & Panormitanus in *cap. fin. idem Abbas in cap. inter alia*: Henricus Boychus in *cap. Ecclesia de immunit. Eccles.* & alij quos citat Farinacius *q. 28. numer. 63.* Adde quod licet rei confugientes ad Ecclesiam armati ipsam offendant, non tamen ob quamlibet offensionem in Ecclesia factam, priuatur quis immunitate: sed solum propter occisionem & mutilationem; Ergo deferentes arma in Ecclesia eius immunitate gaudebunt.

Neque admitto id, quod ex Farinacio videtur de iure communi admittere Castrus Palaus *tom. 2. tractat. 11. disput. vnic. punct. 9. n. 10.* Sed malè: priuationem immunitatis Ecclesiarum quoad armatos confugientes ad Ecclesiam sumendam esse ex capitali pœna, quæ infertur ferentibus supradicta arma prohibita; nam clarum est Principes Laicos nullam habere potestatem expresse statuendi, quænam crimina in Ecclesiis commissa, grauius iudicentur, vt delinquens in Ecclesia illius immunitate priuetur: cum huiusmodi declaratio ad summum Pontificem pertineat, vel ex natura & substantia illius delicti, aut ex iure communi defumenda sit. Quo pro certo supposito, vt negari non potest sine temeritate, sequitur clarè contra Palaum & alios ex grauitate pœnæ deferentibus arma prohibita lege Principis irrogata, non esse arguendam grauitatem delicti ad effectum, vt committens delictum illud asportandi arma prohibita in Ecclesia, inde eius immunitate non gaudeat; vt inuitus, vt docet Sarpus, auelli possit: ne quod vnâ viâ prohibetur, aliâ permittatur, contra vulgarem regulam, quam tradit Bonifacius in *cap. cum quid vnâ via de regul. iur. in 6. & gloss. in cap. tua de procurat.* Ergo, &c. Et idem nostram sententiam, nempe Reos cum armis prohibitis confugientes ad Ecclesiam gaudere immunitate, tradit Peregrinus *de immunitate, cap. 12. num. 11.* Ambrosinus *cap. 5. numer. 5.* Guazzinus *tom. 1. defens. 1. cap. 29. num. 7.* Sperellus *decisione 59. num. 11.* Chartarius *decif. crimin. 74. n. 8. & decif. 46. num. 15. & seq.* & alij penes ipsos. Vnde sic confugiens ad Ecclesiam non potest à Ministris Laicis armis prohibitis spoliari: quicquid asserat Sanchez in *opusculo. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 14.* & Villalobos in *summa tom. 2. tract. 34. difficult. 5. numer. 11.* vbi sic ait. [Tan poco vale al que tiene armas prohibidas en la Yglesia quanto a las armas, que se las pueden quitar, porque teniendo armas prohibidas, comese delito en la misma Yglesia.]

B 2 Ita

Ita ille. Et ante illum Doctores, quos ego citavi in part. 1. tract. 1. resol. 8. Sed ibi & merito contrariam sententiam tenui: Et me citato tenent nouissimè Ciarlinius *controuers. forens. cap. 10. numer. 16.* & Maranta in *controuers. iur. part. 2. respons. 37. numer. 1.* Zambellus in *Reper. Mor. ver. Ecclesia quo ad eius immunitatem. numer. 9.* Nouarius in *summ. Bullar. tit. de immunit. numer. 6.* cum Castro Palao *tom. 2. tract. 11. disput. vnic. punct. 9. numer. 10.* Et ratio est, quia in *cap. 1. extra de immunitat. Eccles. & cap. 2. eodem tit. in 6.* expresse prohibetur iudicibus Laicis aliquam iurisdictionem in Ecclesia exercere: cum Ecclesia sit de territorio Episcopi, & extra territorium ius dicenti etiam à subditis non paretur ex *cap. 2. de constitutione in 6. & leg. ultim. cum gloss. ff. de iurisdic. omn. iudic.* Et ideò nostram sententiam contra Sarpum determinauit sacra Congregatio Episcoporum in vna Salernitana die 30. Septembris 1616. decernens immunitate Ecclesiarum gaudere eos, qui cum armis prohibitis in Ecclesiam se recipiunt. Vnde ex his non est audiendus noster P. Naldus in *summa ver. Ecclesia. numer. 5.* asserens posse reum in Ecclesia expoliari armis vetitis, vel bonis furatis per iudicem laicum; quod malè etiam docet Sanch. in *opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 14.*

Restat modò respondere ad argumentum Sarpi; videlicet, quòd delatio armorum est à lege prohibita; & qui illa in Ecclesiam detulit, in illam peccat: ergo non debet eius immunitate gaudere. Respondeo, quòd ratio quare delinquentes in Ecclesia non gaudent eius immunitate, est propter irreuerentiam factam loco sacro: nam decisio textus *cap. fin. de immunit.* non respicit qualitatem delictorum; sed tantum locum sacrum, in quo delicta committuntur: sed propter delationem armorum prohibitorum parua sit irreuerentia loco sacro; ergo licet sit delictum in se illa deferre contra leges prohibentes, non est dicendum ita facientem delinquere in Ecclesiam, ita ut perdat eius immunitatem: Et dato quòd talis reus delinqueret in Ecclesia, delatio tamen armorum est leue delictum, vt docet Farinacius *quest. 28. numer. 66.* Et licet ipse asserat, quòd quando delatio armorum meretur pœnam capitalem, est graue delictum: tamen grauitas, vel leuitas huius delicti, vt supra dixi, non est consideranda in casu nostro respectu pœnæ à lege impositæ; sed respectu irreuerentiæ loco sacro factæ; ergo non erit talis delatio armorum delictum graue respectu Ecclesiæ. Adde quòd cum hoc delictum non sit per Canones exceptum, debet gaudere Eccle-

sia immunitate, iuxta à nobis superius dicta.

An Fures debeant immunitate Ecclesiarum gaudere?

R E S O L. I X.

Minimè, respondet Sarpus *cap. 5. fol. 44.* sic enim ait. Fures etiam, qui aut in Ecclesia furtum; aut cum re ablata ad ipsam confugerint, ex eo quòd in Ecclesia peccant, ab eadem diuelli queunt.

Sed affirmatiuam sententiam tenendam esse puto; etiam si furtum commissum fuerit in Ecclesia; vel si Laro pluries furatus fuerit, & sit famosus, dummodò non sit publicus: quia Canones & constitutio Gregoriana excipiunt tantum homicidia, & mutilationes factas in Ecclesiis. Et ita docet Farinacius *de immunit. cap. 6. numer. 94. & seq.* Castrus Palaus *tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 9. numer. 3.* Chartarius *decis. crimin. 9. numer. 7.* Tufchus *de iur. Ecclesiast. conclus. 10. numer. 23.* & Peregrinus *cap. 12. numer. 9.* Sperellus *decis. 59. numer. 11.* Ambrosinus *de immunit. cap. 5. numer. 6.* Nouarius in *summ. Bullar. tit. de immunit. numer. 4.* & Riccius *part. 1. decis. 110.*

Sed non indigemus contra Sarpum auctoritate Doctorum; vbi adest expressa determinatio sacre Congregationis immunitatis in vna Squillacensi 18. Martij 1632. vbi decretum est immunitate Ecclesiastica gaudere furantes in Ecclesia; Et nota, quòd Reus non potest in Ecclesia spoliari à iudice Laico re furata, quam secum traxerit: sed recurrendum est ad iudicem Ecclesiasticum, vt ego alibi adnotauit, & docet nouissimè Sperellus *decis. 49. numer. 25. & 26.* cum aliis penes ipsum. Et supra dicta doctrina est ita vera, vt Barbosa ex Farinacio *de iur. Ecclesiast. lib. 2. cap. 3. numer. 123.* & Gauantus in *addit. ad Man. Epif. ver. immunitas Ecclesiastica, numer. 8.* dixerint furantes etiam in Ecclesia Pixidem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti gaudere eius immunitate: quia homicidia & mutilationes factæ in Ecclesia tantum exceptuantur, non autem alia crimina: & in nostra materia casus excepti non extenduntur etiam ex maioritate rationis. Et ideò omnes sacrilegos docet Chartarius *decisione crimin. 7. numer. 6.* gaudere Ecclesiæ immunitate. Vnde refellendus venit Decianus *tom. 2. lib. 6. cap. 26. numer. 7.* Castro *consil. 458. numer. 1. lib. 2.* & alij apud Farinacium *de carcer. q. 28. numer. 47.* asserentes furantes in Ecclesia non gaudere eius immunitate, & Naldus in *summa ver. Ecclesia. numer. 5.* Sentiens furantem Pixidem non gaudere immunitate.

Sed an saltem ex consuetudine licitum sit extrahere fures simplices ab Ecclesia; ita vt eius immunitate non gaudeant. Affirmatiuè respon-

respondet Sarpus *fol. 51.* ita asserens. Quàm plurimis etiam locis, vbi furum est maxima copia, consuetudo viget, vt eorum nemini, cuiusvis notæ aut conditionis existat, ad Ecclesiam confugere liceat: quæ tamen consuetudo ab Ecclesiasticis videtur inducta, qui fures perosi obstare noluerunt, quin etiam in ipsi Ecclesiis prehenderentur. Quare quod est vsu iam receptum, omni contentione retinendum. Ita ille. Et ideò Villalobos in *summa tom. 2. tract. 39. difficult. 5. numer. 2.* sic ait. [Tam poco vale la Yglesia los Ladrones simples, que cada dia los facan della, y esto es por la costumbre, como dixen Couarruias, Iulio Claro, y Paz, que de derecho bien les valeres.] Hæc ille & alij.

Verum ego non possum huic sententiæ adherere: immunitas enim Ecclesiarum contraria consuetudine tolli non potest. Primò, quia populus nihil statuere potest super immunitate Ecclesiarum; ideò nec consuetudinem inducere valet. Secundò quia talis consuetudo est irrationabilis. Tertio quia nec etiam introduci potest Pontifice ignorante. Quartò quia nunquam talis asserta consuetudo in contradictorio iudicio obtenta fuit. Quæ omnia infra latius à nobis probanda erunt: & probat indiuiduatim loquens de hac consuetudine extrahendi fures simplices ab Ecclesia omninò videndus Iulius Chartarius *decis. crimin. 46. numer. 24. & seq.*

Vnde ex his non approbo consuetudinem, quam alicubi vigere testatur Sarpus, vbi supra: nempe fures in furtis grauibus Ecclesiarum immunitate minimè gaudere: nec valet pro confirmatione dictæ consuetudinis simile statutum, quod ipse adducit factum in cuiusdam Principis statu; nam super immunitate Ecclesiarum Principes sæculares nihil in eius præiudicium statuere possunt; vt tradit in hoc casu de immunitate Ecclesiarum Farinacius *de immunitate, cap. 6. numer. 25.* & alij.

Sed non desinam hinc refellere doctrinam, quam supra docuit Sarpus, quam doleo approbasse Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 11. n. 4.* & Raphaëlem de la Torre *tom. 2. in 2. 2. Diui Thoma quest. 99. numer. 4. disp. 7. gradu 8.* asserentes suprascriptam consuetudinem extrahendi fures ab Ecclesia iustificandam esse: quia fuit introducta videntibus Clericis & Episcopis in odium delicti, ac perinde quasi renunciantibus tali immunitati quoad fures. Sed, vt dixi, displicet mihi viros Theologos & doctos hæc dixisse: nam prorsus refellenda esse puto. Immunitas hæc enim concessa est locis sacris, & non personis, vt rectè obseruat Matrillus *decis. 169. lib. 2.* Adde quòd quæ in honorem Dei sunt introducta, etiam si quis inde

fauor ad partes deriuetur, non possunt partes renunciare, vt docet Panormitanus in *cap. conuestus de feriis post glossam, numer. 9.* & probatur clarè per text. in *cap. si diligenti de for. compet.* vbi Innocentius III. primùm probat leges dicentes pacto priuatorum non posse iuri publico derogari: deinde probat Clericum non posse renunciare priuilegio fori, quia hoc non est concessum fauore personæ particularis; sed fauore totius Collegij Clericalis, cui priuatorum pactio derogare non potest. Ergo etiam totus ordo Clericalis & Laicalis non potest renunciare beneficio concessio in honorem Dei, cui non est illi integrum præiudicare. Et ideò Castrus Palaus *tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 11. numer. 5.* sic ait. Hoc priuilegium non delinquentibus ob ipsos, sed ob reuerentiam loci sacri est concessum quapropter renunciari à nullo potest; sicuti neque renunciari potest priuilegium fori Clericis concessum, quia non ipsi ob ipsos, sed ob dignitatem Clericalem conceditur. Ita Castrus Palaus.

Et tandem quæro à Sarpo: quo pacto Ecclesiastici potuerunt inducere hanc consuetudinem extrahendi fures ab Ecclesia; cum sit consuetudo contra Canones non excipientes hoc crimen, & ideò irrationabilis & reicienda. Vnde insignis ille Canonista inclytæ Academicæ Salmaticensis Valboa de Mogrouejo in *cap. 1. de for. compet. numer. 6.* rectè docuit, quòd consensus Clericorum in aliquam consuetudinem, quando adest libertatis Ecclesiasticæ præiudicium, nihil operatur: quod etiam docet nouissimè Sperellus *decis. 37. numer. 63.* Sed hoc accidit in casu, de quo iam loquimur. Ergo, &c.

Verum pro Coronide huius resolutionis, quærendum est. An sententia Sarpi saltem admittenda sit in futuris, qui cum furto ad Ecclesiam confugiunt, & intra Ecclesiam illud contractauerint? Et contra Sarpum negatiuè respondendum est; quia illa contractatio, seu vsus rei subreptæ non potest esse regulariter loquendo res magni momenti; & ideò cum sit delictum leue, etiam in opinione Doctorum, qui admittunt extensionem quoad delicta exceptuata, non debent amittere priuilegium immunitatis. Adde quòd illa contractatio est per accidens, cum non deferatur in Ecclesia, vt iniuria ei inferatur. Ergo, &c. Et ita tenet Peregrinus *de immunit. cap. 12. numer. 10.* & alij communiter cum Bonacina *tom. 2. disput. 3. quest. 7. punct. 5. numer. 7.* Vnde prorsus reicienda est in opinione omnium Doctorum sententia Sarpi, quam supra retulimus; nempe fures non gaudere immunitate Ecclesiarum.

Notandum est tamen hinc obiter furantem in Ecclesia, & alios in Ecclesia delinquentes

capi posse ab Ecclesiasticis Ministris etiam extra Ecclesiam; nam commiserunt sacrilegium, quod est crimen mixti fori. Ergo, &c. Ita Bonacina *lococitato*, & ne deferas videre *decisionem* 3. & 4. Alexandri Sperelli.

An qui deliquit propè Ecclesiam sub spe ad Ecclesiam confugiendi, gaudeat eius immunitate?

R E S O L. X.

Negatiuè respondet Sarpus *cap. 5. fol. 45.* vbi docet eos immunitatis priuilegio protegi minimè posse, qui delicta commiserint ea spe atque consilio, vt sacro se loco tueantur. Siquidem Ecclesiarum auxilio vti debemus, vt peccatorum veniam consequamur, quæ iam admisiimus: non vt noua facinora perpetrare tunc valeamus. Verùm enim verò cum hominum mentes atque consilia sint ab oculis omnium remota, atque penitus abdita, non possumus, nisi coniecturis decernere, an Reus delictum admiserit, spe excitatus ad Ecclesiam confugiendi. Doctores verò dicunt, qui statim vt facinus perpetravit, ad Ecclesiam fugit, eundem eo consilio perpetrasse, vt eò confugeret statuendum esse. Et certè qui iam statutum, atque decretum habet, vt facinus committat, necessariò statuendum videtur eundem etiam cogitasse, non solum quam ratione illud possit admitti; sed multò magis quonam fugere debeat, vt se tueatur. Sicut etiam qui de improviso in errorem incidit sicut nunquam antea de facinore cogitauit: ita quoque affirmandum est ne de refugio quidem cogitasse. Quare quotiescunque consilium, atque deliberatio delictum præuenerit, & reus ad Ecclesiam confugerit, id consultò factum; ideòque loci sacri immunitate defendi non posse certissimi iuris est: Hucusque Sarpus.

Sed hanc sententiam maximè post constitutionem Gregorianam ego reprobauit in *part. 1. tract. 1. resol. 3.* cum multis Doctoribus: quibus nunc addo Castrum Palauum *tom. 2. tract. 1. 1. disp. vnic. punct. 9. numer. 21.* Layman *lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 7.* & Bonacinam *tom. 2. disp. 3. quest. 7. punct. 6. §. 2. numer. 12.* Quia qui tempore Iubilæi spe absolutionis virtute Iubilæi obtinendæ patrat delicta reseruata, vel annexam excommunicationem habentia, potest absolui, quandiu priuilegium absoluendi perseuerat. Ergo, &c. Secundò, qui propè Ecclesiam sine spe immunitatis patrat delicta, gaudet immunitate, si ad Ecclesiam confugiat: ergo eadem gaudere potest, etiam si patret delicta spe immunitatis, summus enim Pontifex re-

spexit delicti qualitatem, & iniuriam Ecclesiæ, non verò spem. Tertio quia in eo loco quis puniri debet, in quo deliquit; sed hic non deliquit in Ecclesia, sed extra; ergo puniri debet extra; ergo non debet priuari immunitate Ecclesiæ. Quarto quia non est faciendæ extensio ad casus in Bulla non expressos; sed in Bulla exprimentur solum patrans homicidia, vel mutilationes membrorum in Ecclesiis, vel eorum cæmeteriis; ergo, &c. Et ideò hanc sententiam etiam in terminis iuris communis docet Pater Suarez *de Religione tom. 2. lib. 3. c. 11. n. 9.* vbi sic ait. Couarruias hanc exceptionem extendit ad eum qui deliquit propè Ecclesiam spe confugiendi ad illam; quando de tali spe per coniecturas constare potest: vult enim illum non gaudere immunitate Ecclesiastica. Verùm hæc non videntur mihi sufficere ad extendendam legem prædictam, & quodammodò coarctantem immunitatem Ecclesiasticam: præsertim quia textus distinctè loquitur de Ecclesia & cæmeteriis eius; ergo in virtute ponit exclusiuam, vt tantum de illis locis loqui videatur. Item qui propè Ecclesiam peccat absque spe immunitatis, non priuatur illa, vt apertè Couarruias supponit; sed peccare cum spe, vel sine illa non variat in præsentem effectum illius legis, vt ipse etiam fatetur: ergo neque in præsentem refert. Et hæc omnia docet Suarez.

Ex quibus corruunt ea, quæ supra adducit Sarpus; & ideò nostram sententiam ex prædictis, & aliis rationibus firmat nouissimè Nouarius in *summ. Bullar. tit. de immunit. numer. 5.* Alexander Sperellus in *decisionib. for. Ecclesiast. decis. 60. & 61.* vbi docet occidentem in scalis, porticu, & Sacristia Ecclesiæ, etiam sub spe ad illam confugiendi, eius immunitate gaudere: & me citato hanc sententiam amplectuntur alij quatuor Doctores recentiores, Ciarlinius *controuers. forens. cap. 10. numer. 95.* & Maranta in *controuers. iur. part. 2. respons. 45. n. 10. & seq.* & nouissimè Trullench in *Decal. tom. 1. lib. 1. cap. 11. dub. 3. numer. 13.* & Zambellus in *Reper. Mor. ver. Ecclesia quoad eius immunitatem, num. 6.*

Nec valet dicere cum Sarpo, quòd qui deliquit sub spe immunitatis indignus est tali priuilegio ex *cap. final. de immunit. & ex cap. quando de consecrat. dist. 4. & cap. illud de Cleric. excommunic.* aliàs Ecclesia Dei fieret spelunca latronum; eiusque immunitas occasionem præberet perditis hominibus liberiùs viuendi, & delicta perpetrandi, contra textum in *cap. est iniusta 24. quest. 4.* Nam respondeo assumptum Sarpi non esse ritum, neque immunitatis fiduciam in dicto *cap. final.* apponi pro causa finali, sed in verbis narratiuis facti; ex quibus non desumitur dispositio, nec inducitur mysterium iuris. Adde & hoc est valde notandum, quòd indignus

indignus est immunitate sub spe peccans, si eius delictum & persona spectetur: vt immunitas non ipsi propter ipsum, sed ipsi propter sacrum locum concedatur, qui est omni priuilegio dignissimus. Neque inde fit fieri Ecclesiam speluncam & asylum latronum; tum quia ibi non perpetrantur delicta; tum quia ibi existentes corrigi & frænari à iudice Ecclesiastico possunt: tum denique quia, vt ego olim assereram Excellentissimo Duci Alcalesi, non est Ecclesiæ imputandus abusus illuc confugientium: cum ipsa solum præterdat fauere miseris eos à pœna liberando, non autem fouere eorum malitiam & facinora.

Nec ad ea, quæ superius diximus, te terreat, Amice Lector, Decretum Clementis VII. ad Archiepiscopum Panormitanum; nam nihil facit aduersus nostram sententiam, vt late apparet per ea, quæ nouissimè adducit Ciarlinius in *controuers. forens. c. 10. num. 93. & seq.* omninò videndus. In cuius Decreto intelligentia deceptus est nouissimè Danza in *Pugna Doctorum, tom. 1. titul. de immunitate, cap. 2. num. 6.* Vnde ex prædictis venit refellendus Barbosa *de iur. Eccles. lib. 2. c. 3. numer. 109.* vbi me citato pro sententia, quam supra firmauimus, ipse adhuc tenet delinquentem spe confugiendi ad Ecclesiam, eius non gaudere immunitate; quod etiam nouissimè docuit alter Lusitanus Frago *in Regim. Reipubl. Christ. part. 1. lib. 4. disp. 11. §. 2. num. 274.* Sed non bene.

An Assassinus gaudeat immunitate; etiam homicidio non sequuto?

R E S O L. XI.

Negatiuè respondet Sarpus *cap. 5. fol. 45.* vbi ita asserit. Assassinorum nomine designantur hodie, quicumque pacto, pretio, & mercede ad necandum hominem immittuntur: quod vsu ipso receptum est, non modò cum homicidium perfectum fuit; sed etiam quando tentatum est, licet minimè successerit. Sic ait ille.

Sed quoad priora verba, cum sint absolutæ videtur docere Sarpus etiam in occisione hominis infidelis adesse assassinium: & hanc opinionem licet admittat Henricus Bucerus *tract. de homicidio, lib. 1. cap. 3. num. 14.* Marius Italia *lib. 1. cap. 5. §. 4. numer. 2. & 21.* Decianus *lib. 6. cap. 28. num. 18.* Peregrinus *cap. 7. num. 39.* Bonacina *tom. 2. diffus. 3. quest. 7. punct. 6. §. 5. numer. 9.* Farinacius *cap. 8. numer. 120.* & alij. Et ratio illorum est; quia infidelis est etiam proximus.

Tamen ego contrariæ sententiæ adhæreo:

quia textus in *cap. 1. de homicidio in 6.* expressè dicit, quempiam Christianum; ergo tacitè infidelem excludit. Neque obstat infidelem verè esse proximum; quia non pro cuiuslibet proximi occisione hæc assassini pœna incurritur; sed pro occisione proximi Christiani. Et ita post antiquiores docet Couarruias *variar. lib. 2. cap. 20. numer. 10.* Iulius Clarus in *pract. §. Assassinum ver. benè verum est, & quest. 85. ver. ubi agitur.* Ioannès Gutierrez *pract. quest. lib. 3. quest. 7. numer. 8.* & alij. Et post Gregorianam constitutionem Sebastianus Guazzinus *defens. cap. 38. num. 42.* omninò videndus, Castus Palauus *tom. 2. tract. 1. 1. disp. vnic. punct. 9. num. 35.* & Ambrosinus *de immunit. cap. 7. n. 12.* vbi citat Corneum *lib. 1. consil. 249. numer. 21.* asserentem, quòd euasit quidam Prælati, qui fuerat accusatus de crimine assassini; & non fuerat deductus in processu vel in libello, quòd ille qui fuerat assassinatus, fuerit Christianus; & admonet Advocatos, vt id probent. Et hanc sententiam docet etiam Nouarius in *conclusionibus noui iuris Pontificij conclusionem 43. num. 22.* qui etiam *numer. 25.* tenet, quòd in dubio occisus non censetur Christianus, nisi probati fuerit probatus; quod antea docuerat Pacianus *de probationib. part. 2. cap. 14. numer. 7.* Ambrosinus *de immunit. cap. 7. num. 12. & 13.* & alij. Verùm nouissimè Iustus Olfedob. in *cautelis crim. tit. 2. caus. 10. num. 7.* putat onus probandi occisum non esse Christianum, non ad fiscum, sed ad Reum reiciendum esse.

Sed deueniendo ad quæsitum dubitationis An scilicet contra mandatarium; morte non sequuta intret pœna assassini, ita vt non gaudeat reus immunitate. Fateor quidem sententiam Sarpi à pluribus doceri: & ita tenet Peregrinus *loco citat. num. 31.* Gutierrez *num. 59.* Bonacina *numer. 6* & alij. Et ratio est, quia in tali casu non stetit per reum, quin Christianum per assassinium occiderit, cum deueniret ad actum morti proximum: & in atrocissimis delictis punitur affectus, etiam non sequuto effectu; & ideò cum in tali casu assassinium puniatur pœna ordinaria, ideò reus non gaudebit Ecclesiæ immunitate, vt etiam obseruat Megalium in *3. part. lib. 4. cap. 2. questione 1. numer. 20.*

Verùm licet ego huic sententiæ adhæserim in *part. 1. tract. 1. resol. 18.* vnde me citato nouissimè illam tenet doctus P. Thesaurus in *pract. Eccles. de penis, part. 2. ver. Assassinum, cap. 1. fol. 164.* tamen re meliùs considerata modò affirmatiuam sententiam teneo, quia immunitas neganda non est nisi propriè committentibus crimen assassini; sed qui accepta pecunia alium vulnerauit, si tamen non occidit, verè & propriè crimen assassini non committit. Ergo, &c. Minor probatur, quia tex-

tus in cap. 1. de homicid. in 6. vbi hoc crimen declarans solum de mandate dicit puniendum esse iisdem pœnis, siue mors sequatur, siue non; & nihil de mandatario dicit. Ergo mandatarius, qui mortem non intulit, relinquitur in hac parte dispositioni iuris communis disponentis neminem ob vulnerationem non gaudere immunitate. Vnde ex his patet responsio ad ea, quæ posset quis adducere ex Mastrillo de indulto, cap. 31. num. 14. Adde contra Doctores, quos citat & sequitur Megalius loco citato, quod etiam in crimine assassini ordinaria pœna non intrat, morte non sequuta: etiam si sit deuentum ad actum proximum, vt tradunt non contemnendi Doctores, quos citat Farinacius quæst. 123. inspect. 4. numer. 115. Et in genere, quod non puniatur pœna ordinaria affectus, seu conatus non sequuto delicto, tradiderunt etiam plures Doctores penes eundem Farinacium quæst. 124. num. 84. Ergo cum hæc opinio sit mitior, & fauorabilis immunitati Ecclesiarum, ego illam tenendam esse puto.

Dico igitur reum tentantem assassinium, etiam si deuenit ad actum proximum morti, si sequuta non fuerit, gaudere Ecclesiarum immunitate: Et ne auctore careat nostra sententia scias illam docere Layman lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 9. vbi sic ait: Assassinus dicitur, qui pretio conductus hominem incaute occidit: dummodo effectus, siue cædes re ipsa sequatur; nam solus conatus, siue aggressio, aut etiam vulneratio non videtur sufficiens, ita ille: cui etiam adde Castrum Palaum tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 9. num. 34. non procedere in eo, qui accepit paruum quantitatem pecuniæ, quæ animam mouere non potuit ad tale crimen perpetrandum. Ita Vulpellus vbi supra, num. 9. Ambrosinus de immunit. cap. 7. num. 9. Gabriel. consil. 170. numer. 21. lib. 1. Eugenius consil. 76. numer. 139. Masullus ad capicium decis. 155. num. 4.

Quintò limitatur non procedere, quando promissio pretij vel mercedis non fuerit certa & specifica; sed generalis & incerta: vt si dicas mandatario te nunquam defuturum in suis necessitatibus. Ita Vulpellus loco citato, num. 5. Baldus consil. 385. Vnde venit refellendus Iustus Osdefob. in pract. crimin. tit. 2. caus. 10. numer. 9. Vincentius de Franchis decisione 170. & Mastrillus de indulto, cap. 31. n. 11. afferentes fuisse iudicatum in sacro Concilio Neapolitano, ad constituendum assassinium sufficere promissionem generalem & incertæ rei. Sed nostra sententia est tenenda; & ita tenet Bufartus consil. 20. num. 4. lib. 1. Bertazolus consil. 341. numer. 38. volum. 2. Hondedeus consil. 93. num. 66. lib. 2. Ruinus iunior consil. 685. num. 12. lib. 6. & in terminis Bullæ Gregorianæ Peregrinus de immunit. cap. 7. numer. 40. Ambrosinus cap. 7. numer. 9. & Castrus Palaus tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 9. num. 34. Vide etiam Grammaticum vot. 11. numer. 29. Cornesium consil. 249. lib. 1. Eugenium consilio 76. numer. 138. & idè non est audiendus Villagut. de extens. leg. tit. de crimine assassini, num. 8.

Sed non definam hîc apponere dubium non incuriosum, quod mihi in facti contingentia accidit, filius cuiusdam Baronis inimicitias

munem inimicum: qui assassinium committi non dicitur, nec qui pecuniam dedit, assassinus dici potest; sed potius instigator, vel inflammator, vt docet Grammaticus consil. 52. n. 49. Vulpellus consil. 143. num. 10. Hondedeus consilio 87. num. 4. lib. 2. & alij.

Secundò limitatur non procedere in eo, qui recepta pecunia aliquem interfecisset præsentè ipso mandante: ita Bertazolus consilio 143. n. 15. vol. 1. Gabriel. consil. 180. n. 11. lib. 1. & alij.

Tertiò limitatur non procedere in eo, qui promissionem vel oblationem pro homicidio non acceptauit; licet postea sequutum fuerit: quia requiritur, vt interueniat conuentio ac contractus mutæ voluntatis inter mandantem & mandatarium, vt obseruat Grammaticus vot. 11. numer. 19. Riminaldus iunior consilio 685. numer. 12. vol. 6. qui sub numer. 14. docet non sufficere illam præsumptionem, quod præsumatur acceptasse promissionem sibi fauorabilem.

Quartò limitatur contra Castrum Palaum tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 9. numer. 34. non procedere in eo, qui accepit paruum quantitatem pecuniæ, quæ animam mouere non potuit ad tale crimen perpetrandum. Ita Vulpellus vbi supra, num. 9. Ambrosinus de immunit. cap. 7. num. 9. Gabriel. consil. 170. numer. 21. lib. 1. Eugenius consil. 76. numer. 139. Masullus ad capicium decis. 155. num. 4.

Quintò limitatur non procedere, quando promissio pretij vel mercedis non fuerit certa & specifica; sed generalis & incerta: vt si dicas mandatario te nunquam defuturum in suis necessitatibus. Ita Vulpellus loco citato, num. 5. Baldus consil. 385. Vnde venit refellendus Iustus Osdefob. in pract. crimin. tit. 2. caus. 10. numer. 9. Vincentius de Franchis decisione 170. & Mastrillus de indulto, cap. 31. n. 11. afferentes fuisse iudicatum in sacro Concilio Neapolitano, ad constituendum assassinium sufficere promissionem generalem & incertæ rei. Sed nostra sententia est tenenda; & ita tenet Bufartus consil. 20. num. 4. lib. 1. Bertazolus consil. 341. numer. 38. volum. 2. Hondedeus consil. 93. num. 66. lib. 2. Ruinus iunior consil. 685. num. 12. lib. 6. & in terminis Bullæ Gregorianæ Peregrinus de immunit. cap. 7. numer. 40. Ambrosinus cap. 7. numer. 9. & Castrus Palaus tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 9. num. 34. Vide etiam Grammaticum vot. 11. numer. 29. Cornesium consil. 249. lib. 1. Eugenium consilio 76. numer. 138. & idè non est audiendus Villagut. de extens. leg. tit. de crimine assassini, num. 8.

Sed non definam hîc apponere dubium non incuriosum, quod mihi in facti contingentia accidit, filius cuiusdam Baronis inimicitias

capitales gerebat cum Titio; & de hoc loquens cum quodam eius vassallo, statim obtulit se illum occisurum, cum conditione, vt ab eius Patre quoddam officium pro ipso obtineret: annuit adolescens, & homicidium factum fuit; tunc à me quæsierunt, an hoc fuerit assassinium. Et affirmatiuè videtur respondendum cum Decian. lib. 9. cap. 3. numer. 16. in fine, vbi asserit, quod si promississet aliquis dare ficiario aliquam in vxorem, committit assassinium, quia talis promissio est pretio æstimabilis: & ficiarius ex illa promissione homicidium perpetravit. Ergo, &c.

Verùm tunc ego negatiuæ sententiæ ad hæc, & adduxi in mei fauorem Bossium tit. de mandatis ad homicidium, num. 35. quem sequi videtur Farinacius quæst. 123. num. 44. asserentem in casu proposito promissionis vxoris, tale homicidium non esse assassinium, contra Decianum. Et ratio veriusque casus est; quia ex quætionibus harum promissionum non sunt in potentia promittentis ergo talis promissio reputatur ac si facta non fuisset & defacto in casu de quo ego interrogatus fui, accidit: nam homicidium fuit quidem commissum; sed Patrem ad instantiam filij noluit illud officium homicidiario conferre.

Nora etiam hîc obiter, quod mediator assassini gaudet immunitate Ecclesiarum; ita ego ipse contra Peregrinū & alios in part. 4. tract. 1. resolut. 33. Et quod ille non dicitur assassinus, qui animo complacendi tantum alicui homicidium perpetravit. Ita contra Doctores, quos citat Giurba consil. 70. numer. 27. & Grassius de effect. Cleric. effect. 1. numer. 701. docet Hondedeus consil. 93. num. 68. lib. 2. Grilenzonius consil. 45. n. 7. Ambrosinus de immunit. cap. 7. numer. 9. & alij.

An qui proditoriè conatur aliquem occidere: si mors non sequatur, gaudeat immunitate?

RESOL. XII.

AD hoc dubium negatiuè respondet Sarpus cap. 5. fol. 47. vbi sic ait. Is quoque qui insidiis & proditoriè hominem interimat, non potest à loco sacro defendi. Insidiæ verò vocantur quæcunque artes, quibus hominem ita aggrediuntur, vt incautus & incogitans opprimatur; sui quem defendendi ratio quomodolibet impediatur: qua de re cum Canon in cap. 1. de homicidio clarè decernat, nullus est qui ambigat; quare qui venenum tribuerit, cum homicidij genus insidiosum existat, immunitate Ecclesiarum vti non potest; & cuncta ferè homicidia, quæ consultò fiunt, qui rectè animaduertent, insidiis quibusdam inne-

xa reperiet: id verò non solum in homicidio perfecto, sed etiam in tentato locum habebit. Hæc ille.

Sed contrariam sententiam tenendam esse puto, maximè in terminis constitutionis Gregorianæ: ibi. Aut qui proditoriè proximum suum occiderit; in quibus clarè patet mortem sequutam requiri. Et licet stando in iure communi Mastrillus decis. 293. numer. 10. Pegurra decis. crimin. 49. numer. 11. Nauarrus in Annuali, cap. 21. num. 21. & alij quos citat Farinacius de immunitate. cap. 9. numer. 14. dixerint vulnerantes proditoriè & per insidias animo occidendi, immunitate Ecclesiastica non gaudere; etiam quod vulnerati mors non sequatur.

Tamen contrarium dicendum est, vt firmanter Doctores, quos ibi citat & sequitur Farinacius num. 145. Quibus adde nouissimè Alexandrum Sperellum in decisionibus fori Ecclesiastici decis. 22. num. 4. & Ciarlinium in controuersiis forensibus, cap. 14. numer. 19. & Barbosam de iur. Ecclesiast. lib. 2. cap. 3. numer. 90. Peregrinum de immunit. cap. 17. num. 13. & alios penes ipsos. Et ratio est quia dicto cap. 1. quod Sarpus pro se citat, loquitur de illo, qui occidit: vnde ex vi verborum respicit actum consummatum cum effectu subsequuto; non enim dicitur occidisse quantum ad homines, & quantum ad factum ipsum, qui tentauit occidere, sed frustra.

Verùm instabis pro Sarpo, & dices dicto cap. 1. de homicidio, quod ipse citat, licet solum dixerit. Si quis per industriam & per insidias occiderit proximum suum ab altari esse auellendum: huiusmodi tamen textus relationem habet ad locum Exodi, vbi in eius principio dicitur. Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur, &c. Et deinde subdit quasi hoc distinguens. Qui autem non est insidiosus; sed Deus tradidit illum in manus eius, habebit locum, ad quem fugere possit: si autem per industriam, &c. ab altari est auellendus. Quasi diceret Pontifex. Si quis in percussione hominis insidiis usus non fuerit, locum habet refugij: at qui percusserit insidiosè volens occidere, vel occiderit, ab altari est auellendus. Respondeo hæc non obstare, neque pro Sarpo facere, quia in dicto cap. 1. solum determinatur excludendum esse ab altari, hoc est Ecclesiæ immunitate priuandum, qui per industriam insidiosam aliquem occiderit: ergo non est extendendum ad vulnerantem insidiosè hac immunitate priuari, cum & nullo textu iuris Canonici hoc constet; & idè hac de causa in textu illo non est inserta tota lex Exodi, sed solummodo vltima eius pars.

Nec, vt supra dixi, aliter dicendum erit post constitutionem Gregorij XI V. vt etiam in terminis

terminis iuris communis : nam verba præteriti perfecti in dicta constitutione : & in cap. 1. de homicidio, apposita actum demonstrant perfectum & consummatum, vt patet ex leg. 1. §. hæc verba, ff. quod quisque iuris, & notat Alciatus in l. verbum erit, numer. 1. de verb. significat. & Menochius consil. 97. numer. 60. lib. 1. Ergo, &c.

Nota etiam, quòd stando in iure communi, Suarez de Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 11. numer. 14. & alij etiam docent, tentantem aliquem occidere per insidias & proditoriè, si mors non fuerit sequuta, gaudere immunitate Ecclesiarum : quia ius expressè loquitur de illo qui occidit ; vnde ex vi verborum respicit actum consummatum ; non enim dicitur occidisse quantum ad homines, & quantum ad factum ipsum, qui tentauit occidere, sed frustra. Et ideò hanc sententiam quia fauet Ecclesiæ immunitati, puto tenendam esse, etiam, vt dixi stando in terminis iuris communis.

Sed quod asserit Sarpus, occidentem aliquem veneno, non gaudere immunitate : fautor esse communem opinionem : & ita docet Baldus in l. nemo, Cod. de summ. Trinit. Felinus cap. 1. de homicidio. numer. 1. Decianus tom. 2. lib. 6. cap. 28. num. 19. Conarruias lib. 2. variar. resolut. cap. 20. numer. 7. Mastrillus de indulto, cap. 35. numer. 5. Suarez de Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 11. numer. 12. Megalius in 3. part. lib. 4. cap. 2. quest. 1. numer. 18. Gauantus in addit. ad Man. Episc. ver. immunitas Ecclesiastica, numer. 10. Bucerus tract. de homicidio, lib. 1. cap. 4. numer. 95. Peregrinus de immunit. cap. 7. num. 6. Bobadilla tom. 1. lib. 2. cap. 1. numer. 74. Castrus Palaus tom. 2. tract. 1. 1. disp. vnic. punct. 9. num. 26. Germonius de Sac. immunit. lib. 3. cap. 16. num. 63. Farinacius de immunit. cap. 9. numer. 142. Villalobos in summa tom. 2. tract. 39. difficult. 7. n. 14. Castillo decis. 154. numer. 2. Boërius decis. 109. num. 5. Ludouicus Correas elect. de immunitat. part. 2. numer. 19. Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 7. num. 26. & alij penes ipsos. Sed non egemus testibus, vbi adest declaratio Sacre Congregationis Concilij, quæ decreuit die 3. Decembris anno 1632. immunitate Ecclesiastica non gaudere, qui committunt homicidium veneno.

Sed ego puto (attendas quæso Amice Lector) hanc declarationem Sacre Congregationis Concilij intelligendam esse in casu, quò occiditur veneno aliquis, cum quo nulla præcessit inimicitia : quia tunc tale homicidium dicitur & cum ratione proditorium, cum interficiatur homo nihil tale præcauens, cum nulla esset præcauendi causa : Verùm cum quis veneno occidit inimicum, non militat hæc ratio ; & ideò puto Ecclesiam immunitate gaudere : nam in tali casu homicidium

dici non potest proditorium, quia proditorium tunc dicitur homicidium, vbi nullus præcedebat rancor, sed potius simulabatur amicitia ; vnum gerendo in corde & aliud in verbis : vt rectè obseruat Henricus Bucerus tract. de homicidio, lib. 1. cap. 3. numer. 16. & me citato Ciarlinius in controuers. foren. lib. 1. cap. 116. numer. 31. Bartolus in l. recipiendum, §. delinquunt, numer. 1. ff. de pænis Baldus cap. 1. quibus modis feudum amittatur, de vrbibus feudorum. Gerardus in suis singularibus, singulari 14. Angelus Aretinus §. interdum, num. 6. instit. de hereditatib. quæ ex intestato deferuntur. Lucas de Penna in l. senium in fin. item nota mors proditoris de delatorib. lib. 10. & alij quos citat amicus simus Giurba consil. 20. numer. 13. Ambrosinus de immunit. cap. 16. numer. 3. Peregrinus cap. 7. numer. 2. Guazzinus defens. 1. cap. 38. numer. 40. Afflict. decis. 265. numer. 68. & sequent. Ergo in nostro casu occidens veneno inimicum, gaudebit immunitate, quia non dicitur illum occidere proditoriè ; nam stante inimicitia habebat causam præcauendi, & poterat & debebat sibi præcauere. Quod confirmatur : nam si quis occidat inimicum dormiendo, non priuatur immunitate, vt docet Castrus Palaus tom. 2. tract. 1. 1. disput. vnic. punct. 9. num. 28. & alij : quare ergo priuandus erit si occidat veneno ? cum in vtroque casu quis occidat hominem incautum. Et ideò maximè post constitutionem Gregorianam, quantumcumque per insidias inimicum occidas, gaudebis immunitate ; siue occidas veneno, siue dum dormit ; siue cum sclopo è fenestra, siue à tergo ; &c. Quia non quocumque insidias priuant immunitate ; sed insidias, quæ prodicionem constituunt : Etenim constitutio Gregoriana solum excludit ab immunitate occidentes proditoriè : sed stante inimicitia insidias non constituunt prodicionem ; nam inimicus semper habet fundamentum se præcauendi, atque adeò sibi imputare debet, si veneno, vel dormiendo, vel quocumque modo incautus occidatur : & ideò post constitutionem Gregorij, illud duntaxat dicitur homicidium proditorium, quod sub colore amicitie committitur : secus si ab inimico etiam cum quibuscumque insidiis. Et ita definiuit Clemens VII. per Breue ad Archiepiscopum Panormitanum die sexta Februarij anno 1597. & docet Ambrosinus, Peregrinus, Bonacina, Farinacius, quos ego ipse citavi in part. 1. tract. 1. resolut. 5. quibus nunc addo Castrum Palaum vbi supra, Castillo decis. 156. num. 38. & sequent. Gratianum disceptat. foren. tom. 3. cap. 38. numer. 4. & sequent. Giurbam consil. 20. num. 13. consil. 60. num. 4. & alij penes ipsos.

Ad auctoritatem verò Doctorum asserentium occidentem veneno non gaudere immunitate.

nitare. Respondeo primò intelligendos esse in occidente non inimicum : vel secundò respondeo illos loqui in terminis iuris communis ante Gregorianam constitutionem : vel tertio dicendum est, vbi adest ratio, relinquendos esse Doctores. Et ita nostram sententiam præter Doctores citatos inuenio etiam docuisse in terminis post hæc scripta visum Alexandrum Sperellum decis. 23. per totam, & Nouarium in summa Bullar. titul. de immunit. num. 76. vbi firmat ; quòd licet aliquem occidens veneno dicatur proditor per tradita à Riccio part. 3. decis. 262. tamen asserit hoc intelligendum esse nulla existente inimicitia, & sic colore amicitie iuxta terminos definitionis homicidij proditorij & in hoc casu, vt diximus, puto loquutam esse Sacram Congregationem. Et nota etiam hic ex eodem Nouario numer. 80. salutationes ordinarias non constituere effectum amicitie, vt si quis occidat aliquem, in tali casu dicendus sit proditor, cum salutationes sint signa communia.

Notandum est tamen hic obiter, quòd Peregrinus de immunit. cap. 7. numer. 9. putat non gaudere Ecclesiarum immunitate, qui aliquem per insidias deducit, vt ab alio occidatur : & ille deductus ab alio est occisus. Sed, vt verum fatear, verba constitutionis Gregorianæ videntur loqui de illis, qui per se ipsos homicidium proditoriè committunt : nam Pontifex sic asserit. Qui proditoriè occiderint ; & ideò, qui aliquem per insidias deducit, vt ab alio occidatur, non priuabitur immunitate : & talis non propriè & physicè, sed moraliter occidit, Ergo, &c.

Notandum est etiam hic obiter à fortiori occidentem inimicum à tergo cum sclopo gaudere immunitate : & ita ex sacra Congregatione Episcoporum in vna Meliuetana die 2. Augusti anno 1619. obseruat Barbofa de iur. Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 62. me citato. Vide etiam Nouarium in summa. Bull. titul. de immunit. num. 79. & 82.

An si quis occidat aliquem appensatè & animo præmeditato sit priuandus Ecclesiæ immunitate.

RESOL. XIII.

Affirmatiuam sententiam docet Sarpus capite 5. folio 48. vbi sic ait. Non adeò communis est omnium opinio, homicidas quocumque, qui cogitatò facinus perpetraverint sine insidiis, sed consultò, immunitate Ecclesiarum vt non posse. Est tamen multorum Doctorum sententia : quam obrem ob eorum & numerum & conditio-

nem amplecti eam possumus absque vllò erroris timore. Ita ille.

Sed hoc non est verum stante constitutione Gregoriana ; in qua septem tantum casus excipiuntur, quibus tantummodo delinquentes ad Ecclesiam confugientes immunitate priuantur, inter quos non annumeratur homicidium consultò & deliberatè perpetratum ; sed homicidium proditorium : sed qui occidit de industria, & animo pensato, non occidit proditoriè. Ergo, &c. Et ideò Caballus tract. de homicidio num. 388. asserit frustra de hac re disputandum ; cum extet Bulla Pontificia Gregorij ita disponentis. Et Thuscus tom. 3. Litera E, conclus. 11. numer. 9. asserit, quòd iste casus, & multi alij similes erant controuerſi inter Doctores iuris Canonici & Ciuilibus : & quia istud ius dubium declaratum fuit per Gregorium XIV. in dicta constitutione, omnino seruari debet ; & illud vbiq; attendi debet, & ampliùs non est locus opinionibus Doctorum adherere. Vide hanc opinionem latè comprobantem Chartarium in decisionibus criminalibus, decis. 95. per totam. Vnde prorsus refellendus est noster Naldus in summa ver. Ecclesia, numer. 5. asserens homicidam ex proposito non gaudere immunitate.

Sed difficultas est. Quid dicendum stando in terminis iuris communis. Sarpus, vt visum est, & alij docent animo deliberato, & appostatè occidentem non gaudere Ecclesiæ immunitate. Et ita tenet Ludouicus Correas in sua doct. a relectione, de immunit. Ecclesiastica, part. 2. numer. 19. Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 8. num. 27. Peguera decis. crimin. 54. n. 10. Ioseph Ludouicus decis. Lucens. 16. numer. 3. Franciscus Marcus decis. 268. num. 2. Vulpellus tract. de immunit. Eccles. part. 1. numer. 27. & sequent. Gurtierrez in pract. quest. lib. 1. q. 2. num. 17. Facchinus in controuers. lib. 9. cap. 93. per totum. Germonius de sac. immunit. lib. 3. cap. 16. num. 59. Martha de iurisd. part. 1. c. 55. numer. 4. & sequent. & Barbofa de iur. Ecclesiastica, lib. 2. cap. 3. num. 99. cum aliis penes ipsos. Et ratio est, quia in cap. 1. de homicid. dicitur euellendum esse ab altari, & immunitate priuandum, qui per industriam occiderit & per insidias : Ergo occidentem per industriam, etſi non occiderit per insidias, non gaudebit immunitate : quia copulatiua in qualibet illius parte debet verificari ; & quidem superflue apponeretur in dicto textu verbum illud, per industriam : nam sufficebat dicere per insidias, etenim qui occidit per insidias, dicendum est occidere per industriam.

Verùm his non obstantibus aliqui putant etiam in terminis iuris ante constitutionem Gregorianam occidentem animo deliberato non fuisse immunitate priuandum, nisi proditoriè

torie occidisset. Ita tenet Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 11. num. 13.* Boërius *decis. 109. num. 19.* & alij, quos citat Farinacius *consil. 76. num. 17.* quibus adde nouissimè Layman *lib. 4. tract. 9. c. 3. num. 8.* & Castrum Palaum *tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 9. numer. 29.* Quia, ait ille, in penis non est facienda extensio, neque immunitas Ecclesiastica minuenda: tum quia constitutio Gregoriana, quæ, vt diximus supra ex Cardinale Thusco, decidere intendebat, apposuit verbum, proditorie, vt sic infinuaret in illis verbis textus *per industriam & insidias* idem esse significatum; vnus enim terminus alterius est declaratio: neque ibi est propositio copulatiua, sed simplex; facit enim hunc sensum. Qui per industriam insidiosam occiderit proximum, ab altari euellatur: quod manifestè constat, nam locus ille Exodi ex quo textus desumptus est, concedit locum refugij ei, qui proximo insidiatus non fuerit. Neque inde fit superfluere verbum illud, per industriam, quia apponitur ad maiorem subsequenti declarationem; tum quia idem inferri posset esse superfluum verbum per insidias, si omne homicidium per industriam ab immunitate esset exclusum; quia inde exclusum erat homicidium per insidias, quod esse non potest, nisi per industriam. Et ideò supremum Concilium Castellæ, quod Emporium doctorum hominum semper esse solet, hanc sententiam in facti contingentia determinasse testatur ex Paz Villalobos *in summa tom. 2. tract. 39. difficult. 7. numer. 12.* vbi ait, adesse opinionem; [que vale la inmunidad al que mata otro de proposito y deliberadamente sin traycion: y dize Paz, que lo vio practicar en vna sentencia que dio el Consejo en tiempo del Rey Don Felipe segundo en fauor de vn noble, que matò à otro en vn desafio, y se acogio à la Yglesia, y le sacaron, y mando el Consejo boluerle a ella.]

Vnde ex his omnibus statuendum est contra Sarpum, non solum qui occidit aliquem consultò, & cogitatò gaudere immunitate Ecclesiarum, stante constitutione Gregorij XIV. Sed etiam secundum aliquos stante iure communi antiquo.

Ad statuta verò, quæ Sarpus adducit aliquorum Regnorum; Respondeo nihil valere; Principes enim Laici nullam habent potestatem determinandi aliquid circa communitatem Ecclesiarum; sed hoc spectat ad summum Pontificem. Vnde refellendus venit Gambacurra *lib. 3. cap. 13. num. 11.* vbi defendit *c. 71.* ius Regni Siciliæ sub Rege Alphonso. in quod datur facultas Officialibus Laicis, vt extrahant Reum ab Ecclesia, qui homicidium ex proposito commisit. Nec valet dicere cum ipso dictum Decretum fuisse factum in Par-

lamento, vbi adsunt Prælati totius Regni: nam Episcopi non possunt, neque augere, neque restringere immunitatem Ecclesiarum cum hoc ad summum tantummodò Pontificem spectet.

An raptores Virginum sint excludendi ab immunitate Ecclesie.

R E S O L. XIV.

Affirmatiuè respondet Sarpus *c. 5. fol. 49.* Affasserens. Præter homicidas lex Civilis Raptores etiam Virginum ab Ecclesiarum immunitate excludit: delictum enim est, in quo necessariò insunt artes, vis, iniuria, non minùs Reipublicæ, quàm priuatæ familiæ, præcipuè que ipsi mulieri illata. Hæc ille.

Sed negatiuam sententiam prorsùs tenendam esse puto ex ratione sæpè superius allata nempe quia raptus huiusmodi Virginum non est inter crimina exceptuata à Gregorio in sua Bulla. Verùm difficultas est, quid dicendum de iure communi: & etiam negatiuè respondendum esse puto; quia casus hic non inuenitur exceptus; immò *in cap. de Raptoribus 30. quest. 1.* illis conceditur immunitas. Et ita hanc sententiam docet Guttierrez *in pract. quest. lib. 3. quest. 5. per tot.* Germonius *de sacr. immunitate lib. 3. cap. 16. numer. 57.* Bonacina *tom. 2. disp. 3. quest. 7. punct. 5. num. 8.* Fagundez *part. 2. lib. 4. cap. 4. num. 47.* Farinacius mutans sententiam de immunit. *cap. 6. numer. 88.* Guallinus *tom. 1. defens. 1. cap. 37. num. 72.* Layman *lib. 4. tractat. 9. cap. 3. numer. 9.* Castrus Palaus *tom. 2. tr. 11. disp. vnic. punct. 10. n. 5.* Pericus *de offic. Sacerd. lib. 1. c. 9. dub. 11. n. 13.* Azorius *part. 2. lib. 9. cap. 9. q. 9. §. quid verò;* & alij penes ipsos.

Vnde aduersùs Sarpum, qui pro sua sententia adducit legem ciuilem *Authent. de mandatis principum §. neque autem,* negantem Raptoribus Virginum immunitatem. Respondeo fuisse correctam per ius Canonicum, quod seruandum esse in materia immunitatis sine errore negari non potest. Et ideò Villalobos *in summa tom. 2. tract. 39. difficult. 7. numer. 15.* ficasserit. [Quanto à los Raptores de las Virgines se hà de dezir, que de derecho ciuil no les vale la Yglesia, como consta de vn texto; mas esto esta corregido por el derecho Canonigo, y assi el dia de oy les vale, como tienen Angelo y Siluestro, y dize Iuan Fabro, que apouea esto la costumbre, y rificiere la Alessandro, que aconseja esto, y dize que es opinion comun, y lo mismo dize Henrico Boych, y dize Iulio Claro, que assi lo vio practicar muchas vezes.]

Nec valet aliud argumentum Sarpi, quòd hoc crimen sit perniciosum non solum personæ, cui infertur iniuria; sed etiam Reipublicæ:

ca: nam respondeo, quòd *in cap. inter alia, de immunit.* dicitur sic. Quantumcunque graua delicta perpetraverit, non est reus ab Ecclesia educendus, nisi in casibus ibi expressis. Et sic Panormitanus *ibi numer. 17.* dicit decisionem illius capituli non esse extendendam ad alios casus, quod etiam docuit Gomez *tom. 3. var. cap. 10. numer. 2.* & Bossius *tit. de captura, num. 32.* cum aliis.

Dicendum est igitur ex identitate, vel maioriore rationis textum illum non esse extendendum ad alios casus. Primò, quia faciendū non est extensio ex identitate rationis, quando talis extensio præiudicat causæ fauorabili, qualis est Ecclesiastica immunitas. Secundò quia si vltra casus exceptos liceret alijs ob identitatem, vel maioritatem rationis excipere, regula assignata *in dicto cap. inter alia* destrueretur; quia nihil firmum & stabile esset constitutum: illud autem est absurdum. Tertiò qui pœnæ locum non habent, nisi in casibus expressis: Ergo, &c. Vnde ex his omnibus refellendus venit Raphaël de la Torre *tom. 2. in 2. 2. Diui Thome quest. 99. art. 3. disput. 7. gradu 8.* vbi sic ait. Quarta exceptio de raptoribus Virginum ab aliquibus reprobat, & ab aliquibus admittitur, vnusquique in suo sensu abundet; non enim video clara iura Canonica hanc exceptionem firmantia. Ita ille. Sed pace viri docti, iura in hac re sunt clara; & ita communiter à veteribus, atque recentioribus Canonistis atque Theologis intelliguntur.

Nec valet dicere in fauorem Raphaëlis de la Torre Decretum *cap. de Raptoribus 36. quest. 1. superius adducti* non esse Concilij vniuersalis, sed Prouincialis, & ideò non ligare omnes: nam respondeo, quòd cum ab Ecclesia sit receptum, ab omnibus seruari debet. Deinde per ius Canonicum regula est constituta, vt delinquentes propter nullum crimen, quantumcunque graue sit, possint ab Ecclesia extrahi, nisi in casibus exceptis. Sed hic casus per ius Canonicum antiquum non excipitur, vt patet *in dicto cap. inter alia;* ergo gaudere debet immunitate: & iura sunt clara in eius fauorem.

Ad id verò, quod pro probabilitate cōtrariæ sententiæ adducit Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 11. numer. 17.* nempe raptores Virginum inclusos esse sub nomine publicorum latronum *in dicto cap. inter alia:* iam ex superius dictis patet responsio. Adde quòd si publicus latro, qui per *cap. inter alia,* gaudere non debet immunitate Ecclesiarum ex communi sententia Doctorum, vt supra visum est, debet sæpius in itineribus publicis cum armis & violentia furari; aliter non priuabitur immunitate: quo pacto Deus bone, semel rapiens Vir-

ginem includi potest sub nomine publici latronis? non est igitur in hoc audiendus Suarez, qui etiam non debebat pro hac sententia consuetudinem in contrarium adducere: nam, vt supra probatum est, non admittitur consuetudo contra immunitatem Ecclesiasticam.

Notandum est hîc etiam obiter ex supradictis contra aliquos, deflorantem Monialem gaudere priuilegio immunitatis. Vide me ipsum *in part. 4. tract. 1. resolut. 43.*

An publici latrones, & grassatores Viarum gaudeant immunitate?

R E S O L. XV.

Negatiuam sententiam absolutè & sine vlla distinctione docet Sarpus *fol. 50.* Sed aduertant Lectores, quòd licet supradicti casus excipiantur in iure, & in constitutione Gregoriana; tamen habent multas limitationes, quas videbis, præcipuè penes citandos Doctores: sed hîc tantum tangenda est pulchra quæstio. An qui semel, vel bis in via publica, & cum violentia depræderetur, priuatur immunitate. Et affirmatiuam sententiam docet Megalius *in 3. part. lib. 4. cap. 2. quest. 1. num. 10.* quia nomina verbalia in vno solo actu verificantur, *ex leg. Athletas, §. calumniator, ff. de his, qui notant. infam.* Et ita etiam tenet Marta *de iuris d. part. 2. cap. 55. num. 22.* qui testatur de praxi: & quamuis frequentia esset necessaria, putat Megalius duos actus sufficere, quia duo actus sufficiunt ad consuetudinem inducendam, *ex gloss. in Authent. de testib. §. quia verò multi, ex l. 2. in fin. Cod. de Episcop. audient.* Grassius *de cas. refer. lib. 1. capite 10. numer. 14.* Floronus *part. 2. cas. 3. numer. 10.* & alij.

Sed hanc Megalij opinionem prorsùs refellendam esse puto à Tribunalibus Ecclesiasticis: non enim dicendus est publicus latro, qui publicè & cum violentia semel vel bis deprædatus est, vt exinde Ecclesiarum immunitate priuandus sit; quod clarè patet *ex leg. Capitalium, §. Et vt generaliter, ff. de pœn.* Et ideò mulier ex vnico actu fornicationis non dicitur publica meretrix; nec publicus vsurarius, qui semel tantum commisit vsuram, *ex text. in leg. quis sit fugitiuus, §. errorem, & in leg. sciendum, §. illud, ff. de adilit.* & docet Panormitanus *in cap. 1. numer. 24. de iudic.* & alij. Ergo, &c. Et ita hanc sententiam contra Megalium tenet tota cetera Canonistarum, vt loquitur Igneus *in leg. 3. §. subuertitur, numer. 107. ff. ad Syllan.* quibus adde Pegueram *decis. 40. num. 4.* Castrum Palaum *tom. 2. tractat. 11. disput. vnic. punct. 6. num. 3.* Carolum Marantam *in contro-*

vers. iur. part. 2. respons. 46. numer. 7. Giurbam *consil. 50. numer. 27.* Barbosam *de iur. Ecclesiast. lib. 2. cap. 3. numer. 84.* Mastrillum *de indulto, c. 37. numer. 7.* Ambrosinum *de immunit. cap. 21 n. 4.* Peregrinum *cap. 6. numer. 8.* Farinacium *cap. 10. numer. 154.* Horatium *Perfium consil. crim. 39. numer. 2. & 3.* Nouarium *in summ. Bullar. titul. de immunit. numer. 45.* qui etiam ex Suarez & Giurba *num. 46.* docet grassatores viarum, si sæpius tentauerint delicta, sed illa non perfecerint, non esse excludendos ab immunitate, quia delictum exceptuatum debet esse actu consummatum, ut amittat immunitatis priuilegium.

Aduertendum tamen est hic obiter pro nostro Sicilia Regno, quod licet vigore regie Pragmaticæ, sub Rubric de furt. & rapin. tit. 47. pragmat. 1. puniatur poena mortis etiam, qui semel spoliasset viatores in via publica, ut ibi exponitur. Tamen quoad priuilegium immunitatis Ecclesiarum nihil operatur dicta pragmatica; ut in specie casus nostri tradit Ambrosinus *de immunit. cap. 3. numer. 6.* & Peregrinus *cap. 6. numer. 9.* vnde caueant Episcopi Sicilia à Mario Italia *lib. 1. cap. 5. §. 1. numer. 20. & 40.* vbi videtur approbare etiam in ordine ad immunitatem Ecclesiarum supradictam Pragmaticam. Et aduersus illum præter Doctores citatos insurgunt ipsimet Consiliarij Regij, vt Peguera *decis. 410.* & Mastrillus *de indult. cap. 3. numer. 7.* Et ratio est, quia statuta Principis laici non possunt tollere, neque aliquid determinare circa Ecclesiarum immunitatem: sed hoc ad summum Pontificem spectat.

Notandum est etiam hic obiter contra Innocent. *in cap. inter alia*, & ibi Hostiensem, *num. 4.* & Ioannem Andream, *num. 6.* & alios, non dici latrones publicos & grassatores viarum, nisi qui deprædantur in viis publicis, & itineribus frequentatis: at non sufficit, quod per insidias furentur, etiam si non fuerit in loco publico. Et ratio est, quia textus expressè loquitur ibi, Itinera frequentata, & publicas stratas obsident: tum quia nomen, via publicum, iter denotat; & quia illa verba ad declarationem delicti fuerunt apposta, & ita docet Nouarius *in summ. Bullar. tit. de immunitate, numer. 47.* Ambrosinus *cap. 3. numer. 5.* Farinacius *cap. 12. numer. 165.* Vide etiam Mastrillum *de indult. cap. 32. numer. 8.* & Riccium *part. 4. decisio. ne 144.* & alios penes ipsos.

Verum publicis latronibus & grassatoribus viarum adiecit summus Pontifex agrorum depopulatores; circa quos nihil aliud dignum adnotatione occurrit, nisi illud curiosum quidem & difficile, An stante constitutione Gregoriana diurnus agrorum depopulator gaudeat immunitate. Dixi, *diurnus*; quia de

nocturno non est difficultas: & negatiuam sententiam docet Barbosa *de iur. Eccles. lib. 2. cap. 3. numer. 87.* quia verbum, *nocturnus*, appositum in *cap. inter alia, de immunit. Eccles.* fuit à Gregorio XIV. in sua Bulla ademptum, & absolute excludit ab immunitate agrorum depopulatores. Et ita hanc sententiam tenet Farinacius *de immunit. cap. 11. numer. 261.* Ambrosinus *de immunitate, cap. 4. numer. 5.* Bonacina *tom. 2. disput. 3. quest. 7. punct. 6. §. 1. numer. 5.* & alij.

Sed his non obstantibus diurnos agrorum depopulatores gaudere Ecclesiarum immunitate, docet Castrus Palaus *tom. 2. tract. 11. disput. vnic. punct. 9. numer. 5.* quia, ait ille, constitutio Gregoriana ad firmandum ius commune, & reuocanda priuilegia illi contraria expedita fuit: ergo cum palaus dixit, depopulatores agrorum, intelligenda est iuxta ius commune, quod solum nocturnos excludit: tum si Pontifex intendebat depopulatores tam nocturnos, quam diurnos comprehendere, debebat exprimere: quia ius commune non debet censei correctum, nisi claris verbis constet. Præterea hæc exclusio derogat immunitati, & constitutio est odiosa & poenalis: ergo de solo nocturno, & non diurno debet intelligi. Ita Castrus Palaus.

Sed tu caue huic adherere opinioni: nam licet videatur fauere Ecclesiarum immunitati, maximè illam lædit; nam ex dictis rationibus, quas Palaus adducit, videtur confirmare sententiam Gambacurtæ, & aliorum aduersariorum asserentium constitutionem Gregorianam tollere tantum priuilegia, sed non derogare iuri communi, quod quidem falsum esse dicendum est cum Chartario *decis. crimin. 95. numer. 4.* & aliis Doctoribus, quos ego citavi *in part. 1. tract. 1. resolut. 1.* & determinauit Sanctissimus Pontifex Clemens VIII. in Breui ad Archiepiscopum Habedum Panormitanum sub die 6. Februarij anno 1597. vt ego *suprà* obseruaui, & obseruat nouissimè Nouarius *in summ. Bull. titul. de immunit. numer. 2.* Vnde venit refellendus Peregrinus *de immunit. cap. 2. numer. 11.* quatenus dicit constitutionem Gregorianam non corrigere ius commune.

Sed hic obiter non est omittendus casus, qui frequenter solet accidere. An videlicet captiuantes personas, & eas componentes in quocunque loco, gaudeant immunitate Ecclesiarum: & negatiuè respondet Ioannes Maria Nouarius *in summa Bullar. titul. de immunitate, numer. 44. in fine*, qui citat Mastrillum.

Sed hæc opinio ita absolute prolata mihi non placet: nam tunc puto supradictos non gaudere immunitate, quando vt publici latrones in stratis ac viis publicis, vel in campis,

siue

siue vt grassatores etiam intra Urbium vias huiusmodi personarum captiones & compositiones, vulgò *Rigati*, admiserint; & hoc pluries non semel tantum, aut iterum fecerint: fecus autem si priuatim ac secreto captiuarent personas, vel missis aliquibus nunciis (vt olim pluries per multos menses Panormi accidit) aliquas composuerint personas etiam minis per nuncios vel litteras comminatis: nam utique in tali casu ab immunitate non erunt excludendi; quia sic captiuantes, neque publici latrones, neque grassatores dici possunt; ergo gaudere debent immunitate. Et ideò hanc sententiam nominatim aduersus Nouarium tenet Carolus Maranta *in controuers. iur. parte 2. respons. 46. numer. 10. & sequent.* Neque Mastrillus à Nouario adductus facit contra nostram sententiam: nam loquitur in terminis indulti à Rege concessi, & non in terminis constitutionis Gregorianæ, quæ excludit omnem extensionem de casu ad casum. Et ego puto etiam in terminis iuris communis supradictos reos Ecclesiarum immunitate gaudere.

An Incendiarij priuandi sint Ecclesiarum immunitate?

R E S O L. XVI.

Affirmatiuè respondet Sarpus *cap. 5. folio 50.* vbi sic ait. Canon eos etiam excipit, qui nocturno tempore agros deuastant, licet ex eo mors alicuius non sequeretur: quia de re sicut nemo ambigit; ita incendiarios ex eadem causa Doctores adiungunt. Ita ille.

Sed hæc opinio mihi non placet, quia *in cap. inter alia, de immunit.* & in Bulla Gregoriana omnibus delinquentibus conceditur immunitas, nisi in casibus exceptis, vt obseruant Doctores, quos citat Ioannes Gutierrez *in pract. quest. lib. 3. quest. 1. numer. & questione 4. numer. 12.* Germonius *de sac. immunit. lib. 3. cap. 16. numer. 53.* Azuedus *lib. 1. tit. 2. leg. 3. numer. 18.* & alij penes ipsos: sed Incendiarij in dictis iuribus non excipiuntur; ergo dicendum est quòd gaudeant immunitate.

Neque obstat hoc crimen simile esse depopulationi agrorum; quia cum non sit idem, sed diuersum, exceptio firmat regulam in casibus non exceptis. Et ita hanc sententiam tenet Castrus Palaus *tom. 2. tract. 11. disput. vnic. punct. 10. numer. 9.* Farinacius *de immunit. cap. 60. numer. 105.* & Bonacina *tom. 2. disput. 3. quest. 7. punct. 6. §. 1. numer. 6.* neque aliter tenendum esse puto, maximè post Bullam Gregorij: vnde valdè miror, quomodo contrarium docuerit Peregrinus *de immunit. cap. 12. numer. 6.* Guallinus *tom. 1. defens. 1. cap. 38. numer. 44.* & Ma-

rius Italia *libro 1. capit. 5. §. 3. numero 56. & 57.*

Nec obstat dicere in fauorem Sarpi & aliorum, quòd *in cap. pessimam 25. quest. 8.* dum, postquam incendiarij & depopulatores agrorum æquè detestati fuerunt & interdicti, subsequuntur verba infra scripta. Hanc Regibus & Principibus faciendæ iustitiæ facultatem consultis Episcopis & Archiepiscopis non negamus: quæ quidem verba supponunt incendiarios ad Ecclesiam confugisse: nam frustra daretur Principibus secularibus facultas administrandæ iustitiæ, cum id de se possint.

Respondeo ex supradicto textu non colligi incendiarios ad Ecclesiam confugisse: & de consilio Episcoporum Pontifex facit ibi mentionem, non quia ad Ecclesiam confugerint; sed vt cordatè Reges & Principes procederent in assignandis poenis delinquentibus, cum secundum ius antiquum essent variæ. Ita, *Gloss. ibi.* Adde quòd constitutio Gregoriana derogauit iuri communi, & omniareduxit ad vnicam formam cum particulis taxatiuis, & clausulis prohibentibus.

Vnde ex his ego olim consului comburentes fores Ecclesiæ ad eam prædandam, gaudere eius immunitate: & tunc adduxi Peregrinum *de immunit. cap. 12. numer. 15.* quem postea inuenio sequi Nouarium *in summ. Bullar. titul. de immunit. numer. 9.* quia solum violantes Ecclesiam per homicidium & mutilationem in ea commissam excluduntur ab eius immunitate. Ergo omnes alij illa gaudebunt.

An Decoctores, vulgò dicti Falliti, gaudeant immunitate?

R E S O L. XVII.

Negatiuè respondet Sarpus *cap. 5. fol. 50.* Qui verò (ait) per fraudem decoxit, cumque sit ei soluendo creditores fraudat; vt iniuste ditari possit, immunitatis priuilegio non debet uti: quòd re ipsa id publicorum latronum sit species quædam; & eiusmodi etiam Pij V. constitutione declaratur. Sic ille.

Sed ego etiam contra alios affirmatiuam sententiam docui *in part. 1. tract. 1. resolut. 32.* quam post constitutionem Gregorianam existimo certam: quia Decoctores tales nec ratione debiti, nec ratione delicti sunt immunitate priuandi: non ratione debiti, alias omnes debitores essent exclusi à priuilegio immunitatis: non ratione delicti, quia hi non sunt depopulatores agrorum, & latrones publici, qui solum sunt ab immunitate exclusi: & licet à summo Pontifice Pio V. publicis latronibus

C 2 aquipa

æquiparentur : non sequitur ex hoc quod in priuatione immunitatis debet equiparari, quia poenæ non sunt extendendæ ad delicta similia, ut in specie de hac constitutione loquens firmat Chartarius *decif. crimin. 46. numer. 72.* Farinacius *tom. 1. consil. 76. num. 13.* Ambrosinus *de immunitate, cap. 1. numer. 14.* Loccatellus *de tortura inspect. 5. num. 158.* & alij. Ergo, &c. Et ideo nostram sententiam præter Doctores à me *ubi supra* notatos, tenet Castrus Palaus *tom. 2. tract. 11. disput. vnic. punct. 8. numer. 6.* & Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 8. numer. 24.*

Notandum est tamen hinc obiter, quod debitorum fraudulentum ad Ecclesiam cum bonis confugientes non debent ibi multo tempore tolerari; sed ab Ecclesia sunt eiciendi. Ita sacra Congregatio Episcoporum in vna Barenfi die 12. Martij anno 1600 Et eadem sacra Congregatio die 1. Decembris 1617. decreuit, quod Decoctores res & bona in creditorum præiudicium ad Ecclesias transportare non debent; sed iudici sæculari consignanda sunt, ut illas & illa, cui de iure, adiudicet.

An reus criminis læsæ Majestatis humanae debeat gaudere Ecclesiarum immunitate?

RESOL. XVIII.

Negatiuè respondet Sarpus *cap. 5. fol. 51.* vbi sic asserit. At præter hæc delicta, quæ priuatos respiciunt, perduellionis etiam rei à sacro loco defendi non possunt. Quod Doctores omnes vnanimis non sentire demirror; multi certè iidemque summi Iurisperiti probant, qui optima sanè de causâ decernunt, maximam fore iniquitatem, si quod tot errata leuiora puniri possent, liceret reos ab Ecclesiis extrahere: ob maiora verò, imò si mentis acies intendatur, omnium maxima, dum Reipublica læditur, & regimen optimum peruertitur, non liceret. Sic ait Sarpus.

Verùm hæc quæstio potest tractari dupliciter, vel in terminis iuris communis, vel in terminis constitutionis Gregorianæ: Et in vtroque casu existimo reum læsæ Majestatis humanæ modo quo infra explicandum; gaudere Ecclesiarum immunitate. Et ita de iure communi tenet Ioannes Gutierrez *in pract. quest. lib. 4. quest. 4. num. 3. iuncto num. 9. & 17.* vbi reprobat Bossium & Clarum adductos à Sarpo. Idem tenet Villagut. *de extens. leg. cap. fin. n. 5.* Et post illos Castrus Palaus *tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 10. num. 42.* Et ratio est, quia in cap. inter alia, de immunit. Eccles. conceditur immunitas omnibus delinquentibus, quantumcumque graua crimina perpetraverint,

nisi in aliquibus casibus ibi exceptis: ergo de iure communi crimen læsæ Majestatis debet gaudere immunitate, quia non excipitur in dicto textu.

Sed cessat hæc difficultas post constitutionem Gregorianam: cum in illa excludantur tantum ab immunitate rei læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis: secus autem dicendum est, quando coniuratio, conspiratio, machinatio, conuenticula, seditiones, vel similia non essent facta circa personam Principis; licet talia crimina reducerentur ad læsam Majestatem. Et ideo statuas, vel Principis imagines offendens, qui se Regem facit, cum non sit; qui offendit eum, qui à Principe saluum habet conductum; qui rebellionem committit contra suum Principem, contra statum, seu Prouinciam; qui occidit filios, uxorem & fratres Principis, item suos Proreges, consiliarios, Oratores, & alia similia faciens, dicitur vtiq; crimina læsæ Majestatis committere, sed quia non sunt commissa in personam ipsius Principis, gaudebit vtiq; Ecclesiæ immunitate; & omnes scribentes post Bullam Gregorianam tenent, & præcipuè inter illos Alexander Peregrinus *de immunit. cap. 9. per totum,* & Bonacina *tom. 2. disputat. quest. 7. punct. 6. §. 6. numer. 3.* Et nouissimè Doctus Franciscus Syluius *in resolutionibus variis, ver. immunitas, folio 108.* Nec desinam hinc pro curiosis adnotare, quod apud Lacedæmonios Pausanias maiestatis accusatus tutum ad Asylum Palladis Chalcicæ perfugium expertus est, & impunitus euasit.

Ad rationem verò, quam pro sua sententia adducit Sarpus, nempe si pro minoribus criminibus rei extrahantur ab Ecclesia; quanto magis extrahendi erunt pro perduellionis crimine tam præiudiciali communi bono & Reipublicæ. Respondeo, in materia immunitatis, de qua loquimur, ex identitate vel maiortate rationis nullum casum excipiendum esse præter exceptos in iure.

Notandum est hinc obiter docere Bonacina *tom. 2. disput. 3. quest. 7. punct. 7. numer. 11.* Scientem, & non reuelantem crimen læsæ Majestatis in ipsam personam Principis, gaudere immunitate; cum dictio, *In*, apposita in Bulla Gregoriana importet actionem positiuam, non verò negatiuam, licet contrarium asserat Marius Italia *lib. 1. cap. 5. §. 7. numer. 52.* & Farinacius *de immunitate, cap. 14. numer. 186.* Sed sententia Bonacinae mihi magis placet, quam etiam tuetur Peregrinus *de immunitate, cap. 10. numer. 11.* & Ghilinus *in summa verb. crimen læsæ Majestatis, numer. 1. Littera G.*

An

An Monetarij gaudeant immunitate?

RESOL. XIX.

Negatiuè respondet Sarpus *cap. 5. fol. 52.* Neque verò, ait, sacris protegentur locis, qui Monetarij vulgò dicuntur: tum quia perduellionis est species; tum etiam quia sunt publici fures, qui quoad in eis est, humanam societatem destruant, cunctosque sine discrimine expilant. Hæc ille.

Videtur hinc Sarpus loqui absolute tam de illis, qui cudunt falsam monetam, quam de illis, qui bonam tendunt: sed ego vtriusque immunitate gaudere existimo. Et licet eudens falsam monetam crimen læsæ Majestatis dicatur committere *ex leg. 2. Cod. de fals. monet. ibi. Cuius obnoxij Majestatis crimen committunt. & docet Decianus lib. 7. cap. 23. numer. 1.* cum aliis quos refert Farinacius *quest. 115. numer. 1.* Tamen eudentes monetam falsam adhuc puto non esse priuandos: priuilegio immunitatis, tam de iure communi, quam de iure nouo constitutionis Gregorianæ: quia in nullo Canone antiquo excluduntur ab immunitate, & quia non committunt delictum in personam ipsam Principis, quod solum exclusum est in Bulla Gregoriana; & ita in terminis docet Peregrinus *de immunit. cap. 10. numer. 10.* Ioannes Gutierrez *in pract. quest. lib. 4. quest. 4. numer. 10.* & Villalobos *in sum. tom. 2. tract. 39. diff. 7. numer. 19.* vbi sic asserit. [Del que haze moneda falsa se ha da dezir, que aunque el delito es muy graue, le vale la Yglesia, porque no esta esprossado en derecho contrario, y aunque se cuenta por crimen læsæ Majestatis, es por extension y largo modo, y no propriamente.] Ita ille, & me citato Trullench *in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 11. dub. 3. numer. 28.*

Et idem dicendum esse puto de Tonforibus Monetarij; qui gaudebunt vtiq; hac immunitate; ut in specie docet Peregrinus *cap. 6. numer. 11.* Marius Italia *lib. 1. cap. 5. §. 1. numer. 15.* Nouarius *in summa Bullar. tit. de immunit. numer. 4.* & Bonacina *tom. 2. disputat. 3. quest. 7. punct. 6. §. 1. numer. 4.* & me citato Barbosa *de iur. Ecclesiast. lib. 2. cap. 3. numer. 122.* qui testatur, quod cum in Ecclesia Sancti Antonij extra moenia Ciuitatis Neapolis quidam Monetarij confugissent: tunc Prorex Paulo V. supplicauit, quatenus eius Nuncio mandaret, ut eosdem Monetarios ad Regiam Curiam consignare dignaretur. Et Sanctissimus sub die 19. Iulij 1619. mandauit dari literas Nuncio, ut constito sibi summarie & ex processibus Laicorum, quod isti erant Monetarij, eos consignari mandet.

Vnde ex his patet responsio ad argumenta Sarpi. Dico igitur ad primum iupradictos reos non esse proprie perduellionis reos; sed largo modo: & etiam si essent verè & proprie, asserit Gutierrez etiam gaudere immunitate; cum nullus Canon excludat ab illa reum, læsæ Majestatis humanæ, ut supra probatum est. Quod hi autem dici possent, ut perperam vult Sarpus, publici latrones, negandum est: quia clam & sine violentia furantur, & non in viis publicis: ergo non sunt publici latrones, atque immunitate gaudere debent: & ideo secundum iupradictam nostram sententiam fuisse iudicatum in crimine falsæ monetæ in Regali Cancellaria Pinciana testatur Gutierrez *loco citato.*

An fraudantes Regia Tributa gaudeant Ecclesiarum immunitate?

RESOL. XX.

Negatiuè respondet Sarpus *cap. 5. fol. 52.* vbi sic ait. Neque porro ij qui fraudant fiscum, & Reipublicæ pecunias in suos vfus conuertunt; sicuti lex Imperialis decreuit, Ecclesiarum immunitate muniuntur.

Verùm prorsus affirmatiuæ sententiæ est adharendum. Et ita docet Villalobos *in suum. tom. 2. tract. 39. difficult. 7. numer. 17.* vbi sic ait. [Quanto a lo que deue tributos reales, segun que de derecho ciuil, non le vale la Yglesia; mas hazer de dezir, que le vale atento el derecho Canonico, como tiene Abad, Gregorio Lopez, y Bobadilla.] Quibus ego addo Syluestrum *verb. immunitas 3. num. 8.* Angelum *eod. verb. num. 15.* Tabienam *num. 8.* Armillam *numer. 11.* Fagundez *part. 2. lib. 4. cap. 4. numer. 53.* Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 11. num. 3.* Ambrosinum *de immunit. cap. 13. num. 2.* Farinacium *cap. 2. num. 61.* Germanium *de sacr. immunit. lib. 3. cap. 16. numer. 110.* Castrum Palaum *tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 8. numer. 5.*

Nec valet pro sententia Sarpi lex Imperialis, videlicet *Authent. de mandatis Principum & publicanorum*, quam ipse adducit: nam, ut in simili casu respondet Gutierrez *in pract. quest. lib. 4. quest. 4. numer. 4.* in materia immunitatis: quando ius ciuile discordat à iure Canonico, ius Canonicum seruandum erit etiam in foro Ciuili. Quod etiam docet ex pluribus Sperevellus *decif. 52. numer. 32.* Vnde omnes leges iuris Cæsarei sub Titulo *de sacrosanct. Eccles. & de Episcop. & Cleric.* hodie nullæ sunt ex iurisdictionis defectu: ergo Sarpus in nostro casu non debebat attendere quid diceret lex Imperialis; sed quid statueret ius Canonicum *in cap. inter alia, de immunit. Eccles.* vbi statuitur

omnes delinquentes pro quocunque delicto gaudere Ecclesiarum immunitate; aliquibus delinquentibus exceptis, inter quos non numerantur fraudantes Regia tributa.

Vnde ex supradictis à fortiori dicendum est gaudere immunitate obligatum ad reddendum ratiocinia ratione alicuius administrationis, vel turelæ. Nec obstat textus in cap. vxor 17. quest. 4. vbi quidam seruus nomine Felix obligatus ad ratiocinia confugit ad Ecclesiam, & Gelasius Papa mandat præstito iuramento impunitatis illum extrahere. Nam respondeo, quòd ille textus loquitur in seruo, & non in homine libero, vt aduertit Decianus lib. 6. cap. 28. num. 26. & alij. Et certum est seruos esse dominis reddendos præstito impunitatis iuramento. Et idem dicendum est de officiali Regio debitore ex causa Syndicatus; vt obseruat Farinacius de immunit. cap. 3. num. 66. nam si confugiat ad Ecclesiam, eius immunitate gaudebit.

An exules, seu Banniti confugientes ad Ecclesiam gaudeant eius immunitate, si non commiserunt delicta in iure exceptuata?

RESOL. XXI.

Negatiuè respondet Sarpus cap. 5. fol. 53. sic asserens. Etiam si exilij pœna ob leue delictum iniuncta esset, æquum videri non potest, vt Ecclesia eos tueatur, qui iam exules sunt, & hostes Reipublicæ: cum nulla omnino lex Ciuilib, nulla Canonica sacrorum locorum immunitate defendat quos iudicum sententia damnauit; sed eos tantummodò, quos iustitia insequitur, antequam sententiam ferat. Exul verò iam damnatus est, & dedita opera & malitiosè sibi vetitos fines ingreditur. Immo præter id, cuius causa exilio mulctatus est, grauius etiam delictum consultò, cogitatò, malitiosaque temeritate committit; contumaciæ scilicet; atque voluntariæ, studiosæque perduellionis, quod omnium grauissimum atque atrocissimum facinus est. Huc etiam accedit; quòd in Ecclesia permanens in eadem peccatum committit; dum in sacro loco interdicto sibi stare confidenter audet. Ita ille; qui etiam ex Bartolo postea sentit exulem ne humari quidem posse in Ecclesiis locis sacris à quibus arceatur exilij sententia; vnde si sepultus fuerit, extrahendum etiam censet.

Verum affirmatiua sententia est tenenda. Dico igitur etiam capitaliter Bannitos gaudere Ecclesiarum immunitate; dummodo delictum, pro quo sunt banniti, non sit de exce-

ptuatis. Ita docet Sanchez in opuscul. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 8. numer. 24. Barbosa de iur. Eccles. lib. 2. cap. 3. numer. 130. Ludouicus Correa in relect. de immunitat. part. 3. numer. 40. Cochier de iurisd. part. 4. quest. 65. numer. 2. Peregrius de immunit. cap. 5. num. 11. Iulius Clarus in pract. §. fin. quest. 30. numer. 21. Farinacius quest. 29. numer. 47. Caltrus Palaut tom. 2. tractat. 11. disp. vnic. punct. 7. num. 9. Marius Antoninus Maceratenfis v. riar. resol. lib. 3. resol. 15. numer. 9. Baiardus ad Iulium Clarum, quest. 30. num. 28. Guallinus tom. 1. defens. 1. cap. 38. n. 55. Bonacina tom. 2. disp. 3. quest. 7. punct. 5. num. 15. Et ratio est, quia eò quòd delictum Bannitorum non sit de exceptuatis, non apparet ratio, cur sint excludendi ab immunitate; cum stet regula generalis pro eis, nempe omnes delinquentes confugientes ad Ecclesiam non esse ab Altari euellendos, ex cap. 2. de immunit. Ergo, &c. Adde quòd Bannitus in alieno Territorio extrahi non potest, vt inter alios notat Azeuedus lib. 1. tit. 2. cap. 3. numer. 7. Sed Ecclesia est de territorio Episcopi; Ergo, &c. Et idè ego docui in part. 4. tractat. 1. resol. 9. Bannitum, si steterit in Ecclesia suæ patriæ, non fregisse exilium.

Restat modò respondere ad argumenta, quæ Sarpus adducit pro sua confirmanda sententia. Et quoad primum: nempe Ecclesiam reos defendere, antequam perueniant in manus iudicis, non autem post latam contra eos ab ipso sententiam. Respondeo hoc esse gratis dictum: nam iura non faciunt hanc nouam, & chimericam Sarpi distinctionem; & lex vbi non distinguit, nec nos distinguere debemus, ex leg. Præses, ff. de offic. Præsid. & notat Surdus consil. 51. numer. 7. & lex generaliter loquens generaliter est intelligenda, ex cap. in fraudem, §. vltim. de testam. militar. & docet idem Surdus consil. 27. numer. 28. & alij.

Deinde contra Sarpum assero, quòd quando Bannitus non vult obseruare sententiam, & pœnam contra illum latam à iudice, efficitur eo ipso delinquens & reus; ergo erit ab Ecclesia defendendus. Adde quòd sententia iudicis, & pœna in Bannitos lata non efficit, vt ipsi amplius non sint rei, & quòd non possint ab Ecclesia defendi: & vt gratis hoc dicit Sarpus, ita gratis est ei negandum.

Ad secundum argumentum; quòd talis Bannitus meditatò committit crimen perduellionis, hoc gratis concedendo, Respondeo iam satis probatum esse tale crimen non esse inter exceptuata à iure: & illud idè committentes non amittere priuilegium immunitatis.

Ad tertium argumentum. Quod Bannitus in Ecclesia permanens in eadem committit peccatum. Respondeo solum committentes in

in Ecclesia homicidium & mutilationem membrorum non gaudere eius immunitate: secus autem committentes alia etiam grauiora delicta.

Ad doctrinam verò Bartoli à Sarpo adductam, quam etiam refert Lauorinus in var. Elucubr. tit. 2. cap. 12. numer. 74. Bannitum non esse sepeliendum in Ecclesiis locorum, de quibus arceatur. Respondeo, quòd non rectè argumentatur de priuatione sepulturæ ad priuilegium immunitatis: nam excommunicatus non potest in Ecclesia sepeliri, & tamen gaudet eius immunitate, vt infra probabitur. Item Iudæi & alij infideles non possunt in Ecclesia sepeliri; & tamen, vt infra videbimus, plures Classici Doctores tenent gaudere eius immunitate. Adde quòd illa sententia Bartoli est omninò neganda, & idè à nullo Casuista, vel Theologo video illam approbatam, & ego prorsus falsam esse puto; quia vt obseruat Caltrus Palaut tom. 2. tractat. 11. disputat. vnic. punct. 11. num. 6: & alij, Ecclesia est extra Territorium & iurisdictionem Principis Laici; vel, vt alij asserunt; Licet Ecclesia dicatur esse in territorio Principis sæcularis, non tamen propriè dicitur esse de eius territorio, vt docet Aymon consil. 908. num. 6. lib. 5. Chaffaux in consuetud. Burgund. rubr. 1. §. 5. n. 117. Tuschus verb. Ecclesia, conclus. 5. num. 10. Farinacius de immunitate, cap. 22. num. 356. Sperellus decis. 3. num. 11. & 16. Antonius de Marinis Quotidian. resol. cap. 116. per totum. & alij. Ergo, &c.

Notandum est etiam hæc, vt non solum non possit capi, atque extrahi ab Ecclesia Bannitus; sed nec etiam posse in ea occidi: non obstat e quòd ex forma statuti, aut ex alio capite possit impunè occidi; nam taliter occidentes, licet puniri non possint tamquam homicidæ, debent tamen seuerè puniri, vt violatores Ecclesiæ, & Ecclesiasticæ immunitatis. Ita ex Remigio de Gonnis Alexander Peregrius de immunit. cap. 5. n. 11. Vide etiam Farinacium quest. 103, num. 323. & de immunit. cap. 2. numer. 39. Sed an tali casu occidens Bannitum in Ecclesia incurrat in excommunicationem Gregorij XIV. contra extrahentes ab Ecclesia, vide Doctores affirmatiuam sententiam tenentes vbi infra, in resol. vltima.

An damnati ad Triremes gaudeant immunitate?

RESOL. XXII.

Negatiuè respondet Sarpus cap. 5. fol. 54. vbi sic ait. Damnati verò ad Triremes si fugerint, non possunt pariter Ecclesiarum immunitate defendi, quàmuis prehendantur,

atque redeant ad pœnam; tum ob ea, quæ diximus, cum iam damnati fuerint; Ecclesia verò non damnatos quidem, sed eos tantummodò, qui iudicis sententia nondum damnati sint, tueri possit; tum etiam quia damnati ad transtra pro publicis seruis habentur; & legibus atque Canonibus serui ad Ecclesiam confugientes non possunt domini imperium excutere; sed solum immunitatem aliquam iniuste vitare, & redire ad seruitutem.

Sed cum multis Doctoribus merito affirmatiuam sententiam ego docui in part. 1. tract. 1. resol. 40. & in part. 4. tractat. 1. resol. 47. quibus adde Trullench in Decal. tom. 1. lib. 1. cap. 11. dub. 3. num. 29. Restat igitur solum respondere ad argumenta Sarpi, quæ pro sua confirmanda sententia adducit. Et ad primum, quòd Ecclesia non defendit reos postquam iudicis sententia damnati sunt. Respondeo esse falsum, vt in superiori resolutione probatum est; & ex tali falsa doctrina sequeretur reum lata sententia, & damnatum ad mortem, si cum ad supplicium duceretur, & se eximens è manibus Satellitum ad Ecclesiam confugeret, eius non gaudere immunitate. Sed hoc dicere est contra praxim, & Doctorum sententiam, vt patet apud Cotream in relect. de immunit. part. 2. num. 9. Gurtierrez in questionib. pract. lib. 4. quest. 4. numer. 10. Decianum lib. 6. cap. 28. numer. 19. Tuschum verb. Ecclesia, conclus. 10. num. 22. Farinacium de immunit. cap. 15. n. 197. Caltrum Palaut tom. 2. tractat. 11. disputat. vnic. punct. 7. numer. 12. & alij. Ergo, &c.

Ad secundum argumentum quod asserit dictos reos esse seruos publicos; & serui nequeunt confugiendo ad Ecclesiam à potestate domini se liberare. Respondeo esse disparem rationem inter vtrumque casum; nam seruus qui aufugit à domino, non est reus alicuius criminis, vt suppono; & idè si ad Ecclesiam confugiat, non defenditur ab ea, cum eius possessio, & dominium sit penes dominum; vt patet ex cap. inter alia, §. si verò seruus, de immunit. & ex leg. præsentis, §. fin. Cod. de his qui ad Eccles. confug. Sed hoc non accidit in casu, de quo loquimur, cum damnati ad Triremes sint verè rei, vt patet; nec sententia contra eos lata, & pœna illis inflicta facit, vt ipsi delinquentes non sint; ergo ex dicto cap. inter alia, de immunit. debent Ecclesiæ gaudere immunitate.

Neque dicendum est, quòd tales rei per sententiam serui pœnæ efficiantur; nam vt obseruat Ludouicus Correa in relect. de immunit. part. 2. num. 9. hodie per condemnationem ad aliquod opus publicum etiam in perpetuum reus seruus pœnæ non efficitur, ex Auth. sed hodie, Cod. de donation. Ergo, &c.

Vnde ad confirmandam nostram sententiam

tiam contra Sarpum; adde iam hinc opinionem Mastrilli *de indulto*, cap. 42. numer. 5. ubi docet, quod fugientes à Triremibus, gaudent indulto, quando non fuissent damnati pro aliquo crimine excepto in ipso indulto: ergo quanto magis æquum est, ut gaudeant Ecclesiarum immunitate. Ex his igitur apparet reffellendam esse sententiam quam nouissimè docet Iustus Oldelfob. *in pract. crim. titul. 3. cant. 17. numer. 7.* de carceribus vel aliter detentis, ad Ecclesiam confugientes, esse ab Ecclesia à iudicibus laicis abstrahendos. Et omnino reiiciendus est noster Naldus *in summa ver. Reus*, numer. 13. asserens reum aufugientem à carceribus ad Ecclesiam non gaudere eius immunitate.

An Iudæi & alij infideles si confugiant ad Ecclesiam, gaudeant immunitate?

R E S O L. XXIII.

NEgatiuam sententiam tuetur Sarpus *cap. 5. fol. 58.* ita asserens. Iudæi supersunt, qui ut delictorum pœnam, aut debitorum solutionem effugiant, ad Ecclesias confugere solent; quorum causa lex prima lata fuit ab Ecclesiarum immunitate. Hæc statuit Iudæos, qui simulant se Christi lege velle coniungi, ut ad Ecclesias confugientes euitare possint crimina, arceri debere. Quare Doctores omnes constituunt; si Iudæus ad Ecclesiam confugiens velit in Iudaica perfidia permanere, eundem nulla omnino immunitate uti posse. Nonnulli, pauci tamen, existimarunt, si Iudæus Reus, aut debitor ad Ecclesiam confugeret eo nomine, ut Christianus fieri vellet; non ficta aut simulata, sed vera atque sincera intentione, ex animo, ac certa pietate, eo casu sacro baptismate insigniri, atque protegi debere. At quoniam credi nequit velle aliquem ex animo Christianam fidem suscipere, eumque à delictis & facinoribus initium ducere quæ Christiana Religio omnino prohibet & auersatur; fieri non potest, ut voluntas illa, quæ tunc solummodo sese dat in omnium conspectum, eum iustitia hominem quærit supplicio afficiendum, recta sit & sincera, sed ficta potius & simulata; quodcumque verò de Iudæis dicitur, infideles omnes amplectitur, cuiusvis sectæ fuerint. Huc vsque Sarpus.

Sed falsum dicit: dum asserit omnes Doctores asserere Iudæum persistentem in suo Iudaismo non esse ab Ecclesia protegendum: nam non ignobiles, nec pauci Doctores, cum quibus ego adhæsi *in 4. part. tractat. 1. resolutione 50. & in part. 5. tract. 1. resolut. 2.* ex declaratione Sacræ Congregationis immunitatis

contrarium asserunt; & Couarruias *variar. lib. 2. cap. 20. num. 11.* cum Ludouico Correa *in relect. de immunit. part. 3. num. 3.* obseruat hanc sententiam esse receptam frequentiori Authorum calculo, & eam probat nouissimè Antonius Ricciullus *de iur. per. lib. 2. cap. 12. per totum.* Zambellus *in reper. Mor. ver. Ecclesia quoad eius immunitatem*, numer. 2. & me citato Carolus Maranta *in controuers. iur. part. 2. respons. 51. numer. 3.* Et ratio est manifesta, quia *in cap. inter alia, cap. minor, cap. frater, cap. si quis inuentus, cap. si quis contumax, de immunit.* omnibus indistinctè conceditur hoc priuilegium: quia non propter personas, sed personis propter locum conceditur; sed fideles capaces sunt huius concessionis: ergo siue velint conuerti, siue renuant, hoc priuilegio gaudere debent. Adde quod priuilegium immunitatis est fauorabile; ergo est large interpretandum.

Ad leg. 1. *Cod. de his, qui ad Eccles. confug.* quam pro sua sententia adducit Sarpus. Respondeo legem illam Imperialem esse, & super immunitate Ecclesiastica sæculares Principes nihil statuere possunt, ut docet Alexander *lib. 7. consil. 145. numer. 4.* Decianus *lib. 3. consil. 80. numer. 27.* Sperellus *decis. 59. num. 33.* & alij. Vnde in materia immunitatis ius Canonicum, & non ciuile seruandum est, ut tradit Germonius *de Sac. immunit. lib. 3. cap. 16. n. 21.* Tuschus *verb. Ecclesia, conclus. 10. numer. 19.* & *verb. immunitas, conclus. 59. num. 19.* Peguera *in pract. crimin. cap. 26. num. 6.* & alij. Et ita ad hanc legem Cod. à Sarpo adductam responderet Italia *de immunitat. lib. 1. cap. 3. §. 3. numer. 1.* & Correa *de immunitat. part. 3. numer. 3. in fin.* & ante illos Abbas *in cap. inter alia, de immunit. num. 6.* cum pluribus aliis.

Nec valet dicere in fauorem Sarpi, quod Iudæi careant fide, & ideo sunt indigni, qui hoc priuilegio gaudeant: nam, ut dictum est, respondeo, quod immunitas non delinquentibus, sed Ecclesiæ ob Dei reuerentiam concessa est. Vnde qualicumque proponatur delinquens, non respicitur ad illum, & ita locum habet immunitas dummodò excipiantur excepti. Et ideo pessimis hominibus confugientibus ad Ecclesiam huiusmodi immunitas conceditur; qui quidem etiam non causa fidei, sed tantum propter pœnæ timorem ad Ecclesiam confugiunt: ac proinde licet Iudæi & alij infideles ita se habeant, nequaquam ab Ecclesia sunt extrahendi, cum malitia illorum immunitati Ecclesiasticæ nocere non debeat, iuxta regul. *delictum, de regul. iur. in 6.* Nec desinam hic adnotare apud Gentes nullam in Asylis habitam fuisse rationem Religionis; ita ut ij tantum, qui eos Deos colerent, ad illorum Asyla admitterentur, sed cuiuscumque religionis

religionis rei essent, in quouis Asyllo confugiendo, ad impunitatem admittebantur.

Ad id verò, quod Sarpus asserit Iudæum, vel infidelem ad Ecclesiam confugientem, & Baptismum petentem non esse credendum, id recta & sincera intentione efficere. Respondeo, quod licet quando infidelis petit baptismum post commissum delictum, & fugam in Ecclesia, sit magna præsumptio aduersus eum, quod simulatè petat: tamen non est absolutè, ut malè vult Sarpus, excludendus ab immunitate: sed Ecclesia potest huiusmodi hominem ad se confugientem, & petentem baptismum protegere, donec examinet, an verè, an simulatè petat, & admittere probationem contra præsumptionem, quia ista non est præsumptio iuris & de iure, aduersus quam probatio non admittitur; & ita tenet Suarez *de Religione, tom. 1. lib. 3. cap. 10. num. 12.* Peregrinus *de immunit. cap. 12. num. 1.* Farinacius *cap. 6. num. 84.* & alij. Et ideo quando Ecclesia iudicauerit petitionem Baptismi non esse simulatam, sed veram ex occasione illius delicti, vel ex alio capite à Deo inspiratam, sicut potest illum hominem baptizare, ita etiam poterit declarare, ut immunitate gaudeat. Sed supradicta procedunt in illorum opinione, qui asserunt non esse excludendos ab immunitate infideles, si petant baptismum: verum ego, ut dixi, absolutè puto Iudæum, vel alium infidelem confugientem ad Ecclesiam, etiam si non petat baptismum: non esse immunitate priuandum.

An Hæreticus quoad alia delicta gaudeat Ecclesiarum immunitate?

R E S O L. XXIV.

NEgatiuè respondet Sarpus *cap. 5. fol. 60.* ubi cum intendat probare, ut supra visum est, infideles non gaudere Ecclesiarum immunitate; hoc probat exemplo Hæreticorum, & ideo sic asserit. Quodcumque verò de Iudæis dicitur, infideles omnes amplectitur, cuiusvis sectæ fuerint. Id autem facile probari potest ex constitutione Ioannis XXI. quam superius retulimus, qui constituit Hæreticos Ecclesiarum immunitate defendi minime posse: ex eo namque consequens est multò minus infidelibus hoc licere. Etenim hæretici licet prauas opiniones habeant, Baptismatis tamen caractere insigniti Christum Iesum aliqua saltem ratione venerantur, quem infideles auersantur, atque execrantur.

Sed hoc argumentum Sarpi à maiori ad minus, videlicet infideles esse excludendos ab immunitate Ecclesiarum; quia ab illa excluduntur hæretici, negandum est: nam hære-

tici secluso crimine hæresis, quoad alia delicta gaudent Ecclesiæ immunitate. Et ita ego docui *in part. 1. tractat. 1. resolut. 29.* cum multis Doctoribus, quibus nunc adde Ludouicum Corream *relect. de immunit. part. 3. numer. 3.* Castrum Palaum *tom. 2. tract. 11. disput. vnic. punct. 7. numer. 4.* Trulench *in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 11. dub. 2. num. 2.* Villalobos *in summa tom. 2. tract. 39. difficult. 7. num. 20.* Farinacium *de immunitat. cap. 13. numer. 170.* & Marium Italiam *lib. 1. cap. 5. §. 6. numer. 7.* Et ratio est, primò, quia non habemus fundamentum ad excipiendam personam, ubi crimen non est exceptum. Secundò excipitur in iure crimen hæresis, consequenter hæreticus tantum ratione hæresis: verba enim formaliter accipienda sunt, & cum immunitatis priuilegium sit fauorabile, restringi non debet absque fundamento & ratione. Terriò immunitatem debet exercere Ecclesia erga omne genus personarum, cum instituta sit à Christo Domino, qui inimicos iubet diligere: aliter enim aliud iuberet, aliud autem exereret. Deinde non videtur dicendum quoad hanc immunitatem Christianum esse melioris conditionis, quam infidelem vel hæreticum; cum æqualitas sit seruanda erga omnes, ut ipsi agnoscant ingratitudinem suam. Quartò respectu aliorum delictorum crimen hæresis se habet per accidens: ergo non potest impedire immunitatem, quam reus obrinet, ne ob alia delicta ab Ecclesia extrahatur. Quintò iura priuilegia Hæreticum immunitate, formaliter intelligenda sunt, videlicet ut priuilegium Hæreticum, quatenus hæreticus est, non quatenus homicida, &c. aliàs, qui delinqueret in Ecclesia, priuatus esset immunitate, non solum quoad illud delictum, sed quoad alia quælibet, quod est contra communem. Et tandem sextò hoc priuilegium immunitatis concessum est loco & non personis; Ergo, &c. Et hanc opinionem esse probabilem concedunt ipsimet aduersarij, ut Fagundez *part. 2. lib. 4. cap. 4. numer. 49.* ergo est amplectenda: quia inter duas opiniones illa debet amplecti, quæ fauet Ecclesiæ; ut ego alibi satis probaui, & probat Gratianus *in disceptatione, cap. 88. num. 6. & cap. 131. num. 2.* Pacianus *respons. 7. num. 123.* Hondedus *consil. 3. num. 24. lib. 1.* & post illos Sperellus *decis. 91. num. 29.* Vnde ex his sequitur quid dicendum de Schismaticis, Apostatis, fautoribus Hæreticorum: isti enim sunt excludendi à priuilegio immunitatis, quando ipsorum crimina coniuncta essent cum hæresi; secus autem si eorum delicta cum hæresi aut fauore hæresis coniuncta non sint.

Nec valet dicere in fauorem opinionis Sarpi, id quod asserit Peregrinus *de immunit. cap. 8. numer. 13.* & alij; nempe hæreticum esse indi-

gnum hoc beneficio & priuilegio, cum sit Ecclesiæ hostis & proditor. Nam respondeo hæreticum esse quidem indignum hoc priuilegio; sed Ecclesiæ ex tertio argumento superius adducto ob ostensionem suæ pietatis illum ab hoc priuilegio non vult excludere.

An immunitas Ecclesiarum neganda sit aliquibus reis; etiam si non commiserint delicta in iure exceptuata?

R E S O L. XXV.

EX pluribus resolutionibus supra positis clarè apparet Sarpum affirmatiuam tenere sententiam: & idèd fol. 55. sic tandem asserit. Multa retuli, quæ sigillatim solent frequenter accidere, vt ex iis generatim colligi possit sacrorum se locorum Farinacium eos defendere non posse, qui quæuis alia graua, atque enormia delicta commiserint: etenim aut iisdem, aut maioribus etiam de causis, quas supra recensuimus, quodcunque aliud graue delictum complectuntur. Et ex Farinacio & Nauarro testatur Romæ immunitatem Ecclesiarum vsu receptam non esse, nisi in leuioribus delictis: quod à Pontifice permittitur, ne iustitiâ opprimatur, & publica quies & tranquillitas perturbetur. Et addit, quòd nemo sanæ mentis credere poterit Summos Pontifices id iuris cæteris Principibus non concedere, quod publicæ conuenit tranquillitati, & ab ipsis in eorum ditone necessarium iudicatur. Quare tandem subdit Ecclesiarum immunitatem, cum statuta fuerit ob delicta, quæ nullo consilio, sed imperu quodam fiunt, & ad refugium miserorum, non debere Ecclesias ipsis latronum speluncas efficere, & eorum receptaculum, qui atrociora facinora perpetraverint: idèdque satis superque esse, si iudices inferioris subsellij, qui leuiora delicta iudicant, eam obseruent; sed Maiores iudices in atrocioribus ea non teneri. Huc vsque Sarpus.

Sed contrariam sententiam tenendam esse puto, etiam in terminis iuris communis; vt nos supra in discussis quæstionibus probauimus: & ratio est clara, quia cap. *inter alia* priùs dicit. Quantumcumque graua maleficia perpetraverint; & postea addit in particulari duas illas exceptiones: nisi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum, &c. Ergo non licet contra Sarpum ad alia omnia crimina æquè graua illas extendere; aliàs non esset exceptio, sed destructio regulæ. Cum ergo ius commune in aliquibus locis constituat vniuersalem regulam, & quasdam exceptio-

nes addat; sequitur confirmare regulam quoad omnia crimina non excepta, ex illo Axiomate communi, Quòd exceptio firmat regulam in contrarium quoad casus non exceptos, satis patet *ex leg. nam quod liquidè, §. final. ff. de Procurat. legit. & ex leg. quæsitum, §. denique, ff. de fund. instruct. & ex cap. domus 32. quæst. 7.* & notat Surdus *in consil. 430. numer. 7. lib. 3.* Bartolus *in dicta leg. quæsitum, §. denique, ff. de fund. instruct. Romanus singul. 337. numer. 8.* Gratus *respons. 155. numer. 6. lib. 2.* Giurba *consilio 110. numer. 18.* Gratianus *disceptat. forens. cap. 598. numer. 17. & 18.* & determinauit sacra Rota coram Ludouisio *decis. 259. numer. 4.* & alij. Vnde à regula generali posita *in dicto cap. inter alia* non est discedendum: nam à regula non est discedendum, vbi exceptio minimè posita est; vt patet ex lege *preuaricationis, ibi*: quia neque lege aliqua de hac re actum est, neque Senatusconsulto, *ff. de preuaricat. & docuit Sacra Rota penes Farinacium part. 4. decis. 688. n. 3.* Caputaquen. *part. 2. decis. 367. numer. 2. & 3.* & idèd dicit Bartolus *in leg. in fraudem, §. bonorum, ff. de testament. militari,* quem sequitur Monaldus *consil. 96. numer. 3. vol. 2.* quòd exceptio, quæ à lege non fit, neque ab homine fieri debet. Cum igitur ius commune constituat regulam generalem, quòd delinquentes pro quibuscunque delictis debeant gaudere Ecclesiarum immunitate, & excipiat aliquos casus, in non exceptuatis standum est regulæ: quia qui habet regulam pro se, fundatam habet suam intentionem in casibus non exceptis, *per gloss. notab. in cap. 1. de Regul. iur. in 6. circa finem, & ex gloss. in leg. omnis definitio, ff. de regul. iur.* Et ita hanc nostram sententiam in terminis iuris communis tradit Gutierrez *in pract. quæst. lib. 3. quæst. 4. numer. 12. & 13.* Chartarius *decis. criminal. 9. numer. 14. & 15.* Castrus Palaus *tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 10. numer. 4.* Farinacius *de immunit. cap. 22. numer. 353.* & alij penes ipsos.

Nec valet dicere in fauorem Sarpi Decianum *lib. 2. cap. 28. numer. 20.* & alios docere, quòd ex identitate rationis constitutio penalilis potest extendi ad alios casus similes. Nam respondeo, quòd hoc non procedit, vbi agitur de præiudicio causæ fauorabilis, prout est immunitas Ecclesiarum; & ita docet ex Alexandro & Romano Farinacius *de immunitat. cap. ultim. numer. 355.* & post illum Castrus Palaus *loco citato,* & alij.

Sed hæc quæstio non habet difficultatem post constitutionem Gregorianam, vt patet primò ex illis verbis. Ira ad vnã tantùm formam reducimus, &c. quia dicta dictio taxatiua, *tantum,* de sui natura impedit extensionem ad non expressa, *ex leg. properandum, §. 1. Cod. de iudic. & ex leg. si cum exceptio, §. quòd si homo, ff. quod.*

quod met. caus. Et quando adiecta est orationi affirmatiuæ, vt in dicta constitutione, affirmat illud quod ponit; & excludit ac negat omne aliud, quod est extra modum & formam eius quod ponitur, *ex leg. Iulianus, & leg. non tantum, ff. de petit. heredit. & ex leg. qui aliena, §. libertos, ff. de negot. gest. vt obseruat Viuius decisio 380. numer. 11. lib. 2.* Francus *decis. 123. numer. 4.* Surdus *decis. 197. numer. 10.* Seraphinus *decis. 257. numer. 2.* & alij. Deinde aliquorum casuum exceptio in dicta constitutione efficitur per modum formæ, vt constat ex illis verbis. Ad vnã tantùm formam reducimus: sed certum est, quòd formæ nihil addi, vel minui potest, sed esse ad vnguem obseruandam, *ex leg. 1. §. opus nouum, ff. de nou. oper. nunciat. Baldus in leg. quoties, Cod. de suis, & legitim. cum aliis Doctoribus communiter.* Ergo, &c.

Secundò probatur: quia in dicta Bulla apponitur, sublata eis & eorum cuiilibet, &c. quæ quidem omnem prorsus extraneam interpretationem & extensionem refecat atque repellit, vt notat Decius *consil. 61. numer. 2. lib. 1.* Aymon *consil. 201. numer. 43.* Puteus *decis. 50. numer. 5. lib. 1.* Farinacius *consil. 76. numer. 14.* Peregrinus *de immunit. cap. 16. numer. 44.* Et idèd ex supradictis rationibus, & multis aliis post constitutionem Gregorianam omnia crimina præter exceptuata in dicta Bulla, gaudere immunitate Ecclesiarum, docent communiter Doctores, Maranta *in controuers. iur. part. 2. respons. 36. numer. 29.* Giurba *consil. 110. numer. 15. & consil. 6. numer. 17.* Ambrosinus *de immunitat. cap. 1. numer. 5. & 6.* Farinacius *cap. 22. numer. 355.* Nouarius *in summa Bullarum titul. de immunit. numer. 55.* Castrus Palaus *tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 10. numer. 6.* Chartarius *decis. crim. 46. numer. 3. & sequent.* Sperellus *in decisionib. fori Ecclesiast. decis. 22. numer. 8.* Peregrinus *de immunit. cap. 6. numer. 23. & sequentib.* Cæsar Loccatellius *in Breuiar. de Tortura inspect. 5. numer. 159.* Antonius de Marinis *in quæst. resolut. cap. 170. numer. 10.* Ciarlinus *in controuers. forensib. cap. 4. numer. 23.* Bonacina *tom. 2. disput. 3. quæst. 7. punct. 5. numer. 1.* & alij penes ipsos. Ex qua communi doctrina patet corruere ea, quæ contra me nominatim docet Marius Cutellius *in suo Cod. Legum Sicularum, ad leges Martini Regis, cap. 17. numer. 5.*

Restat igitur satis probatum contra Sarpum reos pro quibuscunque delictis etiam enormibus, & atrocissimis gaudere Ecclesiarum immunitate; si non sint inter crimina à iure exceptuata, quæ quidem etiam non sunt villo modo ad casus similes extendenda.

Nec obstat id, quod asserit Sarpus ex Farinacio & Nauarro. Romæ solum in delictis leuioribus reos gaudere Ecclesiarum immu-

nitatem: nam hoc est falsum, spurcùmque mendacium. Et idèd adducam hic ipsam Farinacium se retractantem, & contra Nauarrum insurgentem *in Appendice, de immunit. c. 2. n. 17.* vbi sic ait. Et in vrbe, quòd Ecclesiastica immunitas non habeat locum aduersus iudices sæculares Papæ, testatus fuit Nauarrus *in Manuali, c. 25. numer. 16.* Quod & idem testatus fui *quæst. 26. numer. 24.* quam testificationem typis mandauit, fidem Nauarri sequutus, & longè antequam Officialis in Vrbe existissem: sed postquam locum tenentis Criminalis Sanctissimi D. N. & successiuè Procuratoris fiscalis generalis officii functus fui, hanc corruptelam in Alma Vrbe non vigere reipsa comperi: quia reos ad Ecclesiam propter graua delicta confugiunt officiales numquam extrahunt nisi de licentia Summi Pontificis: & ita ego sapius expertus sum, & practicaui. Nec mirum est si Nauarrus in hoc allucinatus est, quia huiusmodi licentiæ per Summum Pontificem ore tenus officialibus conceduntur. Ita Farinacius. Et idèd cessat argumentum à simili, quod faciebat Sarpus, nempe quòd sicut ratione boni regiminis Pontifex in vrbe non obseruat iura circa immunitatem Ecclesiarum; sic etiam id concedere Principibus Laicis dicendum erit.

Sed dato & non concesso, quòd Pontifex in vrbe dictam immunitatem nisi pro leuioribus delictis obseruaret, non exinde inferri potest licere hoc etiam aliis Principes efficere: nam speciali ratione id Papæ licitum esset propter Principis, qui legem tulit, præsentiam, qui propterea secundum contingentiam, & diuersitatem casuum potest ore tenus prouidere, concedere & non concedere immunitatem: quæ quidem ratio fundatur *in leg. presenti, C. de his, qui ad Eccles. confug.* dum Imperator facta generali prohibitione, quòd nullus de Ecclesia extrahi, aut expelli possit, declarat hanc prohibitionem vbique seruandam, præterquam in Ciuitate Constantinopolitana, in qua ipse Imperator regebat; sed lex ista nulla fuit ex defectu potestatis. Igitur dicendum est omninò contra Sarpum in Vrbe Romana punctualiter obseruari constitutionem Gregorij XIV. circa immunitatem Ecclesiarum. Et tandem ad id, quod idem Sarpus hoc loco asserit, & alibi exaggerat; si enormia delicta gauderent immunitate, Ecclesias ipsas latronum speluncas efficiendas esse, & eorum receptaculum, qui atrociora facinora perpetraverint. Respondet Gutierrez *in pract. quæstionib. lib. 3. quæst. 3. numer. 9.* & adducit auctoritatem Diui Chryostomi defendentis Eutropium fauissimum Tyrannum & deprædatorem, ac Christianorum persecutorem, qui ob manifestas eius rapinas ab Honorio & Arcadio Imperatoribus

ratoribus ad supplicium vltimum damnatus confugerat ad Ecclesiam : & idèd ne ab ipsa Ecclesia extraheretur, sic asserit. *Et maximè propter hoc tuendus est Eutropius, quòd scelestorum princeps fuit : in his enim oportet glorificari Deum, qui permisit in id necessitatis eum adduci ut per ipsum & virtus, quæ inest Ecclesie, nosceretur. Ista enim vera sunt ornamenta altaris Ecclesie ; ista sunt vera Christiana pietatis insignia.* Et paulò post. *Quid enim agendum est Christianis ; auellendusne quisquam ab Ecclesia, ad quam paulò post omnibus accedendum est, offerendaque Dominica oratio, qua hoc potissimum orabimus : Et dimitte nobis debita nostra ; sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Non ergo patiendum est, ut is, qui in Ecclesiam sperauit, frustra sperauerit.* Huc vsque os aureum Chrysostomi. Qui quidem acriori stylo nunc in Sarpum insurgeret decentem, ut visum est, Ecclesiam leuiora tantum delicta protegere debere. Et tamen etiam apud Gentes, ut docet Tacitus *lib. 3. Annalium*, Capitalium criminum rei in Asylò tui erant ; & ad statum Beli rei quorumcumque criminum impunitatem inueniebant, ut obseruat D. Antoninus *lib. 1. histor. tit. 1. cap. 3. §. 7.* & alij.

Notandum est hïc obiter contra Abbatem & alios, Clericos gaudere immunitate Ecclesiarum, ut Laicos. Ita ego ipse in *3. part. tractat. 1. resolut. 35.* & latius infra. Vnde ex his oritur pulcha quæstio. An Sacerdos, verbi gratia, indutus cotta & stola extra Ecclesiam præcedente Cruce ad efferendum defunctum, possit capi à Satellitibus de licentia Episcopi. Et negatiuam sententiam docet Cæsar Loccatellius in *Breuiario de Tortura, insp. 5. numer. 164.* Et ita fuisse decisum coram Eminentissimo Vicario Vrbs anno 1614. testatur in personam Parochi Sanctæ Dorotheæ trans Tyberim. Et ratio est, quia eadem reuerentia, quæ debetur Ecclesie, quæ Domus Dei est, debetur multo magis Sacerdoti, dum in habitu Sacerdotali diuina ministrando, & Ecclesiastica officia exequendo Christum Dominum repræsentat, illiusque vices gerit. Et hæc opinio Loccatellij à fortiori procederet, si Sacerdos indutus cotta & stola deferret Sacramentum extremæ Vnctionis, vel Eucharistiam ad infirmum. Et idèd in his casibus Sacerdos interrogatus ab Episcopo de aliquo delicto,

ex quo captus fuerat, non teneretur respondere, sed posset obicere nullitatem capturæ.

Enumerantur aliqua delicta, quæ contra opinionem Sarpi gaudere debent Ecclesiarum immunitate.

R E S O L. XXVI.

PRæter crimina, quæ contra Sarpum supra satis firmauimus gaudere Ecclesiarum immunitate non ingraturum Lectoribus forte existimari hïc alia multa adducere. Et idèd,

Quæro primò. An filius occidens Patrem, gaudeat immunitate. Negatiuè respondet Parisius *lib. 1. consil. 96.* & alij, quorum tamen resolutio secundum aliquos non procedit in quouis parricidio, sed in insidioso & incauto; alioquin si simul pater & filius digladiarentur, & vnus alterum in rixa occideret; non ex qualitate sola parricidij filius immunitatem amitteret, nullibi enim id iure cautum reperitur. Ita Barbofa *de iur. Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 95.* Sed si secundum Barbosam sola qualitas parricidij non priuat reum immunitate Ecclesiarum; neque ego puto illa priuari, si occiderit patrem insidiosè, & incautè: nam, vt supra probatum est satis, homicidium insidiosum gaudet vtique immunitate: secus autem, si inter patrem & filium nulla intercessisset inimicitia: nam tunc esset homicidium proditorium, & non gauderet priuilegio immunitatis.

Quæro secundò. An suspensus, vel interdictus ab ingressu Ecclesie gaudeat eius immunitate. Negat Felinus in *cap. 2. de exceptionib. numer. 6.* & adducit textum in *cap. quia frustra, de usur.* nam interdictus ingrediens Ecclesiam aduersus eius prohibitionem delinquit, cuius aditus est illi interdictus: ergo frustra eius auxilium implorat. Secundò, suspensus & interdictus, si in his censuris moriantur, denegatur sepultura Ecclesiastica: ergo similiter dum viuunt, debet eisdem denegari aditus ad Ecclesiam. Sed contraria sententia est vera, quam tuetur Suarez *de Religione, tom. 1. lib. 3. cap. 10. num. 4.* Ambrosinus *de immunitat. cap. 8. num. 12.* Farinacius *cap. 2. num. 44.* & alij. Quia censura interdicti non inducit priuationem huius priuilegij, nec priuat ab ingressu materialis Ecclesie, sed formalis: videlicet ab ingressu in ordine ad audienda diuina officia. Nec pro Felino facit textus, quem adducit, quia suspensus ab ingressu Ecclesie non delinquit contra Ecclesiam, quæ est notabilis decisio illius textus. Et ad secundum argumentum respondeo, in his quæ sunt iuris meri positiui non attendi, nisi ad prohibitionem; iua vt si prohibeantur, non fiant; si non prohibeantur, conficiantur: atqui idèd suspensi & interdicti

interdicti non sepeliuntur in Ecclesia, quia hoc ipsis prohibetur, & cum non prohibeatur immunitate gaudere, rectè fit vt illa fruatur: ergo non possumus bene argumentari de vno casu ad alium.

Quæro tertio. An excommunicatus declaratus gaudeat immunitate. Negat Felinus *ubi supra*; quia sunt Ecclesie rebelles, & exclusi ab Ecclesia, & fidelium participatione: ergo erunt exclusi ab hoc priuilegio: & ita tenet Franciscus Morinus, eum citat Chartarius *decis. crimin. 95. num. 17.* Sed ibi meritò contrariam docet ipse sententiam. Primò, quia excommunicati nullo iure excluduntur ab hac immunitate: ergo eis competit. Secundò, quia non assignabitur maior ratio, quare Clerici excommunicati non perdant priuilegium Canonis, vel fori, quam laici excommunicati perdant hanc immunitatem. Tertio, quia Ecclesia interdicta non perdit hoc priuilegium, neque homo excommunicatus illud amittet. Quarto, quia excommunicatus nullo iure excluditur ab hac immunitate. Ergo, &c. Et ita tenet Couarruias *lib. 1. var. cap. 20. num. 11.* Syluester *verb. immunitas 3. num. 2.* Nauarrus in *Manuali cap. 25. num. 19.* Peregrinus *de immunit. cap. 12. num. 2.* & alij penes Chartarium *ubi supra*, & penes me ipsum in *part. 1. tract. 1. resolut. 34.* Ad argumentum vero in contrarium adductum fateor excommunicatum esse Ecclesie rebellem; sed Ecclesia maiorem ostendit pietatem, dum illum tuetur. Et in hac materia immunitatis non respicitur delictum, sed loci sanctitas.

Quæro quarto. An Sodomita gaudeat immunitate. Respondent negatiuè Doctores, quos ego citavi in *5. part. tract. 1. resolut. 2.* Sed ibi meritò affirmatiuam sententiam tenui. Nec te terreat decisio 155. Francisci del Castillo *part. 2.* in qua habetur in Curia nostra Archiepiscopali Panormitana fuisse declaratum quemdam, qui Sodomiam perpetravit in dormitorio cuiusdam sui Monasterij, non gaudere eius immunitate: quia illa decisio fuit fundata in litteris arbitrariis concessis à Pontifice illo Archiepiscopo: sed stando in terminis iuris dictam decisionem Castilli meritò nouissimè reprobatur Carolus Maranta in *controuers. iur. part. 2. respons. 36. num. 22. & seq.* vbi ex validissimis rationibus probat crimen pessimum, atque nefandum immunitate Ecclesie gaudere. Et ita ego olim consului quendam, qui actum Sodomiticum in Ecclesia commiserat, non fuisse eius immunitate priuandum: solum enim ab illa excluduntur occidentes, vel mutilantes membra: Ergo, &c. Vnde refellendus venit Barbofa *de iur. Ecclesiast. lib. 3. cap. 9. num. 127.* Correa in *relect. de immunit. part. 3. num. 4.* & Phœ-

bus *tom. 1. decis. 85. num. 7.* & alij multi penes ipsos.

Quæro quinto. An frangentes carceres, & ad Ecclesiam confugientes, gaudeant eius immunitate. Negat Petrus de Gregorio in *synagmate iuris, lib. 3. cap. 22. num. 21. verb. Effractores carcerum*; sed immeritò: & idèd affirmatiuam sententiam tenet Correa in *relect. de immunit. part. 2. num. 13.* & me citato Nouarius in *Bullar. summa titul. de immunitat. cap. 10. num. 11.* Tuschus *verb. Ecclesia, conclus. 10. num. 30.* & alij. Sed difficultas est, si fide data custodi carceris redeundi, reus confugiat ad Ecclesiam. Et quidem si carceratio erat iusta; multi tenent reum non gaudere. Ecclesie immunitate. In Decianus *lib. 6. c. 28. num. 21.* Azorius *part. 2. lib. 9. cap. 9. verb. quid dicendum.* & alij, quos affert Farinacius *de immunit. cap. 15. num. 199.* Sed ipse *ibi num. 200.* contrarium docet: quod etiam nouissimè docet Suarez *de religione, tom. 1. lib. 3. cap. 11. num. 20.* Fagundez *part. 2. lib. 4. cap. 4. num. 58.* Et ratio est, quia fides data non tollit priuilegium immunitatis: & ex altera parte reus non commiserat crimen exceptiuum: ergo, &c. Neque approbo in tali casu doctrinam, quam docet Fagundez & Suarez *locus citatus*: nempe posse in tali casu Episcopum dare facultatem iudiciali extrahendi reum ab Ecclesia habita prius cautione de impunitate corporalis pœnæ; quia hæc traditio destrueret priuilegium concessum reo confugiendi ad Ecclesiam. Ita Castrus Palauus *tom. 2. tr. 1. 1. disp. vnic. punct. 7. num. 13.*

Quæro sexto. An sacrilegus & periurus gaudeat immunitate. Mihi placet affirmatiua sententia, quam tuetur Peregrinus *de immunit. cap. 12. num. 15.* Bonacina *tom. 2. disp. 3. quæst. 7. punct. 5. num. 11.* & alij: licet de sacrilego neget Boërius *decis. 109. num. 3.* Godofredus à Bano in *praxi crimin. lib. 2. §. Sacrilegium, n. 23.* Gutierrez in *quæst. pract. lib. 3. quæst. 1. num. 33.* & de periuro Igneus in *leg. 1. n. 20. ff. ad Syllan.* quia ait ille, periurus æquiparatur homicidæ voluntario in *cap. fin. 2. quæst. 1.* Sed in iure ego non video exclusum ab immunitate homicidium voluntarium; sed proditorium: ergo, &c. Et in illo textu æquiparatur periurium homicidio, quoad numerum annorum, quibus pœnitentiam agere debet periurus; sed non quoad immunitatem. Frigidè igitur igneus pro sua sententia Canonem illum adduxit. Vide etiam Chartarium *decis. crimin. 7. n. 60.* vbi probat hodie omnes sacrilegos gaudere immunitate præter occidentes & mutilantes in Ecclesiis, & ex his etiam ego infero contra plures notoriè percutiètes, imò & occidentes Clericos vel Religiosos, licet committant sacrilegium, non esse tamen ab immunitate

munitate Ecclesiarum excludendos. Ita Suarez de relig. tom. 1. tract. 2. lib. 3. cap. 10. num. 3. Altherius de censur. tom. 1. lib. 2. cap. 6. & alij: quos plena manu citat Sperellus decis. 22. numer. 10. & ante illum ego ipse in part. 1. tract. 1. resolut. 39. & in part. 4. tract. 1. resolut. 68.

Quæro septimò. An adulter gaudeat immunitate. Videtur negatiuè respondendum: nam in Authentica de mandatis Principum, §. Deinde competens est, verb. homicidia autem. & §. Sed neque, verb. neque autem, excipitur adulterium, vt non gaudeat Ecclesiæ immunitate: quod etiam fatetur Ancharanus in cap. inter alia, de immunit. Eccles. Sed contraria sententia prorsus tenenda erit, quam tuentur Doctores communiter; quia non est crimen exceptuatum in iure Canonico: & in materia immunitatis standum est iuri Canonico, & non ciuili: quia immunitas ad honorem & reuerentiam rebus sacris exhibendam pertinet, vt patet ex leg. presentis, C. de his, qui ad Eccles. confug. ibi, vt honor Ecclesiarum conseruetur. Sed rerum sacrarum honor & cura ad superiores Ecclesiasticos pertinet, & non ad sæculares: Ergo, &c. Maior iam liquet: minor verò probatur ex textu in cap. decernimus, de iudicijs, & ex gloss. vltim. quod totum probat assumptum, in cap. sicut antiquitus 17. quest. 4. & ita docent Doctores, quos plena manu congerit Chartarius decis. criminal. 46. num. 84. Guazzinus tom. 1. defens. 1. cap. 29. num. 9. Sperellus decis. 59. num. 32. Ludouicus Correa in relect. de immunit. part. 4. num. 1. afferentes in materia immunitatis Ecclesiarum attendenda esse leges Canonicas, & non ciuiles; sed lex ciuilis & non Canonica excludit adulterum ab immunitate Ecclesiæ: Ergo, &c.

Quæro octauò. An blasphemia non hæreticalis priuilegio Ecclesiarum immunitatis potiat. Negatiuè respondent aliqui; quia non par est, vt qui deliquit in caput Ecclesiæ Christum Iesum ab Ecclesia defendatur. Et ita docet Oldrad. cons. 154. Boërius decis. 110. Biardus ad Clarum, quest. 30. num. 15. Decianus lib. 6. cap. 26. num. 6. Villalobos in summ. tom. 2. tract. 39. diff. 7. num. 20. & Marta de iuris. part. 2. cap. 5. num. 30. Ludouicus Correa in relect. de immunit. part. 3. num. 35. Verum non est discedendum ab affirmatiua sententia, quam tuetur Nauarrus cap. 25. num. 20. Nouarius in summ. Bullar. tit. de immunit. n. 4. Farinacius de immunit. cap. 13. num. 174. Bonacina tom. 2. disp. 3. quest. 7. punct. 5. num. 13. Ambrosinus de immunit. cap. 8. num. 11. Peregrinus cap. 12. num. 12. & alij. Et ratio est, quia iura non excludunt blasphemos ab immunitate, ergo standum est regulæ generali, quod

gaudeant. Nec valet argumentum pro contraria sententia adductum: nam respondeo non conuincere; alioquin dicendum esset immunitatem Ecclesiæ nunquam prodesse, cum omnia peccata sint contra Deum.

Quæro nonò. An Simoniacus pro delicto Simoniaci confugiens ad Ecclesiam sit tutus. Negat Decianus lib. 6. cap. 26. num. 5. quia Simoniaci æquiparantur hæreticis; vt patet in cap. Petrus, & cap. cum omnis 1. quest. 1. Sed affirmatiuè respondendum est; quia Simoniaci propriè & formaliter non sunt hæretici, sed sacrilegi: nisi forè credant licitum esse spiritualia emere & vendere, nec excipiuntur à regula generali; ergo non debent priuari hac immunitate. Et ita tenet Farinacius de immunit. cap. 13. num. 177. Peregrinus cap. 12. numer. 17. Barbosa de iur. Eccles. lib. 2. cap. 3. numer. 126.

Quæro decimò. An apostata à religione gaudeat eius immunitate. Negatiuè respondet Peregrinus de immunit. cap. 12. n. 16. quia, vt ipse probat, eod. cap. num. 2. Clerici & personæ Ecclesiasticæ non gaudent Ecclesiarum immunitate; quod etiam tuetur Castrus Palaus tom. 2. tract. 11. disput. vnic. punct. 7. numer. 17. Sed hoc principium est falsum; & ita sacra Congregatio Episcoporum in vna Tropiensi die 29. Ianuarij 1617. declarauit, quod Clerici gaudere debent immunitate, qui post delicta patrata ad Ecclesias confugiunt extra casus in Bulla Gregorij XI V. comprehensos; cum in hoc opinio Abbatis sit reprobata. Ita sacra Congregatio; & die 17. Augusti 1618. decreuit non posse Clericos ab Ecclesia extrahi, præterquam in casibus degradatione dignis; si secus fiat, restituantur. Et ita ex pluribus alijs tenet hanc sententiam Barbosa vbi infra. Vnde ad quæsitum respondeo contra Peregrinum; quod apostata à religione non gaudebit immunitate in Ecclesijs eiusdem religionis, à qua apostatauit, secus verò in alijs. Ita me citato Barbosa de iur. Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 45. & etiam me citato Trullench. in Decal. tom. 1. lib. 1. cap. 11. dub. 2. num. 2. & 3. Rebuffus tom. 2. de immunit. Eccles. art. 1. gloss. 1. num. 24. Decianus tom. 2. lib. 6. cap. 26. num. 13. & 14. Farinacius de immunit. cap. 13. num. 169. & Italia lib. 1. cap. 3. §. 1. n. 17. Et pro hac opinione faciunt ea, quæ ego scripsi in part. 1. tract. 1. resolut. 24. & 25.

Quæro vndecimò. An falsus testis, qui causa fuit, vt aliquis ad mortem damnatus fuerit, gaudeat immunitate. Pro negatiua sententia in part. 1. tractat. 1. resolut. 17. adduxi Italiam. Sed in tali casu consulendum esse Summum Pontificem adnotauit docuisse Farinacium: nunc verò absolutè assero supradictum reum gaudere Ecclesiarum immunitate: quia talis non

non potest dici homicida proditorius, quia moraliter tantum dicitur occidisse, & non physicè: at ab immunitate excluditur qui propriè, & non qui impropiè occidit, & ad priuationem immunitatis non sufficit æquiparatio, sed identitas: Ergo, &c. Et ita hanc sententiam tenet Castrus Palaus tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 10. n. 8. & cum Bonacina ego supra etiam docui. Vnde non est audiendus nouissimè Zambellus in reper. Mor. ver. Ecclesia quoad eius immunitatem, numer. 10. contrarium docens.

Quæro duodecimò. An qui occidit, vel vulnerat aliquem actu, & re ipsa confitentem Sacerdoti, gaudeat Ecclesiarum immunitate. Negatiuè respondet Barbosa de iur. Eccles. lib. 1. cap. 3. numer. 98. & post illum Trullench. in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 11. dub. 3. num. 21. nam qui in Sacramenti Confessionis vilipendium tantum admittunt facinus, Ecclesiam & Deum Sacramentorum Auctorem contemnant & lædunt, & veluti impudici hæretici existimantur qui digni non sunt, vt ab Ecclesia recipiantur, ex cap. final. de immunitat. Eccles. Quod si insidiosa & proditoria homicidia, & qui in Ecclesia occidunt, vel extra Ecclesiam spe ad eam confugiendi, immunitate priuantur: maiori hercle ratione, qui in dedecus tanti Sacramenti interimunt, & de fumentibus reliqua Sacramenta id ipsum censeo. Huc vsque Barbosa.

Sed si supradicti talia homicidia perpetrarent, quia malè sentiunt de Sacramentis: hi non gaudent immunitate, quia sunt hæretici; non autem vt homicidæ. Si autem non animo hæretico aliquem occideret, qui confessionem faceret, hic non gauderet immunitate; quia occideret in Ecclesia; secus si vulneraret; vel si etiam vulneraret aliquem, qui Sacramentum Ordinis vel christiana reciperet; quia vulnerantes in Ecclesia gaudent eius immunitate: vel etiam si occideret, vel vulneraret infirmum oleo sancto se vngentem: nam in his casibus contra Barbosam alioquin virum doctum & amicissimum puto supradictos reos gaudere Ecclesiarum immunitate, vel saltem in tali casu consulendum esse Summum Pontificem: quia hæc crimina, licet sint grauissima, non tamen inueniuntur inter delicta exceptuata; ergo debent immunitate gaudere: nam clarum est reos non gaudere immunitate, nisi in casibus exceptis; vt patet ex cap. inter alia, & cap. penult. & final. de immunit. Eccles. & ex cap. constituimus, & cap. sicut antiquitus 17. q. 4. & ex cap. raptoribus 36. quest. 1. & ex Bulla Gregoriana; vt nos satis supra probauimus: & docet nouissimè Chartarius, decis. crimin. 46. numer. 19. Ad id verò quod Barbosa asserit homicidium proditorium, & fa-

ctum sub spe Ecclesiæ, non gaudere immunitate, iam supra satis superque à nobis refutatum est.

Quæro decimotertiò. An qui occidit aliquem in duello, gaudeat immunitate. Negatiuè respondet Barbosa de iur. Eccles. lib. 2. c. 3. num. 101. quia ex Concilio Tridentino sess. 25. cap. 19. duellantes sunt excommunicati & priuantur sepultura. Sed hanc sententiam satis alibi refutauit in part. 4. tractat. 1. resolut. 46. & nunc etiam improbo; quia duellum non est inter casus exceptuatos à iure, qui non gaudent immunitate. Et si ratio, quam adducit Barbosa, esset admittenda, sequeretur excommunicatos non gaudere Ecclesiarum immunitate, quia priuati sunt Ecclesiastica sepultura: sed hoc non est verum; vt supra probatum est, & latè probat Ambrosinus de immunit. cap. 8. numer. 12. & alij penes ipsum. Ergo, &c.

Quæro decimoquartò. An reus, qui priuatus est ob aliquod delictum Ecclesiæ immunitate, possit ab illa extrahi propter alia etiam delicta, quæ gaudent immunitate. Et affirmatiuè respondet Ambrosinus de immunit. cap. 5. numer. 10. & Peregrinus cap. 6. numer. 20. vbi sic ait. Ille qui semel deliquit in Ecclesia occidendo, vel mutilando membrum, si ante vel post aliud commiserit delictum extra Ecclesiam, non est tutus in Ecclesia: sed in ea potest capi etiam pro delictis commissis, extra Ecclesiam. Et ratio est, quia ob iniuriam semel illatam dignus est generali priuatione illius immunitatis. Ita ille.

At ego contrariam sententiam teneo cum Castro Palao tom. 2. tractat. 11. disputat. vnic. punct. 10. numer. 12. Bonacina tom. 2. disputat. 3. quest. 7. punct. 6. numer. 13. & alijs. Quia concedo Peregrino tales reos dignos esse, vt immunitate priuentur; sed non apparet ex iure antiquo, vel ex nouo Gregorianæ constitutionis esse de facto talem poenam in illos statutam: ergo dicendum est pro illis stare regulam generalem, vt debeant immunitate gaudere: quia iura antiqua & maximè constitutio Gregoriana omnino veruit extrahi ab Ecclesia delinquentes, nisi pro delictis exceptuatis; sublata facultate aliter interpretandi: vnde miror quidem Ambrosinum & Peregrinum aliter sensisse.

An reus sit necessariò restituendus Ecclesiæ, à qua fuit violenter extractus?

R E S O L. XXVII.

PRima opinio negat. Ita Castrus Palaus tom. 2. tractat. 11. disputat. vnic. punct. 11. numer. 13. vbi sic ait. Non est opus restituere

D 2 reum

reum eidem Ecclesie materiali; sed sufficit si illi, vel alteri, modò æquè tura sit, & in illa æquè commodè securus habitare possit reus, quia hoc priuilegium vnicum est omnibus Ecclesiis; & iniuria vni facta, omnibus fit: ac proinde satisfactione vni præstita omnibus præstat. Ex alia parte reo, vt suppono, nullum inde aduenit detrimentum: ergo sufficienter hac restitutione satisfiit. Ita Palaus. Qui etiam addit satisfacere iudicem laicum, si reum Episcopo, vel eius vicario restituat, quia perinde est, ac si Ecclesie facta fuisset restitutio: quia Episcopus Ecclesiam repræsentat, vt patet ex cap. *scire debes* 7. *quest.* 1. & hanc sententiam docet etiam Bonacina *tom. 2. disput.* 3. *quest.* 7. *punct.* 3. *num.* 14.

Secunda opinio affirmat, & docet quòd extractus ab Ecclesia contra formam Bullæ Gregorij XI V. eidem Ecclesie est restituendus: nec sufficit restitutio alteri Ecclesie, vel Episcopo facta. Ita Barbosa *de iur. Eccles.* lib. 2. *cap.* 3. *numer.* 54. vbi notat ita declarasse Sacram Congregationem immunitatis, anno Domini 1632.

Tertia opinio distinguit. Aut reus petit se restitui ad Ecclesiam, ex qua fuit extractus; vel non: si non petit, procedit prima opinio, vt possit restitui alteri Ecclesie; vel Episcopo, aut eius Vicario. Si autem petit, est restituendus propriæ Ecclesie, ex qua fuit extractus. Ita Farinacius *tom. 2. consil.* 168. *numer.* 49. *in fine.* Vnde malè adductus fuit pro sua sententia à Barbosa; nam, vt visum est, illam tenet distinguendo. Et malè etiam adductus fuit à Castro Palao; nam *in cap.* 2. *num.* 48. *de immunit.* loquitur ex mente Genuensis.

Ego autem secundæ opinioni adhæreo propter declarationem Sacræ Congregationis immunitatis. Sed occasione huius quæstionis non desinam hîc apponere consilium, quod habui ab Eminentissimo bonæ memoriæ Cardinali Scaglia tenoris sequentis.

CONSILIVM.

Illustrissimi & Reuerendissimi Domini Priuilegium, quo confugientes ad Ecclesias gaudent immunitate; adeò vt rei non possint ab illis regulariter extrahi, nec in illis carcerari, potissimis iuribus diuino & positiuo, tam Canonico quàm Cæsareo, est locale, & non personale, diffuens tamen à loco in personas; vt benè probat post Romanum *consil.* 137. & alios Mar. Ital. lib. 1. *de immunitat. cap.* 2. Ecclesiisque proinde competit actio spoliij pro extractis ab ipsis: & extrahentes à censuris pro violata immunitate contentis *in cap. si quis eor. & c. quisquis* 17. *quest.* 4. & *cap.* 4. *de immunit. Eccles.* non debent absolui, nisi prius & ante

omnia restituerint Ecclesiis, quos extraxerunt, resectis damnis & interesse, vt obseruauit Diuus Augustinus in persona Bonifacij Regis *cap. miror. d. caus. & quest.* & dicunt Syluester *verb. immunitas* 3. *in fin.* Io. de Vischis *de immunit. numer.* 651. Ambros. *cap.* 15. *numer.* 7. Mar. Ital. lib. citato, *cap.* 6. §. 11. *numer.* 23. Capell. Tholos. *decis.* 423. *numer.* 3. *in addit.* & Decian. lib. 6. *sui tract. criminal. cap.* 27. *in princip. arg. cap. conuer. de restit. spoliat.* & aliorum iurium.

Cum igitur (Illustrissimi Domini) mei principales extracti per violentiam ab aede Sacra Diui Francisci, & post longam & crudelissimam carcerationem quindecim mensium in fortis laicalis Curie extrahenti detenti fuerint, tandem aliquando restitui Nuntio Neapolitano, apud quem nihilominus per alios tres menses carcerati, postmodum Romanam se contulerint ad audiendum ordinem V. S. Congregationis, sunt ad eandem Ecclesiam, vnde fuerant extracti, incolumes remittendi: vt secundum prædicta iura, & Doctores, & iuxta præcitas auctoritates Ecclesia spoliata in primis, & ante omnia restituatur.

Nec dicatur primò, Ecclesiam restitutam fuisse, cum carcerati restituti fuerint Nuntio Apostolico Neapolitano, & hoc sufficere, vt decisum fuisse testatur Episcopus. Montis Marani in Curia Archiepiscopali *in sua praxi, cap.* 22. *num.* 8. *arg. cap. scire debes* 7. *quest.* 4. c. 1. *de restitut. in integr. Clement.* 1. *de for. compet. cap. nouit, de iudic. cap. de cetero, de Cleric. non resid.* & fortius *cap. si quis contum.* 17. *quest.* 4. & ex notatis per Archidiaconum *ibidem*, quòd pœna pecuniaria propter violatam immunitatem Ecclesiasticam sit soluenda Episcopo: ex quibus dicit Ioan. Andream concludere *in cap. quamquam, de censib.* sufficere, quando iniuria facta est Ecclesie, quòd satisfactio fiat Episcopo, referens etiam Marian. Socin. *de visitat. lib.* 11. *in fin.* asserere *in vim cap. exigit, de censib. in 6.* restitutionem fieri posse similiter Episcopo; quia Episcopus repræsentat Ecclesiam, & est in Ecclesia, sicut Ecclesia in Episcopo dicto *cap. scires debes*: nam ad effectum huius restitutionis debet reus relaxari in libertatem, & non solum in libertatem, sed securus reduci ad locum utum per extrahentes debet, vt in suam pristinam, & omnimodam libertatem & securitatem se recipiat, quemadmodum post Igneum *in l. 1. numer.* 25. Hond. Silan. & alios quos citat, tenet Decianus dicto *lib.* 1. *cap.* 29. *aliàs* 30. *numer.* 7. Quæ quidem regula an obseruata fuerit cum meis Clericis Aquilanis suppliciter Illustrissimorum DD. relinquatur pietissimæ discretioni: & iura in oppositum allegata non concludunt aliquid pro

pro singularissima opinione contra certissimam veritatem.

Non primum, videlicet *cap. scire debes* 7. *quest.* 4. in quo dicitur Episcopum esse in Ecclesia, sicut Ecclesia est in Episcopo: quia Glossa ibi datur Brocardica, & ipsius dispositio non potest accommodari Ecclesie materiali, cuius est priuilegium immunitatis, vt supra præmissum est: nemo enim dixerit Episcopum esse Ecclesiam materiale, ne cogatur ad mouendum risum auditori, & quæ disponuntur in iure circa reparationem, ornamentum, reconciliationem & alia huius generis disponi circa personam Episcopi.

Non secundum, scilicet *cap. 1. de in integr. restit.* quòd immò facit pro nobis: quia distinguit Episcopum ab Ecclesia, sicut distinguitur minor à tutore; sic Episcopus debet restituere extractum ab Ecclesia sibi restitutum ipsi Ecclesie, vt illa conferuet illius iura: sicut tutor debet conferuare illa iura minoris secundum dispositionem *cap.*

Non tertium, scilicet *Clement. de for. comp.* in qua disponitur iniuriam irrogatam Episcopo esse irrogatam Ecclesie: quia etsi verum sit, quòd iniuria irrogata Episcopo censeatur irrogata Ecclesie, cuius est caput; non tamen hinc benè inferretur aliquod ablatum, puta Calicem, ab Ecclesia materiali & restitutum Episcopo, non esse restituendum ab Episcopo dictæ Ecclesie, ea ratione quia iniuria fuit facta Episcopo; & sic homo extractus ab Ecclesia cum iniuria Episcopi, & Ecclesie, restitutus Episcopo, debet postmodum restitui Ecclesie; cum restitutio sit in pristinum statum rei positio. *leg. quòd si minor. §. restitut. ff. de minor.*

Non quartum, videlicet *cap. nouit, de iudic.* quòd præceptum correctionis, Dic Ecclesie, impletur, si dicatur Episcopo: quia etsi præceptum correctionis, Dic Ecclesie, impletur, si dicatur Episcopo, qui est caput Ecclesie: non tamen inde sequitur, quòd Episcopus non debeat ulterius satisfacere Ecclesie, vel reducendo eum errantem, vel eam tanquam morbidam ab illa expellendo, vt habeatur tanquam Ethnicus & Publicanus: & sic pari ratione restitutum sibi reum antea extractum ab Ecclesia, vel illum debet Ecclesie restituere, vel illum consignare Curie seculari in executionem *cap. finalis de immunit. Eccles.* & Bullæ Gregorianæ.

Non quintum, scilicet *cap. de cetero, de Cleric. non resid.* quòd qui seruit Ecclesie, seruit Episcopo: tum quia dispositio huius *cap.* habet fallentiã respectu Ecclesie, & seruitij vt per Doctores in eo: tum quia si est bona hæc consequentia, qui seruit Episcopo, seruit Ecclesie; ergo extractus restitutus Episcopo, est

restitutus Ecclesie, sicut completo seruizio Episcopi debent Canonici remitti ad seruizium Ecclesie: sic extractus ab Ecclesia post ipsius restitutionem factam Episcopo liber, debet remitti ad Ecclesiam, seruata forma sacrarum constitutionum, nisi exceptuata crimina commiserit vt supra.

Non sextum, videlicet *cap. si quis contumax* 17. *quest.* 4. quòd pœna pecuniaria propter Ecclesie violationem sit soluenda Episcopo: tum quia *in cap. si quis*, in atrio eiusdem causæ & quæstionis statuitur oppositum, vt nempe quicquid soluendum est pro violata immunitate Altario illius Ecclesie, à qua aliquis fuit extractus, debeat solui, tum quia Glossa in dicto *cap. si quis contumax*, conciliando dicit pecuniam esse soluendam Episcopo; si extractio fuit facta ab Ecclesia Cathedrali, quòd non implicat in casu nostro, cum extracti fuerint mei principales ab Ecclesia Conuentualium fratrum S. Francisci: tum fortius ad propositum, quia quicquid sit de pœna soluenda, restitutio extracti debet fieri illi Ecclesie, quæ fuit violata, cum sit diuersa ratio restitutionis, & satisfactionis, argumento *cap. si Canonici, de offic. Ordinarij in 6.* in quo statuitur restitutio damnorum & interesse Canonici, & pœna pro iniuria ipsi Ecclesie, quæ fuit frustrata diuinis officiis: restitutio enim pertinet ad iustitiam commutatiuam, & sic debet fieri illi, à quo res ablata est, vt Summistæ docent communiter *in verb. Restitutio*; atque ex hac distinctione ruunt auctoritates in oppositum allegatorum Doctorum: pœna enim & satisfactio pro illicita exactione pedagogorum ab Ecclesiasticis, vt in dicto *cap. quamquam*, & in visitatione, vt in dicto *cap. exigit de censibus*, applicanda bene est fisco Episcopali: quòd autem fuit exactum, debet restitui personæ, vel loco grauato, sicut extractus Ecclesie violatæ: aliàs priuilegium immunitatis Ecclesiasticæ seruiret de vento.

Ad summum tamen præfata decisio dictæ Curie Archiepiscopalis Neapolitanæ potest aliis rationibus sustineri ad hunc effectum tantum, vt videjacet intelligatur Ecclesia restituta propter consignationem extracti factam Episcopo, ad hoc vt extrahens aliis adimpletis, ad quæ ipse tenetur, possit ab excommunicatione incurfa absolui; non autem quòd facta dicta consignatione, reòque posito in carceribus Episcopi, si delicta non commiserit exceptuata per Bullam Gregorianam, non sit restituendus loco sacro, vnde fuit abductus, eò magis, quòd vt idem Auctor paulò antè fatetur *loco citato, numer.* 6. ex mente Bartoli & Abbatis, Ecclesie spoliatæ competit interdictum de libero homine exhibendo pro restitutione hominis ab ea extracti: dictumque interdictum licet per-

sonale est in rem conceptum, sicut cætera interdicitur. l. i. § penult. ff. de interdict. Vnde si ita est, datur contra quoscunque detinentes, etiam quod sint Episcopi, vel alij superiores Ecclesiastici, qui retinent carceratos extractos ab Ecclesiis ipsis restitutos, nisi delicta commiserint exceptuata.

Nec dicatur secundò ad effectum cognitionis, an dicti Clerici commiserint delicta exceptuata, retinendos esse carceratos in terminis Bullæ Gregorianæ: nam respondeo primò dictos Clericos esse imputatos tantum verbo tenus à parte aduersa, & forsan per processus formatos à laicis de homicidiis cum qualitate sacrilegij, quæ non sunt crimina exceptuata, neque de iure in corpore, neque per Bullam prædictam nouissimè. Respondeo secundò cum simus in materia spoliij, probatio delictorum ad effectum impediendi restitutionem debet deduci incontinenti: alioquin non venit impedienda restitutio, ex his, quæ ita in terminis nostris tradit Remigius in tract. de immunit. Ecclesiarum, quest. 17. ad finem, & Cardinalis Tufchus in verb. Ecclesia concl. verfic. secus si dubium sit. Hæc tamen probatio incontinenti contra dictos Clericos deduci non potest, cum aduersus ipsos alij processus fabricati non fuerint, quàm laicorum, quorum acta non sunt attendenda contra Clericos tanquam nulla ex defectu iurisdictionis, qua penitus carent, & cuius omninò sunt incapaces quoad illos, præsertim quòd ipsi de sua iurisdictione contendunt per Canonistas communiter in cap. ut si Clerici, de iudiciis, & non possunt facere plenam probationem ad hunc effectum requisitam secundum doctrinam Prosperi Farinacij in consil. 76. num. 3. & Ambrosij cap. 21. numer. 4. Immo adeo incontinenti est deducenda probatio delictorum exceptuatorum ad effectum prædictum impediendi restitutionem extractorum ab Ecclesiis, vt nec sit dandus terminus fisco ad probandum reum commisisse delicta exceptuata, etiam si aliàs de illis constiterit per confessionem ipsius extracti, vt bene probat cum aliis, quos citat Mar. Italia loco citato, numer. 3. ad hoc omninò videndus. Respondeo tertio fortius & circa periculum instantiæ, & hæsitacionis in contrarium Bullam Gregorianam concedere facultatem carcerandi laicos ab Ecclesiis extractos ad effectum cognitionis, an commiserint delicta exceptuata, cum expressa prohibitione facta laicis officialibus versicul. sicuti etiam prohibemus, ne se ingerant in extractione, & carceracione Clericorum ab & in Ecclesiis etiam sub pretextu criminum exceptuatorum, cum decreto irritante & clausula sublata. Vnde retinere carceratos ad effectum cognoscendi, vel puniendi Clericos extractos à laicis, vt

præfertur, esset manifestè probare, & ratum habere factum contra dictam Bullam Gregorianam, in qua feruntur omnes censurae, & poenæ, quæ sunt contra violatores libertatis, iurisdictionis, & immunitatis Ecclesiasticæ inflictæ per sacros Canones, Concilia, & constitutiones prædecessorum Gregorij XIV. aduersus facientes contra vel præter dispositionem suam in contrarium allegatæ constitutionis.

Atque ex hac vltima responsione cessant omnes difficultates, & superest tantummodò supplicandum, prout genibus flexis supplicamus Clericos nostros post iniustissimas, diras, & longissimas carceraciones, & per ciuitates ignominiosissimas distractiones pro reparacione honoris, immunitatis, libertatis, & iurisdictionis Ecclesiasticæ apud insignem Ciuitatem in ianuis residentia Christi Vicarij ad pristinam libertatem restitui, iusto & misericordissimo iudicio, & imperio vestrarum Illustrissimarum & Reuerendissimarum DD. Quas Deus, &c.

Dicendum est igitur ex supradictis reum esse à iudicibus laicis restituendum Ecclesiæ, à qua fuit extractus.

Verùm pro Coronide huius resolutionis mihi videtur ex his non esse relinquenda curiosa & practicabilis quæstio. An sicut Ecclesia, vt dictum est, spoliata reo est restituenda; sic etiam sit restituendus Regius Fiscus, si fuerit reo spoliatus, qui detinebatur à suis satellitibus. Et affirmatiuam sententiam docet Ioannes Maria Nouarius in summ. Bullar. titul. de immunit. num. 14. vbi sic ait. Ampliatur duodecimò in fugientibus è carceribus, vel è manibus familiarum: quod intelligas quando ipse se eximeret; secus verò si fuisset ab aliis exemptus à manibus familiarum: prout accidit casus isti in ciuitate Castellatenensi, vbi Vicariatus officium gerebam, & fuit restitutus carceratus familiarum. Et ratio est, quia sicut Ecclesia, quæ fuit spoliata, habet interdictum de libero homine restituendo; ita etiam familia habet interdictum restitutionis: quia Ecclesia dicitur cultrix iustitiæ, vel semper fuisset detentus per Birruarios; nam non obstante quòd ita detentus vim faciendo traxisset secum Birruarios, intus Ecclesiam, non gaudebit immunitate nisi liber & solutus euasisset manus familiarum. Ita Nouarius. Qui pro sua opinione adducit Francum decis. 709. numer. 3.

Sed hanc sententiam prorsus esse reiiciendam existimo. Et ideo dicendum est extractos reum è manibus satellitum, malè facere, & dignos esse maxima poena: puto tamen tam ipsos, quàm reum, si in Ecclesiam confugiant gaudere eius immunitate, nec reum restituendum esse Curia seculari. Et

ratio

ratio est clara: nam in tali casu reus liber ingreditur in Ecclesiam, & verum est, quòd ad eam confugiat: ergo eius immunitate non est priuandus; cum omnia iura absolute afferant reos confugientes ad Ecclesiam eius immunitate gaudere, vt patet ex cap. inter alia, de immunitat. cap. definiuit, 17. quest. 4. ex leg. 2. Cod. de his, qui ad Ecclesiam confug. vbi absolute dicitur: Sancimus nemini licere ad sacrosanctas Ecclesias confugientes abducere. Cum igitur supradicti Canones absolute loquantur, & non distinguant, sequitur neque nos distinguere debere, ex vulgatis testibus, quos adducit Surdus consil. 51. numer. 7. & Iason in leg. non dubium, numer. 58. ff. de legibus, & alij communiter. Et tradit in simili casu Henricus Canisius Professor Sacrorum Canonum in inclyta Academia Ingolstadtensi lib. 3. decret. tit. 12. de immunit. Eccles. fol. mihi 241.

Confirmantur supradicta: quia omnes, & ipse Nouarius asserunt reum, qui se ipsum exemit è manibus satellitum, gaudere immunitate; ergo debet etiam gaudere, si exemptus fuit adiutorio alterius. Probo consequentiam, quia in vtroque casu reus, dum confugit ad Ecclesiam, liber & non captius ad eam confugit; ergo debet eius immunitate gaudere. Et si non desunt Auctores tam veteres, quàm recentiores non ignobiles, quos ego congeffi in part. 1. tract. 1. resolut. 30. & tenet nouissimè Canisius loco citato, asserentes reum, etiam si captus & in manibus Curia intret in Ecclesiam, eius gaudere immunitate: ergo quanto magis reus, de quo loquimur, debet illa gaudere, qui liber, vt diximus, & non captius ad eam confugit. Adde quòd in Bulla Gregoriana nominatim excluduntur rei, qui ad Ecclesiam confugientes non possunt eius immunitate gaudere; inter quos non numerantur rei è satellitum manibus extracti: ergo non sunt ab immunitate excludendi: quia, vt ipsemet Nouarius numer. 47. fatetur, verba Bullæ non sunt amplianda, nec extendenda, neque limitanda, seu declaranda, sed intelligenda, prout sonant.

Restat modò respondere ad argumentum, quod pro se adducit Nouarius: nempe quia sicut Ecclesia spoliata debet restituenda & Curia secularis. Et respondeo disparem esse rationem: nam in casu Ecclesiæ iudex secularis illam spoliavit, abstrahendo ab ipsa reum violenter, & ideo merito est delinquens ei restituendus: sed in nostro casu non ipsa Ecclesia spoliavit Curiam secularem, sed alij; & ipsa recepit reum liberum & non captiuum: ergo nulla ei adest obligatio restituendi illum. Caueant igitur Episcopi ab hac Nouarij opinione; nam si illam in praxi deducerent, essent feuerè puniendi.

Ad alium verò casum, quem affert Nouarius. Respondeo primò disparem esse rationem cum isto, de quo loquuti sumus: nam reus non confugit liber ad Ecclesiam, sed adhuc in brachijs Curia secularis. Vel respondeo secundò in hoc etiam casu reum gaudere immunitate; vt ego nominatim contra Nouarium cum multis Doctoribus probaui in part. 4. tract. 1. resolut. 106. & in part. 3. tract. 1. resolut. 36. & in part. 1. tractat. 1. resolut. 13. Et nunc pro probabilitate dictæ sententiæ adducam auctoritatem Mariani Socini viri in legali litterarura celeberrimi in tract. de ciuitat. art. 17. in 2. membr. vbi docet. Quòd si familia capit aliquem extra domum, & captus trahens capientem ingressus fuerit domum, vel intra clausuram domus partem corporis immiserit, non debet inde inuitus extrahi: ita & reus, qui secum rapit satellitem, & confugit ad Ecclesiam, debet eius immunitate gaudere. Cæteras verò rationes pro hac sententiâ videbis penes me ipsum in locis citatis. Et ita hanc sententiam post hæc scripta inueni docere Ghilinum in summa ver. Ecclesia, numer. 2. & me citato Glines de censuris ver. extrahens, numer. 18. Trullench in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 11. dub. 1. numer. 11. & Cæsarem Loccatellium in Breuiario de Tortura, inspect. 5. num. 162. vbi affirmant reum, qui ligatus cum satellite fugit in Ecclesiam, debere eius immunitate gaudere.

Sed cum satis probatum sit reum exemptum è manibus satellitum, & ad Ecclesiam confugientem gaudere eius immunitate. Quæritur an eadem etiam gaudeant immunitate illi, qui exemerunt: maximè si reus ibat iam damnatus ad triremes, vel exemerunt è carceribus. Et negatiuè quidem responderet Sarpus, quia qui eximunt condemnatos è manibus familiarum secularis, incidunt in crimen læsæ Maiestatis, ex textu in leg. cuiusque verb. item qui confessum, ff. ad leg. Jul. Maiest. & docet Alexander consil. 35. numer. 4. vol. 2. Burfatus consil. 216. numer. 1. & 5. vol. 2. Viuius decis. 92. numer. 4. & alij, quos plena manu citat Mastrilius de indulto, cap. 59. numer. 1. & 2.

Verùm contrarium tenendum est, maximè in terminis Bullæ Gregorianæ, in qua solum excluduntur ab immunitate rei læsæ Maiestatis tantum in personam Principis. Vnde ex his etiam si eximenter in ipso actu eximendi vulnerarent, immò occiderent satellites Regios vel fiscos; si postea ad Ecclesiam confugerent, eius vtique immunitate gaudent: nam licet occiderent Officiales Regios committant crimen perduellionis, ex leg. 1. ff. ad leg. Jul. Maiest. & notant Doctores, quos citat Farinacius quest. 112. numer. 136. Antonius de Amatis decis. 1. & 4. cum aliis. Tamen, vt

D 4 dictum.

dictum est, solum crimen læsæ Maiestatis in ipsam personam Principis excluditur ab immunitate. Ergo, &c.

An iudices laici possint sine licentia Episcopi extrahere reos, qui commiserunt crimina exceptuata, quæ gaudent immunitate?

RESOL. XXVIII.

Affirmatiuam sententiam docet Sarpus *cap. 6. fol. 61.* vbi sic ait. Vidimus hæcenus, quibusnam sacris locis immunitas tributa fuerit; & quam reorum conditio nequeat ab iis diuelli. Reliquum modò est, vt videamus, cum reus aliquis ad Ecclesiam confugit, à qua iure abstrahi possit, quam auctoritate id efficiendum fuerit. Quocirca communis est omnium opinio, laicum iudicem auctoritate, quæ nunc temporalis dicitur, absque Ecclesiastici Præfulis venia, prehendi ius tribuere, atque vt perficiatur mandare. Cuius sanè rei claræ admodum & efficaces sunt causæ. Ecclesiarum namque immunitas non violatur, si per vim quispiam in ea comprehenditur, qui tamen eiusmodi defendi non potest immunitate: sed nemo in atrocioribus delictis ea passim vti potest; igitur à quocunque comprehendatur, Ecclesiarum immunitas illæsa est. Huc accedit prehendi facultatem ab iis peti debere, qui negare possint: sed Ecclesiasticus eam negare nequit, quæ à lege tribuitur; quare ab ipso non est petenda. Ita ille.

Sed negatiuam sententiam sustinendam prorsus esse puto, cui assistit ius commune, & constitutio Gregorij XIV. Probatur primò ex iure Canonico in *cap. frater 17. quest. 4.* vbi prohibetur potentioribus sæcularibus reum inuitum ab Ecclesia extrahere non captata Sacerdotis licentia: ergo signum est Sacerdotis licentiam requiri. Item facit textus in *cap. definit. 17. quest. 4.* in quo datur facultas reddendi Ecclesiæ extractum sine consensu Sacerdotis: vbi Archidiaconus & alij obseruant hoc procedere etiam ad publicum latronem, & sic ad casus exceptos.

Probatur secundò ex iure Ciuili per textum in *leg. pateant. in fin. Cod. de his, qui ad Eccles. confugiunt:* vbi licet Imperator extrahi posse stauerit confugientem in Ecclesiam cum armis, si monitus arma non deposuerit; adhuc fieri tamen non posse voluit Episcopo inconsulto: & reddidit rationem; ne scilicet si multis passim hoc liceat, confusio generetur. Et licet ibi Imperator requirat cum Episcopo etiam suorum iudicium iussionem; tamen ipse

nihil in materia immunitatis contra sacros Canones potuit statuere. Sufficit nobis per dictum textum demonstrare, quod etiam de iure Ciuili Imperatores voluerunt confugientes ad Ecclesiam extrahi non posse inconsulto Episcopo. Vide etiam Authent. *Si quis, Cod. ad leg. Iul. de Adulter. in §. final.* vbi statuitur, quod si maritus inuenit in Ecclesia hominem sibi de adulterio suspectum cum vxore sua loquentem, debet vtrumque defensori Ecclesiæ, aut aliis Clericis tradere, vt feruentur; donec sæcularis iudex, qui de hoc cognoscere debet, requirat Episcopum, vt illos ipsi tradat: quod etiam probatur ex Authent. *de mandat. Princip. §. Sed neque,* in illis verbis. *Auxiliabuntur autem tibi ad hoc etiam Deo amabiles Ecclesiarum defensores & Oeconomus.* Et ratio est, quia captura reorum, vt patet, est actus iurisdictionis, qui in alieno territorio exerceri non potest, ex *leg. extra Territorium, ff. de iurisdic. & in cap. 2. de constitut. in 6.* Ergo Iudex laicus non potest exercere iurisdictionem in Ecclesia, quia non est de districtu Principis sæcularis, sed de Territorio iudicis Ecclesiastici, vt late probat Cardinalis Tuschus *verb. Ecclesia conclus. 5. num. 10.* & Carolus de Grassis *eff. 1. num. 617.* Farinacius *consil. 214. num. 3. lib. 3.* & me citato Ciarlinius *controuers. forens. cap. 10. numer. 5.* & alij penes ipsos. Vnde hanc sententiam in terminis iuris communis tenent Doctores, quos citat & sequitur Farinacius *de immunit. cap. ultimo, numer. 356.* Caballus in *Questionib. criminalib. cap. 194. numer. 12.* & Guallinus *tom. 1. defens. 1. cap. 31. numer. 3.* Rolandus à Valle *lib. 1. consil. 24. num. 15.* & Ioannes V Viggers *de iust. & iure, tractat. 8. cap. 6. dub. 26. numer. 172.*

Sed hæc difficultas prorsus cessat hodie stante constitutione Gregoriana; vbi clarè & expressè statuitur sæculares iudices non posse sine Episcopilicentia aliquem ab Ecclesia extrahere, etiam in ipsis casibus exceptuatis. Et ita ego cum multis Doctoribus satis firmaui in *part. 1. tract. 1. resolut. 15.* vnde si in casibus exceptis iudex vel alius Minister absque licentia Episcopi, & interuentu personæ Ecclesiasticæ à dicto Episcopo, vel eius Officiali auctoritatem habentis per vim extrahat reum in Ecclesia existentem, sacrilegium committit, & incurrit in excommunicationem. Vide Doctores à me in citata *resolut. congestos;* quibus adde Chartarium *decis. crimin. 46. numer. 87.* & Ciarlinium in *controuers. forens. lib. 1. cap. 10. numer. 33.*

Vnde ex omnibus supradictis apparet cauendum esse à Capitulo 75. Alphonti Regis in Sicilia, dum vult, quod aliqui delinquentes extrahi possint ab Ecclesia per iudices suos Officiales temporales in quibusdam

busdam casibus in prædicto Capitulo enumeratis.

Restat modò respondere ad argumenta, quæ pro sua confirmanda sententia Sarpus adducit. Et ad primum argumentum, quod cum tales delinquentes non gaudeant Ecclesiarum immunitate, illa nullo modo violatur, si in Ecclesia comprehendantur. Respondeo negando consequentiam: nam licet crimina exceptuata non protegantur ab Ecclesia; non sequitur ex hoc delinquentes in ipsa comprehendendi, & inde extrahi posse sine licentia Prælatorum Ecclesiasticorum, vt clarissimè patet ex rationibus hucusque superius adductis.

Ad secundum argumentum, videlicet, quod licentia petenda est ab illo, qui negare non potest: sed iudex Ecclesiasticus in nostro casu talem licentiam negare non potest. Ergo, &c. Respondeo, quod talis licentia, licet ab Ecclesiastico iudice negari non possit; tamen ab ipso petenda est ex ratione, quam adducit Imperator in *leg. pateant, Cod. de his, qui ad Eccles. confug.* nempe, ne confusio generetur, & irreuerentia erga sacrosanctas Ecclesias à laicis Ministris in captura reorum.

Adde quod etiam à Regularibus petenda est licentia ab Episcopo prædicandi in suis Ecclesiis; & tamen illam negare non potest Episcopus: & idè sufficit petita non obtenta, vt vult Concilium Tridentinum. Ergo non est semper verum id quod Sarpus pro certo supponit, nempe licentiam non esse petendam ab illo, qui negare illam non potest. Vnde ex his omnibus refellendus venit Iustus Oldefob, qui nouissimè in *pract. crim. tit. 3. caut. 17. num. 3.* docet, hodie criminosos non expectata Prælati licentia esse ab Ecclesia à iudicibus laicis extrahendos, & contra Fagundez in *Decal. tom. 1. lib. 5. cap. 1. num. 22.* dicendum est assiduum non esse extrahendum à iudice laico.

An saltem ratione consuetudinis iudices laici possint extrahere reos ab Ecclesia in delictis exceptuatis, & excusationem habere, ne obseruent Bullam Gregorij XIV. de immunitate Ecclesiarum?

RESOL. XXIX.

Affirmatiuam sententiam docet Sarpus *cap. 6. fol. 62.* vbi ex Episcopo Couarruias affirmat hanc consuetudinem toto terrarum orbe à Christianis receptam esse, & *fol. 51.* approbat etiam aliam consuetudinem, vt supra visum est, extrahendi fures ab Ecclesia, & passim in tota serie huius libri approbat consuetudines in materia immunitatis Ecclesiarum.

Sed has consuetudines prorsus reprobandas esse existimo. Et probatur nostra opinio. Primò quia nulla consuetudo valet, quæ est contra libertatem Ecclesiasticam, vt patet ex *cap. grauem, de sentent. excommunicat. & asserunt etiam communiter Canonistæ in cap. noverint, de sentent. excommunicat. & in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, de constitut.* Sed consuetudo, de qua loquimur, vt obseruat Peregrinus *de immunit. Ambrosinus cap. 14. numer. 2.* Bonacina *tom. 2. disput. 3. quest. 8. punct. 10. numer. 4.* & alij, est consuetudo contra immunitatem Ecclesiarum. Ergo, &c.

Secundò consuetudo irrationabilis de iure non valet, ex *cap. final. & ibi Gloss. verba irrationabilia, de constitut. in 6.* & ex *cap. frustra cap. mala dist. 8.* Sed consuetudo, de qua loquimur, vt pote Sacris Canonibus contraria, est irrationabilis, vt patet ex *cap. cum venerabilis, cap. ad audientiam, de consuetud. Ergo, &c.*

Tertiò consuetudo statuto æquiparatur, ex *leg. de quibus ff. de legib. ex cap. cum dilectus, de consuetud. & idè non inducitur super his, super quibus populus expressè statuere non potest, vt obseruat Aymon *consil. 134. numer. 25.* & latius de antiquitate temporum in *4. part. sect. 1. num. 13.* Sed in materia immunitatis Ecclesiasticæ, & Ecclesiarum non solum populus, sed etiam Principes laici nihil sancire possunt, vt habetur in *cap. solita, de maior. & obed. & in cap. 1. de constit.* Ergo nec consuetudinem introducere valent.*

Quartò immunitas Ecclesiarum est de iure diuino, vt tradunt communiter Doctores, quos plena manu congerit Chartarius in *decis. criminal. 46. numer. 34.* & ego ipse in *part. 4. tractat. 1. resolut. 44.* Ergo, &c. Et licet daremus, quod negandum est, immunitatem Ecclesiarum esse de iure humano, quod per consuetudinem derogari potest, ex *cap. final. de consuetud. cap. in istis, dist. 4. cap. placuit dist. 22.* tamen hoc non potest procedere, quando ius prohibet consuetudinem, supponendo esse iniquam: & hoc modo prohibet ius Canonicum consuetudinem contra libertatem Ecclesiasticam, ex *cap. 1. & cap. ad nostram, de consuetud. & docet Rota Romana decis. 10. de consuetud. in antiquis.* Ergo nulla prorsus consuetudo est admittenda contra Ecclesiarum immunitatem. Et ita docent communiter Doctores, & nouissimè omnino videndus Fagundez in *præcept. Decalog. tom. 2. lib. 8. cap. 44. numero 20.*

Quintò supradictæ consuetudines iam reprobatae sunt à Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 20. de reformat.* quatenus innouat, & exactè præcipit ab omnibus obseruari Sacros Canones, & Concilia generalia, necnon Apostolicas sanctiones in fauorem libertatis Ecclesiarum.

rum, & personarum Ecclesiasticarum. Et dictum Concilium fuit confirmatum per Bullam Pij IV. in qua adest clausula decreti irritantis, quæ tollit omnem consuetudinem præteritam & futuram, vt infra probatur.

Et tandem sextò omnis difficultas cessat stante Gregoriana constitutione, in qua, vt ego cum multis Doctoribus probavi *in part. 1. tract. resolut. 1.* tolluntur omnes consuetudines contra immunitatem Ecclesiarum: quia ibi adest clausula, *sublata*, &c. qua tollitur omnis facultas iudicandi, *in xta cap. si eo tempore, de elect. in 6.* Tum quia adest ibi decretum irritans, contra quod allegari non potest contrarius vsus, vt infra videbitur: tum quia in dicta constitutione reducuntur omnia ad vnã formam, quæ de sui natura opus est, vt seruetur ad vnguem; tum quia consuetudo derogans immunitati corruptela à Summo Pontifice vocatur: tum denique quia expressè derogat cuilibet facultati, quomodocunque emanauerit à Sede Apostolica, contrarium iudicandi: sub qua tam statutum, quàm lex & consuetudo videntur comprehendi. Et in specie, quoad casum nostrum statuit iudices etiam in casibus exceptuatis non posse auctoritate propria delinquentes ab Ecclesia extrahere.

Sed aduersus supradicta instabat olim mecum differens quidam Minister Regius textum *in cap. 1. de constitut. in 6.* vbi Bonifacius VIII. decreuit, quòd Romanus Pontifex per constitutionem à se nouiter editam non intelligitur in aliquo derogasse consuetudinibus locorum & personarum, nisi expressam de iis fecerit mentionem. Sed in dicta constitutione Gregoriana nulla de consuetudinibus particularibus habetur mentio; Ergo, &c. Et ita pessimè argumentatur Gambacurta *lib. 5. c. 8. numer. 8.*

Respondeo, quòd textus *in dicto cap. 1. de constitut.* non procedit, vbi per legem consuetudini contrariam ad ius commune primæuum reducitur; tunc enim consuetudo tollitur per legem contrariam; licet de tali consuetudine in lege mentio facta non fuerit, vt docet Paulus de Castro *in leg. de quibus, numer. 54. ff. de legib. & Chartarius decis. crimin. 46. numer. 45.* Sed per constitutionem Gregorianam post assertas consuetudines reducitur ad ius commune primæuum: ergo concludendum est consuetudinibus per illam sufficienter fuisse derogatum.

Dicendum est igitur contra Sarpum consuetudines contra Ecclesiarum immunitatem esse inualidas, & esse iam reprobata à Sacro Conc. Trident. & constitutione Gregorij XIV. Vnde extrahentes reos ab Ecclesia in casibus exceptis ratione consuetudinis non excusantur à pœnarum incurfione.

Hinc obiter nota non esse approbandam etiam in terminis iuris communis illam consuetudinem, quam conatur defendere doctus & eruditus Ioannes Petrus Fontanella *decisione 200. & 201.* ex qua alicubi alligantur compedibus delinquentes in Ecclesia, donec examinetur causa ab Ordinario: nam hæc consuetudo tanquam irrationabilis, & contra Sacros Canones, atque immunitatem Ecclesiasticam est reiicienda, per textum expressum *in cap. definiuit 17. quest. 4.* vbi cauetur, ne reis aliqua vis, aut nocibilitas, damnūve inferatur, quin possint per triginta passus ab Ecclesia exire: ergo in dicto textu supponitur ibidem ligari non posse.

Nec valet dicere, dum causa examinatur, posse iudicem sæcularem suæ iurisdictionis terminos seruare indemnes: quia non est modus seruandi se indemnem exercere iurisdictionem, vbi non potest: nam reus, dum est in Ecclesia, vt satis supra probatum est, dicitur esse extra territorium & iurisdictionem iudicis sæcularis: ergo illum ibi ligare non potest. Et ita docet Perficus *de offic. Sacerd. lib. 1. cap. 9. dub. 12. numer. 118.* Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 2. numer. 2.* Fagundez *part. 2. lib. 4. capite 4. numer. 55. & alij.*

Sed quia omnia superius stabilita procedunt maximè & sine vlla difficultate in terminis constitutionis Gregorianæ, Sarpus *fol. 67.* respondet non esse vsu receptam, & consuetudine antiquatam esse. Sed quoad primum, respondeo, (& hoc est valde notandum; & ideo perpetuò tene menti:) quòd in dicta constitutione Summus Pontifex apposuit clausulam decreti irritantis: cuius ea virtus est, quòd probari non possit legem vel constitutionem tali clausula roboratam vsu non fuisse receptam. Et ita post Ancharanum, Archidiaconum, Geminianum, & alios firmat Caputaquensis *part. 3. decis. 204.* Et nouissimè Sacra Rota in Maior. Indultorum die 11. Aprilis 1639. coram Domino meo Merlino, & in eadem causa die 16. Nouembris 1640. coram domino meo Peutingero. Quibus ego addo Chartarium *decis. crimin. 74. numer. 19.* vbi pro hac sententia adducendo etiam Gabrielem, Gratianum, & Marchesanum sic respondet ad iudices laicos Mediolanenses, qui in causa cuiusdam rei intendebant non esse seruandam dictam constitutionem Gregorianam, quia non erat Mediolani vsu recepta. Hanc etiam sententiam docet Bonacina *tom. 2. disp. 3. q. 8. punct. 10. numer. 4.* Castrus Palauis *tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 10. numer. 2.* Farinacius *de immunit. cap. 2. numer. 5.* Vnde videant illi, ad quos spectat, si non obseruando constitutionem supra dictam possint se legitime tueri & defendere asserendo non esse vsu receptam.

Et

Et miror etiam quomodo Sarpus potuisset se tueri, quoad aliquam immunitatem Ecclesiarum lædentiã ratione consuetudinis: quia dato & non concesso, quòd dicta consuetudo valeret contra ius, tamen nondum sufficienter præscripta esse potest ad eos excusandos: nam ab eo tempore, quo editum fuit Concilium Tridentinum vsque ad tempus, quo facta fuit constitutio Gregoriana, necdum elapsum erat tempus sufficiens ad legitimam consuetudinem inducendam; & idem dicendum de tempore constitutionis Gregorij XIV. vsque ad diem in qua Sarpus scripsit: nam vt communis fert sententia, vt consuetudo præscribat contra ius Ecclesiæ & Canones opus est spatio quadraginta annorum, vt patet ex Auth. *quas actiones, C. de sacrosanct. Eccles. & ex multis sacris Canonibus*, quod semper sequutum fuit venerandum sacre Rotæ Auditorium, vt in vna Gerundenf Administrationis die 13. Maj 1630. coram Verospiopapud Guerillos Venetos *decis. 375. numer. 10.* In vna Salernitana die 2. Iulij 1623. coram Cauallerio *decis. 651. numer. 5.* In vna Calaguritana die 7. Maj 1574. coram Cesare de Grassis *decis. 111. numer. 1.* In vna Burgenf die 22. Maj 1613. coram Mançanedo apud Posthumas Farinacij *tom. 1. decis. 479. numer. 12.* In vna Illerdenf die 14. Nouembris 1611. & in vna Romana die 9. Decembris 1614. coram Coccino, penes posthumas Farinacij *tom. 1. decis. 355. numer. 2. & tom. 4. decis. 611. numer. 3.* In vna Veneta die 6. Martij 1389. coram Mantica *decis. 51. numer. 3.* Et tandem in vna Giennenf die 13. Nouembris 1613. coram Buratto *part. 1. decis. 19. numer. 7.* In quibus omnibus decisionibus sacra Rota canonizat communem opinionem Doctorum asserentium contra Canones & Ecclesiam non esse admittendam consuetudinem minoris temporis, quàm quadraginta annorum. Sed, vt dictum est, à tempore Concilij Tridentini vsque ad constitutionem Gregorianam non fluxerunt anni quadraginta; neque etiam à dicta constitutione vsque ad tempus in quo scripsit Sarpus: ergo nescio qua ratione potuerit ipse defendere consuetudines contra immunitatem Ecclesiarum, & contra ea, quæ circa dictam materiam disposita sunt in iure, vel in prædicta constitutione Gregorij XIV.

Sed ad labefactandam magis opinionem Sarpi & aliorum; qui supradictas consuetudines contra Ecclesiarum immunitatem conantur defendere, sub prætextu, quòd sint validæ; quia dicta immunitas est de iure positio, præter responsiones superius positas assero, quòd vt consuetudo præualeat aduersus Canones, & leges Pontificias opus est, vt sit in-

troducta cum scientia & expresso consensu Summi Pontificis. Et præter Oldradum *consil. 237. 244. & 254.* Federicum de Senis *consil. 17.* Nattam *consil. 574.* & Doctores communiter *in cap. cum non ignoras, de præbend. & cap. litteras, de concess. præbend.* adducam in confirmationem huius doctrinæ Oraculum sacre Rotæ Romanæ in vna Treuerenfi Abbatix S. Maximini die 24. Ianuarij 1625. coram Domino meo Coccino Decano, vbi firmatur ad inducendam consuetudinem contra Canones requiri nedum scientiam, sed etiam expressum consensum Papæ. Et verba sacre Rotæ ego adduxi in Apologia contra Salgadum; quod etiam nouissimè docuit sacra Rota in Messan. Decanatus die 27. Maj 1641. coram Domino meo Dunozer, & in Maior. Indultorum die 11. Aprilis 1639. coram Domino meo Merlino, cuius magistralis Decisio omnino videnda est.

Qua doctrina supposita, nescio quo pacto consuetudines contra immunitatem Ecclesiarum possint defendi ab aliquibus Doctoribus; cum non fuerint introductæ cum scientia & expresso consensu Pontificis: imò contra dictas consuetudines Concilium Tridentinum, & constitutio Pontificia Gregorij inuehitur & illas reuocat, & Summi Pontifices quotidie aduersus tales consuetudines, seu potius abusus reclamant, & in Bulla Cœnæ singulis annis improbant & damnant. Ergo, &c.

Nec obstat dicere: quòd tunc consuetudo contra immunitatem Ecclesiarum esset irrationabilis, & introducta aduersus sacros Canones, quando tolleretur vniuersam Ecclesiarum immunitatem; secus si in aliquo casu, vt accidit in consuetudinibus aliquorum Regnorum. Et ita argumentatur Couarruuias, quem more pecudum (displicet mihi de viris doctis sic loqui) sequuti sunt postea multi Iurisconsulti, vt Cenedus *in Canon. quest. quest. 4. numer. 3.* Sesse *de inhib. cap. 8. §. 3. numer. 156. 146. 147. & 155.* Pereira *de manu Regia, par. 2. cap. 59. numer. 19.* Gutierrez *de Gabell. quest. 93. numer. 1.* Garfias *de nobilit. gloss. 9. numer. 44. & sequent.* Vallascus *tom. 1. allegat. 10. numer. 5.* Castillo, Soro maior *de Tertijs, cap. 12. numer. 34.* Rodericus *de ann. reddit. lib. 1. cap. 17. numer. 58. 62. & 63.* Villalobos *in compend. opin. verb. Clericus, numer. 80. in fin.* Farinacius *quest. 8. numer. 3.* Grassus *de effect. Cleric. effect. 1. n. 388.* Gratianus *in disceptat. forensib. tom. 2. cap. 340. numer. 39.* Giurba *consil. 52. numer. 3.* Iulius Clarus *in §. fin. quest. 26. verb. Sed &.* Thomas Bozius *de iur. stat. cap. 17. verb. & quòd Papa. & alij.*

Sed hæc doctrina est prorsus refellenda, tanquam sacris Canonibus contraria, vt patet per textum expressum *in cap. Clericis, de indi-*

eji:

ejus in quo à Summo Pontifice damnatur cōsuetudo particularis contra immunitatem Ecclesiasticam, & ex aliis iuribus, quæ ego adduxi in *part. 5. tract. 1. resol. 2. 1.* Et hanc sententiam nunc magis stabilire conabor.

Dico igitur damnandas esse omnes consuetudines contra immunitatem Ecclesiasticam, etiam si non sint generales, ita ut tollerent omnem immunitatem: sed etiam si sint particulares quoad vnum tantum casum; & hoc non solum ex auctoritate sacrorum Canonum, sed ex solidissimis rationibus: quia, ut supra visum est, consuetudo non potest introducere, id quod lex non potest statuere; quod etiam determinat sacra Rota die 26. Nouembris 1594. coram Gypso, & die 22. Martij 1613. coram Mançanedo penes posthumas Farinacij *tom. 1. decis. 20. num. 5. & decis. 479. num. 3.* non enim plus auctoritatis potest habere, quam lex, ut patet ex iuribus, quæ adducit sacra Rota die 30. Martij 1629. coram Vbaldo penes decisiones Venetas Guerrilij *decis. 265. num. 18.* Sed lex laica non solum in generali, sed nec etiam in particulari aliquo casu potest statuere aliquid contra immunitatem Ecclesiasticam, ut de se patet, nec indiget probatione; ex defectu nempe iurisdictionis, ut inter alios docet Chartarius *decis. crimin. 46. num. 84.*

Quod confirmatur; nam valet argumentum de toto ad partem, ut obseruat sacra Rota in vna Romana die 11. Maij anno 1609. coram Damasceno penes posthumas Farinacij *tom. 3. decis. 223. num. 1.* & patet ex *leg. quæ tota, ff. de rei vendic.* & ex Menochio de *presumpt. lib. 3. quæst. 35. num. 27.* Surdo *conf. 435. num. 21.* Thoma à Romasettis in *floribus legum, Regul. 46.* maxime vbi datur eadem ratio, ut est in casu nostro. Idem Menochius *conf. 72. num. 5.* Surdus *conf. 193. num. 6.* & alij. Si ergo consuetudo generalis contra libertatem Ecclesiasticam etiam secundum Aduersarios est reprobanda; neque etiam particularis erit admittenda: vtraque enim est deformis & irrationabilis; nam magis & minus non differunt specie, nec mutant substantiam rei, ut habetur in *l. vlt. ff. de fund. instruct. & in l. si is cui, ff. quemadmod. seruit. amittat.* & docet Surdus *conf. 305. num. 66. & conf. 368. num. 13.* cum aliis: Ergo, &c.

Et ita hanc nostram sententiam; nempe consuetudines etiam particulares, & quoad aliquem casum tantum contra immunitatem Ecclesiasticam esse reprobandas, docet Baldellus *tom. 1. lib. 5. disp. 39. num. 7.* Bonacina in *Bull. Cæn. disput. 1. quæst. 20. punct. 1. numer. 10.* Giuniparus in *defens. iur. Pontif. disput. 6. cap. 4. num. 23.* Ciarlinius in *controuers. forensib. lib. 1. cap. 31. numer. 17.* Mascardus de *interpretat.*

statar. conclus. 1. numer. 131. Sperellus *decis. 37. num. 47.* Tannerus *tom. 3. disp. 5. quæst. 7. dub. 1. num. 16.* cum Suarez & Valboa, quos vbi supra citavi: quibus etiam adde Duardum in *Bullam Cænæ, lib. 2. num. 18. quæst. 9. num. 7.* Et ita hanc sententiam nominatim contra Coarruuiam nouissimè improbavit sacra Rota Romana die 20. Iunij 1636. coram bon. mem. Coccino in causa Barchinonensis exemptionis.

Igitur reassumendo breuiter omnia supra dicta assero (& qui habet aures audiendi audiatur) omnes & quascumque consuetudines contra immunitatem Ecclesiæ, & Ecclesiasticarum personarum esse inualidas: quia sunt contra ius diuinum, vel saltem contra ius posituum, aduersus quos præualere non possunt; quia sunt irrationabiles, & ab ipso iure reprobatae tanquam tales: & quia à Concilio Tridentino, & constitutione Gregoriana fuerunt reuocatae. Ergo, &c. nec excusari possunt ex tacita Summi Pontificis approbatione; nam reclamat singulis annis in Bulla Cænæ, ut satis probabitur in Apologia contra Salgandum, & docet nouissimè Franciscus Aranio in *part. 2. D. Thoma, quæst. 97. disp. 5. sect. 5. diffic. 4.* & post hæc scripta Sanctissimus D. N. Urbanus VIII. edidit Bullam quæ incipit, *Romanus Pontifex*, dat. Romæ 5. Iunij 1641. vbi annulat & reprobat & declarat semper fuisse nullas & reprobas omnes consuetudines contra immunitatem Ecclesiarum

Vnde ex omnibus supradictis patet refellendum esse Barbofam de *iur. Eccles. lib. 2. c. 3. num. 82.* vbi asserit circa immunitatem Ecclesiasticam magnam habere vim consuetudinem; quapropter in multis casibus ad illam recurrendum esse; cum in nullo casu, ut supra probatum est, possit consuetudo contra immunitatem Ecclesiarum præualere.

An in dubio: An reus gaudet immunitate, necne; spectet ad iudicem laicum definire controuersiam?

RESOL. XXX.

Affirmatiuè respondet Sarpus *cap. 6. fol. 62.* vbi sic ait. Videndum modò est, quando exoritur dubitatio; An reus possit abstrahi, necne: ad vtrum spectet definire. Communis est opinio ad sæcularem solummodo iudicem pertinere omnem de medio tollere dubitationem; eumque pariter cognitorem huius rei & iudicem esse. Ratio manifestè constat: id enim fieri nequit absque certa cognitione eorum omnium, quæ acciderunt; atque delictum grauius vel leuius reddere, culpamque aut aliqua dignam excusatione, aut enormem

enormem & atrocem facere possunt. Quare quæstiones necessariò habendæ, & omnia diligenter euoluenda, & cognoscenda sunt. Longe alienum munus ab Ecclesiastico, cui res spirituales solummodo committuntur. Ita Sarpus.

Sed miror, qua fronte potuit hic Sarpus asserere hanc suam opinionem esse commitem: nam negatiuam talem esse testantur Gutierrez in *pract. quæst. lib. 3. quæst. 1. numer. 5.* & Azeuedus *lib. 1. titul. 2. l. 3. numer. 20.* Et patet ex Doctoribus, quos attuli, & sequutus sum ego in *part. 8. tract. 1. resol. 49.* quibus nunc ego addam Barbofam de *iur. Eccles. lib. 2. cap. 3. numer. 155. & sequent.* Castrum Palaum *tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 13. numer. 7.* Rodriguez in *Quæstionibus Regular. tom. 2. q. 51. art. 3.* Peregrinum *cap. 3. numer. 1.* Guazzinum *tom. 1. defens. 1. cap. 31. numer. 3.* Et probatur primò ex iure ciuili in *leg. pateant, §. hos verò, Cod. de his, qui ad Eccles. confug. & in leg. presenti, Cod. eod.* Probatur secundò ex iure Canonico in textibus expressis, ut in *cap. fin. de immunit.* vbi Pontifex Archipresbytero Toletano, & Compostellano Ecclesiasticis personis mandat, ut publicè nuncient committentes in Ecclesiis homicidia, & mutilationes membrorum non gaudere immunitate Ecclesiarum: ergo ad illos, & non ad sæculares pertinet hoc declarare. Et in *cap. ad Episcopos 17. quæst. 4.* Pontifex præcipit Ecclesiarum violatores per Episcopos iudicari: vide etiam textum in *cap. metuentes, eadem caus. & quæst.* Nec non *cap. ex parte, de verb. signific.* Probatur tertio ex ratione, quia causa Ecclesiastica ab Ecclesiasticis iudicibus tractari debet, per textum in *cap. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, de constitut.* Sed causa immunitatis, ut de se patet, est causa Ecclesiastica; Ergo, &c. Confirmatur, quia agere de immunitate Ecclesiastica pertinet ad honorem & reuerentiam Dei; sed huiusmodi cura ad Ecclesiasticos Superiores pertinet: Ergo, &c. Et de hac sententia post Bullam Gregorianam non est dubitandum; cum in illa clarè determinetur hanc cognitionem spectare ad Episcopum: sed ego puto etiam veram esse stando in iure communi.

Nec obstat argumentum, quod in contrarium adducit Sarpus: nam iudex Ecclesiasticus secundum aliquos, quando iudicat; an reus debeat gaudere immunitate; necne, tenetur stare processui factò à iudice laico. Sed hanc opinionem ego reprobavi in *part. 5. tract. 1. resol. 9.* Et ideo respondeo ad argumentum, quòd iudex Ecclesiasticus potest omnia facere, quæ pertinent & conducunt ad cognoscendam essentiam criminis, de quo agitur: & huiusmodi causæ cognitio non est munus alienum ab ipso, ut perperam vult Sar-

pus, cum hæc causa sit spiritualis, & Ecclesiastica, ut dictum est. Adde quòd in causis delictorum mixti fori, ad illa cognoscenda & iudicanda faciunt ea omnia, quæ falsò Sarpus putat esse ab ipso tam aliena. Ergo, &c.

Sed an in tali casu sufficiat de delicto constare per indicia & præsumptiones: an verò debeat id per concludentes probationes apparere; vide me ipsum in *part. 5. tractat. 1. resol. 9. & in 3. part. tractat. 1. resol. 3. 6.* Sed hic obiter discutiendæ sunt aliquæ difficultates. Et ideo

Quæro primò, An Vicarius Capituli sede vacante habeat facultatem, quam habet Episcopus in casu de quo loquimur, & iudicare: an reus debeat gaudere immunitate Ecclesiastica, necne. Et negatiuam sententiam docet Marius Italia de *immunitat. lib. 1. cap. 6. §. 1. numer. 42.* quod probat ex verbis Bullæ Gregorianæ, ibi: Ad quos solos, & non alios Episcopis inferiores, &c. Sed mihi magis placet opinio contraria, quando delictum commissum fuit in sua Diocesi, non autem in loco exempto, vel nullius Diocesis, quod probatur. Quia ex *cap. vnic. de maiorit. & obedient. in 6.* Episcopali sede vacante, potest Capitulum, seu is, ad quem Episcopalis iurisdicção tunc temporis noscitur pertinere, ea omnia facere, quæ posset Episcopus, si viveret. Ita textus: sed facultas de qua loquimur, competit Episcopis iure ordinario, ut patet ex *cap. contumax 37. quæst. 4. & ex cap. quisquis.* Ergo, &c. Et ita hanc sententiam tenet, & latius probat Peregrinus de *immunit. cap. 3. numer. 33. & sequent.*

Quæro secundò, An Episcopus electus & confirmatus; non autem consecratus possit cognoscere de causis, de quibus loquimur; & negatiuè respondet Italia vbi supra, *lib. 1. cap. 6. §. 1. num. 88.* vbi adducit multos textus nihil ad rem facientes. Et ideo affirmatiuam sententiam tenendam esse puto; quam tuetur idem Peregrinus vbi supra, *numer. 39.* quia ista cognitio est actus iurisdictionis: sed Episcopus electus & confirmatus est simpliciter & absolute Episcopus quoad actus iurisdictionales, per textum in *cap. transmissa, de elect. & ideo Suarez tom. 5. disput. 41. sect. 2. numer. 7.* asserit Episcopum electum & confirmatum posse dispensare in irregularitatibus & censuris, in quibus possunt Episcopi vigore Concilij Tridentini *sess. 24. cap. 6. de reformat.* quia talis facultas est actus iurisdictionis, & consecratio non indiget. Ergo, &c.

Quæro tertio, An testes examinati in processu informatiuo sint postea repetendi citato fisco Ecclesiastico, & ipso reo. Negatiuè respondet Guazzinus *tom. 1. defens. 1. cap. 31. numer. 19.* vbi sic ait. Episcopo constare debet de delicto commissò per confugientem ad

E Ecclesiam

Ecclesiam plenè, & non per indicia, præsumptiones, & coniecturas. Quod ego intelligo plenè per testes deponentes super delicto, & ipsomet processu informatiuo, absque eo quòd testes repetantur citata parte. Ita ille. Sed hæc sententia est reprobanda; & ideò hoc negotiù nequit terminari nisi parte citata & audita, vt probat ex multis Ciarlinius *controuers. forens. cap. 10. numer. 150.* Et praxis, vt repetantur testes, permultum reo vilis esse potest; cum testes repetiti sæpè addant suo dicto, vel minuant, aut se declarent tali modo, vt quod prius reo valde noxium erat, prodesse incipiat. Vnde cognitio delicti facienda ab Episcopo, si sit ex exceptuatis, necne, debet fieri non solum Ecclesia citata, sed etiam citato reo, contra Ioannem Mariam Nouarium in *summ. Bullar. tit. de immunit. numer. 46.* & alios tradidit etiam Farinacius *tom. 2. consil. 168. n. 48.* & Bonacina *tom. 2. disp. 3. quest. 7. punct. 7. n. 10.* quibus adde Peregrinum, & Palaum à me adductos in *4. part. tract. 1. resol. 112.* quibus ego nunc libenter adhæreo, quia licet hoc priuilegium sit Ecclesie concessum, tamen redundat in beneficium reorum, exinde agitur de eorum præiudicio; & ideò Ecclesia non potest expellere reum ipso inuito; vt tradit etiam Gambacurta *lib. 4. cap. 22. numer. 16.* & alij. Alias rationes videre poteris penes Peregrinum & Palaum.

Quæro quartò, An reo, & Ecclesie sint dilaciones assignandæ. Et negatiuè respondet Giurba *consil. 50. numer. 5.* Sed malè, vt obseruat nominatim contra illum Ciarlinius *loco citato numer. 151.* cui adde Castrum Palaum *tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 13. numer. 14.* vbi sic ait. Episcopus debet delinquenti & Ecclesie dilaciones concedere, quæ sibi necessaria viis fuerint, vt iura sua defendant; quia hoc non tollitur, etsi eius iudicio, & arbitrio probatio delicti commissa sit, est enim de iure naturali, aliàs non plenè erit probatum delictum. Sic ille. Et nota quòd Ciarlinius docet in similibus causis licere etiam reum constituere & interrogare; debet etiam fieri publicatio processus, & de delicto plenas probationes habere.

Quæro quintò. An appellatio prohibita reo per Bullam Gregorianam à sententia de tradendo illum Curie sæculari, censeatur etiam denegata fisco vel Actori, si Episcopus pronunciet reum esse Ecclesie remittendum. De hac quæstione nouissimè tractat me citato Iohannes Baptista Ciarlinius *controuers. forens. cap. 116. numer. 68.* & asserit non bene intelligere, quam sententiam ego teneo; sed Sperellus in *decisionibus forens. Ecclesiast. decisione 65. numer. 2.* & sequentibus asserit me affirmatiuam sententiam tenere,

vt re vera teneo. Et ideò me magis declarando,

Dico circa præsentem quæstionem, quòd sententiæ affirmatiuæ adhæreo: quia quoties reo interdicitur appellatio, censeatur & fisco & Actori prohibita, vt seruetur in iudicio æqualitas: quæ quidem si seruanda non esset, potius ad rei, quàm ad fisci fauorem deberet fieri. Et ita contra Gambacurram *lib. 6. cap. 17. numer. 3.* & Bonacinam *tom. 2. disput. 3. quest. 7. punct. 6. numer. 11.* tenet Peregrinus *de immunit. cap. 16. numer. 33.* Ciarlinius, & Sperellus *locis citatis*, penes quem cæteras rationes videbis: qui *numer. 7.* obseruat in simili casu non solum denegandam esse fisco appellationem; sed etiam recursum, non ignarus, ait, à Sacra Congregatione immunitatis die 6. Iunij 1619. Vicarium Licuensem monitum fuisse, vt in futurum se absteineat concedere terminum & recursum in causis violatæ immunitatis Ecclesiasticæ: & quoad appellationem fisco denegandam eandem Sacram Congregationem sub fine anni 1634. idem rescripsisse dicto Alexandro Sperello, ipse vbi supra testatur, addens postea cum alloqueretur Sanctissimum Dominum Nostrum Urbanum Papam VIII. dictum Pontificem summum dixisse hanc sententiam esse verissimam, ac proinde in Codice Gambacurtæ Beatitudinis suæ iussu contrariam sententiam fuisse delectam.

Vnde licet prohibita appellatione non censeatur prohibitus recursus, vt docet Minadous *decis. 27.* & alij quos citat & sequitur Marta *de iuris d. part. 4. centur. 1. cas. 56. numer. 7.* Tamen hoc non procedit secundum Sperellum in terminis constitutionis Gregorianæ. Verùm Ciarlinius *loco citato, numer. 69.* tenet quòd dicta constitutio non tollit appellationem tam reo, quàm fisco, si constaret notoriè de iniusta sententia: quia clausula, appellatione remota, non prohibet appellationem à sententia notoriè iniqua, vt præter Doctores, quos ipse citat, tenet Scaccia *de appellat. lib. 3. cap. 2. quest. 16. limitat. 1. numer. 84.* & Gloriticus in *cap. super literis, de rescript. numer. 333.* Nota etiam quòd post hæc scripta peruenerunt ad manus meas consultationes Canonice Francisci Zipazi, vbi *lib. 3. titul. de immunit. Eccles. consil. 3.* docet, quòd quando iudex Ecclesiasticus ex præparatoriis informationibus inaudito reo declarauit immunitate non gaudere, posse eum appellare, quod probat ex ipsa constitutione Gregoriana. Ad illum, & non pigebit.

Et tandem quæro sextò, An iudex Ecclesiasticus, quando est dubium inter Doctores, an delictum gaudeat immunitate, necne, possit contra reum iudicare, vt priuetur immunira-

te.

te. Respondeo negatiuè; quia in conflictu opinionum illa est amplectenda, quæ fauet Ecclesie: vt ego ipse probaui in *part. 1. tractat. 1. resolut. 65.* & in *part. 5. tract. 1. resolut. 23.* Et ita in terminis loquentes de immunitate Ecclesiarum tenent cum multis Doctoribus Alexander Sperellus *decis. 60. numer. 13.* & Carolus Maranta *part. 2. respons. 36. numer. 11.* & *respons. 51. numer. 12.* Farinacius *de immunit. cap. 8. numer. 123. in fine.* Giurba *consil. 10. n. 25. in fin.* Et aduertant Episcopi, quòd si tradant reos Curie sæculari in casu quo debent gaudere immunitate, præter peccatum & obligationem damnorum; si reus esset ad mortem damnatus, incurrerent irregularitatem. Ita Nouarius in *summ. Bullar. titul. de immunitat. num. 31.* quia Episcopi nullam habent potestatem in casibus non exceptuatis: & ideò quando agitur de remittendo reo Curie sæculari, aduertant quid faciunt. Sed quia, vt in hoc iustè & rectè procedant, multum interest, & fundamentum est cognitio delicti: & quænam probatio requiratur. Ideò quæro,

An Episcopus, vt ferat sententiam, si reus debeat, necne gaudere immunitate Ecclesiarum, debeat stare processui factò à iudice laico: & an requiratur plena delicti probatio?

RESOL. XXXI.

Hæc casus frequenter accidit, & de illo Hægo differui in *part. 5. tractat. 1. resolut. 9.* Sed quia postea ab Eminentissimo heu quondam domino meo Lælio Cardinali Biscia duo Consilia incertorum Auctorum habui circa præsentem quæstionem, in gratiam curiosorum, non grauabor hinc illa per extensum apponere, & iudicium meum ferre.

Consilium primum.

Ad enodationem illius difficultatis, Vtrum Episcopus cognoscens de delicto eius, qui ad Ecclesiam confugit, possit ex processu iudicis laici probationes assumere; ne in ambigno versetur, indagandus ante omnia est germanus Gregorianæ constitutionis sensus: cum non ita dilucida sit, vt diuersas admittere nequeat interpretationes. Etenim in versiculo *sed vniuersis*, præcipitur Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, cæterisque Ecclesiarum Prælatibus sæcularibus & Regularibus, vt quoties qui ad loca immunita confugerint, delicta excepta eorum iudicio commisisse videbuntur eos, si requisiti fuerint, sæculari iudici tradant. Postea prohibentur iudi-

ces laici absque expressa licentia Episcopi, & interuentu personæ Ecclesiasticæ ab Ecclesiis delinquentes abducere, præterquam si requisiti consignare derectauerint. Denique constitutio mandat adductos delinquentes in carceribus Curie Ecclesiasticæ deponi, nec prius tradi, quàm Episcopus cognouerit, an ipsi verè excepta crimina perpetrauerint, tumque Episcopo mandante per iudicem Ecclesiasticum, omni appellatione remota consignari.

Hæc igitur constitutionis pars aliam atque aliam potest expositionem recipere: vna est, quòd duo in hac constitutione definiantur casus; quorum prior sit, cum nulla inter Episcopos & iudices laicos circa commissi criminis veritatem orta discrepantia, refugientes ex Ecclesiis per Episcopos abstrahuntur, & sæcularibus Magistratibus consignantur: hoc enim casu delicti probatio Episcopi iudicio committitur, vt in versic. *Sed vniuersis.* Posterior autem casus est cum educendi licentiam, ipsique educationi assistere Episcopis recusantibus, reos per se laici extrahunt, tunc enim mitti statim ac extrahi fuerint ad Episcopales carceres debent, nec inde abduci, trahique sæcularibus iudicibus, donec Episcopus cognouerit, verène maleficia excepta commiserint, quo cognito, quacunque appellatione reiecta consignandi sunt. Quisecundus casus deciditur in versicul. *Ne autem*, & in versicul. *Quòdque delinquentes.*

Hæc autem expositio; suadetur ex pluribus. Primò, quia cum in versic. *Sed vniuersis* per facultatem, immò verò expressum præceptum Episcopis iniunctum tradendi in casibus supra declaratis criminosos, esset res expedita, non erat, cur aliud subiungeretur, nisi quæstionis diuersitas, de qua in præsentis explicatione id postulasset, fuisset enim frustra effundere verba contra Legislatoris morem ac dignitatem *cap. si Papa, §. 1. de priuileg. in 6. l. 1. in fin. ff. ad Municip.*

Etablo utæ, atque omnino separatæ orationes, contentæque in eis dispositiones inuicem extenderentur contra textum in *l. sed et sit per prætorem, §. hac clausula il. 1. in fin. ff. ex quibus caus. maior. in l. cohæredi §. qui patrem, ff. de vulgar. & pupillar. & in cap. cum dilecti, de donat.*

Secundò loquendi modus est valde diuersus: nam in versicul. *Sed vniuersis*, admodum simpliciter Episcoporum iudicio criminum inuestigatio committitur, de extractis ad carceres Episcopales deducendis nihil dicitur, & appellatio ab Episcoporum pronuntiatione non tollitur, immò à signatura passim admittitur. An in versic. *Quòdque delinquentes*, & maiori verborum pondere eis iniungitur, vt cognoscant, an verè scelera, de quibus accusan-

E 2 tur,

tur, refuge patrauerint, adducti in carceribus Ecclesiasticis reponi iubentur, & omnis pro-uocatio remouetur. Tanta autem in loquen-di, & agendi ratione diuersitas casuum diuer-sitatem proculdubio demonstrat. *l. si idem*, & *ibi Bart. Sal. Fulgos. Castren. & Alexand. Cod. de codicill.*

Tertio patens afferri potest differentia: ra-gio; cum enim ab officialibus laicis, inuitis Episcopis delinquentes extrahuntur, æquissi-mum est, ut eis liquidioribus probationibus satisfiat: tum quia ex eorum repugnantia res magis dubia præsumitur: tum quia ipsorum nonnihil læsa videtur auctoritas. Cumque post attentatam contradictionem, maioremque habitam probationis lucem abstrahendos re-fugas decreuerint, honestissime appellatio reiicitur: cum enim prius disenserint, & factis postea probationibus acquiescerint, præsum-ptio vehementissima contra confugientes exoritur. Ex rationis autem diuersitate iuris & consequenter facti diuersitas inferitur *leg. vnic. §. hoc interdicitur, il. 2. ff. de font. leg. si postulauerit §. ratio, ff. ad leg. Jul. de adulter. leg. illud, ff. ad leg. Aquil.* Et quod in vna clausula dicitur, ad aliam non trahitur, in qua non eadem locum habet ratio, *leg. i. vbi Doctores, Cod. de lib. præ. Roman. consil. 112. numer. 3. & consil. 480. nu-mero 7.*

Quarto versic. *Quòdque delinquentes*, vbi Episcopus cognoscere iubetur, an verè com-missum fuerit exceptum crimen, sequitur im-mediata post versic. *Ne autem*, vbi datur lai-cis facultas extrahendi delinquentes, si Epi-scopi licentiam impertiri, atque assistere recu-sent: ergo ad hunc casum debet quod ibi di-citur referri tanquam ad proximum, *leg. si idem cum eodem, §. vltim. iunct. gloss. vltim. ff. de iurisd. qm. iudic. leg. i. cum gloss. in verb. dotis, ff. de legat. præst.*

Hanc primam interpretationem suboleuif-se videtur Farinacius, dum relata facultate concessa laicis extrahendi per se in casu su-pradicto delinquentes, subdit sic extractos in carceribus Ecclesiasticis esse detinendos, do- nec Episcopus de criminum qualitate cog-noscat in tract. de carcerib. & carcerat. q. 28. numer. 76. Sed, certè nemo, quod sciam, præter Illustrissimum dominum meum hoc perspi-caci, ingeniosoque modo locum istum expres-se enucleauit: cuius sola auctoritas apud me plurimum valet, atque apud omnes valere summo iure debet.

Alterà intelligentia est. Vt in versicul. *Sed vniuersis*, explicentur crimina, quibus non da-tur immunitas: generatimque propterea sta-tuatur, ut qui eorum delictorum rei Episco-porum iudicio visi fuerint, tradantur sæculari-bus Magistratibus, si tradi sibi postulauerint,

Verùm quia dubitari poterat de modo in tali traditione seruando, in sequentibus particu-lis declaratur ne sæculares eos sua auctoritate extrahant, nisi cum Episcopi ipsos tradere recu-sent: néve extractos ad alios, quàm Eccle-siasticos carceres perducant, vbi detineantur, donec Episcopi cognouerint, an verè excepta crimina commiserint, quo cognito, sublata prorsus appellatione consignentur. Itaut hæc in Episcopali custodia detentis, delictorum exactior cognitio, & appellationis remotio locum habeat, quomodocunque delinquentes ab Ecclesia abstrahantur, siue Episcopi iussu, siue eo reclamante, laicorum auctoritate ab huiusmodi constitutione concessa.

Hanc secundam expositionem omnes am-plecti tacite videntur, dum prædictam casuum distinctionem non faciunt, prout Gurtierez *pract. quest. lib. 3. quest. 1. numer. 36.* Farinacius *consil. 76. lib. 1. & de immunitat. Eccles. num. 373. & 374.* Ambros. *tractat. eod. cap. 11. numer. 1. & 2.* Authores *Consil. impressi apud Farina-cium lib. 2. consil. 168. dub. 2. & 3.* Et sanè etiam rationibus potest hæc interpretatio probari.

Primò, quia non potest reddi vera ratio, cur potius dissentiente, quàm consentiente Epi-scopo plenior probatio requiratur, cum sem-per agatur de præiudicio non Episcopi, sed Ecclesiæ cuius immunitas seruatur, vel læ-ditur.

Secundò si dispositio versic. *Sed vniuersis*, intelligeretur de reis tantum de consensu Epi-scopi extrahendis, sequeretur, ut non Episco-pi soli, sed inferiores etiam Prælati, ut Abba-tes, & alij locorum Regularium Superiores, cæterique Prælati sæcularium Ecclesiarum tradere possent laici reos, qui ad Ecclesias confugissent: cum prædicti omnes ibi id fa-cere nominatim iubeantur. Hoc autem esset contra omnium sententiam, & probatissimam vbique consuetudinem. Generale ergo præ-ceptum quoad Episcopos intelligendum vi-detur, ut debitam licentiam non negent, & quoad alios, ut de facto non reclamant.

Nec dici posse videtur Prælati inferiori-bus tradendi laicis delinquentes facultatem propterea non competere, quòd eis est sublata in sequenti versic. *Ne autem*. Quoniam si in versic. *Sed vniuersis* continetur casus omninò separatus à versic. *Ne autem*, quod in hac par-te, seu casu disponitur, ad superiorem partem, seu casum non pertinet quod si quoad hoc pertinere dicatur, cur non etiam quoad re-liqua.

Quicquid sit de veriori huius loci explica-tione non moror: neque enim aut hanc propugno, aut illam oppugno, sed illa tantum quæ mihi suppetunt, amplissimo viro atque huma-nissimo,

nissimo, beneficentissimoque Patrono humil-limo consideranda propono. Illud utique mi-hi dici posse videtur, ut quocunque scilicet modo aspiariat dictus versic. *Sed vniuersis*, parum referat: quia plena & ibi criminis pro-batio requiritur, cum sit commissæ Episcopis per verba *iudicio suo, & videbuntur*, quæ arbi-trium boni viri præferunt, *l. fideicommissa-ria 46. §. Caterum, ff. de fideicommiss. lib. 1. fidei-commissa 11. §. Si fideicommissum, ff. de legat. 3.* Bart. *Extrau. ad reprimendum, verb. videbitur, in princ. & num. 4.* latè Menoch. *de arbitr. iudic. lib. 1. quest. 8. num. 2. & 14.*

Cum quid autem boni viri arbitrio com-mittitur, seruari debent omnes regulæ iuris. Bart. *dicto verb. videbitur, numer. 8.* Alexand. *consil. 33. lib. 1. num. 3.* Iason in *l. si sic legatum, ff. de leg. 1. num. 26.* Multò igitur magis id ob-tinebit in criminalibus, vbi etiam liberum ar-bitrium est legibus subiectum. Iason *ibi n. 24.* Menoch. *de arbitr. iudic. lib. 1. quest. 9. num. 3. & 4. & quest. 77. num. 1.* Farinacius in *fragm. part. 1. littera A. num. 244.* Nullus autem, qui iuris regulas seruare voluerit, ex processu iu-dicis laici probationes desumet: tum quia aduersarium agit, nimioque ut plurimum af-fectu pertrahitur; tum quia vniuersæ illæ ra-tiones repugnant, quæ considerantur à Fari-nac. *cons. 76. lib. 1. num. 1. & 2. & cons. 168. lib. 2. num. 26. cum seqq.*

Hæc stricto iure dici posse opinor, solis vi-delicet verbis constitutionis perpensis: ve-rùm quia post constitutionem prodiit Episto-la quædam Clementis VIII. ad Archiepisco-pum Panormitanum, qui Sedem Apostoli-cam de nonnullis dubiis circa probationes delictorum, in dicta constitutione excepto-rum consuluerat, eam Epistolam tanquam legem ad declarationem Bullæ Gregorianæ editam arbitror esse seruandam. Quod enim Princeps per Epistolam ad priuatorum con-sultationem statuit, publici iuris vim obtinet, *l. 1. ff. de constit. Princip. §. Sed & quod Principi placuit, Instit. de iur. natur. gent. & civil. gloss. 1. in cap. ex tua 9. de fil. presbyt.* Abbas in *cap. Pa-storalis 4. de except. n. 1. not. 1.* Felinus in *cap. 1. de constit. num. 17.*

Mandauit autem Clemens, ut summarè, simpliciter, & extrajudicialiter, & quantum pro conscientia informatione sufficere vide-retur, delicti veritatem inquireret, prout ha-bet Genuens. qui eam Epistolam ad verbum refert, in *pract. Archiepiscop. Neapolit. cap. 94. & Farinac. consil. 168. lib. 2. addit. 1.* Pondero igitur Summum Pontificem contentum esse ex-trajudiciali probatione, quod insinuat non modò dictio illa, *extrajudicialiter*, verùm etiam clausula, *quantum pro conscientia infor-matione*, &c. Cum enim quid alicuius con-

scientia committitur, iudicialis commissio non dicitur, sed conscientialis. Franc. in *cap. statutum 11. §. assessorem, de rescript. in 6. num. 6.* Baldus in *l. certum 5. C. unde leg. num. 7. in fine.* Roman. *numer. 25.* Et propterea cognitio non requiritur. Lapus *alleg. 60. aliàs 61. num. 4.* Est enim secundum veritatem exequenda com-missio, & satis est, si iure gentium iustineatur. Bald. in *l. 2. C. de fideicommiss. num. 2.* Franc. in *d. §. assessorem, num. 6.* Ac sufficit qualitercum-que inquirere, & probationem ipsi soli, cui est demandata, concludere. Franc. *ibi*, & Felinus in *cap. 1. de constit. num. 5. 1. propè finem, vers. et si dicatur secundum conscientiam.* Habèturque is iure ordinario solum Deum cognitorem, & iudicem, Gloss. in *verb. relinquatur, in dicto §. assessorem, Franc. num. 6.* Abbas in *cap. super his 18. de accusat. num. 16. ad medium vers.* Item si committitur conscientia. Et dicit Mandosius posse sequi animi sui proprium motum sola naturali æquitate moderatum. *Addit. vltim. ad allegat. 15. Lapi.*

Cum igitur ex vi dictarum clausularum possint Episcopi vel extrajudiciales probatio-nes recipere, poterunt utique etiam desume-re ex processu iudicis laici, quæ in Ecclesiasti-co foro instar extrajudicialium sunt. Et meri-tò quidem id facient, si ex personarum graui-tate ac dignitate fides videatur testibus adhi-benda. Aut si ex tempore exceptarum proba-tionum videatur suspicio tolli, ut si exhibea-tur processus immunitatis controuersia non-dum orta, confectus, cui multum tribui posses; secus autem processu post litem parato ex grauissimorum virorum sententia scripsit Fa-rinacius *de immunit. Eccles. num. 37.*

Consilium secundum.

In hac materia quomodo Episcopus se ge-rere debeat in cognoscendo, an ij, qui ad Ec-clesias, vel alia loca sacra, vel immunia con-fugerunt, & inde seruata forma constitutio-nis Gregorianæ extracti, & ad carceres Epi-scopales traducti fuerunt, prætendanturque à sisco laicali, seu aliàs perpetrassè crimen in eadem constitutione expressum, atque exclusiuum immunitatis, plura occurrunt dubia.

Primum An iudex Ecclesiasticus, ad quem dicta cognitio spectat, teneatur stare proces-sui fabricato à Curia sæculari. Secundum ve-rò, quænam probatio requiratur in dicta cog-nitione.

Quoad primum dubium, non est parua controuersia inter Doctores, qui post præfa-tam constitutionem scripserunt: sunt enim inter se dissentientes. Nam Farinacius in *consil. 76.* cum Falc. *ibi*, & penes eundem

consf. 168. consulentes, alique relati per Giurbam *consf. 50. & consf. 100.* tenuerunt, quòd iudex Ecclesiasticus non tenetur stare seculari processui: ipse autem Giurba in dictis consiliis totum contrarium nititur probare.

Rationes tamen deductæ per ipsum Giurbam mihi non concludunt; quia ipse fundat se præcipuè in Breui Clementis VIII. registrato in praxi Archiepiscopali Neapolitana *cap. 94.* vbi Clemens in eò delicto Panormi perpetrato mandat Archiepiscopo, vt tradat delinquentes ibi nominatos Curia seculari ab Ecclesia extractos, si etiam summarie, simpliciter, ac extraiudicialiter repererit commississe crimina ibi expressa: dicitque Giurba se vidisse hanc suam sententiam receptam in Praxi ex dicto Breui. Ista inquam rationes Giurbæ non concludunt: quia satis dignoscitur hoc ipsum Breue Pontificium fuisse datum in dicta causa Panormitana ex rationabilibus causis animum Papæ mouentibus, & cum clausulis derogatoriis ad constitutionem Gregorianam, & cæteras constitutiones: vnde non est trahendum in exemplum ad alios casus.

Et dum subdit Giurba ita fuisse decisum à sacra Consulta, vt in additione ad dictum Consilium 168. penes Farinacium, quamuis hoc videatur colligi ex verbis, dictæ additionis: dum non obstante præfato Consilio 168. Farinacius scribit sacram Consultam resoluisse, quòd ibi delinquentes traderentur Curia seculari: tamen potest replicari primo, quòd ille ordo censetur emanasse à Principe, mediante sacra Consulta eum repræsentante. Secundo, quòd ista declaratio fuit facta in crimine assassiniæ ita graui, vt habeat secum multa specialia, iuxta textum *in cap. 1. de homicid. lib. 6.* & tradita per Mascard. *conclus. 137.* Tertiò, quòd eadem declaratio simpliciter accepta videtur non posse de iure sustineri, vt infra, cum de cætero ista declaratio videatur facta per sacram Consultam, prout de iure, ex ordine Sanctissimi.

Nec mihi sit verisimilis consideratio Gambacurtæ relata per Giurbam, *vbi supra,* quòd non præsumatur voluisse Pontificem anteuertere Curiam secularem per commissionem factam Episcopo in rebus spiritualibus occupato: siquidem cum hæc cognitio super immunitate pertineat ad Episcopum, etiam ante constitutionem Gregorianam, quicquid alij dixerint, etiam in criminibus exceptis, vt per Gratium *disceptat. 596.* & per Giurbam *d. consf. 100.* non potest iudex laicus conqueri.

Prout non suffragatur assertio Giurbæ, quòd aliter causa protraheretur, cum longa carceratione rei, & damno etiam ipsius im-

munitatis, cum Episcopus possit terminare causam remotis superuacanis dilationibus, & habeat potestatem ex constitutione Gregoriana terminandi causam appellatione remota, & insuper ipsi reo magis expediat causam maturius discuti, si scòque seculari nihil depereat reo custodito in carcere.

Pariter mihi non satisfaciunt rationes adductæ per Farinacium *dicto consf. 76.* dum vult probare quòd non sit standum processui seculari: nam prima eius ratio, quòd regula sit Ecclesiasticum iudicem non debere stare processui seculari ex Claro *in prax. crim. q. 36. in fine,* & aliis per eum adductis: & quam rationem etiam adducit Guaz. *in suo tractat. pro reis, defens. 1. cap. 30.* non concludit in terminis nostris: quia Clarus & alij prædicti loquuntur, quando agitur de processu facto à iudice laico contra Clericum, qui iudex est omnino incompetens, nullamque habet iurisdictionem in Clericum: vnde non mirum, si processus non valet, nec attendendus: & videmus, quòd etiam acta iudicis secularis aliàs per iudicem Ecclesiasticum obseruanda non attendantur, quando sunt inualida. *Dec. in cap. at si Clerici, num. 91. de iudicij.*

Eodem modo alia ratio Farinacij, quòd cognitio spectat ad Episcopum, & consequenter etiam facultas assumendi probationes, & diffiniendi causam, non conuincit, quòd inde sequatur Episcopum non posse stare processui seculari. Ad rationes verò propositas in dicto Consilio 168. penes Farinacium patebit responsio ex infra scriptis.

Quamobrem censere standum esse processui seculari, dummodo sit compilatus ante confugium ad Ecclesiam ipsius confugientis delinquentis, necnon contineat sententiam condemnatoriam ipsius rei, vel saltem testes in eo examinati probantes delictum sint repetiti, vel aliàs habitus pro repetitis à reo. Mouerique ex illa communi conclusione, quòd acta facta coram iudice seculari probant coram Ecclesiastico, *text. in d. cap. at si Clerici, n. 90.* Et hinc, sicut iudex secularis tenetur adiuuare Ecclesiasticum, ita & è contrà: cum Ecclesiastica & ciuilibus iurisdictionibus inuicem confederata: & propterea etiam bñditus à iudice seculari, debet haberi etiam pro bandito ab Ecclesiastico, vt bene per Alciatum *in cap. 1. num. 121. de off. ordin.*

Dixi autem de processu formato ante confugium ad Ecclesiam: quia si iudex secularis post confugium formaret, vel perficeret processum suum, videretur id facere vt in causa propria, vel interesse habes, vltra quòd id attentaret pendente causa coram Episcopo, vt bene per Farinacium in hoc casu *dicto consf. 79. num. 2.* Expressi etiam, quòd adit

condem

condemnatio iudicis secularis; vel quòd testes sint repetiti parte citata, vel habitus pro repetitis: quia solus processus informatius non faceret fidem, cum testes examinati parte non citata non probent, nec faciant indicium, etiam in criminalibus. Farinac. *quest. 72. n. 87.* & Guaz. *defens. 24. cap. 9.*

Nec videtur ob stare, quòd asserunt idem Guaz. *dicta defens. 1. cap. 30.* relatus per Giurbam *in cit. consf. 50.* sufficere quòd testes deponant super crimine, licet non sint repetiti: nam ratio Guallini, quòd in criminibus exceptis probent testes non citata parte, vltra quòd Doctores per eum allegati loquuntur solum in crimine Assassiniæ, & læsæ maiestatis humanæ, ista assertio patitur difficultatem, cum multi alij teneant etiam in dictis criminibus requiri citationem, vt per Mascardum *dicta conclus. 137.* Farinacium *quest. 72. vbi supra,* & per eundem Guallinum *defensione 24. cap. 9.*

Stabit ergo conclusio mea sententia: quod videlicet possit dari processui seculari. Nec mihi accesserunt negotium rationes in contrarium adductæ penes Farinacium *in dicto consf. 168.* nempe quòd acta in seculari iudicio, tunc probent in Ecclesiastico, quando sunt inter easdem personas in eadem causa, & agitur ad eundem finem, vt per Decium *in dicto cap. at si Clericus, numer. 90.* Nam consideratur, quod constitutio Gregoriana solum requirit in cognitione, quòd verè fuerit admissum crimen exceptum; hoc autem apparet ex processu seculari. Nec Ecclesia constituit diuersum ius cum illa, quemadmodum tuetur confugientes ad se in criminibus non exceptis: ita & excludit facinorosos in delictis exceptis; & non vult, quòd immunitas patrocinetur in casibus non permixtis, cum aliàs id esset perniciosum. Menoch. *presumptione 10. lib. 5.* Nec finis cognitionis super immunitate tollit fidem actis in Curia seculari: cum multi etiam velint non attendi diuersitatem causæ. Addentes ad Capellam Tholosanam *quest. 199.*

Et vterius hoc venit in consequentiam delicti excepti, & consequenter dicta acta probant Capell. Tholosan. *dicta quest. 199.* Et sicuti in crimine hæresis tenetur stare iudex secularis processui Ecclesiastico, ita & iudex Ecclesiasticus processui seculari in crimine fori secularis. Decius *in d. cap. at si Clerici, numer. 100. de iudic.* Deinde in crimine mixti fori attenditur pena maior ex latè traditis per Farinacium *in quest. 4. num. 8.* Et doctrina Angeli & Socini, relata *in dicto consf. 168.* quòd testes non faciant fidem coram alio iudice, cum ille debeat videre ipsos testes, eorumque dicta præfens agnoscere, vltra

quòd patitur difficultatem procedit quando coram alio iudice agitur ex illis testibus ad puniendum, vel absoluendum reum, vt in his terminis præfati Doctores loquuntur: non verò, quando agitur simpliciter ad remittendum, prout in casu præfenti.

Circa secundum dubium est quoque contentio inter Doctores: nam permulti voluerunt requiri plenam probationem criminis excepti ad effectum tradendi Curia seculari delinquentem. Alij autem voluerunt, quòd sufficiant indicia ad torturam, prout latè refert Giurba *in dictis consf. 50. & 100.* quos in effectu sequitur ipse Giurba: & fuit opinio Senatus Lusitani; vt ibi penes Gammam *decis. 171. & 182.* Gratianus autem *disceptatione 596.* lato calamo defendit sufficere, quòd Episcopus etiam extraiudicialiter se informet: tum quia constitutio Gregoriana non ponit modum probandi: tum quia remittit traditionem Curia seculari iudicio Episcopi, & ad verbum eius rationes refert Giurba *in d. consf. 100.* fundans etiam se in dicto Breui Clementis VIII.

Sed ego arbitror non sufficere extraiudicialem informationem, cum constitutio Gregoriana requirat cognitionem per modum conditionis, quæ conditio non est *in lius alimenterorum,* per Grat. allegata, *ff. vbi pupill. educari debeat:* vltra quòd ibi Bart. requirit iudicialem cognitionem, quando adest pars, & tractatur etiam de alimentis decernendis. Et verba posita in constitutione Gregoriana, vt tradat Episcopus Curia seculari eos, qui iudicio suo videbuntur commississe delicta ibi expressa denotant arbitrium boni viri. Latè Menoch. *de arbitr. quest. 8.* & consequenter tenetur Episcopus seruare ordinem iudicium: idem Menoch. *ibi quest. 13. & 29. & consf. 69. num. 63. & 69. in consf. 1131. num. 8. lib. 11.*

Et propterea videtur ex his requiri plenam probationem, & ex adductis *in d. consf. 168.* & per Castill. *decis. 166.* Nihilominus opinarer ego, quòd si processus fisci secularis esset antiquus: vel Episcopus aliunde non posset habere veritatem, in casu dubio semper deberet consulere sacram Congregationem, vt etiam arbitratur Guallinus *in defensione 20. sub num. 20.* Multa alia possent dici, sed ne tædio sim, omitrenda esse duxi.

Vidisti, amice Lector, quæstionem propositam in principio huius resolutionis latè discussam in supradictis Consiliis. Ego verò contra secundum Consilium persisto in mea opinione, quæ communis est, vt patet *in citata resolutione 9. tractat. 1. mea quinta partis,* quòd videlicet Episcopus non tenetur stare processui facto à iudice laico: & maximè si fuit

E 4 factus

factus postquam reus commisit crimen, & ad Ecclesiam confugit; Displicet etiam mihi id quod in primo Consilio asseritur; nempe Epistolam Clementis VIII. tanquam legem ad declarationem Bullæ Gregorianæ editam fuisse: quod tanquam falsum esse reiiciendum ego notavi in dicta resolut. 9. & notat Ciarlinius in controuers. forens. tom. 1. cap. 10. à numer. 92. Dicendum est igitur dictum Decretum Clementis VIII. fuisse locale, pro ciuitate Panormitana, & pro illo casu; non enim Pontifex voluit in eo constituere legem generalem: quod apparet, quia dirigitur ad Archiepiscopum Panormitanum, vt ex inscriptione, quæ ait: Venerabili Fratri Archiepiscopo Panormi Clementis VIII. & solum deferuit pro illo casu, pro quo fuit requisitus, vt colligitur ex illis verbis: *Supplicando, vt quid in huiusmodi causa faciendum sit, tibi prescribere dignaremur*; ideo illud Decretum tanquam lex localis, & particularis non ligat extra eum locum, & casum, vt ad rem dixit Farinacius in *append. de immunitat. Eccles. cap. 22. numer. 35* 1. late Peregrin. eod. tract. cap. 11. n. 10. 11. 12. & 17. vbi dicitur etiam, quod Pontifex, si voluisset facere legem generalem, eam fecisset publicare Romæ in Campo Floræ, vel in Basilica S. Petri, vt solet, quia publicatio est de essentia legis, licet quod placet Principi, etiam per Epistolam legis habeat vigorem, vt ad rem dixit Mar. Ital. in dicto tract. lib. 1. cap. 5. §. 4. numer. 6. *versic. vnde si.* tamen hoc procedit, si Princeps habuit animum condendi legem, & eam publicare fecerit, vt requirunt Farinacius & Peregrinus in locis. Et præterea esto etiam quod illud Decretum Clementis VIII. generaliter obligaret, non tamen tollit Bullam Gregorianam requirentem veram probationem: nec efficit, quin necessaria non sit plena probatio; licet enim dicat posse Episcopum se informare summarie & extrajudicialiter, & quantum pro suæ conscientie informatione sufficere videbitur; tamen hæc verba solum apta sunt ad tollendas iuris solemnitates, & apices: non autem immutant, quoad veras probationes, & ad decitoria iudicij: quin saltem ius gentium, vel naturæ non sit seruandum, vt late tradit Osaucus in *decis. 1. numer. 1. & numer. 15.* & Farinacius dicta *quest. 8. numer. 86. in versic. nihilominus, & quest. 63. numer. 13.* Mart. *clausul. 160. numer. 10. part. 1.* nam iure naturæ, in ore duorum, vel trium stat omne verbum, *l. vbi numer. ff. de testib. cap. si quis testes, §. vbi 1. quest. 3.* Cephal. *conf. 65* 1. Mascardus de *probat. in præfat. quest. 5. numer. 117.* Farinacius *quest. 63. numer. 232.* Ideo Episcopus non potest suam quietere conscientiam, nisi talem habeat probationem, quam omnia iura requirunt

Concludamus igitur veriore, & magis communem esse opinionem, quæ requirit plenam probationem delicti excepti, vel indubitata indicia, antequam reus foro seculari tradatur, & immunitatis beneficium priuetur.

Recognosce omnino prædictum Ciarlinium, & nouissimè Ægidium Trullench in *Decalogum tom. 1. lib. 1. cap. 11. dub. 6. numer. 4. & 5.* vbi nobiscum docet Episcopum non posse stare processui factò à laica potestate, sed debere nouas probationes recipere: & quod debeat plenè de delicto constare: nec sufficere, vt illud per coniecturas & præsumptiones cognouerit. Nec deseras videre me ipsum *loco citato in part. 5. tract. 1. resolut. 9.* Sed necessaria sequitur dubitatio, videlicet,

An dum causa agitur; an reus gaudeat immunitate, necne, possit index secularis illum ab Ecclesia extrahere, & in suis carceribus detinere?

RESOL. XXXII.

Affirmatiuè respondet Sarpus *c. 6. fol. 63.* vbi postquam dixisset aliquos asserere in tali casu reos esse custodiendos in compediibus intra Ecclesiam; aliquos verò dixisse vigilias custodiendas esse circa Ecclesiam: ipse tandem sic subdit: Prudentes iudices rectius iudicarunt reos ab Ecclesia extrahere, saluo tamen iure restituendi sacro loco, quando ita expedire visum fuerit, eosque custodia tradere, donec prehensio probata sit, aut improbata, Ecclesiam restituantur, prout iure conuenire visum fuerit. Sic ille.

Sed primus modus constituendi reos ligatos intra Ecclesiam, iam supra satis à nobis reprobatus est. contra Fontanellam. Secundum modum reprobat Sarpus ob reuerentiam debitam sacro loco (Timeo Danaos, & dona referentes) sed non damnat Raphaël de la Torre *tom. 2. in 2.2. quest. 99. art. 3. disput. 7.* & Suarez de *Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 22. numer. 4.* & alij, quos citat & sequitur Castrus Palaus *tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 11. numer. 6.* Tertium modum, quem ipse approbat, ego proffus reprobò. Primò, quia extrahens delinquentem, sicut vult Sarpus, extraheret illum sine licentia Episcopi, quod supra probatum est, esse contra sacros Canones, & Bullam Gregorianam. Secundò, quia Ecclesia habet regulam pro se, quod quilibet cuiuscumque conditionis ad Ecclesiam confugiens sit in ea tutus. Tertio, quia cum reus sit iam intra Ecclesiam, dicitur ipsa Ecclesia in ipsius quasi possessione; & ideo in eadem possessione conseruanda, donec de veritate questionis appareat.

reat. Et ita docet Decianus *lib. 6. cap. 29. numer. 2.* Farinacius de *immunitat. cap. vltim. numer. 370.* & Peregrinus *cap. 16. numer. 29.* vbi sic ait. Decianus tuerit, quod regulariter etiam de iure non sit reus consignandus Curie seculari, vt ille detineatur in carceribus laicis; sed tutus debeat permanere penes iudicem Ecclesiasticum. Sic ille. Et de hac questione non est dubitandum post constitutionem Gregorianam, vbi statutum est, quod delinquentes postquam ab Ecclesiis, locisve sacris, in casu quo Episcopi recusauerint extrahere, à seculari extracti, & capti fuerint, ad carceres Curie Ecclesiasticæ reponantur; & inibi sub tuto & firmo carcere, opportunaque custodia illis data etiam si opus fuerit, per Curiam secularem detineri debeant. Ita ille.

Sed hinc insurgit dubium. An liceat iudicibus laicis in casibus exceptis reponere reos in carceribus secularibus nomine Episcopi, vt ibi tutius custodiantur. Affirmatiuè respondent aliqui: quia in tali casu censetur reponi in carceribus Curie Ecclesiasticæ, cum ibi Episcopi nomine detineantur: sed hoc mihi non placet; cum Bulla præscribat reum reponendum esse in carceribus Ecclesiasticis, & postquam Episcopus declarauerit eum gaudere immunitate, non possit eum à carceribus liberare, nisi consentiente Magistratu seculari. Hinc à fortiori dicendum est non posse iudicem laicum, qui extrahit reum in casibus exceptis, retinere illum in carceribus suis, dando tamen cautionem de immunitate; sed debet re ipsa reum Ecclesie restituere: ita Bonacina *tom. 2. disput. 3. quest. 7. punct. 4. numer. 11.* & alij asserentes hoc procedere etiam si reus sic extractus vellet cedere iuri suo.

Sed hinc obiter quærenda sunt aliqua. Et primò inquirò. An Ministri, qui violenter extrahunt reum ab Ecclesia, si postea ex aliquo delicto ad eam confugiant, priuentur immunitate. Et affirmatiuè respondet Decianus *lib. 6. cap. 25. numer. 9.* Germonius de *sacram. immunit. lib. 3. cap. 16. numer. 104.* & alij: quia non videtur concedendam esse immunitatem ei, qui noluit eam alteri concedere. Verum ego contrarium sentio cum Castro Palaus *tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 10. numer. 10.* & Farinacius de *immunit. cap. 6. numer. 106.* Quia concedo talem reum dignum esse, vt immunitate priuetur: sed non apparet ex villo Canone esse de facto talem pœnam contra illum statutam: ergo pro illo stat regula generalis, vt ipse debeat immunitate gaudere.

Quæro secundò. An in casibus non exceptis possit Prælatus dare licentiam extrahendi reos ab Ecclesia: & ex illius mandato possit

index laicus delinquentem capere & punire. Et affirmatiuè respondet Correa in *relect. de immunit. part. 4. numer. 10.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 3. cap. 13. numer. 3.* Syluester *verb. immunitas 3. quest. 4. numer. 4.* Raphaël de la Torre *tom. 2. in 2.2. quest. 99. art. 3. disput. 7. gradu 8.* & Villalobos in *summ. tom. 2. tract. 59. difficult. 8. numer. 3.* vbi sic ait. [Tam poco seria pecado, quando los Rettores de la Iglesia diessen licencia iustamente para sacarle, y esto aunque res ce pesasse: La razon es, porque el priuilegio se concede principalmente a la Iglesia, y entonces seria iusta quando se entregassen dando primero seguridad de que no le castigarian con vida, ni en otra pena corporal; come se colige dal *cap. id. constitutus 17. q. 4.*] Ita Villalobos. Et hanc sententiam post constitutionem Gregorianam, quod valde miror, tenet Peregrinus de *immunitat. cap. 12. numer. 9.*

Sed stante dicta Bulla Gregorij XIV. ego prorsus tenco hoc Prælatis esse interdictum, nec posse reos iudici seculari consignare extra casus expressos. Et ita docet Bonacina *tom. 2. disputat. 3. quest. 7. punct. 7. numer. 3.* cui ego addo Castrum Palaum *tom. 2. tractat. 11. disput. vnic. punct. 11. numer. 5.* quia, ait ille, in supradicta Bulla solum in aliquibus casibus conceditur Prælatis hæc facultas consignandi reos iudicibus secularibus; ergo tacite in aliis negatur, maximè cum in dicta Bulla dicatur esse irritum & inane, quod contra actum fuerit. Ergo ne immunitas violetur in casibus non expressis, concurrere debet consensus rei, & consensus Ecclesie: nam contra Villalobos & alios vbi supra, dicendum est, quod licet hoc priuilegium sit concessum Ecclesie, ordinatur tamen etiam & redundat in reos ad illam confugientes, vt non possint inuiti abstrahi. Et ideo sententiam Villalobos & aliorum caueant iudices Ecclesiastici in praxim deducere; nam etiam non desunt asserentes in tali casu Episcopum incurrere in excommunicationem, quia violat immunitatem in constitutione Gregoriana præscriptam: licet alij respondeant dictam excommunicationem impositam esse contra violantes immunitatem per extractionem; non autem contra Episcopos præbentes extrahendi facultatem.

Et nota hinc obiter; quod quando iudex extrahit reum ab Ecclesia sine licentia Episcopi, licet postea securitatem tribuat, & cautionem & iuramentum, non esse corporaliter reum puniturum, non excusatur, si non restituat reum Ecclesie, quæ spoliata fuit. Ita Suarez de *Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 13. numer. 6.* & alij, quos citat & sequitur Farinacius *cap. 2. numer. 50.* quibus adde Villalobos *numer. 4.*

Quæro

Quæro tertio. An iudex laicus extrahens reum ab Ecclesia, teneatur ad restitutionem damnorum, quæ inde passus est. Non teneri ad ullam restitutionem asserunt aliqui; quia in sententia D. Thomæ in 2. 2. quæst. 99. art. 2. ad 3. in tali casu non committitur nisi solum sacrilegium, quia rem sacram violat: ergo non adest obligatio restitutionis, quæ confurgit ex violatione iustitiæ. Vide Decianum lib. 2. cap. 28. num. 6. & alios quos enumerat Ambrosinus de immunitat. cap. 15. num. 8.

Sed ibi ipse merito sententiam tenet affirmatiuam, quam etiam tuetur Suarez de Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 13. numer. 5. Valentia tom. 3. disput. 15. punct. 1. quæst. 2. Villalobos in summa tom. 2. tract. 39. difficult. 8. num. 4. Layman lib. 4. tract. 9. cap. 3. numer. 14. Scortia in Bullæ Pontif. Epitome 152. theorem 385. Peregrinus de immunit. cap. 15. num. 26. Farinacius cap. 20. num. 321. Bonacina tom. 2. disput. 3. quæst. 7. punct. 7. num. 3. Castrus Palauus tom. 2. tractat. 11. disputat. vnic. punct. 11. numer. 14. Probatum primo; quia illa extractio non solum est Ecclesiæ iniuriosa, sed etiam reo; nam ipse ius habet ne in Ecclesia capiatur; & si opus fuerit, per vim, & arma potest extrahenti resistere, ut tradit Farinacius cap. 2. num. 46. Italia lib. 1. cap. 6. §. 2. numer. 45. Suarez ubi supra, num. 4. & alij: ergo iudex peccat contra iustitiam commutatiuam illum extrahendo; ergo ad restitutionem damnorum teneri. Probatum secundò, quia iudex laicus capiens Clericum non solum peccat peccato sacrilegij, sed etiam iniustitiæ, cum in ipsum iurisdictionem non habeat: ergo etiam non solum peccabit peccato sacrilegij, sed etiam iniustitiæ capiendo laicum in Ecclesia; quia in ipsum, dum existit in Ecclesia, nullam iurisdictionem habet.

Nec obstat hoc priuilegium esse concessum loco & non personæ; ut sæpius supra dictum est: nam respondeo hoc priuilegium redundare etiam in homines ad ipsam Ecclesiam confugientes: & ideo concessum est quidem loco, sed ut tuti sint in eo existentes.

Dicere autem, quòd nullus iudex hanc restitutionem facit, & difficile creditu est tam communem praxim continere tam grauem errorem. Respondeo cum Suarez hic nos non tractare quid fiat, sed quid fieri debeat: nulla enim consuetudo præualere potest contra hoc ius, quod naturare est, supposita Ecclesiæ immunitate, cui etiam iudices per sua facta derogare non possunt.

Restat modò respondere ad auctoritatem Sancti Magistri. Dico igitur primò D. Thomam in dicto loco solum voluisse definire aliqua peccata sacrilegij separata ab omni alia malitia; & licet exemplum posuerit in iudice extrahente delinquentem ab Ecclesia, illi

inhærendum non esse, cum solum transeun- ter dixerit, & exemplorum non requiritur veritas. Vel secundò dicendum est & melius: quòd non obstat S. Thomam dixisse, cum iudex extrahit reum ab Ecclesia, solum illud peccatum habere malitiam sacrilegij: quia potest explicari habere malitiam sacrilegij per se ac primariò; consecutiue tamen habere malitiam iniustitiæ, quatenus supposita immunitate competit ius delinquentibus ad Ecclesiam confugientibus, ne per vim ab ipso extrahi possint. Et hæc dicta esse volo pro reuerentia Angelico Doctore debita.

Quæro quartò. An extractus ab Ecclesia restituendus sit, etiam si post extractionem in carceribus, verbi gratia, iudicis laici commiserit delictum pertinens ad forum sæculare. Negatiue respondet Gama decis. 57. Sed ego puto contrariam sententiam esse tenendam, quam tuetur Peregrinus de immunit. cap. 15. numer. 25. Bonacina tom. 2. disputat. 3. quæst. 7. punct. 4. numer. 13. Farinacius cap. 2. numer. 49. & alij. Et ratio est, quia qui prior est tempore potior est iure; & non est conueniens, ut Ecclesia propter iniustam iudicis laici extractionem detrimentum in sua immunitate patiat.

Sed hic non est omittenda curiosa & pulchra quæstio. An reus, qui fuit extractus violentè ab Ecclesia, & deductus ad carceres laicales, possit renunciare priuilegio immunitatis. Et affirmatiuam sententiam tenet Barbosa de iur. Eccles. lib. 2. cap. 3. numer. 58. quam in puncto iuris dicit esse veriolem; cum non principaliter Ecclesiarum intuitu immunitatum iura concessa fuere; sed potius personarum quærentium subterfugium Ecclesiarum: ergo dum reus vult renunciare huic priuilegio, ei licebit voluntariè se sinendo capi in Ecclesia, vel dum est in carceribus, sententia iudicis laici voluntariè se submittendo, & renunciando iuri suo. Et rationem adducit, quia iura interdunt tantum vim fieri in templis, ut patet in cap. inter alia, de immunit. ibi. Non est violentè ab Ecclesia extrahendus, quæ quidem volenti non inferitur: quod etiam patet ex cap. id institutum, cap. definiuit. cap. reum 17. quæst. 4. Et ideo Remigius de Gonnis in tract. de immunit. fallent. 11. ad finem sic asserit. Licet rugiens ad Ecclesiam non debeat inuitus extrahi, tamen si voluntariè velit exire, potest extrahi etiam contradicentibus Ministris Ecclesiasticis cum talis fugiens per hoc renunciet priuilegio, quod licitum est. Sic ille apud Barbosa loco citato.

Sed hanc sententiam puto omninò reiciendam esse, quia, ut supra obseruauimus, & obseruant Suarez de Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 136. numer. 11. & alij quos citat & sequitur Peregrinus

grinus de immunit. cap. 13. num. 12. istud immunitatis priuilegium principaliter & directè est Ecclesiis concessum; licet indirectè redundet in beneficium delinquentium contentorum in tali loco, ergo ab ipsis renunciari non potest: sicuti renunciari non potest à Clericis priuilegium fori; quia non ipsis ob ipsos, sed ob dignitatem Clericalem concessum est. Et ita hanc sententiam in terminis tenet Farinacius de immunitat. cap. 19. numer. 304. vbi citat Italiam & Decianum: quibus ego addo Peregrinum de immunit. cap. 15. numer. 22. Trullench in Decal. tom. 1. lib. 1. cap. 11. dub. 1. num. 14. & sequent. & Castrum Palauum tom. 2. tract. 11. disput. vnic. punct. 11. numer. 5. & Mastrillum lib. 2. decis. 169. Igitur reus extractus ab Ecclesia violentè non potest in carceribus renunciare huic priuilegio: sed restitutus à iudicibus laicis ad Ecclesiam, ex qua fuit extractus, potest postea, si vult, voluntariè ab illa exire, & tunc si à Ministris laicis capiatur, eius immunitate non gaudebit: vnde dum reus in Ecclesia existit, licet consentiat se ligari, & extrahi à iudicibus laicis, huiusmodi consensus & voluntas non excusat extrahentes à censuris. Et ita intelligendus est Salgadus tract. de Bull. Pontif. part. 1. cap. 3. numer. 64. aliter omninò refellendus venit.

An reus, dum existit in Ecclesia, possit à iudice sæculari damnari ad mortem, vel ad pœnam, & sint ei alimenta præstanda?

RESOL. XXXIII.

AD hoc dubium sic responderi Sarpus cap. 2. fol. 30. Inter cætera Doctores affirmare ausi sunt, Principes neque sententia damnare, neque habere quæstionem posse contra eos, qui ad Ecclesiam confugerunt; neque dum inibi permaneant, nec postquam ab ea discesserint: quòdque risum magis ac stomachum moueat, statuerant Ecclesiam ipsam teneri ad alimenta scælestis hominibus præstanda, dum ad eam confugientes ibi resident. Sic ait ille.

Sed iste homo id quod statuerunt sacri Canones, asserit iniuste ausos esse affirmare Doctores. Dicendum est igitur, quòd reus, dum existit in Ecclesia, damnari nequit ad mortem, vel ad pœnam corporalem, verbi gratia, ad exilium, ad triremes, ad verbera, ad perpetuum carcerem: nam istæ pœnæ computantur inter pœnas corporales, ut ego firmaui in part. 1. tract. 1. resolut. 12. & me citato docet Barbosa de iur. Eccles. lib. 2. cap. 3. numer. 56. Et ita definitum est in cap. inter alia, de immunit.

in illis verbis. Neque damnari debet ad mortem, vel ad pœnam: & in cap. id constituimus 17. quæst. 4. sic dicitur. De morte, debilitate, & omni pœnarum genere sint securi. Vnde stantibus supradictis claris & rotundis textibus merito contra Sarpum dicendum est hanc sententiam tenuisse Doctores, Gloss. in dicto cap. inter alia, verb. puniendus Hostienus n. 1. Ioannes Andreas num. 3. Ancharranus num. 2. Butrius numer. 5. Zabarella numer. 4. Anania numer. 3. & alij, quos citat & sequitur Farinacius de immunit. cap. 21. numer. 335. Quibus adde ex Neotericis Scortiam in Bullar. Pontif. Epitome 152. Theorem 385. Bonacinam tom. 2. disput. 3. quæst. 7. punct. 3. numer. 8. Peregrinum de immunit. cap. 13. numer. 13. Perficum de offic. Sacerd. lib. 1. cap. 9. dub. 12. num. 119. Azorium part. 2. lib. 9. cap. 9. tit. 12. Fagundez parte 2. lib. 4. cap. 4. numer. 48. Suarez de Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 12. numer. 6. & sequent. cum aliis.

Ad id verò, quòd Sarpus asserit aliquos Doctores asserere reum postquam ab Ecclesia discesserit, non posse à iudice laico puniri. Fateor hanc sententiam docuisse non infimæ notæ scriptores, ut Oldradus consil. 154. in fine. Syluester verb. immunitas, quæst. 4. Angelus eodem verb. quæst. 16. Armilla cod. verb. num. 12. Ioannes de Vischis de immunit. Eccles. num. 54. Decianus consil. 80. numer. 9. lib. 3. & Azorius part. 2. lib. 9. cap. 9. quæst. 12. vbi asserit, quòd quamuis confugiens ad Ecclesiam ex illa egrediat, eo tamen ipso, quòd semel ad Ecclesiam confugerat, illius gaudet immunitate; ita ut de iure non possit ob illud delictum amplius corporaliter puniri, seu condemnari: quod etiam ex eiusdem Societatis Doctorebus tenet Fagundez part. 2. lib. 4. cap. 4. num. 48. Et hanc sententiam de iure esse veriolem tenet Perficus de offic. Sacerd. lib. 1. cap. 9. dub. 12. numer. 121. quia hoc est est priuilegium immunitatis.

Sed quicquid sit de veritate huius sententiæ, ego contra Sarpum illam tenendam esse puto, saltem in quatuor casibus. Primò quando reus fuit condemnatus à iudice Ecclesiastico, modo quo paulò ante diximus. Secundò quando delinquens extrahitur ab Ecclesia in casibus non exceptis, id est, in quibus gaudent delinquentes. Tertio quando reus extrahitur ab Ecclesia in casibus exceptis absque licentia Episcopi. Quarto quando à Prælatibus Ecclesiæ consignantur rei, qui confugerunt ad Ecclesias in casibus non exceptis, iudicibus laicis cum cautione de delinquentis impunitate, quoad vitam, membra, & omnem corporalem pœnam, iuxta cap. id constituimus, & cap. reum 17. quæst. 4. Sed hic vltimus casus post constitutionem Gregorianam videtur non intrare, quia

quia vt obseruat Ambrosius *de immunitat. cap. 11. numer. 6.* & alij, in dicta Bulla statuitur delinquentes Curia seculari tradendos esse in casibus expressis in ea, in quibus poterunt etiam corporaliter puniri.

Et tandem ad id quod asserit Sarpus risum & nauseam mouere, sustentationem reis existentibus in Ecclesia ab ipsa Ecclesia exhibendam esse. Respondeo ipsum & similis farinae homines de hac re risum & nauseam habere, qui omnes leges & canones irrident. Dico igitur, quod tanta est commiseratio Ecclesiae, vt reis in ipsa existentibus, non quidem omnibus, vt falso Sarpus videtur supponere; sed iis, qui operas suas in ipsa exercere non possunt; vel iis qui non habent, vnde sustententur, sustentationem, & necessaria alimenta subministret. Et ita habetur *in l. praesenti, §. Sane, Cod. de his qui ad Eccles. confug.* & docent Doctores, quos ad satietatem adducit Farinacius *de immunit. cap. 19. n. 296.* & Peregrinus *cap. 13. num. 12.*

Sed hic obiter vnum valde notandum adnotare non desinam: nempe iudices Ecclesiasticos non solum posse imponere poenas, quas supra diximus, reis ad Ecclesiam confugentibus, sed etiam non debere eos impunitos dimittere, vt probat textus *in cap. inter alia, de immunit.* in illis verbis. Qui ad Ecclesiam confugit, legitime puniendus sit de eo, quod inique fecit, &c. Et ideo male faciunt Praelati, qui supra dictos reos impunitos dimittunt, & contra iustitiam facere, & delinquere tradunt communiter Canonistae *in dicto cap. inter alia. Hostiensis numer. 1. Ioannes Andreas numer. 5. Ancharanus numer. 2. Abbas numer. 13. Zabarella numer. 3.* & alij, quos asserit Farinacius *de immunit. cap. 21. num. 329.* & Palaus *ubi supra, numer. 9.* Et hoc (nota Lector) ipsimet rei, procurare totis viribus deberent: nam reus, qui ex privilegio immunitatis poenam corporalem euasit, fuitque a iudice Ecclesiastico multatus, non potest de caetero pro eodem delicto criminaliter accusari, inquiri, aut iudicari: vt tradit Gloss. *in cap. reum 17. quest. 4. ver. vel ad mortem.* Et ibi Archidiaconus *numer. 3.* & Bellamera *num. 1.* & alios, quos citat Castrus Palaus *tom. 2. tract. 11. disputat. vnic. punct. 11. numer. 10.* & Farinacius *de immunit. cap. 21. num. 340.* Et ratio huius communis sententiae est clara, quia si poena imposita, & delicto sic iudicato ab Episcopo, iterum postea reus posset iudicari & puniri a iudice laico, privilegium immunitatis Ecclesiae parum, aut nihil prodesset. Ergo, &c.

Restat modo videre; qua poena iudex Ecclesiasticus debeat reos gaudentes Ecclesiarum immunitate punire. Et respondeo poena pecuniaria; & ad damna & interesse passa per

eum, in quem deliquit; vel si pecuniam non habet, aliqua poena corporali, non multum corporis afflictiua: quia tunc non per se, sed quasi per accidens punitur. De quibus & aliis poenis vide Farinacium *dicto cap. 21. per totum; Castrum Palaum ubi supra, Suarez de Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 12. numer. 6. Marium Italianam lib. 1. cap. 6. §. 3. num. 1. & sequent. Decianum lib. 6. cap. 27. num. 3. Abbatem, Ancharanum, Butrium, Ananiam, Zabarellam in cap. inter alia, de immunitat. Eccles. & alios penes ipsos.*

Refelluntur aliqua argumenta à Sarpo adducta contra Ecclesiarum immunitatem; quam non habuisse originem ab Imperatoribus demonstratur. Et violantes illam, an possint ab Episcopo absolui, discutitur?

R E S O L. XXXIV.

PRO Coronide huius tractatus sciant Lectores in tota serie sui libri Sarpum impetere sacrorum templorum immunitatem, & illam contra iuris regulas restringere, & ad nihilum redigere, ex quatuor praecipue rationibus.

Primo: quia asserit, quod ad bonum publicum interest, ne crimina, & praecipue atrociora remaneant impunita. Secundo: quia Ecclesia non debet dare occasionem delinquendi. Tertio: quia Deus & ipsa Ecclesia delicta abhorrent. Quarto: quia apud veteres nationes pauca erant Asyla, in quibus rei immunitate gaudebant; Ecclesiae vero nostris temporibus sunt infinitae.

Verum ad primum respondeo, quod licet Reipublicae intersit crimina impunita non remanere; publice etiam & magis interest, quod Ecclesiae sint refugium ad ipsas confugentibus propter honorem & reuerentiam Deo debitam, & sic maius bonum non euitabitur. Neque inde sequitur crimina remanere impunita; quia pro delictis exceptuatis rei confignantur Curiae seculari: de aliis vero criminibus adhuc poena delinquentibus imponitur, quamuis non sit mortis, aut membrorum abscissionis.

Ad secundum respondeo, Ecclesiam non dare occasionem delinquendi ex eo, quod ad ipsam confugiant rei, (ex iusta enim causa hoc conceditur) sed vsurpari ab hominum malitia: vnde cum sit dispositio facta propter melius bonum, quod ipsa intendit, non debet ei praedicta occasio imputari.

Ad tertium respondeo, quod licet Deus & Ecclesia delicta abhorreant; est tamen Deus peccato

peccatorum scelestissimorum misericordia & refugium: ac proinde licet crimina detestentur, amplectitur tamen Ecclesia illos, qui ipsum Dei implorant auxilium.

Ad quartum respondeo: Maiorem honorem & reuerentiam debere Deo vero, quam Ioui, Dianae, Herculi, &c. Adde quod licet hodie sint plura templa, quam in illis temporibus fuerunt asyla; dictis asylibus indistinctè propter omnia crimina eorum immunitate gaudebant, & ab omni poena liberabantur, quod non accidit hodie in nostris templis: nam multi delinquentes ab ipsis extrahuntur, & qui gaudent immunitate, omnes poenas non euadunt. Vnde apparet Sarpum ex supra dictis argumentis templorum immunitatem restringere minimè debuisse.

Sed superest respondere ad id, quod ipse *fol. 7. & sequent.* pro certo videtur supponere: nempe dictam immunitatem esse de iure positiuo, & primario originem habuisse ab Imperatoribus: nam totis quingentis annis post Christum natum nullus extat Canon Ecclesiasticus, qui de hac immunitate decernat: & ideo Arcadius, & Honorius primi de hac materia statuerunt; & postea alij Imperatores, & deinde Summi Pontifices: vnde *fol. 19.* docuit etiam post inclinatum Occidentis Imperium vsque ad annum DCCCL. Ecclesiarum immunitatem nullibi, nisi laicorum Principum legibus fuisse innixam.

Verum respondeo communiter Doctores asserere dictam immunitatem esse de iure diuino. Ita illi, quos ego ipse adduxi *in part. 4. tract. 1. resolut. 44.* & plena manu adducit Chartarius *decis. crimin. 46. numer. 34.* Sed dato & non concesso, quod non sit de iure diuino; nego planè originem duxisse ab Imperatoribus: sed puto à Summis Pontificibus, quando templa aedificari ceperunt, fuisse eis hanc immunitatem concessam; licet ipsi post multa tempora de dicta immunitate statuta & decreta fecissent. Quod probatur à casu simili, quoad immunitatem Clericorum quae dato & non concesso, quod non sit de iure diuino; tamen certum est ipsos in primitiua Ecclesia iudicatos fuisse ab Episcopis, vt patet ex Diuo Paulo *Epist. 1. cap. 5.* ad Timotheum, ibi, *Aduersus Presbyterum noli accusationem recipere, nisi sub duobus vel tribus testibus;* & docet Valboa de Magrouejo *in lectionibus Salman-ticensibus, tom. 2. super cap. 2. de iudiciis, num. 39.* & Suarez contra Regem Angliae *lib. 4. cap. 13. numer. 10.* Et tamen hoc non obstante Pontifices post multa tempora ceperunt aliquid statuere circa praedictorum Clericorum immunitatem, vt ex sacris canonibus patet. Ergo, &c.

Confirmatur haec opinio. Primo ex text. *in*

cap. Pater 17. quest. 4. vbi Epiphanius Episcopi sententia contra Benenatum & Maurum, qui hominem de Ecclesia per vim extraxerant, laudatur; & subditur, hoc ne potestatis quidem ac Principibus vnquam licuisse perpetrare. Sed nota quod conditor huius Canonis fuit Gelasius primus; qui etiam primus inter omnes alios Pontifices cepit de Ecclesiarum immunitate statuere, ante cuius tempora nulla extabant Canonicae de hac immunitate leges. Hoc supposito,

Quaero cui iuri fuit innixa Epiphanius sententia contra illos violatores immunitatis lata, vt Gelasium, necesse fuerit illam approbare. Dices ex legibus Imperialibus, quas Sarpus adducit. Respondeo minimè; quia ibi Pontifex hanc violationem immunitatis vocat sacrilegium, quod ratione solius iuris civilis esse non poterat: ergo aliquid aliud assignandum est, vnde sacrilegij rationem haberet; aut tu ergo id assigna, aut mecum sentire te necesse est; nempe accepisse sacrilegij rationem: quia Summi Pontifices, vt dixi, eo ipso quod sacra templa aedificata fuere, eis immunitatem concesserunt; & ideo rectè Gelasius violationem Ecclesiae factam à Benenato & Mauro vocauit sacrilegium.

Deinde in dicto textu asserit Gelasius Pontifex, quod Principibus saeculi nunquam licuit extrahere confugas de Ecclesia. Quaero, quoniam iure fuerit prohibitum Principibus laicis extrahere reos ab Ecclesia. Dices ex legibus Imperialibus, quas asserit Sarpus. Respondeo minimè. Et ideo suppone Gelasium primum gessisse Pontificatum circa annum Domini 495. Leges autem Imperatoriae à Sarpo adductae fuerunt latae ab Honorio & Theodosio octoginta fere annos ante Gelasij Pontificatum, vt patet ex historiis. Quo supposito manifestè apparet verba Gelasij non posse referri ad ius civile: ait enim nunquam licuisse. Quod si iure civili non licuit, solum per illos octoginta annos non licuit, qui intercesserunt ab Honorio ad Gelasium: ergo dum dicit Gelasius nunquam licuisse Principibus extrahere reos ab Ecclesia, dicendum est semper à primordio, quo templa erecta fuerunt à Summis Pontificibus hanc eis immunitatem largitam fuisse. Vnde Principes laici delinquentes ab ipsis extrahere non poterant.

Nec obstat huic textui Gelasij Papae Canon Concilij Arausicani *cap. 4.* qui refertur *in cap. eos qui, dist. 87.* & duos Canones Diui Augustini, qui habentur *in cap. miror, & cap. reum 17. quest. 4.* in quibus immunitas Ecclesiarum statuitur: & ideo potuit Gelasius dicere Benenatum, & Maurum extrahendo reum ab Ecclesia commisisse sacrilegium, & non licuisse

licuisse Principibus laicis delinquentes ab Ecclesiis extrahere. Nam respondeo hoc non ob stare, cum enim pauciores anni intercesserint inter hos Canones & Canonem Gelasij, quam inter Gelasium, & primum ius ciuile; adhuc minus dici posset nunquam licuisse Principibus laicis reos extrahere. Adde quod tempore Gelasij Papæ Concilium Arausicanum non erat confirmatum, neque inter Canones relatum. Ergo, &c.

Confirmantur supradicta. Quod si immunitas Ecclesiarum originem habuisset eo modo, quo vult Sarpus *in cap. 1.* sequeretur per spatium multorum annorum sacra templa Christianorum immunitatem non habuisse; vnde fuissent peioris conditionis, quam fuerunt olim Asyla Gentilium. Sequeretur etiam, quod Pontifices hanc reuerentiam Ecclesiis & Deo debitam non dedissent; & in hoc superari & præuenti fuissent ab Imperatoribus laicis: sed hæc omnia videntur absurda. Ergo, &c.

Neque obstat id, quod adducit pro sua firmanda sententia Sarpus *in dicto cap. 1.* quod anno 399. Concilium Generale Africanum misit Epigonium & Vincentium Episcopos ad Honorium Cæsarem, qui simpliciter peterent, vt iis, qui ad Ecclesias Africas confugerent, licet delicta perpetrassent, ab iis non extraherentur. Hoc, inquam, non obstat: nam respondeo Patres illos Concilij id fecisse non ex necessitate; sed ex suauis Ecclesiæ prouidentia; & ad maiorem immunitatis obseruantiam voluerunt autoritate Principis iuari, vt notat Suarez *de relig. tom. 1. lib. 3. cap. 8. n. 13.* fecisse Patres in Concilio Toletano *12. cap. 10.* quod etiam Sarpus pro se adducit, vbi sic habetur. Pro his qui quolibet metu, vel terrore Ecclesiam appetunt, consentiente pariter Gloriosissimo D.N. Neringio Rege, hoc sanctum Concilium definiuit, vt nullus audeat confugientes ad Ecclesiam, vel residentes inde vi extrahere. Sic *ibi.* Vnde Innocentius III. *in cap. inter alia, de immunitat. Eccles.* allegat pro hac materia statuta Canonum, & vt ipse loquitur, traditiones Regum. Famulantur igitur supradictæ leges Imperiales Decretis Summorum Pontificum; & contra Sarpum dicendum est esse leges subsidiarias, & non institutorias: vt loquens de quibusdam aliis legibus Imperialibus circa personas Ecclesiasticas rectè docuit sacra Rota in vna Albanensi Gabbellæ die 28. Iunij 1630. coram nunquam factis laudato Doctissimo Merlino, & docet Surdus *consil. 396. numer. 14. vol. 3.* Alexander de Neuo *consil. 50. numer. 2.* Abbas *in cap. si quis, numer. 1. de maiorit. & obedient. & ibidem Felinus etiam n. 1.* cum aliis quos citat & sequitur Belletus *de fauor. Cler. person. §. 1. n. 26. part. 1.*

Et tandem pro coronide huius tractatus non desinam hinc Lectores admonere, aliquos, qui typis scripta sua mandarunt post editas Resolutiones meas, annumerare me inter Doctores adherentes, excommunicationem latam contra violantes immunitatem Ecclesiarum non esse Summo Pontifici reseruatam; sed posse ab illa Episcopos absolueri: sed Resolutio vltima primæ meæ partis *tract. 1. de immunit. Ecclesiast.* si attentè legatur, hoc non dicit. Ibi enim ego tantum refero pugnantem sententiam in hac quæstione & opinionem meam non profero, quam nunc promam.

Dico igitur contra Castrum Palaum *tom. 2. tractat. 11. disput. vnic. punct. 12. numer. 7.* supradictos iudices incurrere ipso facto excommunicationem Bullæ Gregorij XIV. à qua absolui ad Episcopos minimè possunt, sed à solo Summo Pontifice. Et ita præter Doctores, quos in citata Resolutione congeffi, tenent hanc sententiam non benè me pro contraria adducens Ioan. Baptista Ciarlinius *in controuers. forensib. cap. 10. num. 38.* Barbosa *de iur. Ecclesiast. lib. 2. cap. 3. numer. 167.* & Maranta *in controuers. iur. part. 2. respons. 36. num. 14.* vbi obseruat in vna Neapolitana de Sanfeliciis in anno 1626. contra Curiam Archiepiscopalem, quæ absoluerat extractores, malè illos absolutos fuisse S. Congregationem enunciaffe. Vnde non grauabor hinc apponere per extensum literam Cardinalis Galli ad Episcopum Liparen. tenoris sequentis.

I L L. E T M. R. M O N S I G N.
Come Fratello.

LA Sacra Congregatione hà veduto quanto V. S. hà scritto con la sua delli 16. di Gennaro proximo passato. E quanto all'hortatoria mandatali dal Sig. Vice-Rè de Sicilia, per occasione d'hauer essa secommunicata il Capitano & altri Sbirri di coteſta Città, ch' eſtraſſero vn delinquente da Chiesa, doue s'era ritirato. Se bene vede ch' in questo cessa ogni molestia già che ella auuifa essere stato consegnato à lei il detto carcerato: non dimeno perche in detta Hortatoria è quella clausula così pregiudiciale, nella quale si dichiara espressamente che gli Officiali & famigliari di V. S. chesono laici, non deuono godere dell'immunità del foro nelli delitti communi; mà solo in quelli che commettono sotto preteſto dell' officio: ne meno deuono godere dell'essentione delle gabelle, hanno questi miei Ill. Signori ordinato, che si scriua, come s'è fatto, al Signore Vice-Rè, che reuochi la detta Hortatoria, del che è parso bene fare consapeuole à V. S. acciò auuifi poi quanto seguirà: e trà tanto

tanto dourà spedire, quanto prima la causa del Prigione consegnatoli conforme à i termini della Bolla di Gregorio XIV. auuertendola però, ch' ella non doueua assoluere il detto Capitano & Sbirri dalle censure incorse per la detta estrattione: perciò che questo toccaua à questa Santa Sede; però se n'astenera per l'auuenire, & Iddio la conserui. Da Roma li 2. di Marzo 1611.

Di V. S.

Come Fratello

Il Cardinale Gallo.

Hinc stantibus supradictis, & aliis multis declarationibus emanatis à Sacra Congregatione, quam, vt par est, venerari oportet; & ex rationibus à Maranta, vbi supra, & aliis Doctoribus adductis, puto, vt diximus, non posse Episcopos absolueri ab excommunicatione Gregoriana incurſa propter violationem immunitatis Ecclesiasticæ: sed in casu contingenti ad Summum Pontificem recurrendum esse existimo.

Nec desinam hinc adnotare non defuisse Doctores adherentes iudices violantes immunitatem Ecclesiarum incidere in censuras Bullæ Cœnæ; & ita docet ex Societate Iesu Ioannes Baptista Scortia *in Bull. Pontif. Epit. 152. theorem. 387.* licet contrarium ex Hugolino & Gratiano teneat Fontanella *tom. 1. decis. 201. num. 38.*

Et nota etiam refellendum esse Zambellum *in repertorio moral. verb. Ecclesia,* quoad eius immunitatem, numer. 23. docentem excommunicationem contra lædentes immunitatem Ecclesiarum non esse latam, sed ferendam: & ideò non sunt statim excommunicati: sed debent excommunicari. Verum contrarium declarauit Clemens VIII. & Paulus V. Vide Castrum Palaum *tom. 2. tract. 11. disput. vnic. punct. 12. numer. 3.* & alios penes ipsum: quibus adde Larream *de immunitat. part. 4. num. 8.*

Sed & tandem in gratiam curiosorum non desinam hinc difficilem proponere quæstionem, quam non ita diligentèr Doctores pertractauerunt. Ideò quæro,

An iudex laicus iubens interfici reum in Ecclesia incurrat in excommunicationem constitutionis Gregorij XIV. tam ipse, quam eius Ministri?

R E S O L. XXXV.

CAfus magis curiosus, quam practicabilis Calicui forsitan videbitur: sed sciat nostris ærumnosis temporibus sapiùs in praxi accidisse, verum vbi, ex dignis rationibus proferre nolo. Et pro sententia negatiua facit quod dicta constitutio infligit excommunicationem in extrahentes reos ab Ecclesiis: ergo cum sit pœna, non est extendenda ad occidentés ex Glossa *in cap. in panis 49. de regul. iur. in 6. & ex cap. pane, de penitent. distinct. 1. & ex leg. interpretatione, ff. de pan. & docet Castrus lib. 1. de leg. penali, cap. 7. document. 3. Larrea decis. Granatens. tom. 2. decis. 78. num. 16. & decis. 95. numer. 7.* & Doctores communiter. Adde pro excusatione supradicti iudicis laici doctrinam, quam docet Henriquez *in summ. lib. 4. cap. 17. numer. 4. in fine,* afferens non violari Ecclesiam à iudice, qui emissio iaculo extra Ecclesiam existens perturbatorem Reipublicæ intra illam existentem occidit, quem capere non potest: & ratio est, quia actum debitum exercet, & sibi iure concessum: vnde videtur iure suo.

His tamen non obstantibus affirmatiuæ sententiæ adhærendum esse puto: quam multis firmabo argumentis. Et primò probatur hæc opinio: quia legis mens magis est attendenda, quam verba, vt patet *ex leg. scire, ff. de legibus, leg. non aliter, ff. de legat. 3. l. nominis, & rei, §. verbum, ex legibus, ff. de verbor. significat. & tenet Surdus decis. 35. numer. 14.* Ferrerius *in constitut. Cathal. gloss. 4. numer. 66.* vnde Bartholomæus Humada *in Scholio ad glossam Lopez leg. 57. titul. 5. part. 1. gloss. 2. numer. 7.* docet ex Baldo *in dicta leg. scire,* quod non solum recedere debemus à verbis legis, & seruare mentem, vbi est expressa: sed etiam vbi mens, seu ratio non est expressa. Et ita etiam tenet Abbas *consil. 1. numer. 7. volum. 1.* Bartolus *in leg. cum mulier, ff. solut. matrimon. Iason in leg. iuris gentium, §. ait Prator. num. 15. ff. de pactis,* & alij: nam sicut corpus humanum regulatur ab ipsa anima; ita lex regulatur à sua ratione. Ratio enim ita se habet ad legem, sicut anima ad corpus; & sicut ducitur corpus ex dispositione animæ, ita lex ex dispositione rationis suæ, vt latè obseruat, & probat Gutierrez *in practic. Questionib. lib. 3. quæst. 17. num. 83.* Sed cum mens & ratio finalis constitutionis Gre-

F 2 gorianæ

gorianæ in fulminatione dictæ censuræ alia non fuerit nisi reuerentia sacris templis debita, & consequenter indemnitas personarum ad ea confugientium, & dicendum est in casu nostro, quod licet verba Bullæ dirigantur in extrahentes, interpretanda tamen sunt à foriori: etiam contra occidentes, vt legis mens & intentio seruetur: nam certè maiorem irreuerentiam erga sacra templa, & maiorem offensionem circa personas ad ea confugientes præberet, qui reum in Ecclesia occideret, quam si illum ex ea extraheret. Ergo, &c. Adde quod cum lex, frequentioris vsus causa aliquid decernit, casum minùs frequentem non excludere, sed comprehendere tradunt Doctores in leg. vnic. Cod. de raptor. virgin. cum Glossa ibi, & in l. verbo Dei, Cod. de his, qui ad Eccles. confug. & Clement. 1. verb. presidentes de rescript. Et in specie Valascus tom. 1. consil. 8. numer. 2. Peralta in leg. Lucius la 1. numer. 22. ff. de legat. 2. Sanchez de matrimonio, lib. 3. disputat. 20. numer. 3. & lib. 9. disp. 14. num. 16. cum aliis. Ergo cum Summus Pontifex in dicta constitutione expresserit casum frequentioris extrahentium reos ab Ecclesia, non ex hoc exclusit minùs frequentem, nempe occidentium reos in illa.

Probatum secundò. Quia licet extensio legis non debeat fieri ultra verborum proprietatem tam naturalem, quam ciuilem: tamen extensio admittitur, quando lex, si non extenderetur, remaneret elusoria, vt tradit Nauarrus cap. 27. numer. 51. Couarruias variar. resolut. lib. 3. cap. 3. numer. 9. Felinus in cap. translato, de constitut. numer. 14. Suarez lib. 4. cap. 2. numer. 7. Mascardus de probat. conclus. 596. numer. 2. Sarmiento lib. 1. select. interpretat. cap. 12. n. 7. Tiraquell. in legib. conubialib. gloss. 5. num. 115. Aluarus Valascus tom. 2. consultat. 159. num. 10. & alij penes ipsos. Quod probatur ex Glossa in cap. Clement. 1. de sepult. in vers. sepelietur, in fine. Glossa in cap. quamquam, & Glossa finalis de vsur. in 6. extendens illam constitutionem odiosam de Testamento ad Codicillos, & ad omnem vltimam voluntatem, vt non sit elusoria. Et confirmari potest ex cap. Ciuitas, de excommunicat. in 6. vbi interdictum Ciuitatis extenditur ad Suburbana, ne vilipendi valeat interdicti sententia. Sed in nostro casu, si constitutio Gregoriana, non extenderetur, remaneret elusoria, & deseruiret de vento: quia iudices Laici, & eorum Ministri ad effugiendam excommunicationem Pontifici reseruatam, non extraherent reos, de quibus est quæstio, ab Ecclesia, sed illos in ea occiderent; quod esset legi fraudem facere, contra regulam leg. contra legem 28. ff. de legib. ibi, in fraudem verò legis, qui saluis verbis legis sententiam eius circumuenit, & ibi Glossa,

Albericus, Baldus, & Fulgosius multis exemplis illustrant. Idem probatur in Regula, certum 88. lib. 6. ibi, Certum est quod is committit in legem, qui verba legis complectitur, & contra legis nititur voluntatem. vbi Glossa, Dynus, & Peckæus, quibus adde Thomam Vallascum tom. 1. allegat. 67. numer. 41. Ergo dicendum est sub nomine extrahentium, ne lex nostra elusoria remaneat, occidentes etiam inclusos esse. Facit ad confirmationem supradictorum altera regula iuris, quod non debet quis admitti alia via, quando alia prohibetur illud facere, ex leg. oratio, ff. de sponsal. regul. cum quid 84. lib. 6. vbi glossa aliquibus exemplis exornat, & post eam Dynus & Peckæus. Quibus addo Ioseph Sesse decis. Aragon. 28. numer. 11. & alios, quos citat & sequitur doctissimus & amantissimus Dominus meus Larrea in decis. Granatens. part. 2. decis. 67. num. 13. Et go, &c.

Probatum tertio. Quia non pauci, nec contemnendi, imò magni nominis Doctores asserunt etiam legem pœnalem extendendam esse ad alium casum, quando militat eadem ratio. Et ita per textum in l. 2. vers. si Curatores, ff. ad Tertull. & in cap. si postquam, cum gloss. de elect. in 6. docet Alphonsus Moditius in §. lex est, Institut. de iure gent. dub. 54. numer. 1. Quia vbi est eadem ratio, & omnimoda similitudo, debet esse eadem iuris dispositio etiam in pœnalibus: quia tunc non dicitur fieri extensio, sed quædam declaratio, vt notat Gloss. singularis in cap. 1. in verbo Italia, de tempor. ordinand. lib. 6. quam pro singulari commendat Panormitanus in cap. nihil, column. antepenult. de elect. & in cap. finali, column. 2. de rescript. & Cynus in l. 1. Cod. de interd. vbi Baldus dicit in secunda column. circa medium, allegando illam glossam, quod vbi est eadem ratio, ibi idem est casus formalis ex mente iuris, licet non sit eadem materia, & in leg. si quis seruo, Cod. de furtis, column. 2. versicul. dubitatur ergo, in fine, dicit, quod constitutio pœnalis non dicitur extendi, vbi extenditur ex mente eiusdem constitutionis, iuxta doctrinam Gloss. in cap. si postquam de elect. lib. 6. vbi Glossa in verb. mente modicum, vltra medium. Idem firmat expressè Baldus in l. illud, col. 2. circa medium, versic. Item nota ex Glossa Cod. de Sacrosanct. Eccles. quod licet lex prohibeat extensionem; tamen fiet extensio de similibus ad similia, & hoc sentit ibi Glossa in vers. alia causa, in princip. & subdit Baldus, quod illa dicuntur similia, in quibus est eadem ratio vel maior. leg. non solum, §. qua priuilegium, ff. de excusat. tutor. Et tunc non dicitur fieri extensio propriè, sed hoc dicitur inesse de iure: allegatur Cynus ibi, & Gloss. in d. cap. 1. Quæ omnia latè confirmantur à Gutierrez Practic.

Quæstion.

Quæstion. lib. 3. quæst. 17. numer. 83. vbi probat, quod in quacunque materia sumus, vbi habet locum ratio legis, ibi quoque locum debet habere ipsa lex, leg. illud, ff. ad legem Aquiliam, leg. à Titio, cum similibus, ff. de verbor. obligat. Mantica. de coniect. vltimar. volunt. lib. 2. cap. 11. numer. 20. Tiraquellus de caus. cessant. part. 1. numer. 151. Becc. consil. 89. numer. 10. Decianus consil. 76. numer. 10. lib. 2. Mascardus de probat. conclus. 1162. numer. 4. & prius conclusione 312. numer. 9. Adde Barb. consil. 10. numer. 11. 12. & 19. lib. 2. Hinc est, quod in his, quæ per rationem legis comprehenduntur, non dicitur fieri interpretatio extensiuæ, sed comprehensiuæ. Roland. à Valle consil. 27. numer. 6. dum sequentibus, lib. 1. Euerardus vbi supra, versicul. Primò enim fallit, & plures referens Doctores Molina lib. 1. de Hispan. primogenit. cap. 5. num. 12. Tiraquellus dicta part. 1. de causa cessante, numer. 136. cum seqq. Becc. consil. 62. num. 17. Et dicitur fieri interpretatio intellectiuæ, non verò extensiuæ. Baldus in l. quamuis, in princip. Cod. de fideicommiss. Tiraquellus vbi supra, numer. 155. Decianus dicto consil. 43. num. 20. lib. 2. Et non dicitur lex extendi, sed includi ille casus sub eiusdem legis dispositione, latè Crauetta de antiquit. temp. 4. part. princip. in princip. numer. 91. cum sequentibus, & Parisius consil. 32. numer. 20. lib. 2. Ergo cum ex supradictis pateat ex identitate rationis legem pœnalem esse extendendam. A fortiori dici potest censuram constitutionis Gregorianæ contra extrahentes, extendi posse, imò comprehendi occidentes. Sed dato, quod contraria opinio esset probabilior, nempe legem pœnalem non esse ex identitate rationis extendendam: tamen certum est non procedere, quando lex pœnalis lata est in fauorem animarum, vt docet Sanchez lib. 3. disp. 1. num. 8. Hostiensis cap. penultimo, in fine, qui filij sint legitimi, vbi Ioan. Andreas num. 5. Anton. num. 9. Ancharanus num. 5. Abbas numer. 5. & 6. Henricus numer. 10. Alexander de Neuo numer. 7. Præpositus num. 3. Bartolus Auth. Sacramenta puberum, num. 19. Cod. si aduersus venditionem, vbi Iason numer. 72. Francus cap. sciant cuncti, de election. in 6. numer. 6. addens quantumcunque lex correctoria sit. Castillo leg. 40. Tauri numer. 14. Couarruias 4. decret. part. 2. cap. 6. initio, num. 12. vbi alios refert. Perez lib. 5. Ordin. titul. 1. lib. 1. fol. 39. col. 1. Gratianus regul. 111. num. 6. Flaminius de resignat. benefic. lib. 11. quæst. 2. num. 17. Azevedo lib. 5. recopilat. titul. 1. l. 2. num. 4. Et idem dicendum est, quando lex pœnalis est in fauorem Ecclesiæ, vt docet Glossa cap. sciant cuncti, verb. alios, quam sequuntur Dominicus ibi numer. 6 & Francus etiam numer. 6. Et idè ex Suarez Pater Lessius lib. 2. cap. 45. dub. 4. numer. 22. docet, quod

excommunicatio in cap. conquesti, de sentent. excomm. contra infringentes & spoliantes Ecclesia est extendenda etiam contra comburentes, quia est lata in fauorem Ecclesiæ, licet comburens non confringat propriè vel expoliet Ecclesiam. Sed constitutionem Gregorianam certum est latam esse in fauorem Ecclesiæ, & ad euitanda sacrilegia, quæ circa eius reuerentiam, & immunitatem laici perpetrabant, vt patet ex verbis Bullæ, ibi, in grauem locorum, & personarum contemptum, ipsius diuinæ Maiestatis offensam & scandalum, &c. ergo licet sit pœnalis, extendendam esse dicendum est. Et idè excommunicationem contra extrahentes ex identitate rationis occidentes comprehendere meritò putauimus.

Confirmantur supradicta asserendo constitutionem Gregorianam esse fauorabilem. Et ratio est, quia ex primario fine attendenda est dispositio, vt colligitur ex Gloss. in cap. si propter, de rescript. in 6. vers. primi anni. vbi illam constitutionem reseruantem fructus vacaturæ Episcopo mortuo, appellat fauorabilem: quia principaliter edita est in fauorem Episcopi, vt debita persoluat, quamuis in eorum damnum, quibus obuenerit debebant, redundet. Et tenet ibi Dominicus numer. 9. Francus num. 6. idem tenet Gloss. in cap. sciant cuncti, de elect. in 6. verb. alios, & ibi Dominicus in fine. Francus ibi in fine. Bartolus leg. qui exceptionem 40. in princip. num. 2. per illum textum, ff. de condit. in deb. & ibi Albericus num. 1. Salicet. numer. 1. idem Bart. in leg. si quis nec causam, in princip. numer. 6. ff. si cert. petat. & ibi Paulus numer. 4. Felin. cap. 4. de sponsalib. num. 14. vers. aliud est, & cap. non dubium, numer. 2. de sentent. excommunicat. & dicit esse optimum textum ad hoc probandum cap. 2. §. Statuimus, de decim. in 6. ibi, cum non sit dicendum asperum, sed pius potius ac benignum. Additio ad Panormitanum cap. non dubium, de sentent. excommunicat. numer. 3. verb. pœnali. Syluest. verb. interpretatio, in fine. Couarruias cum aliis, quos refert, variar. resolut. lib. 1. cap. 11. num. 5. Mandosius regula 10. de Annali, quæst. 3. numer. 7. Flaminius de resignat. beneficior. lib. 12. quæst. 2. n. 23. & sequens. vbi alios refert. Itaque si principale intentum legislatoris sit in fauorem alicuius disponere; licet in odium & damnum alterius redundet, dispositio illa fauorabilis dicenda est. Sed præcipuum intentum Pontificis in nostra constitutione, vt patet, nec indiget probatione, fuit fauor Ecclesiæ & personarum ad eas confugientium: licet ex hoc emanauerit censura in extrahentes, fauorabilis tamen dispositio dicenda est, & non pœnalis, vt ex superius allatis probatum est. Vnde Alphonsus Moditius in §. lex est, Institut. de iur. gent.

F 3 dub. 21.

dub. 2. numer. 4. docuit excommunicationem dispositionis in cap. si quis suadente 17. quest. 4. extendendam esse, quia licet contineat pœnam; tamen quia principalis intentio disponentis fuit fauor Clerici, fauorabilis, & non pœnalis existimanda est. Et ita etiam docet nouissimè Merolla in disputat. Theolog. tom. 3. disput. 6. cap. 6. dub. 1. numer. 14. addens vnum notabile pro casu nostro, nempe leges latas pro tuitione Ecclesiasticæ immunitatis, etiam si pœnas infligant, esse tamen fauorabiles, & inter priuilegia computari; sed constitutio Gregoriana licet censuram imponat, hoc facit pro munienda immunitate Ecclesiarum: ergo constitutio fauorabilis dicenda erit.

Restat modò respondere ad argumentum contra nostram sententiam in priuilegio oppositum: & pater responsio ex dictis. Hinc Naldus vbi infra sic ait. Nec quicquam facit ratio illa deducta ex proprietate verborum prædictæ Extrauagantis, capere nempe, vel carcerare, &c. quia responderetur ea omnia factis verificari formaliter; & iuxta mentem disponentis: ne scilicet delinquentes, & in Ecclesia se recipientes abducantur ab ea, protegente ipsos immunitate Ecclesiastica: & sic nec in bonis, nec in persona quicquam nocibilitatis perpeti debent, nec ex capturas nec ex percussione, aut alio corporali detrimento.

Nec dicatur non esse faciendam extensionem de casu ad casum in odiosis. Quia respondetur, quòd dispositio etiam odiosa, si ex ipsius ratione expressa extenderetur, non esset verè extendere, sed comprehendere tanquam genus species suas; sicut etiam illa dicitur continere species, & casus omnes, qui eiusmodi expressæ rationi conuenire possunt: & ita hæc erit interpretatio intellectiua, non extensiva. Hæc Naldus. Vel respondendum est legem pœnalem esse extendendam, quando lata est in fauorem Ecclesiæ, & ad euitanda peccata, vt lata est constitutio Gregoriana: immò cum eius præcipuum intentum dirigatur in fauorem Ecclesiarum, & personarum ad eas confugientium; licet ex hoc redundet pœna inflicta violatoribus: tamen adhuc dicenda est constitutio fauorabilis, & non pœnalis & ideò extendenda. Remanet igitur factis euacuatum argumentum aduersariorum.

Ad authoritatem verò Henriquez asserentis non violari Ecclesiam à iudice, si occidat in ea malefactorem, quem capere non potest. Respondeo hanc doctrinam esse falsam, & improbabilem: & vt talem illam damnat & improbat nouissimè ex eadem Societate Iesu Stephanus Fagundez in Decalogum, tom. 2. lib. 6. cap. 3. numer. 14. Concludo igitur ex supradictis iudices laicos, & eorum Mini-

stros occidentes reos in Ecclesia incurrere in excommunicationem constitutionis Gregorij XIV. Et ita ego ore tenus respondi Felici Tamburello nunc Episcopo Soræ; tunc verò Vicario Generali Eminentissimi Principis, & Domini mei Cardinalis Boncompagno.

Sed ne aliquis dicat me nimis esse pronum ad defendendam immunitatem Ecclesiasticam; sciat me non esse primum Auctorem huius sententiæ, sed illam ante me docuisse amicissimum Ioannem Mariam Nouarium tract. de elect. fori tom. 2. part. 2. quest. 14. Nostrum Patrem Naldum in Annotationibus Prædictis ad ius Canonicum, fol. 61. & nouissimè Paulum Squillantè tractat. de obligat. Cleric. part. 5. dub. 14. numer. 90. vbi testatur sic fuisse obseruatum in facti contingentia. Verum cum in conflictu opinionum illa sit amplectenda, quæ fauet Ecclesiæ, vt tradit Ioannes Solorzanus de Indiarum iure, tom. 1. lib. 2. cap. 24. n. 39. & alij, quos ego citauit in part. 1. tract. 2. resolut. 63. & part. 5. tractat. 1. resolut. 27. hanc ideò nostram sententiam ab omnibus in fauorem Ecclesiæ amplectendam esse existimo.

Et hæc dicta sufficiant pro præsentis tractatu de immunitate Ecclesiarum aduersus Sarpum illam prorsus labefactare conantem. Aduerte etiam hic obiter eundem Sarpum cap. ultimo docere Templum Iudæorum priuilegio immunitatis non fuisse insignitum: sed aduersus illum insurgit Georgius Rittershusius, vtinam pius esset Author, de iure Asylo- rum cap. 12. vbi etiam alium Sarpi errorem adnotat: nempe Græcorum tantummodò vsum fuisse, vt templis immunitatem tribuerent, quod falsum putat, cum apud omnes Gentes asylo recepta fuerint. Vnde apparet Sarpum Iudæorum, Gentium & Christianorum templis nimis infensum fuisse.

Sed quia Sacra Tempia non solum priuilegium conferunt reis ad se confugientibus, sed etiam aliquibus personis ad eorum seruitium deputatis, ideò in fine huius tractatus in gratiam studiosorum visum est mihi hic apponere casum de quo his diebus interrogatus fui à viro docto & integerrimo Francisco Paulatio Sacrarum Congregationum Concilij & immunitatis Secretario dignissimo.

* * *

In

In Diocesi N. volentes ad Ordines promoueri prius adscribuntur Ecclesiæ Cathedrali, & per annum gestant habitum Clericalem inseruendo eidem Ecclesiæ, prout faciunt Clerici iam ordinati. Queritur an in dicto anno gaudeant priuilegio fori?

RESOL. XXXVI.

Negatiuè respondet Bonacina tom. 2. disputat. 10. quest. 2. §. 2. numer. 2. Suarez contra Regem Angliæ, lib. 4. c. 29. numer. 9. Gambacurta de immunit. lib. 7. cap. 11. numer. 2. Reginald tom. 1. lib. 9. cap. 23. numer. 354. & alij. Probat Bonacina hanc sententiam primò, quia tales non gaudent priuilegio Canonis, ergo neque gaudere debent priuilegio fori. Secundo, quia in Concilio Tridentino non solum, vt quis gaudeat priuilegio fori, præscribitur ei delatio habitus, sed etiam tonsuræ. Tertio, quia supradicti non sunt personæ Ecclesiasticæ.

Verum ego affirmatiuæ sententiæ tanquam magis Ecclesiæ fauorabili libenter adhæreo, quam tuetur Decianus, quem citant & sequuntur Ambrosinus de immunit. cap. 22. n. 6. & Farinacius in praxi Criminali. quest. 8. n. 5. quibus ego ad Belletum in disquisit. Cleric. titul. de fauore Clericorum personali, §. 2. numer. 2. Barbosam de iur. Eccles. lib. 1. cap. 3. §. 2. numer. 52. & alios penes ipsos asserentes priuilegium fori extendendum esse ad seruientes Ecclesiis. Et probant hanc sententiam, ex cap. 2. de foro compet. vbi sic habetur. Nullus iudicum neque Presbyterum, neque Diaconum, aut Clericum vllum, aut minores Ecclesiæ sine permissu Pontificis per se distringere, aut condemnare præsumat. Vbi glossa, per minores Ecclesiæ intelligit seruientes deputatos ad eius obsequium.

Nec obstat dicere cum Gambacurta & Reginaldo vbi supra, quòd text. in dicto cap. 2. intelligendus est de illis, qui sunt perpetuò adstricti seruitio Ecclesiæ: nam hoc gratis dicitur; cum enim inseruientes Ecclesiæ priuilegio fori decorentur, non in gratiam propriæ personæ, sed in gratiam ipsius Ecclesiæ, vt patet ex dicto, cap. 2. de foro compet. & ex cap. Ecclesiarum seruos, 12. quest. 1. Sequitur, quòd qualitas perpetuitatis non possit esse considerabilis, vt sine illa inseruientes non debeant gaudere immunitatibus: pro tempore enim, quo inseruiunt famuli temporales, eodem modò inseruiunt respectu illius temporis, quo perpetui respectu perpetuitatis: neque enim perpetuitas imprimit characterem prout Cle-

ricatus, cuius ratione non possint perpetui conueniri coram iudice laico: sed ideò conueniri non possunt, quia Ecclesiæ inseruiunt; quæ qualitas seruitij ita cadit in temporario, prout in perpetuo. Cum igitur seruire non importet necessariò actum perpetuum, cum ad tempus quis possit inseruire; & respectu illius temporis eadem sit vtilitas Ecclesiæ, pro qua inductum fuit priuilegium, ratione serui temporarij, quæ est ratione serui perpetui. Ergo cum vt Ecclesia seruitium consequatur, dum effectualiter famulus inseruit, non sit necesse, vt additio sit perpetua, in consequens per necesse sequitur, quòd exemptio, quæ est concessa intuitu seruitij Ecclesiæ, non sit concessa intuitu perpetuitatis: & sic quòd perpetuitas, vel temporalitas non potest aliquid importare, vt ex ea concludatur exemptio. Et ita hanc sententiam Gambacurta & Reginaldi de seruis perpetuis & temporariis optimè refellit Hispanus Narbona in recopilat. part. 3. lib. 4. tit. 1. leg. 20. Gloss. 1. numer. 27. & alij.

Nec secundò obstat dicere cum Suarez numer. 11. textum, in dicto cap. 2. intelligendum esse de seruientibus Ecclesiæ, non omninò laicis; sed habentibus saltem primam tonsuram; nam hoc etiam gratis dicitur. Et miror alioquin virum doctissimum hæc dixisse; nam ante Concilium Tridentinum omnis Clericus etiam primæ tonsuræ sine seruitio Ecclesiæ gaudebat priuilegio fori, vt latè & doctè more suo probat Thomas Vallascus Lusitanus tom. 1. allegat. 10. numer. 12. & 13. Ergo nullum priuilegium habent seruientes Ecclesiis virtute d. cap. 2. de foro compet. Sed vt vult Suarez, Clerici esse deberent: nam Clerici etiam non deseruendo Ecclesiæ tunc, vt dictum est, priuilegio fori gaudebant.

Dicendum est igitur absolutè seruientes Ecclesiis gaudere priuilegio fori, & maximè in casu nostro, cum deseruiant in habitu Clericali, & in ordine vt ad minores promoueantur. Vnde hanc sententiam videtur satis firmare Siculus noster Barbatia in dicto cap. 2. de foro compet. numer. 24. vbi sic ait. In Glossa quaritur, quid comprehendatur appellatione minorum Ecclesiæ, qui non possunt distringi, aut condemnari à iudice laico. Respondet, quòd sunt scholares, vel seruientes Ecclesiæ deputati ad eius obsequium: quia illi eodem priuilegio gaudere debent, 12. quest. 2. c. Ecclesiarum seruos: habuit fortè respectum ad quasdam Ecclesias, maximè in Alemania, vbi sunt scholares addiscentes, & seruientes Ecclesiæ: simile habetur in cap. 1. de celebrat. Missar. Veniunt etiam seruientes ipsi Ecclesiæ, si ad obsequium eius deputati sunt: & sic non sufficit seruire Ecclesiæ, sed oportet deputatum esse ad eius obsequium. Vidi ego sæpenumero forarium

meum seruientem Ecclesie in Missa, vt propter hoc non gaudeat priuilegio Ecclesie, quia ad illud seruicium non est deputatus. Sed Vincentius videtur intelligere de iunioribus deputatis Ecclesie obsequio, vt adueniente etate promoueantur ad ordines. Hucusque Barbatia, cuius vltima verba mirifice faciunt profectu nostro, & ea quoque, quae addit postea numer. 33.

Restat modò respondere ad argumenta Bonacinae in principio posita. Et ad primum, quòd isti Ecclesie seruientes non gaudent priuilegio Canonis; ergo neque gaudere debent priuilegio fori. Respondeo negando consequentiam: nam familia laica Episcopi, vt iteratis vicibus declarauit Sacra Congregatio, & ego satis firmaui ex communi Doctorum sententia in Apologetica disceptatione contra Moscosum *resolut. 2.* gaudet priuilegio fori, & tamen non gaudet priuilegio Canonis. Valet quidem argumentum, vt obseruat Suarez *contra Regem Angliae, lib. 4. cap. 29. numer. 6.* Layman *lib. 4. tract. 9. cap. 7. numer. 1.* & me citato Ambrosinus Machin *ubi infra, art. 4. numer. 37.* valet, inquam, argumentum, gaudet quis priuilegio Canonis; ergo gaudebit priuilegio fori, sed non è conuerso.

Ad secundum. Quòd ex Concilio Tridentino, vt quis gaudeat priuilegio fori, debet non solum gestare habitum, sed tonsuram. Respondeo, quòd Concilium, vt legentibus patet, loquitur de priuilegio fori, quo debent gaudere Clerici, vt Clerici: non de priuilegio fori, quod aliis competit ex alio capite. Et idèd Concilium asserit. Nullus Clericus prima tonsura initiatus, &c. Vnde Stephanus Baurny Auctor parum fauens Ecclesiae immunitati, licet alioquin vir doctus & eruditus in Theolog. Moral. *tom. 1. tract. 11. quaest. 37.* & alij quos ad fatietatem adduxi in *dicta disceptatione Apologetica, resolut. 8.* mordicus hanc sententiam tenent.

Ad tertium argumentum, quòd dicti seruientes non sint personae Ecclesiae. Respondeo hoc esse verum: sed non sequitur. Ergo non gaudent priuilegio fori: quia, vt dictum est, hoc priuilegium illis non datur à sacris Canonibus intuitu personarum, sed ratione solius utilitatis Ecclesiae: sicut seruientes Episcopis non sunt personae Ecclesiae, & tamen gaudent priuilegio fori. Vnde non desinat hic apponere verba Ambrosij Machin in *allegatione pro iurisdictione Ordinum Militarium, art. 6. numer. 58.* vbi sic ait. [Muy diferente razon es de los Clerigos à los de la familia del Obispo que gozan del fuero, y no del Canon: porque el fundamento de gozarle no es el mismo: pues no se les da como à personas Ecclesiasticas, si no como à familiares del Obispo, à qui en el derecho leda.] Hæc ille; quæ indiuidualiter deseruiunt pro casu nostro: & pro responsione ad omnia argumenta Bonacinae. Contra quem etiam facit casus vxoris Clerici coniugati, vt me citato docet nouissimè Merola *tom. 3. disput. 6. cap. 3. numer. 52.* & ego addo vxores Equitum Diui Iacobi Alcantarae, & Calatravae; quas certum est non gaudere priuilegio Canonis, neque esse personas Ecclesiasticas, & tamen gaudent priuilegio fori: vt inter alios nouissimè solidè probat eruditus Franciscus de Amaia in *Cod. lib. 10. tit. 39. numer. 12. & sequent.* Ergo idem dicendum est de seruientibus Ecclesie, qui licet non gaudeant priuilegio Canonis, neque sint personae Ecclesiae, non ex hoc sequitur contra Bonacinae non posse gaudere priuilegio fori, & maximè in casu nostro, vbi tales incedunt cum habitu Clericali, & deseruiunt Ecclesie intuitu suscipiendi ordines minores. Et ita stando in terminis iuris communis ego probabiliter sentio, saluo semper aliorum doctorum virorum meliori iudicio, & Sacrae Congregationis immunitatis oraculo.

TRA



TRACTATUS SECVNDVS,
S E V
APOLOGETICA DISCEPTATIO
D E
FAMILIA LAICA
NVNTIORVM APOSTOLICORVM.

An familia laica Nuntij Apostolici gaudeat priuilegio fori.

RESOL. I.

Negatiuam sententiam tenet nouissimè Christophorus de Moscoso, cuius laudes & merita, meritò enumerat eruditus Amaia in *Codicem, lib. 10. tit. 39. numer. 12.* Probat hanc suam sententiam nominatim contra me in *Allegatione Hispano idiomate conscripta*, primò quia Episcopi familiam armatam habere non possunt, ex *Gloss. in cap. dilecto, de sentent. excommunicat. in 6.* & docet Hostiensis, Abbas, Felinus ita à *numer. 22.* Secundò, quia licet Ministri Curiae Episcopalis gaudere debeant priuilegio fori, hoc tamen intelligendum est in delictis communibus: neque ex Ministris Curiae facienda est extensio ad familiam domesticorum; cum nullus extet Canon, qui hoc priuilegium eis concedat, vnde ait. [Aunque fuera cierta la opinion favorable a los Obispos, y necessaria para conseruar la iurisdiction, y castigar los excessos de sus ministros cometidos en los officios: ne se puede estender este priuilegio a que los Criados gozen de el fuero, porque para esto no ay texto ec todo el derecho, que lo decida, y sarece de razon, que tengan tal priuilegio los Criados seglares de los Obispos, y fuera di graue inconueniente para el gouerno politico de los Principes, y buena administracion di iusticia:] ita à *numer. 25. vsque ad 39.* Tertio, quia hoc priuilegium Papa non potest concedere inuitis Principibus, cum non possit laicos à seculari iurisdictione eximere: & idèd laici non possunt se submittere Ecclesiae iurisdictioni. Ita à *numer. 30. vsque ad 41.* vbi citat Pontium, Barbosam & alios. Quarto, quia ex auctoritate Patris Suarez *contra Regem Angliae, lib. 4. c. 29.*

numer. 9. Familia Episcopi post Concilium [es evidente, que no pue de gozar del fuero, porque en la *sess. 13. cap. 6.* se da forma, y ponen la calidades de ordenes, y otros requisitos che han de tener, con que quando fuere cierto tal priuilegio oy esta derogado respecto de que las palabras con que se decide son vniuersales, que las palabras con que se decide son vniuersales, y comprehensiuas de todos los que han de ser exemptos; porque el derecho dize: Nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere. Is etiam priuilegio fori non gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat; aut clericalem habitum ac tonsuram deferens alicui Ecclesiae de mandato Episcopi inferuiat, vel in seminario Clericorum, aut in aliqua schola, vel vniuersitate de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores ordines suscipiendos versetur. Ninguno goze del priuilegio de el fuero sin tener ordenes, o beneficio, o traer habito decente, o assignado à el seruicio de alguna Yglesia por mandado del Obispo.] Ita ille *num. 47. & sequent.* vbi pro hac opinione praeter Suarez citat Ceuallos, Pereiram, Cutellium & Vegam. Quintò, [quia fuera absurdo grande, y contra derecho hazer luez a el Obispo in los delitos de sus familiares *ex leg. qui iurisdictioni, ff. de iudiciis,*] vbi Vlpianus ait. Qui iurisdictioni praest, neque sibi ius dicere debet, neque vxori, neque liberis suis, neque libertis, neque ceteris, quos secum habet; ita *numer. 42.* Sextò affert *numer. 43.* cedula Regis Ferdinandi & Isabellae, in qua clarè statuitur familiares Praelatorum esse subiectos potestati seculari. Et tandem septimò asserit in *numer. 29.* si familia laica Episcoporum gauderet priuilegio fori, diminueretur quàm plurimum potestas Regis, & esse contra bonum & pacem publicam propter delicta supradictorum. Vnde ex his praecipue

puè fundamentis Moscosus negat mordicus familiam laicam Episcopi gaudere priuilegio fori ; & per consequens infert (nam de hoc erat tunc quæstio) neque familiam Nuntij Apostolici tali debere priuilegio frui.

Proponuntur fundamenta affirmatiua sententia.

RESOL. II.

SEd his non obstantibus ego puto familiam laicam Nuntij Apostolici gaudere priuilegio fori , quia in Prouincia sua habet iurisdictionem ordinariam, quam habet Episcopus in sua Dicecesi , vt probat Fagundez in *Decal. tom. 1. lib. 2. cap. 41. numer. 22.* Suarez de *Relig. tom. 2. lib. 6. de voto, cap. 10. numer. 10.* Gomez in *Bullam Cruciatam, clausul. 10. numer. 61.* Merolla in *Theolog. Moral. tom. 3. disputat. 7. cap. 5. difficult. 8. dub. 2. 1. numer. 491.* Molina de *iustitia, tract. 5. disputat. 9. numer. 7.* Gutierrez in *Can. quæst. lib. 1. cap. 11. numer. 5.* Gonzales in *Regul. 8. Cancellar. gloss. 21. numer. 36.* Azorius *part. 2. lib. 2. cap. 27. quæst. 5.* Gratianus in *disceptat. forens. cap. 226. numer. 2. & 3.* Sanchez de *Matrimonio, lib. 1. disputat. 28. numer. 27. & lib. 8. disp. 28. numer. 4.* Abbas in *cap. 1. de offic. legat. numer. 2. & 3.* Ancharanus *cap. 1. in fine, numer. 5. de transact.* Barbarius de *Cardinal. Legat. quæst. 5. numer. 18.* & alij communiter : & ideò exercet omnia quæ per Ordinarios exercentur ratione ordinariæ potestatis , vt patet ex Abbate in *cap. quod translationem, de offic. legat. numer. 9.* & aliis quos citat & sequitur Fragofo in *Regim. Christ. Reipublice, part. 1. lib. 5. disp. 13. numer. 67.* Vnde Calderinus *consil. 11. docet, quòd quicquid potest Episcopus in Dicecesi respectu iurisdictionis, potest Legatus in sua Prouincia. Imò Legatus est supra omnes Ordinarios tanquam Summi Pontificis vices gerens ex cap. 2. de legat. in 6. & ibi Doctores communiter. Ergo sicut familia laica Episcopi gaudet priuilegio fori ; ita & à fortiori Nuntij Apostolici gaudere debet. Et ideò tota difficultas est. An familia Episcopi tali gaudeat priuilegio : nam Moscosus negat, vt visum est. Sed prorsus contrariam sententiam amplectendam esse existimo, quam Cardinalis Tuschus *tom. 3. littera E, conclus. 27. numer. 21.* Iulius Clarus in *Prax. criminal. §. finali, quæst. 35. numer. 18.* Ioannes de Monte Sperello *penes Calcaneum, consil. 72.* Gratianus *decis. Mar. 233. numer. 2.* Capicius *decis. 12. numer. 1.* Suarez in *Thesauro, recept. sentent. ver. Clericus, numer. 129.* & Farinacius *quæst. 8. n. 40.* communem vocant ; & ita reuera est, vt patet tam inter recentiores, quam veteres : vnde visum est mihi hic per extensum apponere*

omnes Doctores qui illam tenent. Et hi sunt præter supra dictos,

Abbas in *dicto cap. finali, de offic. Archid. numer. 5.* & in *cap. cum non ab homine, de iudic. numer. 2.* & *cap. 2. de for. compet. numero 6.*

Hospiensis in *dicto cap. finali, numer. 14.*

Ioannes Andreas *numer. 15.*

Butrius *num. 2.*

Ioannes Antonius de Nigris in *Extrauag. vnica, num. 89. de vit. & honest. Cleric.*

Calcaneus *consil. 71. num. 4.*

Bursatus *consil. 25. num. 13. lib. 1.*

Natta *consil. 576. num. 5. in fin. lib. 3.*

Bombinus *consil. 10. numer. 10.*

Viuius *decis. 116. num. 1.*

Ambrosinus Machin Archiepiscopus Caliguritanus in *resolut. pro iurisd. Ordin. Milit. art. 6. num. 58.*

Bossius *tit. de for. compet. num. 127.*

Decianus in *tract. crimin. tom. 1. lib. 4. cap. 4. num. 47. & 57.*

Maurus Burgius de modo procedendi ex abrupto, *quæst. 65. num. 77.*

Marfilus *consil. 67. num. 60.*

Sbrozius de *Vicario Episcopi, lib. 2. quæst. 147. numer. 2.*

Aloysius Leo in *Authent. Cassa, mem. 23. C. de sacrosanct. Eccles.*

Franciscus Leo in *Theaur. for. Ecclesiast. part. 1. cap. 11. numer. 17. & 18.*

Belluga in *Spec. Princ. rubr. 11. §. videndum, numer. 6.*

Villalobos in *commun. opinion. littera F, numero 33.*

Menochius de *arbitr. cas. 561. num. 13.*

Alderanus Mascardus de *stat. inter, concl. 1. numero 135.*

Carolus de Grassis de *effect. Cler. effect. 1. numero 128.*

Barbosa de *potest. Episc. part. 3. allegat. 107. numero 9.*

Antonius de Marinis *Quotidian. resolut. lib. 1. cap. 117. num. 1. me citato.*

Mauricius Alzedo in *prax. Episcop. part. 1. cap. 12. num. 77.*

Gauantus in *Enchirid. Episcop. ver. familiares Episcopi, num. 2.*

Hermanus Stamno de *seruit. person. cap. 7. numero 6.*

Marius Antoninus *variar. resolut. lib. 1. resolut. 75. num. 1.*

Belletus in *disquisit. Cler. p. 1. tit. de fauore, cler. real. §. 1. num. 15.*

Guazzinus in *defens. reorum tom. 1. defens. 20. cap. 9. num. 23. & 24.*

Trentacinquius *variar. resolut. lib. 2. tit. de for. compet. resol. 1. num. 1.*

Giurba *consil. 70. n. 21. & consil. 88. num. 1.*

Campanil.

Confirmatur ex aliis rationibus affirmatiua sententia.

RESOL. III.

PRObant supra citati Doctores hanc opinionem ex cap. fin. de offic. Archidiaconi. in quo prætendebat Archidiaconus aliquos Dicecesis Senonensis debere prius conuenire coram ipso, quàm coram officiali Archiepiscopi, tum de iure communi ratione proprii Territorij, tum de consuetudine : & sicut à iurisdictione inferioris nouerat esse exemptum Episcopum, cuius respectu & illius homines & familiares gaudent eodem priuilegio ; propterea Archidiaconus excepit à sua iurisdictione cognitionem causarum Episcopi : vnde ex hoc concludenter contra Moscosum inferunt omnes Doctores citati, familiares Episcopi gaudere priuilegio fori. Probatur secundò ex text. in cap. Ecclesiarum seruos, qui licet loquatur de seruis perpetuis & ascriptitiis ; Doctores tamen citati ex connexionione materiae docent & inferunt familiares Episcoporum fori priuilegio gaudere.

Probatur tertio hæc opinio, præter alia iura à supra citatis Doctoribus adducta, ex rationibus. Quia, vt optimè obseruat Gratianus *tom. 3. c. 340. n. 1.* & alij, priuilegium, quod habet Episcopus, tanquam principalis & caput, trahi debet etiam ad eius membra accessoria & appendices : cum igitur famuli Episcoporum, vt quid accessorium ad ipsos Episcopos habeantur ; ita ut sine eis stare nequeant : merito hac ratione ad eos hoc priuilegium fori protrahi debet, ex cap. quantus, de priuileg. & cap. licet, eod. tit. in 6. Vnde in *Authent. habita, Cod. ne filius pro patre*, priuilegium fori concessum scholasticis comprehendit etiam eorum famulos & seruos, qui ad tempus seruiunt, vt obseruat *ibidem* Baldus & Salicetus. Et quòd priuilegium Domini extendatur ad eius famulos, tradit Albericus in *leg. 1. Cod. de Episc. & Cler. num. 4.* personam enim exemptam ab alio foro, videtur etiam exempta tota eius familia, ex cap. 1. de priuileg. in 6. ex leg. non aliter. ff. de iudic. & leg. 2. Cod. de Episcop. & Cler. maximè, vt docet Oldradus *consil. 293. num. 5.* quando dominis redderetur incommodior vsus familiarium. Ergo, &c.

Nec valet dicere, quòd priuilegia tanquam stricti iuris non debent extendi, vt patet ex c. priuilegia, de regul. iur. in 6. Priuilegium ergo concessum Episcopo non debet extendi ad famulos laicos. Nam respondeo primò priuilegium extendi seu comprehendere personas connexas ipsi priuilegiato : sicuti videmus priuilegium concessum Emptori dici concessum

Campanili in *diuersit. iur. Canon. rubric. 9. cap. 9. numer. 12.*

Riccus *part. 2. decis. 192. & part. 1. decis. 69. & part. 4. decis. 292. & in Prax. tom. 1. resol. 451. numero 5.*

Grassius in *decisionib. aur. part. 2. lib. 3. cap. 5. numero 26.*

Carleualius de *iudic. disput. 2. quæst. 6. sect. 6. numer. 427. & 509.*

Curia Philippica *tom. 1. part. 1. §. 1. numero 15.*

Monte allegro in *Praxi ciuili, lib. 1. cap. 9. numero 249.*

Genuensis in *Praxi, cap. 8. num. 3.*

Cenedus in *Quæst. Canon. quæst. 4. num. 26.*

Ciarlinius in *controuers. forens. cap. 20. numero 14.*

Duardus in *Bull. Cæna, lib. 2. Can. 15. quæst. 8. numero 2.*

Thesaurus *decis. 22.*

Narbona in *Recompil. lib. 4. titul. 1. leg. 20. gloss. 22. num. 9.*

Simeon Rao in *dubiis, de immunit. Ecclesiast. fol. 74.*

Reginaldus *tom. 1. lib. 9. cap. 23. num. 354.*

Torreblanca in *pract. iur. spir. lib. 15. cap. 6. numero 56.*

Baiardus in *additionib. ad Iulium Clarum, §. finali, quæst. 36. num. 2.*

Angelus in *summa ver. famulus, num. 6.*

Bellouif. in *pract. crimin. titul. de iniur. numero 43.*

Squillante de *priuileg. Cleric. cap. 7. numero 54.*

Bonacina in *Bullar. Can. disputat. 1. quæst. 16. punct. 3. num. 7.*

Paramus in *respons. 2. pro iurisd. Sancti Officij.*

Carolus Episcopus Nouariensis in *Comment. ad cap. fin. de offi. Archidiacon. penes Gatticum in allegat. pro Ecclesia, fol. 339.*

Megalius in *promptuar. tom. 2. ver. familia, numero 10.*

Scaccia de *iudiciis, libro 1. capite 11. numero 22.*

Suarez in *commun. opinion. ver. Clericus, numer. ...*

Zambellus in *Reper. Mor. ver. Ecclesia, quo ad eius libertatem, num. 10.*

Et tandem claudam hoc agmen Doctorum cum Hispano Roderico Acugna dignissimo Archiepiscopo Bracarensi in *Decretum Gratiani part. 1. dist. 32. cap. 10. num. 11.* vbi sic ait. Notabis famulos Episcoporum, etiam si sæculares sint, nullatenus posse à sæculari iudice iudicari tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, & est communis opinio. Ita ille.

sum & venditori; cum vnum sine altero esse non possit, ex quo sunt duo correlatiua, vt obseruat Romanus *consil. 108. numer. & Iason in leg. non tantum, numer. 12. ff. de re iudic.* Sic etiam de priuilegio concesso marito intelligitur comprehendere vxorem, quæ ipsi marito connexa esse dicitur, vt in specie tradit Baldus *in sua Margarita in ver. priuilegium.* Respondeo secundò quòd priuilegium immunitatis Ecclesiasticæ est fauorabile, vt tradit Gratianus *tom. 2. disput. 340. numer. 21.* & ideò extendendum, vt docet Gambacurta *de immunitat lib. 4. cap. 3. numer. 7.* Decianus *consil. 80. numer. 19.* & 21. *lib. 3.* Ambrosinus *de immunit. cap. 10. numer. 7.* & alij quos citat & sequitur Farinacius *in append. de immunitate, cap. 2. numer. 21.* & Sperellus *decif. 63. numer. 10.* Adde quòd licet priuilegium personale non egrediatur personam, ex *leg. Sordidorum, Cod. de excusat. mun.* Tamen ad hoc recedè responderet Megalius *tom. 2. variar. resolut. 122. num. 8.* priuilegium fori in nostro casu per se & principaliter esse personale quoad Episcopos; sed accessoriè propter eius fauorem pertinere etiam ad familiares commenfales, ex Baldo *in leg. 2. not. 3. Cod. de Episc. & Cler. Grammatico voto crimin. 33. numer. 20.* & aliis. Ergo, &c.

Nec obstat dicere, quòd ex hac doctrina sequeretur famulos etiam Clericorum gaudere priuilegio fori: sed hoc dicere est absurdum secundum Moscosum *num. 38.* Ergo, &c. Nam respondeo primò hanc sequelam apud plures Doctores non esse absurdam, quos videre poteris apud me ipsum *in part. 3. tr. 1. resolut. 47.* Vel etiam respondeo secundò cum Menochio *de arbitrar. lib. 2. cent. 4. cas. 562. numer. 13.* hoc tantum procedere in famulis Episcoporum; quibus multa conceduntur, quæ aliis non sunt permilla, vt etiam obseruat Guazinus *tom. 1. defens. 20. c. 9. num. 23.* & ex Calaneo *consil. 72.* Cardinalis Tuschus *tom. 3. litt. E. conclus. 27. num. 31.* Antonius Capicius *in decif. 12. num. 1.* Gratianus *decif. March. 133. num. 2.* Thesaurus *decif. 22.* & tradit Aufrelius *tractat. de potest. secul. in Eccles. reg. 2. numer. 36.* & alij: patetque ex *cap. fin. de sent. & re iudic. in 6. cap. fin. de priuilegiis, eodem, cap. quia periculosum, de sent. excommunic. cod.*

Ex declarationibus Sacra Congregationis, approbationis à S. D. Nostro Urbano VIII. etiam affirmatiua sententia firmatur.

RESOL. IV.

ET ideò ex omnibus supradictis nostram sententiam facto verbo cum Sanctissimo canonizauit Sacra Congregatio, vt ego adno-

taui *in part. 4. tract. 1. resolut. 30.* Quam etiam militare in Episcopis Titularibus eadem Sacra Congregatio determinauit; vt ego obseruaui *in part. 5. tractat. 1. resolut. 25.* Vnde visum est mihi etiam hic apponere Epistolam Eminentissimi Cardinalis Gypfij ad Eminentissimum Cardinalem Columnam in fauorem Illustrissimi Domini mei Comitis D. Alphonfi Gonzagæ Archiepiscopi Rhodienfis tenoris sequentis.

EMINENTISS. ET REVEREND.
Signor. mio Off.

Douendo Monsignore Gonzaga Arciuescouo di Rodi godere l'essentione douuta à Vesconi rispetto i beni e coloni; & anco il priuilegio del foro rispetto alli Ministri e famigliari di lui, conforme la resolutione altra volta fatta da questa Sacra Congregatione: Eperchela detta essentione e priuilegio non vengono mantenute e difese dal Vescouo Diocesano, come egli e tenuto. Perciò questi Eminentissimi miei Signori, doppo matura consideratione sono venuti in parere che V. Em. come Metropolitanò si compiaccia supplire con la molta sua pietà, prudenza e zelo, che non siegua pregiudicio alcuno alla giuriditione, & immunità Ecclesiastica: Et il detto Prelato non resti priuo della sudetta essentione e priuilegio. Ele bacio humilmente le mani. Roma li 21. di Agosto 1638.

Di V. Eminentiss. Reuerendiss.

Humiliss. & affectionatiss. Seruitore
II Cardinale Gessi.FRANCESCO PAULVCCI Secretario
della S. Congregatione.

Sed ad magis stabiliendam nostram sententiam apponam etiam hic per extensum litteras Illustrissimi Auditoris Camerae ex ordine Sanctissimi D. N. Urbani Papæ VIII. nunc feliciter regnantis emanatas: Ex quibus Moscosi sententiam esse contra mentem non solum sacra Congregationis, sed etiam contra expressam declarationem supradicti Pontificis manifestè apparet.

Lettere scrite dall' Illustriss. & Reuerendiss. Monsignore Raggio Auditore della Cammera d'ordine espresso della Santità di N. Signore Papa Urbano VIII. in soggetto dell' immunità douuta à famigliari, Coloni, Partiarij, Bracenti, & Beni dell' Illustriss. & Reuerendiss. Signore Conte Alfonso Gonzaga Arciuescouo di Rodi.

ILL.

ILL^{mo}, ET REV^{mo}
Signor, mio Off^{mo}.

M'Ordina la Santità di Nostro Signore di remettere à V. S. Ill^{ma}, la qui alligata diretta al Signore Conte Camillo di Nouellara, e dirle insieme, che facendone les prima estraere copia autentica per registrarla me gli atti di cotesa sua Curia Episcopale (poi che à tal effetto se le manda aperta) la facci poi subito presentare chiusa al Sig. Conte Camillo medesimo per mezzo di publico Notaro, che ne facci rogito. Non dourà V. S. Ill^{ma}, sotto protesto di qualsiuoglia difficoltà ritardare punto l'essentione; mà l'auuisarà con sue prime senza dar occasione di nuouareplica. E le bacio affectionatamente le mani. Roma alli 14. Maggio 1639.

Di V. S. Ill^{ma}, & Reu^{ma},

Seruitore Affectionatissimo.

Ottaviano Raggio Auditore della Camera.
All' Ill^{mo}, & Reu^{mo} Signor.
Extra. mio Offeruatiss. Monsignore Vescouo di Reggio.

Locus Sigilli.

Tenor Inclusa.

ILL^{mo} SIGNORE
mio Offeru.

La Santità di Nostro Signore ha sentito con sommo dispiacere che V. S. Ill^{ma}, doppo il Monitorio spedito da questo mio Tribunale ad istanza di Monsignore Ill^{mo} Gonzaga, & intimato à lei personalmente qui in Roma, sin dall' anno passato sotto il di 15. di Luglio per osservanza del Decreto della Sacra Congregatione sopra l'immunità douuta à Famigliari de Vesconi anche Tittolari; habbiadno ostante continuato d'aggrauare, e lasciato aggrauare per mezzo di cotesa sua Curia Laicale, & altri Officiali il medesimo Monsignore, suoi Coloni, e beni; mandandoli Sbirri, Soldatesca, Podestà, e Notaro alle case delle proprie possessioni di sua Signia Ill^{ma}, à far effecutioni d'inuentarij, pegni, e sequestri de beni, col far anco carcerare li medesimi suoi Coloni e Bracenti (come di tutto ne ha fatto costare chiaramente à sua Beatitudine) con danno notabile de gl' interessi di Prelato di oanto merito, e maggiore vilipendio

dell' immunità Ecclesiastica. Ha però per questa sol volta sua Beatitudine in questo interesse di tanta sua premura voluto usare con V. S. Ill^{ma}, gli effetti della sollicita sua paterna clemenza: e mi ha ordinato espressamente la Santità sua medesima d'auuertire, e stretta-mente comandare per sua parte à V. S. Ill^{ma}, que per l'auuertire non ardisca più in modo veruno molestare direttamente ò indirettamente li famigliari de Monsignore, e suoi Coloni, etiam di Partiarij, ne ingerirsi nelle loro cause tanto ciuili quanto criminali, ne comandarli, ò in altra maniera astringerli à qual si sia funtione ò grauezza tanto reale quanto personale, ò di qualsiuoglia altra sorte. Perche conforme la resolutione presa à mesi passati da questa Sacra Congregatione con participatione di Nostro Signore tutte le cause de sudetti famigliari, Coloni e Mezzadri, deouono essere conosciute dal Metropolitanò di Bologna, ò suo Vicario Generale deputato in luogo di coteso Ordinario, che per degni rispetti ne fu remosso. Tale è la mente di sua Santità; e tanto dourà lei puntualmente eseguire, guardandosi molto bene da qui auanti di dare causa à Monsignor Ill^{mo} Archiuescouo di fare nuoue doglianze in questa materia; poi che in tal caso la Santità sua medesima si dichiara, che verrà à rimedij più aspri, e più rigorosi contra di lei: alla quale resto baciando affectionatamente le mani. Roma all. 14. di Maggio 1639.

Di V. S. Ill^{ma}.

Seruitore Affectionatissimo

Ottaviano Raggio Auditore
della Camera.

Extra. All' Illustrissimo Signor mio Offeru.
Il Sig. Conte Camillo Gonzaga

Nouellara.

Locus Sigilli.

ILL^{mo} SIGNORE
mio Offeru.

Auerà V. S. Ill^{ma}, inteso già la mente di N. Signore intorno alla totale immunità, che la Santità S. vuole, e comanda venghi inuiolabilmente offeruata da V. S. Ill^{ma}, e suoi Officiali & famigliari, Coloni Partiarij, Bracenti e Beni di Monsignore Ill^{mo} Gonzaga Arciuescouo di Rodi, douendo tutte le loro cause così ciuili come criminali essere

essere cognoscite dal Metropolitanano di Bologna priuatiuamente quanto à cotesta Ordinario, rimossone conforme gli Ordini reiterati e precisi ultimamente dati sopra di ciò dalla S^{ta} S. medesima. Onde se bene nella passata non si specificò ch' ella hauesce à scarcerare Pietro Barbarani Colono di detto Monsignore, si crede nulla dimeno che per riuereenza di tanto commando haueà ciò subito eseguito. E perche sua Santità ne vuole la certezza, dourà V. S. Illustrissima, alla ricenuta di questa auuisarmi l'effecutione rispetto à quello particolare scarcerando incontinenti detto Barbarano, quando pur e hauesse per qualsiuoglia pretesto differito sin hora di farlo. E le bacio senza più con ogni affetto le mani. Roma 21. Maggio 1639.

Di V. S. Ill^{ma}.

Seruitore Affettionatissimo

Ottauiano Raggio Auditore della Cammera.

Extrà. All' Illustrissimo Signor mio Offeru.
Il Sig. Conte Camillo Gonzaga.

Novellara.

Locus Sigilli.

In Roma, nella Stamperia della R. Cammera Apostolica 1639.

Vnde ex his omnibus supradictis apparet quàm parui facienda sit auctoritas Patris Suarez, licet alioquin viri doctissimi, & insignis litteraturæ, asserentis familiam laicam Episcopi non gaudere priuilegio fori ex cap. fin. de offic. Archid. Nam in hoc etiam conclusis declarationibus Cardinalium, & Summorum Pontificum Pauli V. & Urbani VIII. potius standum esset auctoritati Abbatis, Ostiensis, Ioannis Andreæ, & Butrij, quàm Patris Suarez: cum in his materiis magis credendum sit Canonistis, quàm Theologis, vt rectè obseruat Filliucius tom. 2. tractat. 21. cap. 4. num. 141. Azorius part. 1. lib. 2. cap. 17. quest. 3. Villalobos in summa, tom. 1. tractat. 1. diff. 4. num. 5. Baldellus tom. 1. lib. 4. disput. 11. cap. 11. n. 16. & alios, quos citat Paulus Xammarr lib. de offic. iudicis, part. 1. quest. 3. num. 42. & sequitur.

Sed filere debent Doctorum interpretationes, vbi Purpuratorum Parrum responsa, & Summorum Pontificum oracula adsunt. Verum adde, quòd etiam si nobis non constaret de mente Pauli V. & Urbani VIII. nec adef-

sent declarationes Cardinalium: tamen ad huc sententiã nostra esset sequenda: nam in conflictu opinionum iudices illam amplecti debent, quæ fauet Ecclesiæ, vt latè probat Ioan. Solorsanus de Indiarum iure, lib. 2. cap. 24. num. 39. Ioannes Beltran de Gueuara in prognat. immunit. Ecclesiast. assert. 2. §. 2. num. 55. Valenzuela, Velaquez de Monit. Pauli V. part. 1. num. 43. Boëtius Epo in Heroicis Quæstionibus, lib. 3. ad textum in cap. non minus, de immunit. Eccles. num. 59. Natta cons. 249. num. 7. lib. 2. Gail pract. obseru. lib. 2. obseru. 94. num. 19. & alij penes ipsos. Quod probatur ex textu in cap. fin. de re iudic. & in leg. sunt persona, ff. de relig. & sumpt. funer. in l. Titia, §. Sciate testament. ff. de auro & argent. legat. in leg. Julia, ff. de manumiss. & docent etiam Doctores, quos ego citauì in part. 1. tract. 2. resolut. 63. Immo Sousa etiam Doctor Hispanus in Bullar. Cæna, cap. 14. dist. 176. n. 5. asserit in diuersis opinionibus illam sequendam esse, quæ fauet Ecclesiæ, etiam si contraria sit communis: quanto magis dicendum est procedere in casu nostro suprà dictam doctrinam; cum opinio magis communis & probabilior sit in fauorem Ecclesiæ, & tamen Moscosus vult illam relinquere, & sequi contra Ecclesiam minus communem. Vnde valde miror, quomodo in n. 64. potuit dicere suam sententiã, quàm impugnamus, esse veriore. Sed quia ipse n. 62. ad hanc suam firmandam opinionem citat cap. Capellanus, de ferijs, sistamus equidem in hoc capite, vbi teste Ioanne Solorsano de Indiarum iure, lib. 2. cap. 24. n. 40. Callistus III. decernit posse Summum Pontificem in dubiis opinionibus declarare, quæ sit verior & sequenda: sed, vt visum est, teste sacra Congregatione, & Auditore Cameræ Apostolicæ Paulus V. & Urbanus VIII. verbis & factis iam determinarunt sententiã; Quòd familia laica Episcopi gaudet priuilegio fori: ergo per dictum cap. Capellanus, à Moscoso adductum ipse tenetur stare huic opinioni, cum verior & sequenda à Summis Pontificibus declarata sit. Patet igitur ex communi Doctorum sententiã, & ex declarationibus sacre Congregationis, & ex mente Summorum Pontificum familiam laicam Episcopi gaudere priuilegio fori. Restat modò respondere ad argumenta, quæ in contrarium adducit Moscosus, ex quorum solutionibus magis etiam firmabitur nostra sententiã.

Propo

Proponuntur responsiones ad argumenta quæ adducit Moscosus.

RESOL. V.

Dico igitur ad primum. Episcopus etiam si in loco non habeat dominium temporale, posse tenere familiam armatam, & proprios habere Ministros & exequutores ad carcerandum, & poenas corporis afflictiuas imponendum, non tamen sanguinis, & iudicium terminare sine recurfu ad brachium seculare. Et ita determinauit Congregatio facta ad instantiam Sancti Caroli Borromæi coram Summo Pontifice Pio V. sub die 5. Iunii 1567. & docent communiter Doctores, quos ego ipse citauì in part. 1. tract. 1. resolut. 17. quibus nunc addo quos citat & sequitur Ciarrlinius controuers. forens. cap. 50. num. 25. & 34. Barbofa de potest. Episcop. part. 3. allegat. 107. numer. 1. Mollinus de Brachio seculari, num. 18. Caualcanus de Brachio Regio, part. 4. num. 258. Marius Antoninus variar. resolut. lib. 5. resolut. 14. Tuschus litera M. conclus. 293. num. 41. & 42. Probatur primò: Quia Episcopus habet imperium in sua Diocesi; ergo potest habere familiam armatam. Antecedens firmatur clarè per cap. contra idolorum cap. propè vias 2.6. quest. 5. & per cap. attendendum, 17. quest. 4. & cap. 1. de heret. in 6. & Clement. 1. eod. tit. & docet Baldus in Authent. ea qua, Cod. de Episc. & Cler. numer. 6. Geminianus in cap. cum Episcopus, de offic. ordin. in 6. Anania in cap. 2. de adulter. & cap. qualiter §. ad corrigendos, de accusat. & alij. Consequentiã verò: Quòd si Episcopus habet imperium, possit tenere familiam armatam; concludenter patet. ex text. in leg. illicitas. ff. de offic. Præs. §. qui vniuersas, vbi Odofredus & Albericus. Probatur secundò. Si Episcopi familiam armatam non haberent, inutilis esset spiritualis eorum potestas; ergo est eis necessariò concedenda. Probo antecedens; quia si oporteret Episcopum requirere Magistratum secularem loci, vt ipse Magistratus capiendos delinquentes curaret, facilè posset Magistratus vel causam prætexere, vel interim delinquentibus fugiendi occasionem præbere, eorumque delicta delusa Episcoporum iurisdictione remanerent impunita, contra leg. licitatio, §. quod illicitè, ff. de publica. & vectigal. Ergo, &c. Probatur tertio Inquisitores possunt habere familiam armatam, ex Clement. 2. §. porrò, de heret. Ergo & Episcopi. Consequentiã patet, quia Episcopi etiam contra hæreticos procedere possunt ex Clement. 1. de heret. & si aliter diceretur, sequeretur absurdum, quòd Inquisitores possent per familiam suam hæreticos capere, & Epi-

scopi non possent: Et tamen tam Episcopis, quàm Inquisitoribus datur facultas capiendi hæreticos, vt patet ex dicta Clement. 1. §. præter quod; ergo, &c. Probatur quartò: quia concesso sine censentur media concessa, per quæ peruenitur ad finem, ex cap. cum infirmis, de panit. & cap. quoniam, de sentent. excomm. in 6. & concessa iurisdictione censentur concessa omnia, quæ ad eam exercendam sunt necessaria, ex leg. 2. ff. de iuris. omn. iudic. Sed per Sacrum Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 1. de reformat. Episcopus ex propria ordinaria iurisdictione cognoscit causam etiam contra laicos per bonorum apprehensionem, vt ibi dicitur, & personarum distinctionem: ergo necessariò debet habere familiam armatam. Confirmantur suprà dicta ex cap. permissam, de offic. iudic. ordin. vbi datur facultas Episcopis inquirendi, viciscendi, & iudicandi: in quibus verbis comprehenditur totum iudicium; & ita continetur quicquid ad iudicandum & viciscendum, hoc est, puniendum necesse est, carcer, tortura, lictores, atque adeò familia armata: habet enim Episcopus, vt diximus, imperium, & omnimodam iurisdictionem. Ergo, &c.

Cæteras verò rationes pro hac firmanda sententiã videbis penes me ipsum, vbi suprà: & ne deferas omninò, videre Rolandum à Valle lib. 4. consil. 37. & Lælium Iordanum de maior. caus. part. 2. cap. 8. qui etiam fusè & solide respondent ad omnia in contrarium. Et hanc sententiã post Concilium Tridentinum negari non posse existimo: nam in sess. 25. cap. 3. de reformat. hoc supponitur pro certo & indubitabili; & super eo tanquam iam determinato disponitur in illis verbis: Per suos proprios aut alienos exequutores, &c. Quæ quidem verba non admittunt violentas interpretationes Iacobi Berettæ consil. 6. & consil. 4. Et cum de sensu Concilij agitur, solus Papa, vel sola Congregatio ad id deputata declarat & rósoluit; vt patet in eodem Concilio sess. 25. Rubr. de recipiend. & obseruand. Decret. Concil. verb. quòd si in his recipiendis aliqua difficultas oriatur; & in constitutione Pij IV. registrata in calce dicti Concilij, ibi, Si cui verò aliquid in eis obscurius, &c. Cum igitur Sacra Congregatio, & Summus Pontifex Pius V. determinauerit ex multis rationibus, & ex dicto loco Concilij Tridentini posse Episcopos habere familiam armatam; sequitur esse refellendum Moscosum, & alios omnes contrarium asserentes. Vnde non benè asseruit Moscosus numer. 24. suam sententiã esse veriore & communiorem, cum contrarium dicendum sit: & ideò Barbatius in cap. cum non ab homine, numer. 34. & 40. de iudic. admiratur Abbatem contrariam sententiã tenere. Et Marra

de iurisdic. part. 1. cap. 50. numer. 12. obseruat hanc sententiam esse communem; & ideo displicet mihi adhærere non posse doctissimo Domino meo Ioanni Baptistæ Larrea in suis nunquam satis laudatis decisionibus Granatenibus part. 1. decis. 1. numer. 16. & sequent. Et erudito Francisco de Amaia in lib. 10. Codicis, cum Hyeronimo Leo in decis. Valent. par. 2. decis. 154. tit. 19. numer. 36. asserentibus Episcopum non habere familiam armatam, quod omnino negandum ex supradictis patet.

Responso ad secundum argumentum.

RESOL. VI.

AD secundum argumentum, nempe quod non solum familia laica Episcopi, sed etiam Ministri Curiae Episcopalis non gaudent priuilegio fori in delictis extra officium commissis. Respondeo hanc sententiam non esse admittendam, & ego illam reprobauit in part. 5. tract. 1. resol. 1. ex multis rationibus & ex pluribus declarationibus Sacrae Congregationis facta verbo cum Sanctissimo; unde nouissimè cum anno 1637. in Regno Siciliae emanatae fuerint aliquae ordinationes prohibentes Ministros Curiae Episcopalis gaudere priuilegio fori in delictis communibus: statim Sacra Congregatio scripsit ad omnes illius Regni Episcopos, & Eminentissimus Dominus meus Cardinalis de Torres Epistolam ad se missam tenoris sequentis mihi dedit.

EMINENTISSIMO. EREVM^o
Sig^{re}. mio Offic^{mo}.

Intende con maragliuina la nouità che si tenta da Ministri laici in cotesto Regno, circa la cognitione de delitti communi, già che hauendo il foro Ecclesiastico l'assistenza de Sacri Canonici, de Concilio, e della consuetudine immemorabile offeruata inuolabilmente, ne seguiria da simile nouità pregiudicio manifesto della giurisdictione & immunità Ecclesiastica: per il che saranno le parti della pietà di V. E. e dell' obligo pastorale caminare con unione inseparabile nella difesa di essa giurisdictione & immunità: usando con efficace, ma prudente zelo li mezzi che da medesimi Sacri Canonici Concilio, & constitutioni Apostoliche si stimano proficui: tanto più ch' elle come Metropolitanano hauerà da proteggere i giusti prouidementi de gli Ordinarij nel caso sudetto per conseguire il douuto effetto, con certezza, che da questa sancta sede riceuerà sempre la douuta assistenza & ogni adiuto. Mentre à

V. Em^{za}. bacio humilmente le mani. Roma 7. Settembre 1638.

Di V. Em^{za}. R^{ma}.

Humiliss^{mo}. & Affettiss^{mo}. Seru.

Il Cardinale Gessi.

Francesco Paolucio Segretario della Sacra Congregatione.

Non desinam hinc pro curiosis obseruare hanc praetensionem, quod Ministri laici Curiae Episcopalis non gaudeant priuilegio fori in delictis communibus fuisse etiam olim intentatam à Ministris Regiis Siculis, se dia vanum: ut patet ex ordinatione Viceregiae infra scripta, quae conseruatur in Registro Stephani Macri Secretarij in Regia Cancellaria anno 1460. fol. 144. & est tenoris sequentis.

IOANNES, &c.

Vice Rex, &c. Capitaneo, eiusque Assessori, & alijs officialibus, ac Commissarijs Terrae Castri Ioannis presentibus & futuris Regijs fidelibus dilectis salutem. Per parti di lu Reuerendo Episcopo di Catania mi è statu supplicatu, chi exposcentibus priuilegijs suis tutti persuni & officiali, ac etiam procuraturi si diuino conueniri pro quibuscunque causis tam ciuilibus, quam criminalibus coram eodem Episcopo & eius Vicarijs. Vni non aduertendo alla forma di li ditti priuilegijs indistinctè dicitanti presumiti vuliri constringere lu iudice, Notari e Procuraturi soi esistenti in quissa Terra. Volendo vni limitari li ditti priuilegijs, allegando che li ditti priuilegijs si diuino intendiri, quoad effectum & administrationem rerum Ecclesiasticarum, e comu Procuraturi di omni altra cosa spettanti alla iurisdictione Episcopali tantum si diuino rimeteri à luditto Episcopi, e so Vicario, e cosili vuliri constringeri in quelli cosi, chi fussino inculpati como priuati persuni, quod est contra formam priuilegiorum. Però volendo nui per indemnitati ditti Reuerendi Episcopi, chei li ditti Priuilegijs, como è di nostra intentioni non siano in aliquo derogati, immò in eorum robore permaneat pro iurisdictione Episcopali seruanda. Hauimo prouisto, e per la presentia vi dicimo e comandamo che digiati li preditti Officiali & Procuraturi di lo ditto Reuerendo Episcopo ad ipso, cy à so Vicario rimeteri pro quibuscunque causis ciuilibus & criminalibus, como iudici competenti; e vni de predictis in cosa alcuna non vi intrometteriti di li prenominati, ne molestarli, ne conuenirili a vostro

à vostro foru tam pro causis motis, quam mouendis: imò si in aliquo fusti stato contra ipsi, oy alcuno di loro processu inaduertenter, quillo per li presenti reuocamo, & ad pristinum ridacimo, quantunque factu sia per quoscunque Officiales Regni huius, aut nos. Insuper perche molti volti li preiudicati e derogati in la iurisdictione di lo ditto Reuerendo Episcopo, e siti tal volta tardi e tepidi, quando riquerino lo brachio vestro per fauuri & exequutioni di loru officiu, vi dicimo e comandamo chi ad omnem eorum requisitionem ci prestati aiutu, e fauuri: & si oportuerit vnoi personoliter andari pro quacunque causa spettanti alla iurisdictione di lo ditto Reuerendo Episcopo, & contra quascunque personas, & praemissa omnia exequimini sub pena vnciarum centum Regio fisco ab vnaquoque applicandarum. Datum in Nobili ciuitate Messana die 4. Septembris 9. Indiēt.

IOANNES DE MONCAYO.

Dominus Vice-rex mandauit mihi Stephano Macri.

Dicendum est igitur contra Moscosum Ministros laicos Curiae Episcopalis tanquam de familia Episcopi gaudere priuilegio fori, non solum in delictis in officio commissis; sed etiam in delictis communibus. Nec valet dicere cum Moscoso numer. 84. quod de dictis declarationibus Cardinalium per me superius adductis non constat, nec credendum est mihi: nam respondeo, quod ex lite habita inter S. Carolum Borromæum, & ministros Regios Mediolanenses coram Pontifice, & ex responsionibus, quae à S. Congregatione vbique terrarum missae sunt authenticæ, & in dies mittuntur ad Episcopos, hoc est ita clarum & notorium, ut non indigeat probatione ex gloss. in cap. appellanti, de appellat. Felino & Doctoribus in cap. super literis de rescript. Abbate & scribentibus in cap. si dubit. de appellat. & ex leg. si adulterium, si idem Pollioni, ff. de adulter. & contrarium asserere est in luce meridiana velle caecutire. Ad id vero quod asserit Moscosus ibidem, non esse necessariò standum declarationibus Cardinalium; citatque me ipsum & alios Doctores: Respondeo hoc non esse admittendum post decretum Urbani VIII. die 2. Augusti 1631. & praeterea quando declarationes Cardinalium feruntur ex ordine facta verbo cum Sanctissimo, ut docet Merolla tom. 2. disputat. 4. cap. 4. dub. 12. numer. 173. Et ita factum est in casu nostro: ergo, &c. Unde refellenda est sententia Moscosi asserentis declarationes Cardinalium in casu nostro procedere in Terris

vbi Pontifex habet dominium temporale: hoc enim falsum est, ut patet ex supra citatis literis Auditoris Cameræ directis extra statum Ecclesiae. Et Congregationes Cardinalium fundatae sunt à Summo Pontifice pro explanandis difficultatibus vniuersae Reipublicae Christianae, & non pro solo statu Ecclesiae.

Responso ad tertium argumentum?

RESOL. VII.

AD tertium argumentum, quod Papa non potest eximere laicos a iurisdictione Principum saecularium. Respondeo, quod hic esset discutienda quaestio illa: An Pontifex in temporalibus habeat dominium directum, de qua videndus est Marta, de iurisd. part. 1. cap. 18. & sequent. Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Felinus & Decius, in cap. nouit. de iudic. cap. causam, quest. 2. cap. per venerabilem, qui filij sunt legitimi, cap. solitis, de maior. & obed. cap. quod d. super his, de vot. cap. quoniam, distinct. 10. Verum quoad hoc non remittam Moscosum ad exteros; sed ad Hispanum Ioannem Solorsanum, de Indiar. iure, lib. 2. cap. 22. numer. 17. & sequentibus. Sed quidquid sit de hoc, mihi verò pro nunc satis erit respondere ad eius argumentum cum verbis Hispani Ioannis Dionysij Portocarreri in allegat. pro iurisd. S. Officij, numer. 33. fol. 15. vbi sic ait. [No es incoueniente que los Ministros sean personas legas; porque el Sommo Pontifice usando de la iurisdiction temporal, que tiene saltem in habitu en toto la Iglesia, de que puede usar, y usa siempre, que ay iusta causa, o se ordena algun fin espiritual, puede eximir personas legas de la iurisdiction real.] Ita ille. Si igitur saltem ex iusta causa, ut docet nouissimè Mancinus Disquisitionum Generalium, cent. 3. cap. 242. numer. 1. Merolla tom. 3. disp. 6. cap. 3. dub. 1. numer. 8. & etiam notat ex Hispanis Auctoribus Valboa de Magroueio in cap. 1. de for. compet. num. 6. potest Summus Pontifex eximere laicos à potestate Principis saecularis; ergo iuste potuit eximere familiam laicam Episcopi, & Ministros eius Curiae à potestate saeculari. Probo consequentiam: nam id exigebat honor debitus dignitati Episcopali, & recta administratio causarum fori Ecclesiastici. Et quidem habemus in iure plura exempla, in quibus ex supra dicta ratione non pauci eximuntur à iurisdictione ordinaria, & subduntur Superiori sui officij, ut patet in leg. fin. Cod. de iurisd. omni. iudic. leg. in Officiales, C. de offic. Res. Prouinc. leg. ex eo, Cod. de Agent. in rebus, leg. eos, Cod. de apparit. mag. l. viros, Cod. de diuers. offic. leg. viros, Cod. de Palatinis, leg. final. Cod. de veteranis, leg.

hac lege Cod. de privileg. schol. lib. 12. Et hæc exemptio non solum concedebatur ipsis Officialibus, sed eorum vxoribus, vt patet in leg. ne ad diuersa, Cod. de silentiariis, lib. 12. & etiam filijs, leg. eos, Cod. de fabricensibus, lib. 10. & leg. finali, Cod. de Professor. & Medicis lib. 12. Et non solum vxoribus & filijs; sed etiam matribus, vt habetur in leg. fin. Cod. de castrens. & minister. eodem libro. Et etiam seruis & colonis, vt patet in leg. in sacris, C. de prox. sac. scrip. lib. 11. Et hoc non solum si essent rei, sed etiam actores, vt habetur in leg. viros, Cod. de comitib. consistorian. lib. 12. Ergo à fortiori patet Summum Pontificem habuisse iustam causam eximendi familiam laicam Episcopi à iurisdictione ordinaria Principis sæcularis, & subdere iurisdictioni Episcopi; hoc exigente, vt diximus, reuerentia tantæ dignitati debita, & recta administratio negotiorum fori spirituales & Ecclesiastici. Et quidem si in leg. 3. Cod. de prapost. sacror. cubicul. lib. 12. habetur, Cubicularios tam sacri Cubiculi mei, quam Venerabilis Augustæ, quos utroque certum est obsequiis occupatos, & Aulae penetralibus inhaerentes diuersa iudicia obire non posse, obseruatione aliorum Tribunalium liberantes, &c. Et in leg. 4. Cod. de silentiariis, eodem libro; Ne ad diuersa tracti viri deuoti Silentarij iudicia sacris abstrahi videantur obsequiis, &c. Si, inquam, propter honorem debitum Regiæ Maiestati eorum familiares per dictas leges ab alijs Tribunalibus eximuntur, iustè quidem Summus Pontifex potuit eximere à sæculari potestate familiares Episcoporum, qui merito à D. Ambrosio de dignit. Sacerd. cap. 2. Chrysothomo lib. 3. de Sacerd. Nazianzeno orat. 17. Regibus præferuntur. Et ideò Constantinus ille Magnus ingressus locum, in quo Episcopi conuenerant ad Concilium Nicense celebrandum, in medio conuenta erectus constitit; & cum parua quædam sella illi esset loco posita, non prius confedit, quam Episcopi ad id annuissent, vt est apud Eusebium lib. 2. de vita eiusdem, cap. 10. Vnde valde mihi displicet Moscosum non solum negare Pontifices exemisse familiam laicam Episcoporum à potestate sæculari; sed etiam non posse: quòd falsum esse existimo, cum Pontifices id fecisse constet non solum ex sacris Canonibus, sed etiam nouissimè ex declaratione & facto Sanctissimi PP. nostri Urbani VIII. vt patet ex supra citatis Epistolis ad Comitem Nouellaræ. Et factum Papæ in dubium vocari non debere docet text. in cap. in memorijs, 19. distinct. & docet Antonius de Butrio in cap. 2. numer. 6. de translat. & alij: & declarationes eius esse iustas asserit text. in cap. cum inter vos, §. final. de re iudic. & cap. absit 11. quest. 3. quoniam ipse est fons iustitiæ, Cle-

ment. 1. de probat. Ad id verò, quòd Moscosus asserit numer. 40. laicos non posse se submittere Ecclesiasticæ iurisdictioni; assero laicos posse prorogare iurisdictionem iudicis Ecclesiastici, nò solum de iure Canonico, vt patet ex cap. significasti, de for. compet. Sed & iure Ciuili, vt patet ex leg. si qui ex consensu, & l. Episcopale, Cod. de Episcopale. Audient. & docet Menochius vql. 4. consil. 322. numer. 20. Paurmeister de iurisdictione Imperij Romani, lib. 11. cap. 8. numer. 62. Duarenus. de sac. Ecclesiast. minist. & benef. lib. 1. cap. 2. & Doctores quos ego plena manu citauit & sequutus sum in part. 5. tract. 1. resolut. 8. Dicendum est igitur posse Summum Pontificem est iusta causa eximere laicos à potestate sæculari, vt factum est in familia laica Episcoporum. Vnde ex his patet, quàm malè asseruerit Moscosus numer. 75. Pontificem hoc facere posse tantum in Terris suis, in quibus habet dominium temporale.

Responsio ad quartum argumentum.

RESOL. VIII

AD quartum argumentum ex autoritate Suarez, Ceuallos, & aliorum asserentium, quòd post Concilium Tridentinum nemo potest gaudere priuilegio fori, si non deferat habitum & tonsuram, &c. Respondeo hanc sententiam me sapius reprobasse; vt in part. 1. tract. 1. resolut. 97. part. 4. tractat. 1. resolut. 26. & part. 5. tract. 1. resolut. 1. cum multis Doctores; quibus nunc addo Alexandrum Ghilinum in summ. verb. Episcopus, numer. 5. vbi sic ait. Episcopi etiam post Concilium Tridentinum possunt tenere familiam armatam quæ quidem familia licèt laica, gaudet eodem priuilegio fori, sicut ipsi Clerici gaudent. Ita ille. Et ratio est, quia Concilium, vt legentibus patet, loquitur de priuilegio fori, quo debent gaudere Clerici vt Clerici; non de priuilegio fori, quòd alijs competit ex alio capite: & ideò Concilium asserit. Nullus prima tonsura iniatus, &c. Vnde malè hæc verba traduxit Moscosus hoc pacto. [Ninguno goze del priuilegio del fuero sin tener ordines, &c.] hoc enim ibi non dicit Concilium; sed asserit iniatos ordinibus non gaudere priuilegio fori, nisi sub conditionibus ibi appositis: est enim magna differentia inter vtrumque modum loquendi. Cum igitur familiares, de quibus loquimur, non habeant hoc priuilegium ex se, sed fauore Episcopi, sequitur, vt obseruat Megalius in suis varijs resolutionibus, tom. 2. resolut. 122. numer. 7. quòd tali priuilegio gaudebunt, etiam si laici sint, dum perseuerant in seruitio Episcopi. Et ita docent omnes Doctores, qui post Concilium scripta sua typis mandauerunt, vt visum est supra, asserentes

rentes familiam & ministros Episcoporum laicos gaudere priuilegio fori. Quòd etiam, vt visum est supra, Sacra Congregatio & Summi Pontifices declararunt, nempe laicos Episcoporum familiares priuilegio fori gaudere. Et ita hanc sententiam docet etiam doctus Archiepiscopus Caliguitanus Ambrosius Marchin in allegat. pro iurisdic. Ordin. militar. art. 6. num. 58. vbi sic ait. [Muy diferente razon es en los de la familia del Obispo que gozan del fuero, y no de Canon, porque el fundamento de gozarle no es el mismo, pues no se les dà como à personas Ecclesiasticas, si no como à familiares del Obispo, à quien el derecho le dà habere familiam armatam & exemptam.] Ita ille; & post illum nouissimè me citato hanc sententiam docet etiam Stephanus Baunij in Theol. Mor. tract. 11. quest. 37. vbi firmat Concilium dumtaxat de Clericis agere, non de alijs, qui aliunde fori priuilegio fruuntur. Et Petrus Gambacurta qui scripsit post Concilium Tridentinum de immunit. lib. 4. cap. 3. numer. 7. docet totam familiam Episcopi ratione personæ Episcopalis, quamuis laica sit, gaudere priuilegio fori, quòd etiam post Tridentinum dixerunt Doctores vbi supra in resol. 2. civati. Vnde ex his patet non benè asseruisse Moscosum numer. 48. priuilegium familiæ laicalis Episcoporum fuisse abrogatum à Concilio Tridentino: adde quòd priuilegium clausum in corpore iuris nunquam censetur derogatum, nisi de ipso specifica fiat mentio, vt ego docui cum nouemdecim Doctores in 3. part. tractat. 2. resolut. 1. Quibus nunc addo Sanchez in opuscul. tom. 2. lib. 7. dub. 19. numer. 20. Pontium de matrimonio, lib. 8. cap. 19. numer. 16. Castrum Palaum tom. 1. tractat. 3. disputat. 4. punct. 21. §. 4. numer. 5. Suarez de legibus, lib. 8. cap. 38. numer. 1. Salas disputat. 17. sect. 14. numer. 73. & Portel in dubijs regularibus, verb. priuilegium, numer. 7. & 67. Vnde clausula, Non obstantibus priuilegijs, non derogat priuilegia in corpore iuris clausa, vt notat Bartolus in leg. 2. §. legatus, de iudic. & Moditius lib. 2. in §. Principum placita, dub. 140. numer. 6. & alij. Ergo, &c.

Responsio ad quintum & sextum argumentum.

RESOL. IX.

AD quintum argumentum, quòd esset absurdum Episcopos esse iudices in delictis suoruna famulorum. Respondeat mihi quæso Moscosus, quare hoc non est absurdum in nostris Inquisitoribus Hispaniæ, qui secundum ipsum in numer. 75. ex priuilegio Regis iudicant de delictis suoruna famulorum;

& erit absurdum in Episcopis ex priuilegio Papæ? forsitan priuilegium Regis confirmat in gratia Inquisitores, quòd rectè & iustè iudicabunt de delictis famulorum, quòd non potest facere priuilegium Papæ erga Episcopos; sunt meræ nuga: neque lex Vlpiani à Moscoso adducta loquitur in casu nostro, quando iudex ex priuilegio Superioris causa iusta existente exercet iudicium circa suos familiares, vt Imperator Martianus voluit exercere in suos Cubicularios l. 3. Cod. de Prapost. Sac. Cubicul. lib. 12. & Imperator Zenon in Silentarios ex leg. 4. Cod. de silent. eodem lib.

Ad sextum. De Cedula Ferdinandi Regis asserentis familiares laicos Prælatorum non gaudere priuilegio fori. Respondeo in his materijs magis standum esse ordinationibus Pontificijs quàm Regijs. Et si Moscosus in defensionem suæ sententiæ numer. 46. sic argumentatur. [Reyes Christianissimos, que merecieron el nombre de Catholicos. hijos verdaderos de la Yglesia, y summamente atentos a exaltarla sino estuieram muy ciertos de que los seculares familiares de los Obispos eran de su iurisdiccion, no ordenaran en la cedula referida a el Abad de Valladolid, que desistiera de fauorecerlos, y alçasse las censuras, con que no hauia podido inhibir a los Alcaldes.] Ego verò in contrarium sic argumentor. Urbanus VIII. qui sedet in Cathedra Petri, qui à Christo Domino clauem scientiæ recepit, qui auctoritatem habet interpretandi Canones & Concilia, si non esset certus, quòd familiares laici Episcoporum essent de sua iurisdictione, non præciperet sub pœna excommunicationis, quòd familia laica Archiepiscopi Rhodiensis gauderet priuilegio fori, nec id etiam declarasset Paulus V. Esto modò penes te iudicium, amice Lector, si meum, an Moscosi argumentum præualere debeat, & cui credendum sit circa intelligentiam Canonum, & Concilij Tridentini Cæsari, an Pontifici? Non est igitur recedendum à nostra sententia, pro qua facit communis opinio Doctorum asserentium, quòd quando inter iudicem sæcularem & Ecclesiasticum lis adest, ad quem spectet iurisdictione, tunc definitio non ad iudicem sæcularem, sed ad Ecclesiasticum spectat; maior enim minori præferatur. Ita docet Felinus, qui ait id memoria perperuò tenendum in cap. pastoralis, numer. 4. de rescript. Iason in l. quacunque, numer. 19. ff. quis in ius vocat. Ripa in cap. decernimus, numer. 4. de iudic. & alij, quos citat Sperellus decis. 8. numer. 23. quibus adde Layman lib. 4. tract. 9. cap. 7. numer. 6. Aurelium Augustinum in consil. penes Barbosam de iure Ecclesiast. lib. 1. cap. 39. §. 4. numer. 13. Bossium tit. de foro compet. n. 155. G 4 Narbonam

Narbonam in recopilat. leg. 20. gloss. 23. numer. 17. Paramum in respons. 1. pro iurisdictione Sancti Officij, cap. 4. numer. 1. Sanchez in opusc. tom. 1. lib. 2. cap. 4. dub. 52. numer. 2. & dub. 55. numer. 31. & alios, quos ego ipse citavi in part. 4. tractat. 1. resol. 64. Ergo, &c.

Responsio ad septimum argumentum.

RESOL. X.

ET tandem ad septimum argumentum. Quod si familiares laici Episcoporum gauderent priuilegio fori; vtique nimium diminueretur potestas secularis; & publicum bonum ex grauibus eorum delictis nimium laederetur; quia Ecclesiastici crimina remissius puniunt. Respondeo ad primum cum verbis Ioannis Dionysij Portocarreri in allegat. pro iurisd. S. Offic. num. 6. fol. 3. vbi ad similem querelam respondens sic ait. [Gran falta se hazen a vn Vir-rey, a vn Corregidor cincuentas personas entra millares de millares que gouernan. A todas la demas oluidan por molestar a estas. Solas ellas viuen escandalosamente, y turban la pazo publica. En solas ellas estian de ver, que se disminuye la iurisdiccion real.] Itaille. Et ad id quod Moscosus asserit n. 27. & 28. ex Roberto Annæo, & alijs, quod Ecclesiastici sunt negligentes, & iusto remissius Clericorum crimina vlciscuntur: & hoc tempore vno omnes hoc vitio laborare, quod in vindicandis hominum sui ordinis delictis adeo remissè & molliter se gerunt, vt potius tanquam conscij conuincant, quam vt iudices de damnatione & scelorum poena agant. Videat, inquam, Moscosus, an hæc verba supradictorum Auctorum comprehendantur in illa regula appositâ in principio Indicis librorum prohibitorum à Sacro Concilio Tridentino in tit. de Correctione Librorum, lib. 2. vbi sic habetur. Item, qua fama Ecclesiasticorum detrahunt, expurgentur. Sed hæc parum vrgent ad negandum supradictis famulis priuilegium, quod ex iusta causa eis à Summo Pontifice concessum esse iam satis probatum est.

Verùm pro Coronide huius disceptationis aduertendum est Moscosum n. 79. asserere in Regno Siciliae familiares Episcoporum non gaudere priuilegio fori, nisi clericali caractere sint insigniti: quod ego vt Siculus constanter nego. Et ideo apponam hinc litteras Vice-regias, in quibus apertè hoc patet.

PHILIPPVS, &c.

Vice-Rex & Generalis Capitaneus in hoc Sicilia Regno, Spectabilibus & magnificis Capitaneis Gubernatoribus, Iudicibus, & omni-

bus alijs officialibus Regni, & signanter Diocesis Agrigentina maiorum & minorum locorum presentibus & futuris; necnon quibusuis Vicariis armorum, Capitaneis, Delegatis, Syndicatoribus, Commissariis, Algicarilijs, & Perterijs destinatis ac destinandis; cui vel quibus presentes presentata fuerint, fidel. Reg. dilectis salutem.

Siamo stati supplicati dal tenore seguente.

Videlicet,

ILL. ET ECC. SIGN.

Rea Vincenzo Bonincontro dice ch' à tempi dell' Illmo. Vescouo Porreta suo Predecessore supplico à V. E. & ottenne lettere, che li prest Clerici familiari e sudditi alla sua Diocesi, succedendo la occasione, che si ritrouassero dalla Regia Gran Corte, d'altre Corti de Regno per alcuno delitto, d'per cause ciuili costretti, fussero rimessi alla sua giurisdittione, si come per quelli meglio si contiene. Supplica per questo à V. E. si degui restare seruita ordinare, che dalle precalendate lettere ottente ad instantia di detto Porrette spedite in Palermo à 11. de Marzo 11. indittione 1564. se ne facciano obseruatorie ad instantia di detto Esponente, si come fossero à sua instantia ottente; ch' oltre d'essere giusto lo riceuerà à gratia di V. E. vt Altissimus, &c.

Del quale memoriale fattone relatione per le Sp. Reg. Cons. Vito; si come F. P. prouidde in dorso di quello à 10. del presente. Fiant littera, prout conuenit sub visione M. C. per effecutione della quale vi dicemo e comandamo, che succedendo conuenirsi inanti noi Clerici, familiari, Officiali, à Sodditi di esse Illmo. Vescouo di Grigenti, così per cause ciuili, come criminali. Obseruando la forma de Sacri Canonij, Concilio Tridentino, Pragmatici, Capitoli, e Constituzioni del Regno, à quelli pacto aliquo debiate conoscere, ne molestare: mà costandoui summarariamente essere del predetto foro, e giurisdittione di esso Illmo. Vescouo, quelli incontinenti debbate remittere ad esso Vescouo, come suo Giudice competente; iuxta & seruata la forma di detti Sacri canonij, Concilio Tridentino, Pragmatici, Capitoli, & Constituzioni del Regno: & à quelli che sono in Clericato seruata detta forma di detto Sacro Concilio Tridentino, Pragmatici & Constituzioni, costando inanti voi hauer andato in habito, e tonsura, non ci farete pagare ragioni di prouisione, ne candidali: & così esseguirete ad instantia di qualsiuoglia presentante; e comparente per esse supplicante, etiam senza procura, restituendo li presenti al presentate; non aspettando da noi altre comandamento ne consulta, per quanto la gratia di sua Maestà tenete cara, e sotto pena di ducati mille d' applicarsi al Regio fisco. Datum Panormi

Panormi die 28. Octobris 1608. Il Marchese. Vidit F. P. vidit Marinus, vidit Fabritius, V. Mastrilli, vidit Sicomus F. P. Cominus Vice-Rex & Generalis Capitaneus mandauit mihi Louanio Montana Secretario; visa per Marinum Trabucco, Mastrilli, & de Siccom F. P. & registrentur in actis, & notificentur Officialibus temporalibus. Nicolaus Merallus. V. G. Balthazar Claues Assessor presentata Bisbone im decursu visitationis die 12. Nouembris 7. indict. 1608. de mandato dicti V. G. iuxta supradictam decretationem. Vnde, &c. Don Fuluius Magister Notarius, &c.

Coll. Sals.

Ex quibus litteris manifestè apparet, vt legentibus patet, condistingui inter se hæc tria genera personarum, videlicet, Clericos, familiares & officiales; & hos omnes gaudere priuilegio fori Vicerex & iudicis Magnæ Curie cum fisci Patrono fatentur: & ideo in subsidium, & ad obseruantiam Sacrorum Canonum & Concilij Tridentini dictæ litteræ ad petitionem Episcopi emanarunt: quæ quidem satis confirmant id quod in hac disceptatione satis probatum est, nempe familiares Episcoporum non esse potestati seculari subiectos, etiam si sint Laici, contra opinionem Suarez, Moscosi, Ceuallos, & aliorum asserentium post Concilium Tridentinum familiares Episcoporum, nisi ordinibus initiati sint, non gaudere priuilegio fori. Quam quidem opinionem falsam esse ex dictis litteris apparet, nam, vt dictum est, in illis in ordine ad gaudendum priuilegio fori, familiares & officiales Episcopi distinguuntur à Clericis, qui tamen per dictas litteras solum debent habere requisita Concilij, vt patet in illis verbis. Et à quelli che sono in Clericato, seruata detta forma del Sacro Concilio Tridentino, &c. Et hoc etiam patet ex alia ordinatione Vice-Regia facta ab Excellentissimo Don Carolo de Aragona in anno 1567. etiam ad instantiam Episcopi Agrigentini, & ex altera facta ab Excellentissimo Comite de Lemos die 25. Aprilis 1621. ad instantiam Archidiaconi Messanenensis, visa & subscripta à Magna Curia Regia; in qua ordinatur Ministros Laicos dicti Archidiaconi gaudere priuilegio fori, tam in ciuilibus, quam in criminalibus, & ad ipsum esse remittendos: quæ quidem litteræ conferuantur in Archiuio Magnæ Curie Regiæ, & penes Archiuium Curie Episcopalis Agrigentinae. Non est igitur admitten-

dum id, quod pro certo asseruit Moscosus in Regno Siciliae illos tantum familiares gaudere priuilegio fori, qui ordines habent, & requisita Concilij Tridentini obseruant. Et hoc etiam hodie patet ex praxi.

Ad id verò, quod Moscosus asserit num. 79. Romæ familiares Episcoporum non gaudere priuilegio fori. Respondeo non ex hoc rectè inferre; ergo alibi non debent gaudere: quia hoc ibi obseruatur ex aliqua iusta causa benè visa Summo Pontifici. Et ideo Palatia Dominorum Cardinalium vbique debent gaudere immunitate, vt docet Peregrinus de immunit. cap. 4. num. 75. Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 6. c. 1. dub. 7. num. 2. & me citato Barbosa de iur. Eccl. lib. 1. cap. 4. num. 80. cum alijs, quos citavi in part. 5. tract. 2. resol. 34. Et tamen Romæ non gaudent dicta immunitate, vt docet Duardus in Bull. Can. lib. 2. Can. 15. quæst. 16. num. 12. & alij. Item magis in terminis familiares Cardinalium gaudent priuilegio fori, vt tradit Pereira de manu regia, tom. 1. cap. 10. numer. 13. Carleuallius de iudicijs, lib. 1. tit. 1. diff. 2. quæst. 6. sect. 6. num. 509. Barbosa de iur. Ecclesiast. lib. 4. cap. 4. num. 85. & alij. Et tamen in Vrbe hoc non seruari in praxi testatur Bonacina tom. 3. disp. 1. quæst. 16. punct. 3. num. 7. & Scaccia de iudic. tom. 1. lib. 1. cap. 11. num. 22. Ethoc forsitan est introductum propter reuerentiam Summo Pontifici debitam. Facit etiam pro suprâ dictis, quod Episcopi habent priuilegium, vt in suis ædibus celebrerent singulis diebus; & tamen dum Romæ morantur, hoc priuilegio vti non possunt. Ergo, &c.

Denique, vt receptui canam, ex omnibus suprâ dictis dicendum est familiam laicam Nuncij Apostolici gaudere priuilegio fori; sicut gaudet familia laica Episcopi. Et hæc dicta sufficiant circa præsentem quæstionem: in qua, vt iam vidisti, amice Lector, opiniones à me adductas in fauorem exemptionis familiae laicalis Episcoporum, atque adeo Nuntiorum Apostolicorum non solum pro se habere sacra Oracula Romana, quæ omnes controuersias tollunt; sed etiam communi calculo Doctorum tam veterum, quam recentiorum firmatas esse. Et licet in supradicta allegatione numer. 77. Moscosus in me acriter iniurgat, asserendo me docere opiniones falsas; vnde meritò poteram laceffitus laceffere: Ego tamen hoc non obstante, illum semper in hac disceptatione, honoris causa nominatum esse volo; scio enim esse virum doctissimum, & de Republica bene merentem.



TRACTATUS TERTIVS,
S E V
APOLOGETICA DISCEPTATIO
D E
STATVTO PROHIBENTE
ALIENATIONEM BONORVM
STABILIVM IN ECCLESIAS.

*An statutum, seu lex prohibens ne bona
stabilia alienentur in Ecclesiis
& personas Ecclesiasticas,
sit licitum?*

R E S O L. I.

VM pars quinta mearum resolutionum moralium ex editione Lugdunensi penes Laurentium Durand hoc anno 1639. iterum post quatuor menses excussa fuisse Venetiis apud Franciscum Babam, post resolutionem tertiam Tractatus primi fuit ab Auctore Anonymo apposita quaedam additio, in qua contra me insurgens ad propositam quaestionem affirmatiue respondet, nixus auctoritate Riccardi de Saliceto, Barbatij, Baldi, Molinæ & aliorum.

Posset hæc opinio probari. Primò, quia similia statuta conduntur intuitu boni communis, & ob publicam utilitatem: ergo comprehendunt etiam Clericos, qui illa seruare tenentur; vt ex multis tradit Castillo, Sotomaior *de Tertio tom. 7. cap. 8. num. 25.* & Moscoso *in allegat. pro ciuitate Panorm. art. 1. num. 13.*

Secundò, quia sicut ex pacto, & ex testamento possunt conuenire priuati pro eorum interesse, ne bona in Ecclesiis alienentur *ex leg. fin. Cod. de pact. inter empt. & vendit.* Ita & Princeps pro iure sui vniuersalis dominij, & interesse Reipublicæ idem poterit constituere: nam de pacto ad statutum valer argumentum *ex l. fin. Cod. de fideiuss.*

Tertio, quia validum est statutum, quod ingrediens monasterium non succedat teste Bartolo *in leg. final. num. 6. C. de pactis.*

Quarto, quia aliud est statuere super bona Ecclesiis acquisita; aliud super bonis acqui-

rendis, seu non acquisitis: super quibus licitum est Principibus statuere *ex Baldo in cap. qua in Ecclesiis, numer. 8. de constitut. & aliis.*

Quintò, quia ex frequenti translatione bonorum in Ecclesias ita minuuntur vires Reipublicæ, vt in breui timendum sit, ne tuendo imperio sufficiant.

Sextò, & in hoc argumento maximè se fundat noster Lucifugus Additionator: quia ita seruatur in Regno Galliarum, vbi Clerici non possunt acquirere bona immobilia absque amortizatione, & dispensatione Principis. Idem in Regno Portugalliarum. Idem in Dominio Veneto; cum hac tamen moderatione, vt infra biennium bona donata, vel testamento relicta teneantur Ecclesiastici ponere extra manum, & alienare. Et tandem obseruat idem seruari in Brabantia & Germania.

*Proponuntur fundamenta pro negatiua
sententia.*

R E S O L. II.

Sed his minimè suffragantibus dictum statutum esse contra Sacros Canones, & illud promulgantes, & obseruantes esse violatores libertatis Ecclesiasticæ, & in Censuras Bullæ Coenæ incidere omnino dicendum est. Probatur primò; quia statutum prohibens Ecclesiis, & piis causis, personisque Ecclesiasticis id, quod eis competit ex priuilegio dato à Deo, vel à Romanis Pontificibus, vel ab Imperatoribus, est contra libertatem Ecclesiasticam: sed statutum, de quo loquimur est tale; ergo, &c. Maior patet ex communi Doctorum sententia; ita docet Hostiensis *in cap. final. de reb. Eccles. non alienan.* Innocentius *in cap. noueris, numer. 2. vers. his igitur, de sentent. excommunicat. & ibi Ioan. Andreas numer. 1.* Panormitanus

mitanus *in cap. Ecclesia Sanctæ Maria, de constitut. num. 23.* & ibi Felinus *numer. 69.* Decius *num. 6.* Bartolus *in l. filius familias, §. Diui, il. 2. numer. 12. ff. de legat. 1. & in leg. cunctos populos, numer. 29. Cod. de summa Trinit.* Baldus *in leg. priuilegia, numer. 1. Cod. de sacrosanctis Eccles.* Lucas de Penna *in l. 2. i. num. 5. Cod. de nauib. non excus. lib. 11.* Cagnolus *in l. final. Cod. de pactis, num. 186.* Bertrandus *lib. 1. conf. 50. num. 2.* Ioannes Lupus *tractat. de libert. Eccles. part. 2. quest. 10. numer. 12. & 16.* Lopus *allegat. 92. num. 2. in fin.* Grammaticus *decis. 100. num. 13. & alij.*

Quod autem hoc statutum (vt in minore argumenti supponitur) tollat priuilegium concessum Ecclesiæ & Clericis à Deo, à iure Canonico & ciuili, probatur. Et iure quidem diuino: quia Deus (cuius intuitu donatur Ecclesiis, & qui rerum omnium verus est, & proprius Dominus, *ex leg. ad eò, §. cum quis, ff. de acquir. rerum domin.* & apud quem est verum dominium super omnem creaturam, cum sit Creator omnium, vt explicat Petrus Cardinalis Bertrandus *tract. de orig. iuris d. quest. 4. num. 13.*) omnia in vsum hominum concessit, *l. in pecudum, ff. de usuris, l. 2. ff. de statu homin.* idem Bertrandus *præcitato loco, num. 17. versic. & sic reseruat:* & cum ab hac Dei liberali concessione Ecclesiæ, & Ecclesiasticæ personæ non reperiantur exceptæ, necesse est fieri, eas hoc quoque Dei beneficio ex diuina concessione & largitione proueniente vti debere.

Iure etiam Canonico particulariter Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ priuilegiatæ reperiuntur. *cap. futuram Ecclesiam, & cap. videntes 12. quest. 1.* vbi Vrbanus Papa idoneam rationem reddit; cur oportuerit Ecclesiis prædia donare, & semel donata inuolubiliter retinere: quia videlicet plus utilitatis conferri poterat fidelibus, si hæreditates & agros, quos prius vendebant, traderent ipsis Ecclesiis habendos, vt ex fructibus eorum fidelibus prouideretur, quàm si solum pretium consignarent.

De iure ciuili exploratum est, licere vnicuique relinquere Ecclesiis & Ecclesiasticis personis quantum bonorum etiam immobilium optauerit, *l. 1. & l. generali, & l. iubemus, la. 2. & l. fin. C. de sacrosanctis Eccles.* quod adeò verum est, vt frequentia extent antiquitatis exempla: vnde constat inuitari solitos fideles ad dandum Ecclesiis, & Principibus sæculares latis legibus constituisse, vt collata æterna firmitate roborarentur: nam omnis cæteris *lib. 3. legum Visigotorum, tit. 1. leg. 1.* sic constitutum extat. Quæcunque res Sanctis Dei Basilicis, aut per Principum, aut per quorumlibet fidelium cognationes collatæ

reperiuntur, votiue ac potentialiter pro certo censemus, vt in earum iure, irreuocabili modo, legum æternitate firmentur. Hæc ibi. Ergo cum hoc statutum prohibeatur Clericis, id quod eis de iure diuino, Canonico, & ciuili competit, esse contra libertatem Ecclesiasticam dicendum est.

Fundamentum secundum.

R E S O L V T. III.

Probatur secundò. Quia communis Doctorum opinio est; quòd statutum laicorum prohibens alienationem bonorum in forenses & non subditos, non comprehendat Ecclesias & Ecclesiasticas personas; & quatenus comprehenderet, non valeat, quia esset contra Ecclesiasticam libertatem: ita quòd ex defectu voluntatis Ecclesiæ & personæ Ecclesiasticæ non comprehendantur in statuto; quia non præsumitur statuentes voluisse in generali dispositione comprehendere personas, de quibus etiam si voluissent, in specie disponere non potuissent: & quatenus etiam illas comprehendissent, statutum non valeat ex defectu potestatis; ita tenuit Oldradus in quadam sua disput. quam refert & sequitur Bart. *in l. filius familias, §. Diui, num. 12.* vbi Angelus *num. 4.* Floria de Sancto Petro, *num. 11. cum sequent.* Fulgosius *sub numer. 6. vers. quid autem sit statutum.* Alexander *n. 11. & 12.* & Iason dicit magis communem *n. 72. cum sequent.* vbi licet postea dicat contrariam opinionem veriore, & disputando defendi posse, tamen *num. 82.* ait: quòd durum & difficile esset obtinere contra opinionem Bartoli; ac propterea opinionem Bartoli consulendo & iudicando esse tenendam; quæ est magis communis, & fauet Ecclesiæ: & idem dicit *in repetit. dicti §. Diui, num. 107. & 110.* Ripa communem dicit *num. 81.* Claud. Seyffel *num. 27.* Ferdinandus Loazes *numer. 82.* & latius Socinus iunior, vbi attestatur de communi *numer. 166. cum sequent.* & Ioan. Crotus *num. 88. ff. de legat. 1.* Et ratio est; quia Principes laici possunt condere leges de his, quæ sunt eorum iurisdictionis; non autem possunt terminos eorum iurisdictionis excedere; & probatur *ex cap. si Imperator 96. distinct. ... dum loquendo de Imperatore, inquit, si est Catholicus, est filius Ecclesiæ, & non Præsul: & subdit; habet priuilegia suæ potestatis, quæ in administrandis legibus Ecclesiasticis diuinitus consequutus est; postea subiungit; & eius beneficiis non ingratus contra dispositionem cœlestis ordinis nihil usurper. Quòd ergo Principes laici possint legem condere, procedit dummodo non tangant Clericos*

Clericos & Ecclesias, ac eorum bona; & non lædant immunitatem Ecclesiasticam per ea, quæ superius dicta sunt, & latè tradit Surdus in *consil.* 301. *cui primum*, num. 45. *vers. ut non mouet*, vol. 3. aliàs si vellent ligare Clericos, & Ecclesiasticas personas, non esse iusta lex, sed diceretur iniusta, & non valeret. Et omnia supradicta magis fusiùs à me probata sunt in Apologia contra Lagunam.

Nec obstat dicere, quòd Princeps prohibet in supradicto statuto alienationem bonorum suis subditis, quibus potest hoc prohibere, vt patet ex *l. si in emptionem*, §. *communium*, ff. *de contrahend. empt.* & ex *leg. de pollicitat.* in *fin.* ff. *de pollicit. not. leg. si ita quis*, §. *ea lege*, ff. *de verb. obligat.* Nam responderetur, quòd licet dictum statutum quoad verba non videretur infringere Ecclesiasticam libertatem, cum præcipiat subditis; tamen quoad mentem est contra libertatem Ecclesiasticam faciendo fraudem de persona ad personam: ita Gloss. in *cap. fin. de immunit. Eccles.* in *verb. libertatis*, vbi Ioan. Andreas Ancharanus *sub num.* 1. & Geminianus *num.* 1. Collegium Bononienfe inter Consilia Ancharani *consil.* 13. *super dubio in med.* Ancharanus *consil.* 155. optimis rationibus *sub num.* 7. Angelus in *leg. filius familias*, §. *Diui*, num. 4. vbi Floria. *num.* 22. ff. *de legat.* 1. Ancharanus in *repetit. cap. Canonum statuta*, *sub num.* 175. *vers. praterea iste*, de *constitut.* Abbas in *repetit. cap. Ecclesia Sancta Maria*, *num.* 27. & 31. de *constitut.* Socinus senior in *consil.* 56. *viso decreto*, num. 2. in *fine*, vol. 1. & in *consil.* 14. *circa dubia*, num. 1. *vers. nam ad hoc respondeo*, volum. 4. Albanus *consil.* 8. *pro resolut.* num. 13. *vers. Sed his non obstantibus*, cum *seq.* & *sub num.* 20. Riminald. iunior in *consil.* 15. in *presenti causa*, num. 92. vol. 1. Surdus *consil.* 301. *Cui primum* num. 76. vol. 3. Et laicorum statuta sicut non possunt directè, ita nec etiã indirectè afficere personam Clerici, & Ecclesias propter defunctum potestatis; non inspicitur enim cum quo quis loquatur; sed in quem effectus sermonis conferatur. Gaspar. de Calde inter consilia Ancharani *consil.* 12. *super casu*, num. 3. & in *repetit. cap. Canonum statuta*, num. 175. *vers. praterea iste*, de *constitut.* & in *cap. fin. sub num.* 1. in 3. *notab. de immunitat. Eccles.* in 6. Abbas in *repetit. cap. Ecclesia Sancta Maria*, num. 31. *vers. item licet verba statuti*, de *constit.* Parisius in *consil.* 27. *notula*, n. 63. vol. 2. Riminaldus senior in *consil.* 267. *visa facti narratione*, num. 32. cum *sequent.* volum. 2. Laderch. *consil.* 103. *vt quest.* num. 9. Et quòd statutum laicorum nec directè, nec indirectè possit præiudicare Ecclesiis & Ecclesiasticis personis, & non valeat, probauit supra auctoritate multorum, quibus addo Felinum in *cap. Ecclesia Sancta Maria*, de *constit.* num. 89.

vers. quibus non obstantibus, vbi dicit communem, & Surdum in *consil.* 301. *Cui primum*, num. 77. vol. 3.

Vnde ex supradictis inferunt Doctores posse iudices Ecclesiasticos cogere laicos ita statuentes, vt declarent, quòd in huiusmodi statutis non comprehenduntur Clerici, neque Ecclesia. Et ita docet ex Theologis Paludanus in 4. *distinct.* 18. *quest.* 3. *art.* 3. *casu* 14. Ledema in 2. *part.* 4. *quest.* 26. *art.* 2. §. 23. D. Antoninus *part.* 3. *tit.* 24. *cap.* 18. Toletus in *summa*, lib. 1. *cap.* 27. *vers. aduerte similiter*. Sayrus in *Clauis Regia*, lib. 3. *cap.* 34. num. 17. Ex Canonistis Ioannes Andreas in *cap. eos qui*, de *immunit. Eccles.* in 6. num. 4. Ancharanus n. 1. & *consil.* 135. num. 8. in *fine*. Geminianus num. 4. Francus num. 2. & in *cap. Ecclesia Sancta Maria*, de *constit.* vbi Felinus num. 75. 85. & 107. Butrius in *cap.* 1. de *consuetud.* & *consil.* 40. n. 2. Cardinalis in *cap. perpendimus*, de *sentent. excommunicat.* num. 13. & *consil.* 144. num. 2. vbi allegat textum in *cap. statutum*, de *heret.* in 6. Ex Summistis Astensis *part.* 2. *lib.* 7. *titul.* 2. *casu* 43. Syluester *verb. excommunicatio* 9. n. 50. Angelus *eodem verb.* 7. *casu* 26. num. 1. Rosella *eodem verb.* 33. num. 3. & alij.

Quæ quidem omnia supradicta ita veta sunt, vt statuta laicorum, quamuis fauorabilia, non ligant Clericos, neque Ecclesias; nisi à Papa fuerint expressè approbata: vt patet ex *cap. Ecclesia Sancta Maria*, de *constitut.* vbi communiter notant Canonistæ in *cap. cum venissent*, de *eo qui mittitur in possessionem*, n. 6. Mathefelianus *singular.* 110. Matthæus de Afflicis *tract. de iur. Prothomis*, num. 8. Ioannes Neuzanus *consil.* 39. num. 5. & alij. Ergo, &c.

Fundamentum tertium,

RESOLVT. IV.

PROBatur tertio in terminis, vt dici solet, terminantibus; quia statutum expressè disponens, quòd non possit vendi, donari, vel relinqui Ecclesiis, est contra libertatem Ecclesiasticam, vt patet ex *cap. final. de immunit. Eccles.* in 6. Et statuentes sunt ipso iure excommunicati, vt firmat ibi Ancharanus n. 1. *vers. praterea si expressè*. Geminianus num. 4. Abbas in *cap. Ecclesia Sancta Maria*, num. 22. & ibi Imola n. 11. Riminaldus vol. 1. *consil.* 15. num. 87. & alij.

Nec obstat dicere; quòd textus in *d. cap. fin.* præsumat solum esse contra libertatem Ecclesiasticam propter illa verba: *Cum talia in derogationem libertatis Ecclesiastica præsumantur*; quia cum lex seu canon præsumat in fraudem factam prohibitionem, & super præsumpto disponat, dicitur & est præsumptio iuris

iuris & de iure, quæ non admittit probationem in contrarium; vt in *cap. is qui fidem*, vbi gloss. in *verb. contra præsumptionem*, de *sponsalibus*. Baldus in *leg. siue possideris*, numer. 6. *Cod. de probationib.* Romanus in *consil.* 350. in *casu proposita consultationis*, num. 18. in *fin.* Alexander in *consil.* 91. in *causa inter Antonium*, num. 9. vol. 6. Felinus in *cap. quanto*, numer. 3. de *præsumpt.* Alciatus de *præsumpt. in preludis* in 2. *part.* numer. 5. & 6. Gabriel in *consil.* 31. in *specie proposita*, numer. 22. vol. 1. & alij.

Neque etiam obstat, quòd aliqui asserunt, dictum statutum non auferre in totum & generaliter facultatem acquirendi; sed in certo casu, nempe respectu bonorum stabiliùm, & vt prohibitio de non acquirendo sit contra libertatem Ecclesiasticam; necesse est, quòd sit generalis; & quòd de Clericis & Ecclesiis fiat expressè, & ita conantur effugere difficultatem textus in *cap. final. de immunitat. Eccles.* lib. 6. Et hoc assumptum probant exemplis adductis à Doctoribus, quod augetur per statutum legitimorum filiorum; quòd tunc non potest Ecclesia relinqui in præiudicium legitimæ auctæ filiorum, ex Federico *consil.* 85. Loazes §. *Diui* Abbas *consil.* 63. lib. 1. Francus *decis.* 411. numer. 4. Et in prohibitione arma vendantur non subditis; & in exemplo, ne eisdem prædia in confinio posita vendantur; & in alio exemplo, de domo alicuius particularis destinata ad vsum publicum, quòd non vendatur non subdito.

Circa istud argumentum aduertendum est, quòd eius maior propositio est falsa, & eam reprehendunt Felinus in *dicto cap. Ecclesia*, numer. 118. & Franc. in *cap. final. colum.* 2. in *fin.*

Secundò, quòd sit falsa probatur: nam cum iura præcipiant libertatem, & iurisdictionem Ecclesiasticam esse intactam, & immunem; nihil refert, lædantur in toto vel in parte; cum eadem sit ratio prohibitionis, & valeat argumentum de toto quoad partem. *leg. qua de toto*, ff. *de rei vendicat.* & rursus quia plus & minus non differunt specie, *leg. final. ff. de fund. instruct.* nauis parua, aut magna non sunt diuersæ speciei, & quando lex constituit certum pretium rei, etiam si læsio contingat in parte, vel in toto, nihil refert, vt docet Baldus *leg.* 2. *Cod. de rescind. vendit.*

Tertio, quia ita defecit iurisdicctio, quando statutum disponit & prohibet in casu certo: sicut quando prohibet generaliter, & vtroque casu læditur iurisdicctio Ecclesiastica.

Denique contra hanc opinionem expendo textum in *cap. qua in Ecclesiis*; vbi statutum laicorum non erat generale; nec in totum prohibebat acquisitionem fieri in Ecclesiam; sed tantum quoad dominium vile rerum Emphyteoticarum Ecclesiæ & Clericorum;

& in certo & raro casu, quando dominus vtilis pateretur paupertatem. Secundò per textum in *cap. Ecclesia Sancta Maria*, vbi statutum laicorum non prohibet generaliter; sed in casu particulari, videlicet, quando res esset litigiosa, & tamen non comprehendit Ecclesiam. Tertio ex *cap. quanto*, de *privileg.* vbi prohibitio non erat generalis, nec prohibebat, quòd Ecclesia posset acquirere; sed tantum in casu speciali, puta ex furnis & molendinis: & tamen reprobat illa prohibitio. Quarto expenditur decisio Bonifacij VII. *dicto cap. finali*, de *immunit. Eccles.* lib. 6. ibi, *quicunque vendant aut emant*, vbi vtiur disunctiua ibi, *vendant aut emant*: ad cuius veritatem sufficit, quòd vna pars sit vera *leg. si heredi plures*, ff. *de condition institution. ibi, si disunctim*, & in *leg. cum pupillus* 78. §. *disunctiuo modo*, ff. *de conditionib. & demonstrat.* ibi, *alteram defecisse non oberit*. Ergo, &c.

Fundamentum quartum.

RESOL. V.

PROBatur quartò ex auctoritate Pontificum & Conciliorum. Nam Innocentius Papa III. Cardicenf. & Sidonienf. Episcopis, & Archidiacono Daualienf. mandauit, vt constitutionem Henrici Constantinopolitani Imperatoris; vt nullus posset de suis possessionibus in vita, vel vltimo testamento aliquid Ecclesiis elargiri, friuolam & inanem, & nullo modo seruandam decernerent.

Idem Innocentius III. quarto nonas Decembris Pontificatus sui anno 14. Regibus ordinauit, vt suos Officiales compecerent, qui postposito zelo Dei laicos in ægritudine laborantes præpediebant, ne de terris, vel suis hæreditatibus aliquid in elemosynam alicui largirentur.

Gregorius Papa IX. ad Episcopum Burgensem & Decanum Calaguritanum literas dedit, quibus mandabat, vt Regem Castellæ diligentius monerent, & inducere procurarent, vt reuocaret statuta & præcepta quædam, quibus cum magno detrimento Ecclesiæ Calaguritanæ ordinauerat, ne quis de cætero donare aut vendere præsumeret aliquas possessiones Ecclesiæ Cathedrali, aut Monasteriis, aut aliis eiusdem Diœcesis piis locis.

Alexander Papa huius nominis quartus, cum intellexisset nonnullos Magistratus temporalem iurisdictionem exercentes, prætextu bonorum Ecclesiis acquiritorum, eisdem Ecclesiis imponere collectas, & tallias, & compellere; nisi soluerent, vt bona sic quæstata extra manum suam ponerent: & insuper de legatis, quæ Ecclesiis & piis locis relin-

H quebantur,

quebantur, certam quantitatem vel portionem deducere, per generalem constitutionem mandauit ut ista omnia grauamina tollerentur; & iudices seculares, nisi desisterent, pœna excommunicationis plecterentur. Hæc Alexandri constitutio recensetur in cap. 1. de immunit. Eccles. lib. 6.

Clemens IV. vbi similia statuta vigere intellexit, constanter reuocari curauit; nam ad Regem Portugallia anno sui Pontificatus quarto litteras scripsit, quibus requirebat, & affectu paterno rogabat, ne correctionis necessitatem expectaret; sed protinus per seipsum, quod erat sibi decentius, præteritas quasdam consuetudines reuocaret, quibus Episcopis & personis Ecclesiasticis prohibebatur, ne aliquas possessiones emerent, etiam si Emphyteuticæ non forent, vel feudales.

Martinus Papa IV. statutum Reginorum contra Ecclesiasticam libertatem, ne quis personis Ecclesiasticis vel Ecclesiis vendere posset aliquid vel donare, inualidum fuisse; & non teneri Clerum ad illud obseruandum declarauit; & per censuras excommunicationis & interdicti, & pœnam feudorum priuationis Reginos compulit, ut statutum illud de suis chartulariis prorsus abradere.

Concilia generalia ex omnium Prouinciarum & Regnorum Catholicorum Episcopis & Prælati congregata, hoc ipsum decretum in specie damnauerunt; & omiſſis cæteris, Concilium generale Lateranense sub Innocentio III. Romæ habitum anno 1215. cap. 44. relatum, in cap. cum laicis, de reb. Eccles. non alienam. per censuram Ecclesiasticam Principes laicos admonendos decreuit, ut ab huiusmodi præsumptionibus abstinerent; & similia statuta inualida esse decreuit: nam verba illa Concilij (non solum de alienatione feudorum, & aliarum possessionum Ecclesiasticarum) Hostiensis in dicto cap. cum laicis, numer. 5. super verb. de alienatione, interpretatur de alienatione facienda infra annum & diem: tales enim constitutiones, seu potius destrutiones, iam tunc Principes laici edere præsumebant, quas generalem Concilium damnauit.

Concilium Constantiense, cum eundem articulum de Ecclesiastica libertate tractaret, statutum hoc, de quo agitur, reulit in hæc verba, & pariter condemnauit: ut potè quod nulla bona temporalia in vim & potestatem Ecclesiasticam transferantur. Hactenus Concilium. In confirmatione constitutionum Federici III. & Caroli IV. quæ habetur in fine Concilij Constantiensis, pag. 923. tom. 3. Conciliorum generalium ex editione Colonienſi, anno 1567.

Concilium generale Lateranense sub Leo-

ne X. sess. 10. in princip. in literis incipient. Regimini vniuersalis Ecclesia; quas sacro approbante Concilio Leo X. publicauit, constitutiones pro libertate Ecclesiastica, & contra eius violatores confirmauit, & in specie hoc statutum his verbis condemnasse videtur: aut aliàs de illis pro illorum libito voluntatis disponendum, & feuda, ac bona Ecclesiastica in Emphyteusim concedendum, aut aliàs vendendum temerè compellentes. Hactenus Concilium.

Concilium denique Tridentinum sess. 25. de reformat. cap. 20. in quo omnes Sacros Canones, & omnia Concilia generalia, & alias Apostolicas sanctiones in fauorem Ecclesiasticarum personarum, & contra eius violatores editas innouauit, & exactè ab omnibus obseruari debere mandauit, hoc ipsum decretum proculdubio etiam reprobauit. Ergo, &c.

Fundamentum quintum.

RESOL. VI.

PROBatur quòd ex auctoritate Doctorum afferentium statuta laicorum non ligare Clericos, & esse inualida, si faciunt mentionem de Clericis & Ecclesiis, ut est istud, de quo loquimur, prohibens alienationem stabilium in illos, & ita docet Albericus tract. de statut. part. 2. quest. 2. num. 20. & multis sequent. vbi numer. 60. affirmat leges & statuta laicorum prohibentia alienationes bonorum in non subditos, non ligare Clericos, cum leges etiam ad fauorem Ecclesiarum conditæ, non sumant robur, nisi fuerint per Ecclesiam approbata.

Paulus de Castro consil. 89. incip. Posset quis dicere, lib. 2. numer. 1. vbi dicit tale statutum non valere tanquam factum contra Ecclesiasticam libertatem.

Alexander consil. 210. num. 1. & consil. 211. numer. 3. vol. 2.

Antonius de Butrio consil. 40. incip. Statuto Ciuitatis, vbi nullam dubitationem habere dicit, quod Ecclesia non ligatur statutis laicorum, neque in genere, neque in specie; & consequenter non valere illud, de quo ibi agebat Butrius, quo populus cauerat, ut de piis legatis, duo solidi pro libra soluerentur.

Curtius senior consil. 62. incip. Primo aspectu vers. non obstat statutum Mediolani. Idem Curtius consil. 72. incip. Magnifice vir. numer. 13. vers. secundo respondeo, vbi sine hæſitatione affirmat non valere statutum contra ius commune in præiudicium Ecclesiarum, nec comprehendere Monasteria, nec personas Ecclesiasticas, & allegat iura & Doctores.

Bartholomæus Socinus consil. 14. incip. Circa

circa dubia data, numer. 1. lib. 4. vbi ait communem esse opinionem Canonistarum contra Bartolum, quod statutum laicorum non ligat Clericos contrahentes, seu contractus Clericorum; quia lex inferioris à Principe, quantumcumque etiam fauorabilis, non ligat actus Clericorum cap. Ecclesia Sancta Mariae, de constitut.

Idem Socinus consil. 71. incip. circa presentem consultationem, eodem lib. 4. numer. 10. vers. tamen ut dicit: vbi pariter affirmat statutum quantumcumque generaliter loquens, licet bonum & honestum videatur, non includere Clericos, quia deficit auctoritas in statuente, cap. final. de reb. Eccles. non alienam.

Marianus Socinus consil. 76. incip. stantibus pluribus instrumentis, numer. 30. lib. 3. vbi hanc vocat communem opinionem contra Signorolum de Homodeis consil. 21. & in cap. nouerit, num. 17. de sent. excommunicat.

Maluasia consil. 80. numer. 26.

Ioannes Neuizanus consil. 39. incip. Quid non possit cogi, num. 10. licet in aliquibus casibus contradicatur.

Ripa consil. 2. cap. 2. num. 5. lib. 2.

Rolandus à Valle consil. 22. incip. quod magnificus Dominus, num. 19. vers. 7. & vlt.

Vulpus consil. 23. numer. 16. vol. 2.

Petrus Ancharanus consil. 155. incipien. optimis rationibus.

Gaspar Calderinus consil. 12. inter consilia Ancharani incip. super casu predicto, vbi n. 3. verè dixit, illa statuta laicorum non valere, quæ directè, vel indirectè tendunt in præiudicium Ecclesiasticæ libertatis.

Nicolaus Euerardus consil. 30. incip. in materia questionis, num. 26. & multis sequent. vsque ad finem, vbi loquitur de quadam constitutione Philippina.

Idem consil. 42. incip. vixit & bene discussis.

Idem consil. 239. incip. Vltra longè, latèque deducta, vbi num. 17. loquitur de constitutione Philippina, & affirmat Monasterium posse acquirere & retinere bona etiam feudalia ex titulo emptionis, aut donationis, & successionis, & num. 18. addit Principem laicum non posse hoc Ecclesiis tollere sine metu excommunicationis.

Menochius consil. 878. num. 10. vol. 9.

Iacobus Mandellus consil. 8. incip. pro resolutione; vbi latissimè.

Iacobus Vangatrellus in addit. ad summam Angelicam ver. excommunicatio 7. cas. 36. lit. F.

Iason consil. 161. incip. circa primum articulum, num. 15. lib. 2.

Bossius in praxi criminal. tit. de Principe, num. 339. & tit. de penis, num. 43.

Angelus de Vbaldis consil. 48. incip. quidam Franciscus, num. 3.

Ioannes Baptista Leo in Theſaur. for. Eccles. part. 1. cap. 14. num. 38. & 39.

Ionnes Petrus Surdus consil. 301. incipien. cui primum, num. 12. & seq. & num. 78. & seq.

Riminaldus senior consilio 246. numer. 28. volum. 2.

Io. Baptista Plotus consil. 19. incip. casus super quo, num. 11. & 12. & seq. vbi num. 12. in fine dicit, hanc esse communem opinionem.

Honedus consil. 3. num. 15. & 22. vol. 1.

Baldus consil. 132. incip. Casus quidam vocatus, lib. 3. vbi affirmat, quod stante statuto, quod quis non posset alienare rem immobilem in personam, quæ non soluit collectas; si quis legauerit alicui Monasterio, seu pio loco rem immobilem solitam soluere collectas, Monasterium seu pium locum non comprehendit sub tali statuto.

Idem censuit idem Baldus in leg. final. n. 17. Cod. de sacrosanct. Eccles. ver. extra glossam, vbi quasi reuocando sententiam, quam alibi afferuerat affirmauit, quod licet aliàs dixerit, illud statutum non valere, non tamen includit Ecclesiam, & subdit istam esse veritatem.

Hippolyttus Riminaldus consil. 15. incipien. In presenti causa, numer. 85. vers. quibus tamen, vbi ait, hæc decreta prohibentia alienationem bonorum immobilium in non subditos, non includere Clericos, nec Ecclesias.

Eandem sententiam profitentur communiter Iuris Ciuilis interpretes in leg. filius familias, §. Diui. ff. de legat. 1. vbi Bartolus num. 12. vers. secundum dubium est, censuit contra libertatem Ecclesiæ esse statutum prohibens alienationem bonorum immobilium fieri in Ecclesias vel Monasteria.

Idem Bartolus sibi consentiens eandem sententiam amplexus fuit in leg. final. num. 18. ex hoc concludo, Cod. de sacrosanct. Ecclesiis, & in leg. Cod. de contrahend. empt. & in leg. final. Cod. de exactoribus, lib. 10.

Bartolus præcitato loco in dicto §. Diui, n. 11. huius sententiæ auctorem dixit Oldradum, qui eam quæſtionem disputauit.

Angelus de Perusio in dicta leg. filius fam. ff. de legat. 1. §. Diuus Senerus, leg. 2. num. 4. Bartolum & Oldradum sequutus idem statutum, quod res non possit alienari in Clericum reprobauit, affirmans hodie id esse decisum per casum in cap. vltim. de immunit. Eccles. lib. 6.

Et Iason in dicto §. Diui, in prima lectura, numer. 72. vers. tu aduerte, affirmauit Bartoli decisionem esse communem, quia pro ea est textus formalis in cap. final. de immunitat. Eccles. lib. 6. Idem Iason ibidem num. 82. & 83. pronunciauit eam sententiam esse magis communem.

Ioannes etiam Crottus in dicto §. Diui, numer. 80. vers. secunda sit conclusio. Similiter

H 2 dixit

dixit hanc esse communem opinionem, per textum in cap. fin. de reb. Eccles. non alien. lib. 6.

Ioannes Franciscus Ripa in eodem §. Diui, num. 81. vers. secunda conclusio. eandem sententiam dixit esse communem Legistarum ibi, & Canonistarum in cap. Ecclesia Sancta Maria, de constitut. vbi que conformiter profitentium, statutum prohibens alienationem in personas non subiectas non valere in præiudicium Ecclesiarum, nec Monasteriorum.

Cum supradictis asseruntur assentire plures alij in dicto §. Diui; quibus præterea addunt.

Iulius Clarus in practica criminali, quæst. 82. §. statutum §. n. 2. vers. Sed quæro, qui eandem opinionem vocat communem.

Horatius Carpanus in Capitul. Mediolanens. incip. Collegiis Nou. consil. tit. de penis super verb. huic domino non subditam, num. 150. vers. non militat pariter, & vers. tamen communis est in contrarium, eandem opinionem agnoscit esse communem.

Ioannes de Platea in leg. in his, num. 1. vers. nota ex principio, Cod. de prædiis & rebus Nauticular. lib. 11. cuius verba sunt: non autem valeret statutum, quod non possit vendi Ecclesiis.

Idem in leg. 1. numer. 2. circa finem vers. & per hanc legem. Cod. non licet habitatoribus Metrocopia, eod. lib. 11.

Gabriel Sayran ad Mathesilanum singul. 110. numer. 33.

Fabianus de Monte, tractat. de emption. & vend. 3. part. princip. num. 45. vers. sed non valeret: vbi concludendo contra Signorolum de Homodeis, tenet tale statutum esse contra libertatem Ecclesiæ, per textum expressum in cap. finali, de reb. Eccles. non alien. lib. 6.

Riminaldus iunior consil. 15. n. 85. vol. 1.

Ioannes Iacobus de Canibus tract. de Respresaliis, part. 2. num. 10. vbi dicit: Tamen non sunt licita, in quantum prohibent alienationem & venditionem personis Ecclesiasticis: quia hoc esset per indirectum diminuere eorum priuilegia; & idè non valent.

Michaël Crassus in suis communibus lib. 2. vers. statutum, quæst. 12.

Hippolytus Bonacossa in communibus opinionibus criminalibus in verb. statutum, §. statutum prohibens rem immobilem. Dixit statutum non valere; & hanc esse communem opinionem.

Riminaldus senior consil. 246. numer. 28. & sequent. volum. 2.

Andreas Tiraquellus ad leges Connubiales, gloss. 8. super verb. de son mary, num. 172.

Michaël Crassus lib. 2. commun. opinion. in verb. statutum, quæst. 12.

Ioannes Bertachinus tractat. de Episcopis, part. 4. lib. 4. quæst. 45. num. 147. vers. quæro

etiam an prohibitus alienare: vbi dicit se in ardua quæstione ita consuluisse.

Diuus Antoninus in summa part. 3. tit. 24. cap. 18.

Tabiena in summa verb. excommunicatio §. cas. 20. num. 5. ad 4. argumentum.

Bursatus consil. 93. num. 23. lib. 1.

Ioannes Andreas numer. 1. vers. vidi dubitari, & num. 2. cum sequent.

Summa Rosella verb. excommunicatio 33. numer. 3.

Archidiaconus in cap. Romana, de appellat. lib. 6. in verb. consuetudine: vbi ait non valere consuetudinem, vel statutum; quod Ecclesia sibi rem in testamento relictam teneatur alienare intra annum, vel aliud simile: pro quo allegat Canones in cap. que in Ecclesiarum, de constitut. & in cap. cum laicis, de reb. Eccles. non alienat. & consequenter perperam pro contraria sententia Archidiaconum allegauit Lucas de Penna in leg. iubemus, num. 4. Cod. de nauib. non excus. lib. 11. & Petrus Peckius tract. de amortizatione bonorum, cap. 6. vers. aduerte tamen, circa finem.

Petrus de Ancharano quæst. 1. vers. quæro, post Ioannem Andream, & vers. præterea si expressè hoc statuisset.

Et ibidem Geminianus numer. 3. vers. Sed pone.

Philippus Francus ibidem num. 2. qui licet propter consilium Federici de Senis 76. quod incipit. Talis casus est. Statuto. tantisper dubitare videatur: nihilominus tamen postea vers. cogita tamen, non recedit à supradicta sententia Ioan. Andree: quinimò statim in vers. & ultra etiam, addit Francus, posse iudices Ecclesiasticos cogere statuente ad declarandum prædicta statuta generaliter prohibentia alienationem in non subditum, non comprehendere contractus cum Ecclesiis & personis Ecclesiasticis celebrandos.

Felinus in cap. Ecclesia Sancta Maria, de constitut. quæst. 9. num. 89. vers. & ita est. hanc dicit communem esse opinionem.

Panormitanus consil. 83. incip. præsens dubium, lib. 1. Idem in cap. relatum il primo, num. 5. vers. item non valet statutum laicorum, de testament. & in cap. à nobis, notab. 3. num. 5. vers. idem dicendum, est de sentent. excommunic.

Cardinalis Zabarella consil. 66. incipient. in dubio præmissis, num. 2.

Ioannes Monachus in cap. ut animarum, num. 3. & ibi Probus numer. 9. de constitut. in 6.

Syluester verb. excommunicatio, §. 9. num. 30.

Comitolus, Bouius, Collegium Bononiense, Vgolinus, Vigianus, Barbosa, Fagnanus, Genuensis, Duardus, Filliucius, Reginaldus, Marta & Bellettus: quos citauit in part. 1. tractat. 2. resolut. 57. quibus omnibus

omnibus adde Campegius in opusc. de officio Principis in Ecclesia, num. 31.

Videant modò Lectores, qua fronte ausus sit dicere noster Additionator, suam sententiam docere faniorem Iurifconsultorum cæterum.

Vnde ex supra dictis, & infra dicendis magis firmata remanent ea, quæ ego adnotauit contra Cutellium in part. 5. tract. 1. resolut. 3.

Proponuntur responsiones ad argumenta contraria.

RESOL. VII.

Restat modò respondere ad argumenta pro sententia Anonymi in principio adducta: ex quibus magis firmata remanebit nostra sententia. Ad primum igitur argumentum; quod tale statutum tendit, & est conditum fauore boni publici, & ad utilitatem Reipublicæ.

Respondeo, quod lex ciuili licet in bonum publicum statuatur, non debet de Ecclesia & de Clericis expressè disponere; etiam si dispositio fauorabilis sit, vt habetur in cap. Ecclesia Sancta Maria, de constitut. & in cap. cum laicis, de reb. Eccles. non alien. & ibi Butrius & Abbas cum Imola in cap. Clericis, de for. compet. Maxime si Clericis & Ecclesiis aliquid prohibeatur, nam ex forma ipsius prohibitionis colligitur intentio disponentis, idque fieri in præiudicium libertatis Ecclesiasticæ, vt obseruat Cardinalis in cap. perpendimus, de sentent. excomm. num. 13. Felinus in d. cap. Ecclesia, num. 15. Et quia lex non potest inducere inhabilitatem in Ecclesiam & Clerum non sibi subditos, vt in l. 1. §. fin. de tutor. & curator. vbi eis tantum permittitur, qui sunt eiusdem Prouincia, & ibi domicilium habent, & in leg. pupillorum, eodem tit. & docent Baldus & Bartolus in leg. cunctos pupillos, dum agunt de statuto, quod ne minor triginta annis possit obligari, quia non comprehendit minorem forensem contrahentem in loco statuti super bonis ibi sitis: nam bona sequuntur personam; idè que Clericorum bona gaudent priuilegio immunitatis, vt tradit gloss. vers. personis, in dicto cap. Ecclesia, cum adductis à Mandello consil. 387. num. 5. nam, vt inquit Abbas in dicto cap. Ecclesia, si bona Clericorum & Ecclesiarum subiicerentur legibus sæcularibus, eorum ratione per indirectum Clerici subiicerentur foro sæculari, & ad eum traherentur. Quod etiam præter Abbatem docuit Felinus num. 10. & Decius num. 38. etiam si laici in rebus Ecclesiasticis haberent vile dominium, vt in cap. que in Ecclesiarum, de constitut. cum adductis à Tiraquello d'

retractu lignag. §. 1. gloss. 13. numer. 3. & 8. & hæc omnia docet Beltran de Gueuara in propugnac. immunitat. Ecclesiast. assert. 1. §. 6. num. 56.

Vnde ex his nunquam potui intelligere doctrinam Bobadillæ, & aliquorum recentiorum asserentium, posse Regios Magistratus punire Episcopos & Clericos, vt ipsi asserunt, in temporalitatibus: nam cum, vt dictum est, bona sequantur personam, nescio quo pacto possint temporalitates Ecclesiasticorum tollere, nisi exercendo in eos iurisdictionem contra sacros Canones & Concilia. Vide omnino Surdum consil. 301. n. 65. Et cum ius multandi connexum sit & complicatum cum iurisdictione, vt firmavit sacra Rota in decisionibus collectis à Paulo Rubeo in Burgenfi Iuris præsidendi die 9. Decembr. 1643. coram doctissimo domino meo Merlino decisione 753. num. 8. & sequent. sequitur, quod si iudices laici possent multare Clericos in temporalitatibus, haberent in illos iurisdictionem: sed hoc dicere est absurdum. Ergo, &c.

Sed ad rem nostram redeundo, dicendum est, publicam utilitatem non operari validitatem statuti, de quo loquimur; cum non concurrat potestas in statuente: & idè quam statutum esset bonum, & æquum, & publicæ utilitati faueret, cessante tamen potestate non est validum, ex Baldo sibi contrario in leg. cunctos populos, Cod. de summ. Trinit. num. 50. & in proposito Felinus in dicto cap. Ecclesia, num. 89. & expressè Crotus in §. Diui, num. 80. dixit: quod licet statutum emanauerit ad publicam utilitatem: non tamen propterea debet Ecclesiasticas personas comprehendere; cum super eas laici nullam habeant iurisdictionem: quod etiam notauit Ruinus numer. 92. & alij communiter contra Signorolum.

Dicendum est igitur; quod publica utilitas, & publicum bonum non præbet iurisdictionem laicis, vt possint statuere circa Ecclesias, & Ecclesiasticas personas; vt patet ex cap. bene quidem, distinct. 96. cap. que in Ecclesiarum, cap. Ecclesia Sancta Maria, de constitut. cap. ut si Clerici, cap. Clerici, cap. qualiter, de iud. cap. 2. de foro compet. cap. continua 11. quæst. 1. cap. non minus, cap. aduersus, de immunitat. Eccles. cap. quanquam, de censur. in 6. cap. Clericus, cap. fin. de immunitat. Eccles. in 6. & in Extravaag. 1. eod. tit. Non est ergo bona consequentia. Necessestas publica exigit, vt ita fiat: ergo Princeps contra Clericos statuere potest: nam, vt dictum est, necessitas nõ tribuit iurisdictionem. Et cum semper sit necessaria causa publica in condenda lege, ampliaret potestatem & iurisdictionem legislatoris contra non subditos;

quod nullo modo est dicendum: unde iniusta erit lex; etiam si habeat æquitatem, si modò deficiat potestas legislatoris: ut his, qui iura profiterentur, notum est; & ut inquit Suarez *de censur. disp. 4. sect. 6. num. 5.* quòd lex iniusta & nulla est, quando deficit iurisdictionis; quia actus sine potentia esse non potest, etiam materia sit æqua, erit tamen lex iniusta ratione usurpate iurisdictionis: utilitas namque, siue necessitas in alienatione rei Ecclesiasticæ, vel minoris, non tribuit iurisdictionem tutori vel administratori; sed decreto legitimi iudicis opus est, ut in *leg. 1. ff. de rebus eorum, & in leg. magis puto, §. ne passim, & §. si as alienum, cod. tit. & in alienatione rei Ecclesiasticæ tradit Gloss. in summa 12. quest. 2. & habetur in cap. sine exceptione, eadem caus. & quest. & in cap. tua nuper, de his, que sunt à Prælat. cum adductis à Tiraquello *de legib. connubialibus, gloss. 8. num. 57.* Rodoanus *de rebus Eccles. non alien. quest. 20. num. 19.* Et ita huic argumento respondet Ioannes Crotus in *repetit. §. Diuus, num. 80.* quòd necessitas publica non tribuit iurisdictionem laicis ad statuendum; & Felinus *dicto cap. Ecclesiam, num. 113.* idem prorsus asseruerat.*

Ad id verò, quod asseritur, Clericos teneri ad obseruationem statutorum ex publica utilitate & communi bono. Respondeo hoc esse verum; quando non lædunt immunitatem Ecclesiasticam: ut ego satis probaui pluribus in locis; sed statutum, de quo loquimur, tale est. Ergo, &c.

Responsio ad secundum & tertium argumentum.

RESOL. VIII.

AD secundum argumentum Quòd sicut ex pacto & ex testamento possunt conuenire priuati pro eorum interesse, ne bona in Ecclesias alienentur. Ita & Princeps per statutum pro bono & interesse Reipublicæ.

Respondeo primò argumentum de pacto ad statutum non procedere, quando militat diuersa ratio. Felinus in *cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, sub num. 89. vers. nec semper procedit argumentum, de constitut.* Euerardus in *locis legalibus, in loco à pacto ad legem & statutum, num. 6. vers. hoc tamen dixit.* Sürdus in *consil. 2. num. 8. vol. 1.* Sed in re propria quilibet est moderator & arbiter, *leg. in re mandata, Cod. mandati:* nec domini rerum propriarum reperiuntur prohibiti, quòd minùs possint disponere, quòd eorum bona non transeant in Ecclesiam: immò disponentes de rebus suis in Ecclesiam possunt omne onus reale apponere, *cap. verum, de condit. appof.* Et cum non re-

periat expresse contrarium dispositum, illi statari debet, Gloss. in *dicto cap. verum, in verb. debent reuocari, in fin.* Sed tecus est in Principe, qui vult prohibere bona à subditis non vendi, vel donari, aut Ecclesiæ relinqui: expresse enim reperitur Ecclesia priuilegiata, ut quilibet ei donare possit, *l. illud, Cod. de sacros. Eccles.* sicut etiam, quòd ei relinqui possit, *l. 1. C. eod.* Et quòd ei & Clericis vendi possit, *l. fin. C. de sacros. Eccles.* cum aliis supra adductis: quin immò expresse prohibitum est fieri statuta contraria prædictis priuilegiis, *cap. fin. de immunit. Eccles. in 6.* meritò de vno casu ad alium argui non potest.

Secundò respondetur pactum esse voluntarium, & de rebus pacificentis tantum procedit; sed statutum esse necessarium & generale quoad bona immobilia omnium: unde quia per statutum saltem per indirectum impeditur alienatio efficacius; quam per pactum; ideò argumentum de pacto ad statutum non valet. Ripa in *l. filius familias, §. Diui, sub num. 81. vers. nam pactum, ff. de legat. 1.*

Ad tertium argumentum: quòd validum est statutum disponens monasterium ingredientem non succedere. Respondeo contrariam opinionem contra Bartolum esse communem, quam sequitur Iason in *l. fin. C. de pactis, num. 25.* Decius *num. 28.* Cagnolus *n. 105.* Paulus de Castro in *leg. si quis ad quod, num. 8. ff. de iurisdict. omni. iudic.* Ripa in *l. exacto, §. si quis rogatus, num. 39. ff. ad Trebellianum.* Patethus *consil. 30. & 31.* & ita determinauit sacra Rota in vna Assisienti bonorum die 31. Maij 1606. coram Marcomontio. Non est igitur verum valida esse statuta, quòd bona ingredientium non transeant in monasterium, quia responderetur statuta prædicta non valere, quòd per ea ingrediens religionem inhabilitatur ad successionem. Abbas in *repetit. cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, num. 35. vers. statutum circa iam ingressum, de constit.*

Sed pro dilucidatione veritatis ad indiuidua deueniendo. Pone, quòd statutum excludat fœminas à successione ab intestato stantibus masculis: quaeritur an excludat filias Moniales; & distinguitur; Aut statutum generaliter modo, quo supra loquitur; & persona, de cuius successione tractatur, non erat religiosa tempore conditi statuti, & tunc cum transeat in monasterium cum illa impotentia succedendi, ligatur tali statuto etiam facta Monacha, cum per ingressum non efficiatur deterioris conditionis. Socinus senior *consil. 81. in presenti consultatione, num. 5. volum. 1. & in consil. 230. viso testamento, sub num. 8. vers. Tertio & ultimo, volum. 2.* Ruinus *consil. 45. præsupposita donatione, num. 35. vol. 1.* Socinus iunior dicit magis veram & communem in *consil. 25.*

pra

pro vera, *num. 11. volum. 3.* Parisius attestatur de communi & in iudicando & consulendo ab ea non esse recedendum, in *consil. 40.* si ius commune, *num. 16. & 24. vol. 3.* Laurentius de Palatiis quòd stantibus masculis, *sub num. 100. vers. si verò statutum.* Hondedeus *consil. 11. vers. statutum Casianum, num. 37.* post infinitos ab eo relatos, *vol. 2.*

Aut statutum non loquitur generaliter, sed specificè; & verè, quia excludat mulieres Religiosas: & tale statutum non valet; siue loquatur de ingressa, siue de ingrediente. Ancharanus in *consil. 108. in paucis verbis, numer. 1. & 2.* Abbas in *cap. quòd Clericus, sub num. 40. de foro compet.* Felinus post alios in *cap. in presentiarum, num. 38. de probat. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, num. 78.* vbi Decius dicit magis communem *num. 49. de constitut.* idem Abbas in *consil. 111. in causa Catharinae, sub num. 4. vers. venio nunc ad secundam, vol. 2.* Alexander in *consil. 138. viso themate, num. 13.* dicit magis communem *volum. 2.* Socinus senior testatur de communi in *consil. 81. in presenti consultatione, num. 5. vers. circa primum casum, volum. 1.* & de magis communi in *consil. 241. circa primam difficultatem, sub num. 2. vers. secunda est, volum. 2.* Matthes. *singul. 144. nota mirabile.* Brun. quòd stantibus masculis, *art. 6. q. 2. num. 35.* Ruinus in *consil. 204. Pulchra est, n. 10. volum. 1.* Ancharanus iunior in *quest. familia 20. testator, num. 6. part. 2.* Rolandus in *consil. 35. Illustrissimus & Excellentissimus Princeps, n. 26. volum. 3.* Si ergo statuta ex aduerso allegata sunt generalia, includunt etiam Moniales, cum ipsæ ingressæ sint Monasterium cum illa impotentia succedendi, nec efficiantur deterioris conditionis per ingressum; si verò statuta sint specifica, non valent.

Responsio ad quartum argumentum.

RESOLVT. IX.

AD quartum argumentum, quòd aliud sit statuere super bona Ecclesiis acquisita, aliud super bonis quaerendis, super quæ licitum est Principi condere statuta.

Respondeo primò, sacros Canones de hac materia absolute, & sine vlla distinctione loqui, videlicet, tam respectu bonorum acquiritorum, quam acquirendorum, ut patet in *cap. bene quidem 96. dist. & in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, de constitut. & in cap. final. de rebus Eccl. non alienand.* Et in specie, quòd ista distinctio de bonis Ecclesiis acquisitis, vel acquirendis non subsistat: probatur ex textu in *cap. ea enim 10. quest. 2. desumptus ex leg. iubemus, §. 1. vers. ea enim, Cod. de sacrosanct. Eccles.* quem ponderat Cardinalis Albanus *tractat.*

de immunitat. *num. 12.* & Mandellus *consil. 8. num. 20.* approbantes prædictam distinctionem, asserendo immunitatem Ecclesiasticam fuisse concessam pro bonis acquisitis & acquirendis.

Respondeo secundò, prædictam distinctionem aperte pugnare cum definitione Ecclesiæ, in *cap. 1. de immunit. Eccles. in 6.* vbi Alexander V. prohibet laicis tallias, collectas, seu exactiones quascunque Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis imponere, vel exigere ab eisdem pro bonis quibuscunque hactenus acquisitis, vel imposterum acquirendis. Et ratio huius decisionis est, quia priuilegia, quocunque titulo Ecclesiis concessa, non solum competunt pro bonis tunc acquisitis; sed etiam extenduntur ad ea, quæ postea ad Ecclesiam peruentura sunt, ut patet in *d. l. iubemus, §. 1. C. de sacrosanct. Eccles. & cap. ea enim 10. q. 10.* & id operatur fauor animæ, & priuilegium piæ causæ.

Nec valet dicere: Quòd Prælati in acquirendis possit Ecclesiæ præiudicare, ut tenet Federicus de Senis *consil. 9.* & videtur communis opinio, ut dicit Iason in *l. legatum, n. 15. & 16. ff. de legat. 1.* Nam respondetur, non esse veram hanc conclusionem, quòd Prælati in acquirendis possit Ecclesiæ præiudicare: cum Baldus ipse contrariam tenuerit opinionem, in *leg. contra iuris, §. 1. ff. de pact. & Ancharanus in cap. ut super, num. 6.* vbi Imola *num. 16. de rebus Eccles. non alien.* & alij, quos refert Alexander in *l. legatum, circa finem, num. 2. vers. & ista est, ff. de leg. 1.* vbi hanc opinionem vocat magis communem.

Sed quicquid sit de hoc, certum est in nostro casu recurrendum non esse ad istas controuersas opiniones; cum sit clarè determinatus in *dict. cap. 1. §. fin. de immunit. Eccles. in 6.* ut supra visum est.

Nec etiam obstat, quòd Baldus *consil. 111. num. 3. inter consilia Ancharani,* & Mandosius in *addit. ad Lapum, alleg. 42. in verb. sic statuere,* & alij tenuerint; quòd per statutum laicorum præiudicari possit Ecclesiæ, seu personis Ecclesiasticis in quaerendis bonis, si laici id non faciant malo animo: quoniam responderetur considerari debere effectum, non animum; nam cuius finis malus est, eius præordinatio præsumitur dolosa: & sic etiam præsumptiue includitur malus animus, ut notat Craueria *consil. 15. num. 4. per textum in l. si quis adulteris, C. de adulter.* Vnde statuendo circa acquirenda, & ordinando ne Ecclesia acquirere possit, contra textum in *dict. cap. 1. de immunit. Eccles.* malus animus, & mala intentio, & dolus præsumitur in statuente. Ergo, &c.

Responsio ad quintum, & sextum
argumentum.

R E S O L. X.

AD quintum argumentum. Quod ex frequentia bonorum stabilium in personas Ecclesiasticas, laici in dies penitus depauperantur, & vires Reipublicæ ita in dies minuantur, vt breui timendum sit, ne tuendo imperio sufficiant; quod in detrimentum nedum laicorum, verum etiam Ecclesiasticorum, qui sub eorum defensione & tutela tranquillæ diuino cultui inseruiunt, vergeret.

Respondeo primò; quod ego in hoc argumento agnosco Hussium, tetram illam pestem Ecclesiæ: nam in libro de ablatione bonorum temporalium à Clericis, sic ait. Cum quotidie possessiones accrescunt Clero, & decrescunt Baronibus, Militibus, & aliis secularibus, potest euenire de facili, quod tota possessio ad Clericos Regni Bohemiæ deuoluatur, & plura quam quarta pars Regni ad Clericos deuoluta est. Ita ille. Vidisti à quo penu mutuarum sit supradictum argumentum, & ex quibus lacunis aquas hauriant aduersarij? Respondeo secundò; quod non adest periculum, vt propter alienationem bonorum stabilium in Ecclesias, Reipublicæ in illo statu deueniant: quod patet ab experientia tantorum annorum. Et si Principes ex ratione adducta in argumento in hoc se grauos sentiant, recurrant; vt rectè obseruat Hostiensis in cap. cum laicis, numer. 10. de reb. Eccles. non alien. & alij, recurrant inquam, ad Summum Pontificem, & non de facto leges condant contra immunitatem Ecclesiasticam. Sed aduersarij non tantum ad pecunias, vt bene docet Iacobus Gretserus in considerationib. ad Theologis Venetos, lib. 3. confid. 3. fol. 3. 1. oculos nimis politice reflectere, sed ad altiora oculos atollere debent. & pro certo statuere, licet fisco aliquid decedat, per hoc quod bona immobilia Deo & Ecclesiæ dedicantur & consecrantur; aliud tamen longè præstantius, & ad propulsandos hostes multò efficacius accedere, nimirum cœlestem opem, diuinumque subsidium semper procliuè & promptum. Quis Christianus abnuat Deum nequaquam pati, vt liberalitas laicorum in Ecclesias immensam suam beneficentiam superet, dum cultus eius propagatur & amplificatur neque enim frustra se colli sinit Deus.

Sed non desinam hinc adnotare id quod eruditè obseruat Adamus Tannerus in defenf. libert. Eccl. lib. 1. cap. 15. fol. 151. hanc quantamcumque bonorum Ecclesiasticorum copiam ab aduersariis amplificatam multum

abesse ab ea bonorum parte, quam in ciuitate optimè constituta Aristoteles voluit diuino cultui esse addictam: Ita enim scribit lib. 7. polit. cap. 10. Præterea in sacrificiis cultuque Deorum sumptus communes esse debent totius ciuitatis. Est igitur necessarium in duas partes regionem diuidere, aliam publicam, aliam priuatorum. Vtraque illarum partium rursus diuidenda est: illius namque partis, quam publicam debere esse diximus, vna pars Deorum cultui deputanda est, altera verò ad comestationem impensam. Rursus vero priuati pars vna ad proprias necessitates est deputanda; altera verò ad ciuitatem. Sic Aristoteles. In quibus verbis apparet, vt notat Tannerus quartam partem soli destinari cultui sacro; & nihilominus Sacerdotibus vt priuatis suam partem relinqui. Verum pro responsione supradicti argumenti, ne deseras etiam recognoscere meipsum in citata res. 3. tract. 1. part. 5.

Ad sextum argumentum ex auctoritate Doctorum, & ab exemplis; in quo maximè se fundat Anonymus additionem. Respondeo quod Signorolus communiter ab omnibus Iuriconsultis, Canonistis, atque Theologis reprobat, vt supra satis visum est. Adde quod ipse agit de statuto generali disponente, nulla facta mentione specifica de Clericis & Ecclesiis; licet etiam in hoc casu statutum esse inualidum dicendum sit; & ideò opinionem supradicti Signoroli in fauorem statuti Mediolanensis ipse Senatus non sequitur, vt ex Carpano obseruat Menochius consil. 878. numer. 10. in fine, volum. 9. Baldum verò esse sibi contrarium patet ex consil. 32. lib. 3. Immo in leg. finali, Cod. de sacrosanct. Ecclesiis, cantauit polinodiam de doctrina, quam docuit in cap. que Ecclesiarum, num. 8. de constitutionibus, & in cap. Clericis, num. 2. de iudiciis. De Barbatia dicam id, quod asserit Rodericus Suarez in leg. 1. tit. De las gamanicas del Marido, y de la Muger, lib. 3. fori, num. 44. vbi consulit iudicibus; vt non ante oculos, immò post terga semper opiniones eius relinquunt. Vanæ enim sunt cogitationes hominis, volens singularis demonstrari vitio inconstantia & inanis gloria, profert in sua lectura infinita, quæ conscientia & famæ suæ consultius fuerat illa tacuisse; Ita ille. Et Felinus in cap. ceterum, num. 10. de rescript. asserit Barbatiam desiderio impugnandi communes opiniones delirasse. Adde quod tanquam varius & inconstans pro hac sententia non est allegandus: nam in cap. cum laicis, de reb. Eccl. non alien. numer. 9. & 10. asserit ponderandum illum textum destruentem dictum Baldi, in cap. que in Eccl. de constitut. & in cap. Cleric. de iudic. vbi dixit valere statuta laicorum disponens; quod in Clericum

ricum non possit alienari res immobilis, quia contra Baldum videtur hic casus. Ita ibi Barbatia. De Patre Molina, non potest negari virum fuisse doctissimum; sed Surdus consilio 301. numer. 56. asserit aliquando fuisse hallucinatam, dum secularibus Principibus vult gratus fieri. Ita ille. Sed quid immoramur respondendo particulariter ad aliquos paucos Doctores, quos Anonymus asserit; cum communis opinio sit in contrarium, & nulla sit auctoritas Doctorum, vbi adsunt in contrarium Sacri Canones, & determinationes Summorum Pontificum.

Ad exempla verò, quæ ipse adducit. Respondeo non esse exemplis iudicandum; sed videndum quid de iure tenendum sit: verum ad omnia, quæ Anonymus asserit, sigillatim respondeo. Et ad primum, quod in dominio Veneto hoc statutum sit in viridi obseruantia, cum hac tamen conditione, quod quoad bona donata, vel testamento relicta, teneatur Ecclesia infra biennium exponere extra manum. Respondeo quod supradicta conditio, vt infra biennium teneatur Ecclesia ponere extra manum immobilia sibi relicta, non iustificat hoc statutum, vt docet Speculator tit. de licato §. num aliqua, numer. 142. vörs. centesimo decimo sexto, in fin. Archidiaconus in cap. Romana, in verb. consuetudine, de appellat. in 6. vbi affirmat non valere consuetudinem, vel statutum, quod Ecclesia sibi rem ex testamento relicta, teneatur alienare intra annum, vel aliud simile: pro quo allegat Canones in cap. que in Ecclesiarum, de constitut. & in cap. cum laicos, de reb. Eccl. non alienan. Quinimò hanc conditionem damnauit Alexander IV. tanquam contra libertatem Ecclesiasticam in cap. 1. de immunit. Eccles. in 6. clarissimis verbis: quos ego adduxi in dicta resolut. 5. cui Anonymus additionem apposituit: quod expresse esse contra libertatem Ecclesiasticam notauerunt etiam Ioannes Andreas in cap. final. numer. 2. de immunit. Eccles. in 6. Abbas in cap. relatum numer. 5. de testament. Ancharanus consil. 61. numer. 2. & consil. 155. numer. 6. cum aliis communiter. Ergo, &c.

Ad exemplum Regni Gallia, in quo adest ius Amortizationis; Respondeo, quod Petrus Iacobus Doctor Gallus in Practica tit. de successione Regni Francia, fol. 76. pag. 2. col. 4. in vetusta impressione; vel fol. 120. pag. 2. col. 4. in recentiori editione Lugdunensi anno 1535. vörs. non igitur credant, inuehitur in Reges & Consiliarios, qui hoc amortizationis genus Clericis & Ecclesiis contra sacros Canones imponere audent, & Reges in dictam amortizationem consentientes asserit teneri eam restituere, & damna refarcire in foro conscientia, in foro ciuili, & in foro Ecclesiastico, & obli-

gari ad iudicandum contra se, vel ad constituendum aliquem iudicem, cui se subiciant. Addit Doctores Iuris Canonici, & Ciuili, & Magistros in Theologia debilitè loqui, & in scholis, & alibi conuenientibus oculis pertransire, & Consiliarios Regios expalliare timentes displicere Regi, si dicant veritatem. Respondet etiam rationibus & argumentis, quibus ius amortizationis defenditur, decerque esse fallacia & periculis plena, & expresse contra sacros Canones; & propterea Confessores & Religiosos debere consulere Regibus, ne iritent Deum contra se in adiuuentionibus suis. Hæc omnia Petrus Iacobus. Ceterum quidquid fuerit de tali consuetudine, & an obseruata fuerit in Regno Gallia, certum est his temporibus consuetudine ista non grauari amplius statum Ecclesiasticum per constitutiones Henrici II. Caroli IX. Henrici III. & Henrici IV. vetantes, ne Clerus, bona recens quaesita extra manum suam ponat, aut pro illis amortizandis quidquam soluere compellatur. Et Parliamenta illius Regni approbant acquisitiones rerum stabilium per Clerum factas. Vide Annæum Robertum lib. 2. rerum iudicatarum, cap. 21. Adde quod aliqui defendunt legem Amortizationis in Gallia ex ratione particulari, quam videbis apud Torrium in Apologia pro libertate Ecclesiastica, ad Gallum Francum, fol. 14. & Antonium Bouium in respons. ad considerationes Pauli Seruata, part. 3. ad quartum argumentum, fol. 44. Paponium lib. 1. cap. 5. numer. 5. & alios. Quæ quidem ratio non procedit communiter in aliis Regnis. Ergo, &c. Sed quia supra audiuimus Gallum contra ius amortizationis loquentem, audiamus & Hispanum, & is erit Ioannes Beltran de Gueuara in propugnac. libert. Ecclesiast. asserit. 6. §. 6. numer. 22. vbi sic ait. Fuit & aliquando apud nos in Regno Castellæ lex amortizationis à Rege Ioanne II. lata Pintia anno 1442. scripta in libro ordinationum Regum Catholicorum leg. 7. tit. 9. lib. 5. Ordinam. Veter. Reg. Cathol. Vbi cautum erat, ne quis alienaret bona immobilia in exemptos à Regia iurisdictione: quod si alienauerit rem immobilem, quinta pars valoris rei Regi darent, quam imposui super ipsis rebus; ita vt cum hoc onere transeant ad quoscumque, iuxta doctrinam Bartoli in leg. rescripto §. 1. de numer. Quæ lex merito à Catholico, & à sapientissimo Rege, ac Domino Nostro Philippo II. (cuius animam in pace apud Deum requiescere credimus) non fuit recopilata in noua collectione Legum nostrarum eius iussu edita; immò fuit inde sublata, ac proinde correctæ, iuxta proœmium illius collectionis; in qua habemus aliam legem, quæ est leg. 3. tit. 3. lib. 1. quæ prohibet leges fieri contra libertatem Ecclesia

Ecclesiasticam. Ita Gueuara, Vide me ipsum *in part. 4. tractat. 1. resolut. 57.* vbi multos alios Doctores adduco afferentes leges Amortizationis esse contra libertatem Ecclesiasticam; quibus adde Adamum Tannerum *in defens. Eccles. libert. lib. 2. cap. 17. fol. 435.*

Continuatur Responso ad sextum argumentum.

RESOL XI.

AD exemplum verò Regni Portugallia, in quo Anonymus asserit similem legem adesse prohibentem bona stabilia in Ecclesiis alienari posse. Respondeo, vt constat ex Regestis Innocentij III. Honorij III. Innocentij IV. Clementis IV. Gregorij X. Marini IV. & Nicolai IV. Reges Portugallia Sanctius, & Alphonfus III. & Dionysius quosdam prauas consuetudines & leges contra Ecclesiasticam libertatem in eo Regno introductas moniti sunt abolere. Sed quia hoc facere distulerant, Alphonfus & Dionysius excommunicati fuerunt, & Regnum interdicto suppositum. Et tandem Rex Dionysius precibus Prælatorum Regni Portugallia à Nicolao Papa IV. fuit absolutus; cum à Gregorio X. fuisset excommunicatus; ad quem effectum fuit habitum publicum consistorium, in quo Regis Dionysij Oratores præstiterunt iuramentum in animam Regis de parendo mandatis Ecclesie, vt patet ex litteris Nicolai IV. datis Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem X. Calendas Aprilis Pontificatus sui 11. id est anno Domini 1290. Omnes quoque Portugallenses fuerunt à vinculo, quo tenebantur, absoluti.

Scio aliquos Doctores hanc legem in dicto Regno Portugallia adhuc iustificare ex priuilegio & concordato postea obtento à Summo Pontifice: quod si re vera extet, videant illi ad quos spectat: nam Doctissimus & amantissimus Dominus meus Franciscus Albici sancti Officij Assessor in quodam Responso firmat tale priuilegium seu concordatum non extare, & certè qui priuilegium se dicit habere, tenetur illud in authentica forma demonstrare, vt patet ex *cap. 1. de fid. instrument. & ex cap. porro, de priuileg. & ibi Abbas, Decius & alij*, quos citat & sequitur Barbosa *in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 33. cap. 3. numer. 5.* Rota Romana in vna Ofsensi Canonice die 1. Decembris anno 1595. coram Pegna, & docet nouissimè Ioannes Antonius de Saura in voto Platonis de Primis instantiis, & aliis recursibus, §. 1. fol. 48. col. 2. quibus adde Pefantium *tractat. de immunit. Eccl. disput. 3. numer. 2.* vbi sic asserit. Dico esse videndum, an verè is ha-

beat priuilegium, qui dicitur habere; & ipsius esse illud ostendere, quando fiat instantia; item fuerit vnquam derogatum. Ita ille.

Non desinam tamen hic adnotare, quòd etiam supposita iustitia dictæ legis in Regno Portugallia adhuc aliqui asserunt licitum esse instituire Capellas & Oratoria, & Anniuersaria Missarum in Ecclesiis Regularium; vnde Anastasius Germonius *in assertione libertatis Ecclesiastica, cap. 7. fol. 75.* sic asserit. Hac quoque lege minùs obstante aliud Religiosis adinuentum est remedium, quo immobilia quacunque sint, ipsis acquiri possunt impunè. Vsu etenim receptum est, vnicuique priuato licere in Ecclesiis Regularium Oratoria seu Capellas instituire, vel certum Missarum anno quolibet recitandarum numerum, pro quibus verè potest bona stabilia relinquere; & hoc titulo à Regularibus & Monasteriis iustè acquiruntur, & retinentur: quia cum aliter fieret, experientia compertum est huiusmodi obligationem paruo temporis interuallo euanuisse in maximum piam mentium detrimentum. Ita Germonius loco citato.

Ad exemplum Regis Odoardi, qui etiam condidit legem, ne immobilia Ecclesiis relinquenterentur in Regno Anglia. Respondeo cum Ferdinando de Bastidia in Antidoto ad considerationem Pauli Seruitæ *in responsione ad argumentum 47. fol. 125.* stante iniquitate huius legis; ipsosmet Anglos in Regno seditionem excitasse cum periculo Regis, qui tandem dictam legem sustulit: & quia Codex Bastidia rarus est, ponam hic eius verba. [La legge che fece Odoardo, lo pose in estremo pericolo della sua rouina: perche questo Eccello cagionò ne subditi vna manifesta Rebellionem; onde fù forzato à suo mal grado riuouasse la legge fatta.] Vnde apparet ipsosmet laicos cognouisse iniustitiam talis legis, quæ iram Dei contra Regnum excitare poterat. Vnde Theologi Seruitæ *in defens. censur. Pauli V. cap. 7. fol. 142.* sic asserunt. [Odoardo Rè d'Inghilterra fece tale legge mà non poteua farla, perciò malamente la fece.] Idem etiam docet Antonius Bouius *in respons. ad considerationes Pauli Seruitæ, part. 3. ad 10. argumentum, fol. 42.*

Ad exemplum de quibusdam statutis Germaniæ, quòd asseritur ex Gail. Respondeo dictum Gail dixisse prius esse communem opinionem, vt hæc statuta non afficiant Clericos; postea subdit in Germania obseruari contrarium. Itaque si communis opinio habetur pro veritate iuris, iuxta notata *in cap. ne innitaris, de constit.* Ergo, quod in contrarium seruatur, est de facto; quod allegare est allegare inconuenientia, de quibus conqueritur Papa *in cap. Clericis, de immunit. Eccl. in 6.* dicens, quòd nonnulli

nonnulli Ecclesiarum Prælati, & Ecclesiasticæ personæ trepidantes, vbi trepidandum non est, transitoriam pacem quærentes, plus timentes maiestatem temporalem offendere, quàm æternam, abusus præiudicantibus libertati Ecclesiasticæ non tam temerariè, quàm improuidè acquiescunt.

Sed ad dicta exempla Germaniæ & Saxoniæ, quæ adducit Anonymus, Respondeo cum Antonio Bouio, *in respons. ad considerat. Pauli Seruitæ part. 3. ad 10. argumentum, fol. 42. & 46.* vbi sic ait. [Di Carlo Magno non hò mai letto, che in Sassonia vi fosse tale legge, mà se la fece, s'ha da tenere per fermo la fessesse di consenso de Vescoui; essendo che esso non promulgaua. maneo le leggi Ciuili senza il Consiglio de Vescoui, come si può vedere nelle Prefationi delle sue Capitolarri. Et se in alcun stato de Germani vi furono simili leggi, furono riouate da Federico II. & da Carlo IV. Imperatori, ed in specie questa, di cui trattiamo. E fù statuito che se per l'auuenire alcuno la tornasse à fare, fussero ipso iure nulle. E queste constitutioni Imperiali sono rescritte, & confermate dal Concilio Constantense. Ne gli altri Regni di Spagna, non è vero che vi sia simile legge. E vero che Ferdinando terzo fece vna simile legge contro le Monache di San Domenico de Madrid: ma non si tosto fù ammonito dal Papa Gregorio IX. con vn suo Breue, che la riuocò, come riferisce Ferdinando del Castillo nell' historia del Domenicano *lib. 1. cap. 42.* Similmente è vero, che i Procuratori delli Regni di Spagna hanno procurato, & con Carlo V. e con Filippo II. che si prouedesse di fare questa legge, allegando molte raggioni e danni, ed

inconuenienti: però non si sono mai questi Religiosissimi Principi arrogato di portela fare, ne preso ardire di farla, fù loro fatta istanza di questa legge nelle Corti fatte in Valladolid nell' anno 1523. alla petitione 45. E nelle Corti di Segouia nell' anno 1592. alla petitione 61. e nelle Corti di Madrid nell' anno 1534. alla petitione 9. In quelle di Valladolid nell' anno 1548. petitione 126. E finalmente in quella di Madrid 1579. che finirono l'anno 1582. nella petitione 18. Con tanta istanza molestati & importunati questi Principi, non però mai fecero tale legge, ne dissero di poter la fare: mà sempre risposero, che hauerebbero procurato col Papa, che comandasse si facesse, & la confermasse.] Huc vsque Bouius.

Sed quid moror in refellendis exemplis, quæ Anonymus in sua additione contra nostram sententiam adducit; cum non quod factum sit, sed quid fieri debeat spectandum sit. *ex leg. sed licet, ff. de offic. Præsid. & ex cap. cum causam, de elect.* neque exempla nisi bona sequenda sunt, vt tradit Aulus Gellius *lib. 10. Noctium Atticarum, cap. 19.*

Et hæc dicta sufficiant circa præsentem quæstionem, quam defensionis causa coactus sum fusiùs explicare: & quia cum in prima Impressione dictæ 5. partis fuerit apposita additio simpliciter sine additamento Reuisoris; aliqui putauerunt me sententiam mutasse, & illius fuisse Auctorem, & non nostrum Anonymum cui in mentem reducam verba Diui Hieronymi *Epist. 2. ad Nepotianum*, similem legem, quam ipse defendit, detestantis, & sic asserentis, *Sacerdotes Idolorum, aurige & scorta hereditates capiunt, solis Clericis & Monachis hoc lege prohibetur.* Ita ille.



TRACTATUS QUARTUS, DE BELLO.

Quis possit indicere bellum offensuum?

RESOL. I.

SU P P O N O contra Erasmus & Lutherum bellum esse iustum & licitum, seruatis tamen aliquibus conditionibus. Prima, legitima auctoritas. Secunda iusta causa & titulus bellandi. Circa igitur conditiones in hoc tractatu selectiora notabimus breuiter & resolutoriè more nostro maximè ad praxim spectantia.

Dico igitur solum penes eos, qui in causis ciuilibus & criminalibus superiorem non recognoscunt potestatem indicendi bellum residere. Hi autem sunt Papa, Imperator, Rex, Respublica, Potentatus, qui non habent superiorem in temporali iurisdictione, qui omnes lites ciuiles in suo dominio terminant absque appellatione ad alium Principem. Tales sunt aliqui Itali Potentatus, quamuis per feudum Imperatori subiecti, feudum enim non obest supremæ potestati temporali: Rex enim Hispaniæ feudatarius est Pontifici Romano in Neapolitano Regno, qui tamen est Hispaniæ supremus Dominus. Notat etiam ex Victoria & Caietano Molina *de iustit. tom. 1. tractat. 2. disputat. 100. cum belli indicendi auctoritas à iure humano ac sententia magna ex parte pendeat, consuetudinem præscriptam posse tribuere eam auctoritatem ciuitatibus, aut Magnatibus, qui superiorem agnoscunt: immò Layman lib. 2. tract. 3. cap. 12. Becanus in 2. 2. cap. 25. quæst. 1. numer. 3. & idem Molina ex Victoria obseruat necessitatem posse aliquando conferre auctoritatem belli mouendi iis, qui alteri sunt subiecti. Si namque in eodem Regno ciuitas vna alteram oppugnet, grauèque iniurias illi inferat, aut Dux vnus alteri Duci, Rexque requisitus negligeret aut non auderet iniurias illas vindicare, posset ciuitas, aut Dux, qui iniuriam esset passus, non solum se defendere, sed etiam bellum inferre & animaduertere in hostes, occideretque malefactores, quando ita necesse esset, vt ab iniuriis inferendis se continerent.*

Sed hanc doctrinam non esse tutam putat

Coninch *disputat. 31. de bello, dub. 3. num. 61. in casu quo vna ciuitas alteri quidem grauem iniuriam, quæque esset iusta causa belli, intrulisset, & requisita nollet pro ea satisfacere, nullum tamen in posterum esset periculum, ne vterius vllam vim inferret. Quia aliàs sequeretur quemuis priuatum, aut saltem Patremfamilias, quoties ob negligentiam aut corruptelam iudicum non posset per hos suum ius, præsertim clarum obtinere, posse id sibi armis vindicare. Quod apertè videtur absurdum: nam facile daret cuius, qui lite cecidisset, occasione ita sua repetendi, quoties vi polleret, seque in eo excusandi, quòd iudices pecunia corrupti contra se iudicassent.*

Vnde sententiam Molinæ ego libenter admitterem quando ciuitas illa in posterum timeret etiam nouas alias iniurias & calamitates. Probat: quia homo priuatus potest armis alium præoccupare, à quo timet sibi graue & iniustum damnum, vt omnes fatentur; ergo & vna ciuitas: quia omnibus est licita repulsa vis. Princeps autem mihi non potest adimere ius naturale inculpatæ tutelæ: ideò autem refugiendum est ad Principem, vt ipse prouideat, ne mihi inferatur vis; at vbi non prouidet, potest quicumque eam repulsare, siue ciuitas, siue ciuis.

Non desinam tamen hoc in loco adnotare H. M. *vol. 2. disputatione 169. sect. 2. §. 20. & Petrum Lorca in 2. 2. quæst. 40. art. 1. sect. 3. disputat. 50. numer. 12. docere, quòd si ageretur de recuperanda præda semel aucta, & Princeps ex metu, & impotentia, vel negligentia nollet efficere, vt restituantur direpta, tunc ciuitatem posse armis apertis ea recuperare: ego tamen puto, quòd si ea arma grauiores calamitates, vt timeri sæpius potest, sint insequuturæ, tunc ciuitas tenetur patienter ferre illatam iniuriam. Et tandem vnum superest admonendum, nempe quando persona Ecclesiastica supremum dominium temporale alicuius Reipublicæ obtinet, ad eam spectare auctoritatem mouendi bellum, siue illud per se, siue per alium, iuxta ea quæ inferiùs dicenda sunt, debeat exercere. Summus autem Pontifex non solum tanquam Princeps Patrimonij Diui Petri, Terrarumque in Ecclesiæ*

bonis

bonis contentarum, mouere potest bellum, non secus ac alij Principes temporales; sed etiam pro potestate, quam in omnes laicas potestates ad finem supernaturalem habet, poterit vel bellum mouere, vel facultatem illud mouendi aliis concedere, oblata iusta aliqua occasione ac causa. Sed ex his oritur necessaria & pulchra quæstio,

An Papa in aliquo casu possit prohibere, ne Principes Christiani inter se pugnent?

RESOL. II.

AD hoc dubium respondet Hurtadus de Mend. *vol. 2. disp. 169. sect. 2. §. 2. vbi sic ait. Pontifex Romanus potest interdicitum præcipere Principi Christiano, ne cum alio Christiano bellum gerat, potestque ab illo terere per excommunicationem. Ita ille.*

Idem etiam docet Coninch *disp. 31. de bello, dub. 4. num. 71. Valentia tom. 3. disp. 3. quæst. 16. punct. 2. Lorca in 2. 2. sect. 4. disput. 53. num. 1. Caltrus Palas tom. 1. tract. 6. disput. 5. punct. 2. num. 6. & punct. 3. num. 18. Suarez de charitate disput. 18. sect. 2. in fine. Sed licet hæc doctrina vera sit: tamen non ordinariè, sed cum magna circumspectione in praxi deducenda est, vt ex Molina aduertit Villalobos in *summ. tom. 2. tractat. 5. difficult. 4. num. 7. vbi sic ait. [Quando fuisse la guerra entre Principes Christianos, y conueniesse al bien espirital; podria el Papa meterse en ello, y definir, y compeler por censuras, ò por otro camino al rebelde: aunque no conuenidia, que se hiziesse esso de ordinario, porque el Principe contra quien se sententiasse, cobraria odio contra el Pontifice, pensando che lo hauia hecho por passion.] Ita ille.**

In casu tamen necessario debent Pontifices nihil timere, & suam auctoritatem interponere, nec ad carnem & sanguinem respicere: non enim pro bono Ecclesiæ expedit, vt Principes ratione status, & ex dubiis, & aliquando fictis titulis bellum gerant, & totam Christianitatem conturbent.

Quæ sint causæ iustæ inferendi bellum?

RESOL. III.

MVLTÆ sunt causæ iustæ bellum indicendi, quas enumerat Caltrus Palas *tom. 1. tractat. 6. cap. 5. punct. 3. numer. 3. Becanus in 2. 2. cap. 25. quæst. 1. numer. 4. Coninch disp. 31. de bello, dub. 2. num. 50. & 51. Reginaldus tom. 2. lib. 2. cap. 8. à num. 94. Layman*

lib. 2. tract. 3. cap. 12. num. 5. Bonacina tom. 2. disp. 2. de restit. quæst. vlt. sect. 1. punct. vlt. §. 2. num. 7. & alij.

Prima, vt subditi rebelles ad obedientiam redigantur.

Secunda, vt recuperetur Prouincia aut Ciuitas Principi, aut Reipublicæ alicui iure debita, quam recuperare boni communis multum interfit.

Tertia, ad vindicandam grauem contumeliam Principi, vel Reipublicæ illatam; cuius rei exemplum habes 2. *Regum 10.*

Quarta, vt vltio sumatur de gente, vel Principe, qui hosti iniustum bellum gerenti auxilium præbet; quo iure Romani multas prouincias sibi subegerunt, & in veteri testamento exemplum habetur 2. *Regum cap. 8.*

Quinta, vt repellantur ij, qui iniuste prohibent, ne nocentes puniantur; quos puniti Reipublicæ multum interest: exemplum habes *cap. 20. Iudic.*

Sexta, vt animaduertatur in eos, qui cum Principe, vel Republica in initum fœdus violarunt, non sine graui damno, iniuria, aut dedecore illius; cuius rei exemplum habetur 4. *Regum 3.*

Septima, vt impetrentur ea, quæ iure gentium permiffa sunt, & per iniuriam denegantur: cuiusmodi est, v. g. transitus sine mora, & sine nocumento ex vna Regione in alteram, sicuti habetur in *cap. ultimo 23. quæst. 2. Eoque sensu Cæsar dixit: Arma tenenti omnia dat, qui iusta negat. Et de hac quæstione inferiùs latè tractabimus.*

Octaua, vt fociis auxilium iustum afferatur: quòd si verò ab hostibus infestantur auxiliarij, tunc & ipsi ius acquirunt per se bellum inferendi Aduersariis: qua item ratione à Romanis imperium amplificatum fuisse testatur Victor. *num. 17. eiusdemque rei exemplum habemus Genes. 14.*

Nona, si Populi subiecti Idololatræ sint, iusta erit causa eos bello persequendi: vel si in hæresim aut infidelitatem lapsi alios secum trahant, atque ita dissensionem in Regno, vel Prouincia excitent. Idemque dici debet, si Rex, vel subditi vnus Regni à vera fide deficientes subditos vicini Regni ad eandem defectionem pertrahere conentur, iustam causam habet Rex vicinus bello se defendendi, & illatam iniuriam vindicandi.

Non desinam etiam hinc adnotare barbariem ineptam ad Politiam esse iustam causam belli; quia bellum in tali casu est illis per se vitale ad omnia.

Dices non posse fieri malum, vt eueniat bonum: bellum autem est malum, nisi honestetur culpa illud patientis: at non est culpa digna bello barbaries, nec voluntas in ea

I

persecue

perseuerandi, vt non est causa belli voluntas non admittendi fidem: Ergo, &c. Hoc argumento multi huic parti aduersantur, quos moneo bellum non idèd honestari: quia ij qui resistunt sunt imbuendi; nec enim vtilitas belli est per se in hoc sensu, sed per accidens: qui enim resistunt, non possunt bello subiuuari, quia beneficia non sunt inuito conferenda per vim. At in illorum Republica sunt multi, qui nec resistunt, nec possunt: quia vel sunt infantes, vel inermes; quibus iniuriam faciunt, qui resistunt; quia eos priuant tam aperto beneficio: igitur ad hos donandos Magistris est per se vtile bellum, quod per se domat resistentes iniuste. Et ita docet Huradus de Mendoza *vol. 2. disp. 169. sect. 5. §. 49.*

Et hanc opinionem probabilem putat Lorca *in 2. 2. disput. 52. numer. 12.* Et mihi placet: nam hæc subiectio & coactio in magnam eorum vtilitatem ac bonum cedit, & magnum charitatis obsequium illis impendit; sicut pupillo aut prodigo, qui sua prauè administrat, constituendo tutorem: de his enim dixit Aristoteles *3. & 4. cap. 1. Politicorum*, esse natura feruos, & vtile esse eis seruire. Nec vt iuste subiiciantur, requiritur iurisdictio, sed ipsa charitas & humana amicitia & beneficentia confert ius: ita tamen vt non subiiciantur seruituti despoticæ, quia hoc iniustum est, cum sint natura liberi, sed solum politicæ. Hac autem causa bellum mouere potest is cui primò occurrat & suppetat facultas, & auctoritas Summi Pontificis multum iuuabit, tanquam indicentis & mandantis opus pietatis.

An si Principes inferant bellum ex iusta causa sine recta intentione, bellum sit iniustum?

RESOL. IV.

Aliqui asserunt in bello inferendo rectam intentionem requiri, vt patet *ex cap. quid culpatur 23. quest. 1.* Tunc autem adest recta intentio, quando bellum suscipitur ob bonum commune, ob pacem, &c. Sed ista conditio non est necessaria, vt ea deficiente bellum dicatur iniustum inducens obligationem restituendi: neque enim Iudex, qui animo vindictæ punit iuxta leges delinquentem, iniustitiam committit, esto contra charitatem faciat; talis ergo finis ad honestatem actionis operantis, sed non ad iustitiam belli pertinet. Et ita docet Bonacina *de restitut. disput. 2. quest. ult. sect. 1. punct. ult. §. 1. numer. 6.* vbi citat Molinam, Rodriquez, Fillucium, Valentiam, Sayrum, quibus adde Castrum Palaum *tom. 1. tractat. 6. disputat. 5. punct. 1. numer. 4.*

& Coninch *disputatione 31. de bello, dub. 1. numer. 18.*

An aliquando possit denegari transitus Militum pro bello inferendo alicui Principi?

RESOL. V.

Supra diximus esse causam iustam inferendi bellum denegationem eorum, quæ iure gentium omnibus videtur licere; qualis est transitus necessarius per alienas terras: hic enim si absque iusta causa denegetur, præbet sufficientem causam bellandi, vt manifestè probatur *in cap. notandum 23. quest. 2.* Sed difficultas est, an aliquando licitè à Principibus talis transitus denegetur.

Et respondeo affirmatiuè: nam in tali casu transeuntes omnem securitatem facere tenentur, aliàs iuste poterit illis transitus denegari: vnde sæpè armatis denegatur; quia ferè semper periculum potest timeri: Ergo Princeps non tenetur talem transitum concedere. Et ita docet Castrus Palaus *tom. 1. tractat. 6. disp. 5. punct. 3. numer. 3* & Coninch *disput. 31. de bello dub. 2. numer. 51.*

Si cum consensu Principis eius Vasallus magnam inferret iniuriam in alium Principem, qui tamen omnem iniuria satisfactionem respueret, nisi illius Auctor ad eum morte plectendum sibi daretur, quod alter Princeps negaret: An, inquam, in tali casu bellum contra illum iuste indicere possit?

RESOL. VI.

DE hac quæstione curiositatis causa à quibusdam interrogatus fui, occasione cuiusdam casus in praxi, vt ferebatur, occurrentis. Et affirmatiuè videtur respondendum. Primò, quia læsus in eo casu est verus & directus iudex læforis: ergo habet absolute ius, vt eum morte puniat; nec tenetur aliam satisfactionem recipere. Et idèd potest alium Principem bello cogere, vt permittat ius suum in iniuriantem exequi. Hinc Bannes *in 2. 2. quest. 41. art. 1. dub. 2. conclus. 4.* asserit Principem iniuriam passum esse directum iudicem illam inferentis. Vide etiam Lorcam *disp. 49. numer. 6. disp. 52. numer. 3. & disput. 53. numer. 13.* Vnde ex his *in lib. Iudicum cap. 20.* Israëlitarum iuste bellum indixerunt Beniamitis, quia noluerunt tradere necandos Gabaonitas reos maximi sceleris. Bellum enim est actus vindictiue

An Princeps habens aliquam causam iustam inferendi bellum: si ex illo tamen in perniciem Regnorum maxima damna timerentur: possit illud adhuc indicare?

RESOL. VII.

Respondeo negatiuè: & idèd Villalobos *in summa tom. 2. tract. 5. difficult. 4. num. 3.* sic ait. [Aduertase que podra acontecer alguna vez quedando guerra iusta al enemigo, seu iniusto el Principe con su propria Republica, y es quando viene à ser mayor el danno que su Republica recibe à arbitrio de hombre prudente, que el prouecho, como acontece tambien en los pleytos.] Ita ille. Et ante illum Molina *de iustitia tom. 1. tract. 2. disp. 102.* vbi ita asserit. Illud etiam est animaduertendum Principem in bello inferendo non minus posse esse iniustum aduersus suam Rempublicam, quàm aduersus alienam, cui illud inferre parat. Eaque de causa non solum illi esse attendendum, an habeat iustam belli causam aduersus alienam Rempublicam: sed etiam an iustus sit aduersus suam eiusmodi bellum mouendo. Etenim si prudentis arbitrio tale bellum futurum est in detrimentum maximum suæ Reipublicæ, quia vires non habet ad superandum, vel quia cum modico suæ Reipublicæ, bonique communis emolumento, subditos suos maximis periculis & detrimentis exponet, redditus publicos in eo infumet, Rempublicam nouis tributis & exactionibus grauabit, &c. sanè culpa erit lethalis contra iustitiam aduersus suam Rempublicam eiusmodi bellum suscipere. Hæc Molina. Quæ vtinam à Consiliariis Principum perpenderentur: nam licet à principio ex aliqua iusta causa forsitan bellum fuisset licitè indictum; tamen post multos annos ad pacem res redactæ, populi & regna exhausta & euerfa penitus inueniuntur: vnde magis expediens fuisset pro Republica bellum non incipere, quàm etiam cum victoria illud terminare. Vnde Castrus Palaus *tom. 1. tract. 6. disput. 5. punct. 3. numer. 18.* docet bellum esse illicitum, & contra iustitiam etiam stante iusta causa bellandi, si damna, quæ ex bello sequuntur Reipublicæ, præualeant vtilitati victoriæ speratæ. Et idèd idem Palaus *loco citato num. 2.* Victoria *tom. 3. disp. 3. quest. 16. punct. 2.* & alij docent ad bellum iuste inferendum non sufficere omnem iniuriam; sed quæ vel absolute vel ob aliquas circumstantias sit vel maior, vel certè non minor, quàm damna, quæ solet bellum asserre. Et à fortiori ex supradictis sequitur rectè adnotasse

catiue iustitiæ: ergo dicendum est bellantem non solum reparationem sui honoris, & securitatem in futurum intendere posse; sed etiam debitam pœnam iniuriantibus infligere.

Verùm ego tunc adduxi Coninch *disp. 31. de bello dub. 2. num. 29. & sequent.* contrariam sententiam tenentem: quia Princeps, qui passus est iniuriam, non est superior eius, qui intulit, vt ab Aduersariis supponitur. Ergo non potest illum propriè punire, & consequenter non potest ad hoc præcisè consequendum illi bellum indicere: nam aliàs sequeretur Regem aut eius nobiles, quando iniurias alteri Regi intulerunt, licet aliam iustam satisfactionem offerrent, nihilominus teneri se ipsos offerre necandos alteri Regi id petenti: sed hoc dicere videtur absurdum. Ergo, &c.

Ad exemplum Israëlitarum dicendum est rectè intendisse Beniamitas punire, tanquam sibi subiectos, quia cum omnes tribus constituerent vnum populum, singulæ erant reliquæ communitati subiectæ. Non nego tamen primam sententiam esse probabilem, quam tuetur Castrus Palaus *tom. 1. tract. 6. disput. 5. punct. 3. numer. 15.* & ante illum Molina *de iustit. tom. 1. tract. 2. disput. 103.* vbi inter alia sic ait. Quando verò aliqui in particulari digni essent morte propter iniuriam illatam, esto de numero eorum esset Princeps Reipublicæ, aduersus quam bellum geritur, non credo peccare contra iustitiam, si desistere non vellent à bello, nisi offerrentur, qui digni sunt morte, aut fugissent de ea Republica: & cum in reliquis competens satisfactio offerretur, integrum ius ei relinqueretur interficendi malefactores illos, vbicunque deprehendere eos potuissent. Peccaret tamen contra charitatem, si postulante id recta ratione, & bono vtriusque Reipublicæ non acceptaret competentem satisfactionem oblatam in rebus aliis.

Hoc secundum ex se est manifestum. Primum verò inde mihi persuadeo, quod Princeps, aut Respublica, quæ superiorem non habet, non per accidens, sed per se habet ius vindicandi iniurias sibi, aut suæ Reipublicæ ab alieno Principe, aut Republica illatas: & quando aliqui propter iniuriam illatam digni sunt, qui capite plectantur, non tenetur de iustitia acceptare compensationem aliam, sed exigere potest eam pœnam, non secus ac quando suus subditus dignus est morte, etiam potest illum in pœnam interficere; esto ille aliam æqualem, aut etiam maiorem compensationem in bonis externis offerat. Huc vsque Molina, quem etiam sequitur Becanus *in 2. 2. cap. 25. quest. 9. conclus. 1. numer. 3.*

raffe Coninch *disp.* 31. *de bello dub.* 4. *num.* 73. & alios illicitè moueri bellum, si minima subit spes victoriæ. Vnde Caietanus *in* 2. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. affirmat requiri moralem certitudinem victoriæ, vt bellum possit iudici. Sed Palaus *tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 5. *punct.* 3. n. 17. docet sufficere certitudinem probabilem. Suarez verò *disput.* 31. *de charitate sect.* 4. *in fine*, putat omnia pensanda esse, & videndum an spes victoriæ præualeat damnis quæ timentur: nam si spes præualeat, tentari bellum potest, sin minus cessandum à bello.

Sed an in tali casu Princeps teneatur ad restitutionem, non concordant Doctores, & ideò apponam hîc verba Petri Lorca *in* 2. 2. *Diu Thomæ sect.* 5. *disp.* 53. *num.* 8. vbi sic ait. Dubium est, vtrum si Princeps inferat bellum ex causa iusta, & seruatis aliis conditionibus, imprudenter tamen, quia pro statu rerum moraliter certum est, plus damni & detrimentorum suæ Reipublicæ, & subditis vel aliis euenturum, quam futura sit belli vtilitas, incurrat obligationem refarcendi ea damna, quæ suis, vel aliis proueniunt. Victoria *num.* 33. & Molina *disp.* 102. indicare videntur, hunc Principem teneri debito restitutionis. Sed non assentior. Quoniam in eo casu Princeps tenetur à bello desistere non obligatione iustitiæ, sed charitatis quatenus tenetur minus bonum suum postponere maiori bono alterius; charitas autem non inducit restitutionis debitum. Ita Lorca.

An post inchoatum bellum, si alius Princeps offerat condignam satisfactionem, bellum adhuc profequi possit?

R E S O L. VIII.

Prima opinio affirmat. Ita Bannez *in* 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 1. *dub.* 8. & Caietanus *in summa verb.* Bellum; quia post bellum inceptum inimici non sunt in statu satisfaciendi, sed satisfaciendi. Et hanc sententiam probabilem existimat Emanuel Sà *verb.* Bellum, *num.* 9. & Villalobos *in summ.* *tom.* 2. *tract.* 5. *difficult.* 4. *num.* 5. vbi sic ait. [Otras dizen y muy prouablemente, que quando esta començada la guerra, y ay muertes de ambas partes, non esta obligado el Principe à aceptar la satisfacion del enemigo, sino que puede profeguir la guerra. Assi lo tiene Cayetano, y dize Bannez, que es lo mas prouable. El fundamento es, porque el que dà la guerra justa, yà es juez respecto de su contrario, en defecto de superiore, y el juez no està obligado à aceptar la satisfacion del reo.] Ita Villalobos.

Secunda opinio negat, ita Suarez, Molina, Valentia, & Coninch, quos citat & sequitur Castrus Palaus *tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 5. *punct.* 3. *numer.* 14. Quibus adde Reginaldum *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 101. Et ratio est, quia, vt supra ex Diuo Augustino probatum est, bellum non voluntate, sed necessitate suscipitur: sed cum debita satisfactio offertur, cessat omnis necessitas bellandi. Ergo contra iustitiam peccas, si tunc bellum profequaris. Aduerto tamen sub debita satisfactione comprehendendi, vt non solum tibi reddantur omnia illa quæ tua sunt, sed etiam soluantur expensæ in bello factæ, & pericula & molestiæ, quibus te & tuos exposuisti, & iniuriæ factæ compensentur. Quia cum ad hæc omnia ius habeas, omnia hæc compensari debent, priusquam tenearis à bello cessare. Et insuper petere potes, quicquid in posterum tibi necessarium est, vt securè viuas, & pacem obtineas, quia hic est præcipuus belli scopus. Et hanc sententiam docet etiam Becanus *in* 2. 2. *cap.* 25. *quæst.* 9. *num.* 4.

Mihi verò placet opinio distinguendum. Aut enim, ait Lorca *in* 2. 2. *Diu Thomæ disputatione* 57. *numer.* 12. agitur de sola recuperatione possessionis; & tunc non dubito, oblata possessione, & compensatione sumptuum, ex iustitia debitum esse à bello desistere: quia ex iustitia nihil amplius bello peti poterat, quam quod sine bello offertur. Aut agitur de vindicatione iniuriæ, & tunc non inuenio obligationem iustitiæ, quæ constringat à bello cessare satisfactione contempta: quia iniuria iustè merebatur pœnam belli, & ideò inferendo bellum, nihil contra iustitiam agitur: relaxare autem pœnam debitam non iustitiæ, sed misericordiæ est: & in priuatis iudiciis & iniuriis fas est iudici & Actori exequi pœnam iustam, etiam si reus offerat æquivalentem satisfactionem.

Sed audiamus etiam distinctionem Duuallij *in* 2. 2. *tract.* *de charitate, quæst.* 6. *art.* 2. vbi sic ait. Debent duo tempora, in quibus offerri potest ista satisfactio, distingui: vnum in medio conflictu, siue prælio, quando Princeps in manibus suis victoriam quasi tenet: & tunc non tenetur Princeps oblatam satisfactionem, licet condignissimam, acceptare: habet enim in manibus victoriam, & bellum iam penè confectum est, & ita sunt intelligendi Caietanus & Bannes. Aliud tempus est, quando nondum est inita vltima pugna: & tunc quia res sunt adhuc ex vtraque parte in integro, si quidem incerti sunt bellorum exitus, tenetur Princeps conditiones iustas pacis, vt satisfactiones acceptare, nec sanguinem humanum in tali casu profusioni exponere: siquidem continuatio belli eiusdem est rationis, ac inditio

ctio & susceptio belli: cum autem bellum suscipi non debeat, quando reus, seu persona, quæ damnum intulit, condignam reparationem offert, sic neque continuari debet, quando condigna satisfactio offertur.

An milites teneantur examinare iustitiam belli?

R E S O L. IX.

Quoad primum Respondeo negatiuè: quia si esset subditis obligatio disquirendi belli iustitiam, non possent vnquam Principes bellum inferre, quia examen totius exercitus duraret æternum: nec item possent aperiri consilia Principum, nec omnia, quæ ipsi cum hoste gessere. Denique tot Tribunalia essent erigenda, quia milites deligendi. Ratio autem à priori est, quia Princeps ius habet præcipiendi militi, vt accepto stipendio obediatur in pugna: cui tenetur parere; in cuius possessione iuris est Princeps: dum ergo non constet militi Principem esse in eo iussu iniustum, tenetur illi parere; alioquin possessione sua eum priuaret absque causa. Confirmatur, dum tortori non constet de iudicis iniustitia in reo damnando, potest eum damnatum captis obtruncare: quia ad eum non spectat iudicium, sed executio: si autem tortori constaret de iudicis iniustitia, teneretur abstinere à cæde innocentis: eadem ratione milites tenentur, quia sunt nobiles tortores sui & orbis.

De non subiectis Principi idem sentio: nempe milites priuatos posse militare sub Principe alieno sine examine causæ, vt ego cum multis satis probaui *in* 4. *part.* *tract.* 3. *resolut.* 7.

An in Bello liceat vti insidijs, & stratagematis, & sit standum promissis.

R E S O L. X.

Respondeo affirmatiuè, quia hoc nec per se malum est, & sæpè ad obtinendam victoriam aut necessarium, aut valde utile. Ita Coninch. *disp.* 31. *de bello dub.* 7. *num.* 109. & alij communiter. Excipiendus tamen est casus, quo fidem dedisses hosti non vtendi insidijs, quia tunc deberes fidem seruare, & promissa implere, vt optimè dicit Diuus Thomas *in* 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 3. Nisi fortè, vt bene obseruat Castrus Palaus *tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 5. *punct.* 4. *numer.* 4. coactus dedisses, quia coactio promissionem annullat, aut si promissio in graue damnum boni communis Reipublicæ vel Re-

ligionis cederet; quia tunc etiam iuramento firmata impleri non deberet: vel tandem si hostis violaret in toto vel ex parte fidem vicissim datam. Duuallius *in* 2. 2. *tract.* *de charitate, quæst.* 16. *art.* 8. addit; quòd si circumstantiæ, & conditiones, cum quibus facta est promissio, mutantur: quarum mutatio si tunc præuisa fuisset, non fuisset facta promissio; aut saltem si fuisset, imprudentiam maximam arguisset; in hoc casu censetur defuisse voluntas promittendi, & sic promissio illa non obligat. Ita ille. Vide etiam circa præsentem quaestionem Layman *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 12. *num.* 10.

An liceat in bello innocentes occidere?

R E S O L. XI.

Respondeo innocentes esse infantes, mulieres, Monachos, Conuersos, Presbyteros, Rusticos ad Agriculturam euntes & redeuntes, & in agro laborantes, Legatos & Oratores, Peregrinos, & Exteros, & Mercatores. Hoc supposito,

Affero per se, & ex intentione non posse hæc damna innocentibus inferri: quia bellum pœna est, & nulla pœna innocenti iustè imponitur. Per accidens autem potest innocentibus damnum inferri; quatenus non cauetur eorum incommodum, & fit aliquid ad comparandam victoriam, ex quo innocentes lædantur. v. g. potest vrbs impugnari iniectis iaculis, & tormentorum globis; quamuis verisimile sit aliquos innocentes occidendos esse; possunt euerti turres, aut mœnia subiecto igne sulphureo, etiam si simul nocentes & innocentes corruant, vel opprimantur. Ratio est, quia percussio innocentum tunc accidentaria est, & præter intentionem. Nec tenetur, qui iustam belli causam habet, desistere à confectione proprii iuris propter incommodum, quod inde in innocentes redundat. Si ergo finis belli licitus est, & media, sine quibus consequi non potest, licebunt. Adde talem occasionem non esse belligerantibus imputandam, cum illam non intendant, sed solum permittant vtentes iure debito.

Sed licet hæc vera sint; aduertit tamen Castrus Palaus *tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 5. *punct.* 4. *num.* 9. & Valentia *tom.* 3. *disputat.* 3. *quæst.* 16. *punct.* 3. semper considerandum esse, an finis belli præponderet innocentium morti, & damnis aliis inferendis: quia non est licitum suam vtilitatem propriam cum iactura aliorum grauiissima quarere. Et ideò rectè obseruat Lorca *in* 2. 2. *D. Thom. sect.* 5. *disp.* 54. *num.* 3. ex Syluestro, si quæ damna innocentium nihil referunt ad finem belli, non possunt iustè inferri: quare si bellum commodè geri

potest absque eo ut innocentes agricolæ bonis suis spoliarentur, iniuste spoliarentur. Et ex Bannez obseruat Villalobos in *summ. tom. 2. tract. 5. difficult. 12. num. 10.* [que si en vn lugar huuiesse gran numero de innocentes, y poco delinquentes, non sera lecito de obruyr los a todos por ser mas el mal que sigue, que el bien que se procura.]

Vnde ego olim dixi rem fuisse scrupulosam immittere globum igneum in quadam Triemi Turcarum, vbi Christiani in maximo numero aderant.

Sed hic obiter querunt aliqui, an ad confirmandam securitatem in futurum liceat occidere nocentes, vel innocentes, quorum rebellatio timeatur. Quidam concedunt posse occidi utrosque. Sed de innocentibus rigida est sententia: tum quia videntur puniri non propter id quod egerunt, sed quod acturi sunt, quod est iniquum; tum etiam quia incerta est futura rebellio innocentium, & multis aliis modis caueri potest. De nocentibus etiam non existimo licite occidi propter solum rebellionis periculum, quamuis in eis probabilius timeri possit: quia etiam esset punire propter peccatum nondum commissum; cum aliter vitari possit periculum. Sed si aliis essent morte digni, prudenter & consultius fieret occidendo, quam remittendo poenam; ut exequendo iustitiam simul etiam prouideatur futuræ securitati. Securitas ergo non est sufficiens causa, ut inferatur mors, est tamen sufficiens, ut non remittatur. Et hæc omnia docet Lorca in *2. 2. disp. 54. num. 8.*

An bona innocentium possint in bello diripi & deuastari?

RESOL. XII.

Respondent communiter affirmatiue non per se, sed per accidens, in quantum fuerit necessarium ad finem belli consequendum: maxime si credas illis bonis aduersarium vsurum, ut te iniuste oppugnet.

Sed difficultas est, an huiusmodi bona ipsis postea sint restituenda, præsertim cum sint bona innocentium, qui ad Rempublicam hostilem non pertinent? Et affirmatiuam sententiam à fortiori tenet Lorca in *2. 2. Diui Thomæ sect. 4. disput. 54. numer. 10. & 11.* Putat enim in huiusmodi prædationibus non posse lædi innocentes, nisi per accidens: quatenus propter belli impetum, & temporis breuitatem discerni non potest, quæ sint bona nocentium, & quæ innocentium. Quare si certo constaret, quæ sint bona innocentium, non possent diripi: propter quod

non licet diripere bona Ecclesiarum, & similia.

De bonis autem immobilibus dicendum est posse victores accipere non solum ea, pro quibus contendeatur, si contentio erat pro possessione: sed etiam omnes belli sumptus, & restorationem nocentium, quæ occasione belli accepta sunt. Hæc autem accipienda sunt de bonis nocentium, præsertim Principis & Communitatis, & possunt accipi de bonis confusis, & permixtis nocentium & innocentium. Credo tamen accipi non posse de bonis eorum qui manifestè innocentes sunt. Ita Lorca.

Sed ad hoc dubium ita respondet Becanus in *2. 2. cap. 25. quest. 12. num. 7.* Si illa bona consumpta sunt propter necessitatem belli, neque ex illis facti sumus locupletiores, non tenemur ea restituere. Ratio est, quia neque tenemur ex parte rei acceptæ quæ iam perit, & ex qua non sumus facti locupletiores, ut suppono: neque ex parte iniustæ acceptionis, cum licite & sine culpa acceperimus. Hostes tamen, qui sua culpa fuerunt causa acceptionis, tenentur ad restitutionem: vnde quando paciscimur cum hostibus, ut præsent nobis condignam satisfactionem pro illatis damnis, simul paciscendum est, ut restituant innocentibus, quæ illis ipsorum culpa ablata sunt. Si autem eiusmodi bona non sunt consumpta propter necessitatem belli, sed vel in proprios vsus consumpta, vel adhuc supersunt, tenemur ea dominis suis restituere. Ratio est, quia nullum ius habemus ad eiusmodi bona, nisi quatenus necessaria sunt ad bellum. Si ergo vel supersunt, vel consumpta sunt extra necessitatem belli, nullo iure excusamur ab onere restitutionis. Vide etiam Molinam *tom. 1. tract. 2. disput. 121. conclus. 1. & 2. Valentiam tom. 3. disp. 3. quest. 16. punct. 3.* asserentes licite innocentes spoliari suis bonis in bello iusto.

Verum licet contra sententiam negatiuam Petri Lorca insurgat Coninch *disput. 31. de bello dub. 7. num. 12. & sequent.* tamen illi adhæret Castrus Palaus *tom. 1. tract. 6. disp. 5. punct. 4. num. 21.* vbi mordicus contendit, victoria reportata adesse obligationem restituendi bona innocentium: tametsi ex eorum occupatione locupletior non euaseris, quia innocens, & qui pars non erat Reipublicæ offendentis, non tenebatur tibi donare sua bona, ut tu ius proprium recuperares: quia non eras absolute & simpliciter pauper; sufficiebat enim ea tibi mutuo dare, atque adeo ex tacito contractu manes obligatus.

Sed quicquid sit de hoc, certum est in omni sententia duo valde notanda. Primum, qui culpabiles sunt, in omnibus dictis casibus teneri

neri innocentibus restituere omnia damna, quæ hi ratione illius culpæ incurruni, quia illi sunt horum omnium iniusta causa: immò credo, qui iustum bellum gerunt, non posse scientes, vllum damnum inferre innocentibus, quando aliter possunt omnino integram satisfactionem obtinere; quia tunc cum nulla sit necessitas, cur hi aliorum culpa grauentur, æquitas non patitur hoc fieri.

Secundum; Excipiendos esse Ecclesiasticos, quos, si innocentes sint, ob aliorum culpam grauari, videtur esse contra honorem Religionis, Ecclesiæ, ipsique Deo, cui singulariter sunt dicati, debitum. Præsertim cum ipsi sint quædam pars Reipublicæ omnino distincta à parte ciuili, nec huius dispositioni subiecta, cum sint exempti à iurisdictione sæculari: quare sæcularium delicta, etiam publica auctoritate commissa iis nullo modo possunt imputari, aut in eorum grauamen cadere. Quod clarissimum est, si agamus de bonis ipsius Ecclesiæ, qualia sunt omnia ipsius ornamenta, ac sacra supellex, & bona immobilia; ex quibus eius ministri, ipsa fabrica, ac reliqua onera sustentantur, quæ non sunt priuatorum, sed ipsius Ecclesiæ, atque adeo peculiari quadam ratione ipsius Dei. Ita Coninch. vbi supra *num.*

Cum igitur ex supradictis appareat bona Ecclesiæ & Ecclesiasticorum innocentium in bello occupari non posse; quia sunt specialiter dedicata, & à sæculari iurisdictione exempta, atque ita non debent ob delictum aliorum grauari. Tum quia Ecclesiastici partem constituunt distinctam à Republica Ciuili: Ergo propter eius culpam puniri non debent. Queritur, inquam, ex hoc, An tali priuilegio immunitatis gaudeant omnia bona quorumcumque sint, si in Ecclesia ad custodiam reponantur. Et affirmatiue respondet Syluester *verb. bellum, in fine, & Suarez de charitate disput. 13. sect. 7. numer. 14.* & pie hoc dictum esse existimat Palaus *tom. 1. tract. 6. disputat. 5. punct. 4. num. 18.*

Et non desinat hic apponere verba Reginaldi *tom. 2. lib. 2. cap. 8. num. 115.* vbi sic ait. Queritur. An licitum sit tempore belli nocere rebus Ecclesiasticis. Responsio est, quod et si res Ecclesiasticæ, sint exemptæ, ut prædiximus, in tribus tamen casibus milites eis posse nocere. Primus est quando Ecclesiastici miscent se bellis ciuilibus, iuuantque hostes: nam tunc habentur loco hostium. Secundus quem habet Syluester *in verb. bellum 3. questione 6.* quando huiusmodi nocentium inferitur non ex proposito, sed quasi præter intentionem, ut quando alia ratione victoria obtineri non potest. In eo casu enim gerentes bellum iustum, quando ex professo hostibus

tantum nocere intendunt, possunt ex accidenti, & consuetudine quadam nocere quoque rebus Ecclesiasticis ea ratione, quæ proposita est in *precedenti quest. 1. in proposit. 9.* Tertius casus est, quando Ecclesia est incastellata, id est munita more castris, quod fieri prohibetur in *cap. Sanctorum Patrum 10. quest. 1.* Sed ut notat Syluester *loc. cit. quest. 5.* Ecclesia potest duobus modis incastellari: vno modo ad inferendam vim, vel iniuriam hostibus, eosve oppugnandos: istudque est, quod in *cap. cit.* prohibetur. Alio modo incastellari potest Ecclesia solum ad defensionem vel personarum Ecclesiasticarum vel ceterorum Laicorum innocentium, qui non possunt se alio modo defendere: istaque incastellatio Ecclesiæ non est prohibita. Itaque si Ecclesia sit incastellata priore modo, potest expugnari, dirui, incendi. Sin sit posteriori modo, non est ei inferenda vis, neque personis innocentibus, quæ in ea sunt. Possunt tamen auferri omnia arma, & tormenta bellica, quæ ibi congregata fuerint ab hostibus: quia hi postea possunt illis vtī. Huc vsque Reginaldus.

An innocentes possint in seruitutem redigi?

RESOL. XIII.

Negatiuam sententiam mordicus sustinet Petrus Lorca in *2. 2. sect. 3. disputat. 54. numer. 20. & sequent.* vbi post multa *num. 23.* sic ait. Affirmo igitur, non aliter posse innocentes in seruitutem capi, quam interfici; & sicut non licet eos interficere per se, & directe; ita nec seruos facere. Per accidens verò solum licet occidere ante partam victoriam, quando aliter commodè obtineri non valet. Vix autem contingere potest, ut illa occisio in seruitutem commutari queat, nisi vno in casu. Quando scilicet bellum est diuturnum contra aliquam gentem, & expedit quæcumque nocumenra illis inferre, ut extenuentur eorum vires, & diminuatur numerus eorum, qui bellare possint: quo pacto censeo iustam consuetudinem deprædandi Turcarum & Sarracenorum oppida, & captiuandi, deducendique in seruos feminas & infantes. Nam propter hanc causam fortasse possent occidi, ut indicatur *Deuteronomy 20.* illis verbis: *Quando obsederis Ciuitatem multo tempore, non succides arbores, de quibus vscī potest, quoniam lignum est, & non homo: nec potest bellantium contra te augere numerum: quasi dicat, ex hominibus posse occidi eos, qui efficere possunt, ut bellantium numerus augeatur; idque quando bellum est diuturnum: benignius autem*

tem est, vt qui occidi poterant, in seruitutem adducantur. Si tamen in hoc casu occidi non possunt, vt Victoria docet, saltem poterunt in seruitutem capi, vt eo modo bellantium vires & numerus diminuatur. Præter hunc casum non assequor, quo pacto aut occidere, aut innocentes capere liceat. Hæc Lorca.

Sed contrariam sententiam docet Villalobos in *summa tom. 1. tractat. 5. difficult. 12. numer. 14.* Molina *tom. 1. tract. 2. disputatione 120.* Coninch *disput. 3. 1. de bello, dub. 7. num. 112.* Caltrus Palaus *tom. 1. tract. 6. disput. 5. punct. 4. num. 13.* Becanus *in 2. 2. cap. 25. quest. 13. conclus. 3.* Et ratio est, quia libertas inter bona fortunæ, quorum Respublica dominium habet, computatur; quia Respublica illorum bonorum habet dominium, quorum habent eius subditi: sed quilibet subditus propriæ libertatis dominium habet, illamque vendere potest necessitate urgente: ergo Respublica idem facere poterit: & confirmo. Pater necessitate urgente potest filium libertate priuare, & creditor debitorem impotentem soluere, si ius postituum non obstaret: Ergo à fortiori poterit Respublica quemlibet ciuem, cum quilibet debeat satisfacere pro debito Reipublicæ, vt pote pars eius. Adde receptissimum esse tradi infantes obsides inimico nolenti aliter à bello desistere, qui tamen in arctam, & sæpè in perpetuam seruitutem reducuntur: quod est quoddam genus seruitutis, atque priuationis libertatis.

Verùm his non obstantibus nouissimè Hurt. de Mend. *volum. 2. disput. 164. sect. 11. §. 107.* sententiam Petri Lorcæ sectatur. Et ratio est, quia seruitus est maxima ærumnarum, & victori minimè necessaria directè, aut indirectè ad comparandam victoriam: ergo non potest hoc malum inferri innocenti. Probo consequentiam: quia nullo sine honestari potest seruitus. Non ratione pœnæ, nulla enim potest inferri innocenti; non in prudentem prouidentiam, ne capti rebellent; tum quia ob peccatum futurum non potest maturari pœna: tum quia incerta est rebellio, potestque mille rationibus vitari, vt enim serui tenentur apud victores; ita & liberi poterunt teneri, ne fugiant; cur ergo tanto afficiendi sunt supplicio? Hebræi, si quos innocentes in seruitutem redegere, fecerunt id Deo præcipiente.

Dicent primò: Innocentes esse partem Reipublicæ nocentis: quælibet aurem pars puniri potest ob delictum totius. Respondeo partes non habentes distinctas voluntates posse ita puniri; quia idem homo in qualibet punitur, & animus idem: In toto autem Metaphorico, cuius partes sunt absolutè diuersæ, & propria voluntate donatæ, non possunt earatione puniri, vt non possint occidi, quam-

uis sint partes Reipublicæ nocentis: possent autem si ea ratio & exemplum vrgent; potest enim manus præcidi ob linguæ delicta.

Dicent secundò: Rempubicam nocentem habere ius in ciuium libertatem, quos in extrema necessitate, quam alia ratione vitare non possit, potest vendere: sed hoc ius spectat ad victorem iustum cum cæteris nocentis Reipublicæ bonis: ergo, &c. Qua ratione oppositam sententiam tenet Pater Ægidius *disput. 3. 1. numer. 119.* Respondeo victorem succedere Reipublicæ victæ in iure, qua ratione erat illius ius, non verò alia: sed ius Reipublicæ erat ad vendendum ciuem in extrema necessitate, non verò extra illam, ergo victor poterit captum innocentem vendere in extrema necessitate, non verò extra illam. Maior est certa: quia successor alicuius in re aliqua, non habet in illam melius ius eo, cui succedit: quia ius alio modo non erat in eius potestate. Confirmatur, Respublica habet ius exponendi ciuem aperto vitæ discrimini in necessitate extrema Reipublicæ; at non propterea victor potest captum exponere ei periculo in necessitate leui: ergo eadem ratione non potest ciui libertatem adimere propter ius illud Reipublicæ; itaque ciuis innocens captus tam manet sui iuris; quam ante captiuitatem.

Dicent tertio: multas leges tam ciuiles quam Ecclesiasticas agere de seruitute captorum bello iusto. Respondeo eas exponendas de nocentibus captis, non de innocentibus.

Dicent quarto: hostes esse interdum tam multos, vt nisi illis captis non possit deinceps pax conseruari. Lorca *disput. 54. num. 23* censet eam ob causam licitam esse seruitutem; non verò ob aliam, quod contingit in Turcarum & Sarracenorum captura contra innocentes, qui nullam dedere causam seruitutis: futurum autem peccatum non potest anteuertere supplicio; ergo non possunt Turcæ innocentes libertate priuari. Deinde prouideri potest Reipublicæ Christianæ absque seruitute Turcarum: ergo Turcæ non possunt reddi in seruitutem. Consequentia est certa, quia damna aliorum sunt vitanda, quando sine illis possunt damna propria vitari. Antecedens probo; quia Turcæ nunc apud nos seruantur sine periculo; sed eadem ratione seruari possunt retinentes libertatem: ergo libertas non obest securitati Christianorum. Probo minorem: quia libertas non obest, quo minus ferro & seueris legibus cogantur non redire ad suos. Possunt ergo Turcæ apud nos cogi, ne fugiant, aut armentur, aut ne opibus adeò crescant, vt ab illis nobis immineat periculum: at non poterunt vendi,

di, nec priuari iure acquirendi bona, & contractus ineundi: ergo sine seruitute potest Respublica Christiana sibi à Turcis captis cauere.

Dicent quintò communem esse consuetudinem capiendi scæminas & infantes Turcarum. Respondeo id secundum se esse illicitum: at verò ex probabili sententia, per accidens esse licitum. Authores enim frequentius opinantur licitam esse captiuitatem, & seruitutem innocentium captorum in bello licito gesto cum Republica, cuius ipsi sunt pars. Quam sententiam admittunt Pater Suarez, & Ægidius, sequuti Recentiores alios & antiquos. Et hæc omnia docet Hurt. vbi suprà, quæ quidem satis probabilia esse non nego.

Sed stando in opinione affirmatiua tria deducuntur. Primò, omnes Turcæ & Sarracenos tam infantes & mulieres, quam viros cum à Christianis iusto bello capiuntur fieri mancipia Christianorum. Secundò, Christianos nunquam fieri mancipia Christianorum propter consuetudinem communi consensu & vsu approbatam. Tertio, Christianos de facto quidem fieri mancipia Turcarum & Sarracenorum, non tamen de iure, quia iusto bello non capiuntur. Nam bellum, quod Turcæ & Sarraceni contra nos gerunt, iustum non est. Quarto, Innocentes, qui non sunt membra hostilis Reipublicæ non posse capi, & in seruitutem redigi; nisi fortè per accidens, quando periculum est, ne aliquando coniungant se hostibus, aut ab hostibus vi adigantur, vt ipsis subsidium præstent. Sicut enim in tali casu licitum est eiusmodi innocentes spoliare armis, pecunia, frumento, & cæteris rebus ad victum & vestitum necessariis, sic etiam licitum est eosdem spoliare libertate.

An capti in bello iusto possint fugere?

R E S O L. XIV.

Aliqui, quos ego alibi citavi, negatiuam tenent sententiam, & id probare videntur iura *cap. si quis seruum 17. quest. 4.* ex Concilio Gangrensi, & ex Concilio Lateranensi sub Martino I. in quibus grauis pœna decernitur ei, qui persuaserit seruo, vt à domino suo recedat. Et in *leg. 1. Cod. de seruis fugitiuis* dicitur: Fugitiuus seruus furtum sui facit domino.

Præterea qui iustè captus est, iustè seruit, & iusto titulo dominus eius dominium acquisiuit: eo autem quod quis iustè possidet, non potest iustè spoliari. Accedit simile de eo, qui iustè damnatus est ad exilium, à quo non

potest sine peccato discedere: ergo neque ille, qui iustè damnatus est ad seruitutem. Denique serui, qui fugiunt, si deprehendantur, iustè puniuntur à dominis, & in *leg. 3. Cod. de seruis fugitiuis*, grauis pœna eis decernitur: ergo peccant fugiendo.

Et hanc sententiam tenet Nauarrus in *summa cap. 17. num. 103.* & alij relati à Couarruua in *Regul. peccatum, part. 2. §. 11. num. 6.* Et hanc sententiam veriore putat Lorca in *2. 2. disp. 54. memb. 2. num. 29.* vbi non obligant Romanæ leges.

Sed ego affirmatiuæ sententiæ adhæreo, quam tueri Lessius *lib. 2. cap. 5. dub. 1. num. 24.* Duuallius in *2. 2. D. Thomæ tract. de charitate quest. 16. art. 6.* Caltrus Palaus *tom. 1. tract. 6. disput. 5. punct. 4. num. 15.* Valentia *tom. 4. disp. 3. quest. 16. punct. 3.* & alij Dico igitur seruos captos in bello iusto posse fugere, non solum quando iniustè, & crudeliter à domino suo tractantur, in hoc enim omnes consentiunt; sed etiam quando benignè, dummodò, inquirunt, non fugiant animo euagandi, sed redeundi ad suos, & patriam repetendi, & dummodò, si dominus eum in fuga attingat, ei obediat, & ad locum seruitutis suæ non inuoluntariè redeat: fas enim non est seruo vi contra verum dominum suum resistere.

Prior pars consuetudine firmatur: hoc enim vbique receptum est; vt si serui aufugerint, ad pristinum locum, atque dominum non redeant, nec redire compellantur: & istud lege Imperatoria roboratur, *leg. nihil interest, ff. de captiu. & postlim. reuers.* vbi sic habetur. Nihil interest, quomodo captiuus reuersus sit; vtrum dimissus, vel vi, vel fallacia potestatem hostium euaserit: ita tamen si ea mente uenerit, vt non illuc reuerteretur. Et in *8. item ea, in Institut. de Rer. diuis.* subditur. Qui tamen si euaserint nostram potestatem, & ad suos reuersi fuerint, pristinum statum recipiant.

Posterior verò pars: nempe si fugiendo à dominis recuperentur, debere suis dominis obedire: patet ex eo quod quandiu fugiunt, nondum adepti sint plenam libertatem, & adhuc perseverat possessio legitima ipsius domini; quo fit, vt iustè eos reducat; ipsique tenentur ei obedire, saltem non resistere: adde incarcerationum secundum omnes effringendo carceres non peccare; sed si à custodibus & licitoribus recipiatur, non potest resistere, sed eis debet morem gerere: quo fit, vt licitè puniri possint à dominis, etiam si citra vllum peccatum aufugerint.

Limitanda ramè est hæc opinio, vt procedat, nisi fidem seruus dederit non fugiendi; quia tunc speciali titulo fidelitatis, & maximè si iuramentum adhibuisset, non potest fugere.

Et

Et omnia supradicta maximè procedunt ad Christianos à Turcis captos, qui vt alibi satis firmaui, possunt non solùm fugere, sed etiam dominorum suorum bona diripere, titulo & iure iusti belli & perpetui, quod Turcæ cum Christianis gerunt; & quia tyrannicè occupans Terras Christianorum. Ex quo, vt benè aduertit Lorca in 2. 2. *Diui Thomæ, disputat. 54. membr. 2. numer. 26.* oritur facultas inferendi eis, quodcumque nocumentum: quod etiam docet Solorzanus de *Indiarum iure, lib. 2. c. 10. num. 24. & cap. 1. num. 45.* & contra Ancharanum in *cap. peccatum, de Regul. iur. in 6. tradit Gloss. & Doctores in cap. ius gentium 1. distinct. Innocentius in cap. olim el. 1. de restitut. spoliat. Naldus in summ. verb. Christianus, verb. Infidelis, & verb. seruus, Marta de iurisd. part. 1. cap. 24. à num. 46. Aponte in decisionib. part. 1. decis. ... Vide etiam me ipsum in part. 5. tract. 13. resol. 98.*

Dicendum est igitur licere cuilibet Christiano mancipio Turcarum fugere, & bona eorum in quacunque quantitate secum asportare.

An licitè possit inferri bellum infidelibus propter solam infidelitatem, maximè ex licentia Papæ?

RESOL. XV.

PRO affirmatiua sententia pugnat mordicus Hostiensis in *cap. quod super, de voto, & pro negatiua Innocentius etiam in dicto cap. & Solorzanus de Indiarum iure, lib. 2. cap. 1. num. 1.* putat vtramque sententiam problematicè sustineri posse; & idè ipse ibi respondet ad omnia argumenta, & Marta de iurisd. part. 1. cap. 24. asserit, Scriptores Christianos non debere sententiam Ostiensis veneno afficere. Vide etiam Perrum Malfertium apud Mandellum *lib. 4. consil. 769.*

Ego verò negatiuæ sententiæ adhæreo. Dico igitur. Ob solam infidelitatem non posse aliquem bellum indicere Infidelibus; neque eos priuare dominio bonorum suorum. Vide Molinam *tom. 1. disput. 105. & 106.* Coninch. *disput. 31. de bello dub. 2. num. 54.* Castrum Palaum *tom. 1. tract. 6. disput. 5. punct. 3. numer. 7. & alios.*

Notandum est tamen, quòd licet hæc opinio sit amplectenda; illa non obstante Ecclesia habet ius ad arma mouenda in infideles, si vi & armis iter occludant Prædicatoribus fidei.

Dico igitur primò. Infideles non permittentes in suis Regnis Prædicatores fidei, posse iuste ab Ecclesia debellari. Vide Fagundez in *Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 3. num. 20.*

Dico secundò. Non posse Papam conflare exercitum ex Clericis, & Ecclesiasticis viris ad compescendum infidelem; nisi aliàs timeantur in Ecclesiam damna; sed hoc munus esse sæculari Principi mandandum: quia est alienum institutum à Clerico & Religioso arma mouere.

Dico tertio. Potestatem impetendi Principem infidelem non esse penes Reges aut Regna; sed penes Papam. Potest quidem Rex, dum Pontificem consulat, cogere Paganum, ne Regno Prædicatores interdicat; sicut quilibet potest innocentem tueri. In quo sensu Aragonem accipio *art. 8. dub. 3. Corollario 1. & 3.* At verò Regni inuestitura, & ius ad illud suo adiungendum, aut alicui donandum, non est nisi penes Pontificem Romanum: quod eruditè probat Pater Suarez *disput. 18. sect. 1. num. 7.* Probatur primò exemplo Regum atque Pontificum: Castellanus & Lusitanus præfigente limites Alexandro sexto, partiti sunt Indorum oppugnationem: idque constat ex historiis antiquioribus. Vide Fagundez *vbi supra.*

Probatur secundò à priori: quia nullibi Regi est ius directè aut indirectè in aliorum Regna: directè, res est clara; sunt enim plerique infideles verè domini suorum Regnorum: neque indirectè, quia hoc ius oritur indirectè ex iure directò prædicandi Euangelium; sed hoc ius non est Regi sæculari: ergo nec ius indirectum spectat ad eum.

Probatur tertio. Quia in ea esset occasio Principes fideles turbandi: multi enim specie religionis impeterent infidelium Prouincias: & contenderent de illarum oppugnatione, & in Ecclesiæ filios verterentur arma, quæ essent mouenda in hostes. Item vnicus infidelium sibi timeret, ne fidelis Princeps potentior infideli propè accederet ad suas Prouincias, easque inuaderet. Quapropter oportuit, vt ad vnum caput hæc cura disponenda reuocarentur. Et hæc omnia docet Hurt. de Mend. *volum. 1. disputat. 75. sectione 1. §. 3. per mendum 41.*

Qui etiam postea in §. 15. docet, non posse Ecclesiam Prædicatores mittere cum exercitu ad prædicandum: nec eo titulo posse Principes fideles erigere munitiones in Prouinciis infidelium: sed expectandum est, qua ratione ipsi Prædicatores excipiunt. Et rationem adducit. Quia Euangelium non alia ratione est prædicandum, quàm à Christo præceptum est: sed hæc ratio prædicandi est contra rationem à Christo præceptam: ergo, &c. Minor probatur *ex cap. 1. Matthæi.* Vbi Christus mittens Apostolos ad prædicandum, eos mittit non solùm exarmatos præsidio militum, sed etiam inermes, non imperatoria ratione minitantes populis

populis ferrum & ignem; sed agnorum more inter lupos, quorum vngues non semel essent experturi. Nec verò illa præcepta fuerunt de illa missione prima in Pagos Israëlitos; sed etiam de secunda in orbem, vt contra Hæreticos, & nonnullos parum consideratos Catholicos, doctè ex S. Ambrosio, Augustino, Hieronymo, & aliis Pater Maldonatus obseruat in *Matth. cap. 10. 9.* Præfertim, *Ecce ego mitto vos, sicut agnos in medio luporum,* accipienda sunt aut solùm, aut potissimum de secunda missione: quia Apostoli in ea prima missione non lupos experti; sed amicos conciuces: à quibus discessere gloriantes: nec tunc traditi sunt à parentibus, nec damnati à Regibus.

Sed, vt verum fatear contra Hurtadum, placeat mihi affirmatiua sententia Patris Suarez de *charitate disputat. 18. sect. 1. num. 8.* Solorzani de *Indiarum iure lib. 2. cap. 18. numer. 11. & sequent.* & aliorum penes ipsum asserentium posse hodie Principes Christianos ad conuertendos Barbaros mittere Prædicatores cum sufficienti exercitu, non vt bellum inferant, sed vt Prædicatores securi incedant, turresque & arces munitas in terminis Prouinciarum infidelium construere, vt facilior & securior aditus, & exitus fidelibus pateat: dummodò tamen priùs tales infideles blandè & pacificè de audienda & recipienda prædicatione moneantur. Quod si renuerint, an debellari possint paulò infra videbimus.

An licitum sit inferre bellum fidelibus committentibus idololatriam, & violentibus iura naturalia, maximè si accedat auctoritas Summi Pontificis?

RESOL. XVI.

NEGATIUA sententiam docet Castrus Palaus *tom. 1. tract. 6. disputat. 5. punct. 3. num. 7.* qui citat Bonacinam, Molinam, Valentiam, Coninch & Suarez, quibus adde Villalobos in *summa tom. 2. tract. 5. difficult. 4. n. 14.* vbi sic ait. [La verdad es que estos pecados non son causa bastante para dar guerra justa. El fundamento es, que para castigar a vno ha de ser superior suyo el que le castiga, ò a de hauer recibido agrauio del que en tel caso es juez suyo, no hauriendo superior, y ninguna d'estas razones se halla a qui y assi como el Rey de España no tiene a su cuenta el castigar semejantes delictos en las naciones, que no lo estan sujetas, lo mismo se ha de dezir a qui. Y no obsta el lugar del Deuteronomio citando: porque alli tuuieron los hijos de Israël ef-

pecial y expreso mandado de Dios, que es Señor vniuersal de todo, y quisò castigar aquellas gentes por sus delictos: lo qual no pueden hazer los Principes, sino es que sean sus subditos.] Et ita hanc sententiam præter Doctores citatos tenet Caietanus in 2. 2. *quest. 66. art. 8. & Bañez etiam in 2. 2. quest. 10. art. 10. Turrianus tom. 1. in 2. 2. disp. 52. dub. 2. Sotus in 4. dist. 5. quest. 1. art. 10. & alij.*

Sed non desunt Doctores affirmatiuæ sententiæ adhærentes, vt Innocentius in *cap. quod super, de vot. num. 4. & 9* & ibi Ancharanus & Abbas: idem Ancharanus, & Boichus in *cap. gaudemus, de diuortijs Zabarella in Clement. 1. de testib. num. 6.* Syluester *verb. Iudæus num. 4. verb. infidelitas, quest. 8. & 9. & verb. Papa, q. 7. Armilla verb. infidelitas. Tabiena eod. verb. num. 32. & 33.* Maior in 2. *sentent. distinct. 44. quest. 3. & in 4. dist. 15. quest. 4. art. 1.* Maltrillius de *Magistr. lib. 1. cap. 9. num. 10. & alij.* Quorum sententiam probabilem putat Ioannes Solorzanus de *Indiarum iure, lib. 2. cap. 15. n. 26.* vbi sic asserit. Superest vt de tertio membro dicamus, scilicet de peccatis, quæ ab istis Indis passim perpetrari probauimus, Deum verum non colentes, nec cognoscentes, & scædis suis ac spurcis moribus omnia naturalis iuris præcepta turbantes, & transgredientes. Et in hoc, quamuis auctores, vt vidimus, maximo pere digredientur, satis probabilem censo Innocentij, & sequacium opinionem; qui propter hæc crimina puniri & debellari posse à Christianis Principibus de licentia Summi Pontificis tradunt, si moniti ab illis non desistant: quod tenuit, & latè contra Victoriam defendere conatus fuit insignis noster Gregorius Lupus in *l. 2. tit. 2. part. 2. gloss. magn. colum. 16. vers. ego verò,* dicens hanc sententiam esse communem omnium Canonistarum & Legistarum, & aliquorum Theologorum. Et adeò certum esse concludit Marta in *tract. de iurisdictione 1. part. cap. 24* vt piaculum dicat de ea dubitare, & Marquardus in *tract. de Iudæis & infidelibus 3. part. cap. 1. num. 39.* vbi apertè inquit, quòd non peccarunt Hispani, qui punierunt Indos delinquentes contra naturam Huc vsque Solorzanus.

Nora tamen, quòd idem Solorzanus hanc sententiam affirmatiuam absolutè tenet sub quadam distinctione, quam etiam admittit Azorius *lib. 8. Institut. Moral. cap. 24. quest. 9. & eam sequens, & transcribens Frater Thomas à Iesu de procuranda omnium gentium salute lib. 5. dub. 4. pag. 207.* dicentes, quòd licet infideles iuste puniri nequeant, vbi id ius naturæ non seruant, quod debitum Deo cultum & honorem tribuendū præscribit. Si tamen illud aliud ius eiusdem naturæ dissoluant, percurrant, & negligant, quod cuique homini reddendum,

dendum, quod suum est, iubet; & aliis non fieri, quod nobis fieri nollemus, tunc iure optimo puniri possent; vt si furta, latrocinia, adulteria, homicidia, falsa testimonia, incestus, stupra aut ipsi perpetrarent, aut liberam facultatem huiusmodi mala perpetrandi concederent, vel passim in subditis sine vlla pœna, ac supplicio permitterent. His etenim legibus naturæ violatis planè consequitur, vt innocentes multis damnis, incommodis & malis afficiantur, communisque humanæ Reipublicæ salus, pax & tranquillitas in tuto consistere nequeat. Pro quibus defendendis licitum est vi & armis aduersus quoslibet infideles certare.

Verùm quicquid sit de his opinionibus, de quibus ad partes nouissimè agit Fagundez in *præcepta Decalogi* omnino videndus tom. 1. lib. 1. cap. 3. à numer. 28. si non solum Idololatria in infidelibus reperitur, sed sæua quoque & effrænata tyrannis; humanæ carnis ingluuius, & cruenta, & execranda innocentium sacrificia, quæ quidem olim Indi, vt plurimum frequentabant: tunc veriore & probabiliorem eorum sententiam existimo, qui ob has iniurias, & oppressiones tollendas, bellum aduersus omnes, infideles permittunt: quamuis nobis subiecti non sint, & procul positi auxilium nostrum non exigunt, & sua forte contenti viuere dicantur. Et ita docet Molina tom. 1. tract. 2. disputat. 106. Bannez in 2. 2. quæst. 10. art. 10. Victoria de Relect. 2. de Indis, numer. 15. & ideò Hurt. de Mend. volum. 1. disp. 75. sect. 1. § 22. sic ait. Quod obiicitur de Regibus Hispanis, est ob exterorum inuidentiam. Conquisitus est nouus orbis, cuius incolæ non homines, sed ferae videbantur, Reges per tyrannidem passim suos occidere & immolare Diis: nec ex humano more, sed ferino administrare Regna: quibus de causis posse eos illis priuari nullus negat: opprimunt enim infontes, & sunt Regno perniciosi, non salutari priuatos autem Indos nullus priuauit bonis, nisi ob delicta: quòd si Regij Ministri per iniustitiam aliquid faciunt, puniuntur à Rege, cum deprehendantur: quia verò Atubaliua Rex Peruanorum non repugnauit Prædicationi, eius neptis Illustrissima Marchionissa Oropeste nomine *Cola* apud ipsos Reginam sonante, iure contendit damnorum compensationem, quæ à Philippo III. est facta: quæ visa est ex Christiana lege esse satis. Ita

Hurtad.

An sit iustus titulus bellandi, si infideles nollent excipere Prædicatores fidei: sed illos occidant, & liberum transitum in alias Prouincias ad prædicandum denegent?

RESOL. XVII.

Respondetur affirmatiuè: nam licet infideles nec mediatè, nec immediatè possint cogi, vt fidem & baptismum suscipiant, vt supra diximus: vbi tamen coactio ad hoc non dirigitur; sed eo tantum tendit, vt infideles ipsam fidem sibi à Catholicis Prædicatoribus annunciandam & proponendam, quietis & attentis animis, atque auribus audiant; & seriuè de ea recipienda, vel respuenda deliberent, nostròsque hoc tam vtile & salutare commercium erga illos exercere volentes, tutò & fido hospitio recipiant, vel liberum transitum ad alias prouincias concedant, in quibus Euangelium annunciare, & propagare desiderent: frequentissima & verissima est omnium ferè Theologorum & Iurisperitorum opinio, quæ docet talem coactionem licitam esse: atque ad eò iure optimo posse his de causis infidelibus bellum inferri, qui proteruè fidem audire recusant, vel eiusmodi pias & laudabiles expeditiones impediunt: dum tamen priùs quam ad illud deueniatur, omnia alia media tententur, quæ ad munus Apostolorum Apostolicè & pacificè obeundum conducere poterint.

Et ideò Victoria in Relect. 1. de Indis à n. 36. & in Relect. 2. à num. 1. vsque ad 12. concludit Indos & quoslibet infideles ad fidem audiendam teneri, ac proinde à peccato mortali non excusari; si rogati & admoniti, vt audiant pacificè loquentes de rebus spectantibus ad Religionem, ac de ea maturè deliberent, id facere nollent: quia tenentur, inquit, saltem audire, & consultare; etsi hoc impediant, & Hispanos inter se ad commercia & prædicationem non admittant: neque aliter Religionis negotium procurari valeat, hic titulus iustissimus est ad eos debellandos & conquirendos, terrasque ac prouincias eorum occupandas, nouos dominos creandos, & antiquos deponendos, & ad reliqua alia iura belli prosequenda, quæ in aliis bellis iustis licitè fieri possent.

Hinc Seraphinus Freitas de iusto Imperio Asiatico, cap. 9. num. 6. & 7. licet infidelium debellationem non omninò prober, ob id tantum, quòd fidem audire recusent; bene tamen admittit, quòd si nobis prædicationem impedirent; aut alios volentes illam audire,

&

& forsàn fidem suscipere ad nos accedere prohiberent, nec sinerent Prædicatores loqui verbum Dei sine vi ac fraude volentibus audire, iure possemus eorum violentiam etiam armis propulsare; & bello si opus esset, illato acriter coercere: quia omninò semper manet ius integrum Ecclesiæ ad prædicandum in quolibet Regno, & defendendum innocentes, vt sic dicam, id est, particulares personas, quæ voluerint audire verbum, & ita nulla fit in tali casu coactio ad audiendam fidem, sed solum ad non impediendam Euangelij prædicationem, nec eos, qui voluntariè illud audire voluerint

Dicendum est igitur cum Bannez in 2. 2. quæst. 10. art. 10. Infideles iure compelli, ne villo modo Christi fidem impediunt. Et ex hoc sequi, quòd si Nuncius Euangelij perueniat ad exterarum & barbararum nationes, & impediatur prædicare populis à Principibus illarum nationum: tunc potest Princeps Christianus, vt Minister Pontificis, debellare illos Principes, ne impediatur Prædicatores: hoc enim non est compellere ad audiendum, sed defendere innocentes, quosdam quidem ad prædicandum ius habentes, quosdam verò, quia ius habent ad audiendum, si velint.

Vide etiam Molinam tom. 1. tract. 2. disputatione 105. Salonium in 2. 2. tom. 1. tract. de Dominio quæst. 3. art. 1. & alios quos citat & sequitur eruditissimus Solorzanus de Indiarum iure lib. 2. cap. 20. per totum.

Et ad confirmationem omnium supradictorum non desinam hinc etiam apponere verba Reginaldi tom. 2. lib. 21. cap. 8. numer. 94. vbi sic ait. Septem sunt casus, quibus licitum est inferre bellum infidelibus; non quidem ob solam infidelitatem, sed ob aliquam circumstantiam esse annexam. Primus est, quando infideles possident terras, quæ olim erant Christianorum; quo titulo Christiani inferunt bellum Turcis. Secundus, quando infideles inferunt iniurias Christianis, vt ipsi Turcæ solent Tertius, quando abducunt Christianos à vera Religione, quæ causa assignatur in Deuteronomio locis citatis. Quartus, quando infideles impediunt liberam prædicationem Euangelij. Potest enim tunc illis inferri bellum auctoritate Ecclesiæ, quæ cum à Christo potestatem acceperit prædicandi Euangelium per totum orbem Terrarum *Matth. vltim. & Marc. vlt.* is qui prædicationem huiusmodi impedit, infert Ecclesiæ iniuriam, quam bello propulsare potest. Qua de re pluribus Victoria Relect. de Indis sect. 3. num. 9. & aliquot sequent. Qua in re immorari non est necessarium ad nostrum institutum. Quintus casus, quando infideles qui Principi Christiano subsumunt, leges ipsis ab eo præscriptas legi naturæ

consentaneas obseruare nolunt. Sextus, quando Princeps infidelis nulli fideli subditus committit peccata, quæ non tantum sunt contra Deum, sed etiam contra proximum. Tunc enim Princeps Christianus potest ei bellum indicere, si admonitus nolit desistere. Hucusque Reginaldus.

An licitè indicatur bellum contra infideles, ex titulo donationis obtenta à Pontifice de eorum Prouincijs?

RESOL. XVIII.

Negatiuam sententiam mordicus tenet nouissimè Ioannes Gryphanus tract. de insulis, cap. 24. num. 59. & sequent. qui inuehitur in donationem factam ab Alexandro VI. Regibus nostris Hispaniarum de orbe nouo. Probat hanc suam sententiam: quia si illæ insulæ erant occupatæ, & suis cultoribus inhabitatæ, non poterat ipsis dominium, imperium, ac libertas, aliæque quæ habentur iura, non præcedente læsione aliqua, sine insigni iniuria adimi. *leg. id quod nostrum, de regul. iur. supra cap. 22.* quia donatio de alieno esset, *leg. 12. Cod. de donationib.* quæ furti speciem sapit. *Gloss. in leg. 1. Cod. si aduersus venditorem, leg. si pignori, de furt. cap. 1. 14. quæst. 5. per tot.* Quod in proverbium transit de alieno corio latas corrigias facere. *Neuiz. lib. 1. Sylu. nupt. num. 128.* Multò minùs ex aliena iniuria aliquid dandum est. Ne quod detur quidem, gratum esse donum potest; quod eum qui det, vbi veller, ablaturum esse sciat, ait *Liuius lib. 5. Decad. 5. in fine.* Qui enim nocent aliis, vt in alios liberales sint, in eadem sunt iniustitia, vt in suam rem aliena conuertant. *Cicero 1. Officior. num. 9.* Ipse Papa in cap. 16. extrà de decim. talem constituit Regulam, quòd nulli liceat aliena concedere præter domini voluntatem. Eodem ergo ipse quoque vti debuerat, argumento *leg. 1. quod quisque iuris.* Et pati legem, quam ipse tulerat, iuxta distichon *Caronis* approbatum in cap. cum omnes 6. de constitut. *Speculator tit. de Aduocat. §. 4. numer. 5.* Vt taceamus quòd tota conclusio falso præsupposito nititur: quia Pontifex dominium ciuile mundi non habet, nec vnquam habuit. Hucusque Gryphanus.

Sed omninò reiciendus est, & dictum ius in insulis Indiarum, quòd ex largitione Pontificia habet Augustissimus Rex noster, firmant indiuidualiter Malfertius apud Mandellum *consil. 769. vol. 4.* Ginesius Sepalueda in *apolog. pro Indiar. conquis.* Camillus Borrellus de *Præf. Reg. Cathol. cap. 46. numer. 224.* *Marta de iurisdic. Centur. 1. cap. 24. num. 31.* Paramus

K

de

de Orig. Inq. lib. 3. quæst. 1. numer. 145. & alij, quos citat & sequitur Solorzanus de Indiar. iur. lib. 2. cap. 23. numer. 68. & sequent. Adi illum & non pigebit: in quo etiam inuenies solutionem argumentorum, quæ superius pro contraria sententia adducit Gryphiandrus.

Dicendum est igitur cum Anastasio Germonio lib. 3. de sacror. immunit. cap. 3. num. 29. Francisco Vargas de auctoritate Pontific. confirmat. 10. um. 5. & 6. & aliis. Summum Pontificem, non modò Ciuitates, Prouincias, & Regna, quæ antea Christianam Religionem profitebantur, & deinde fuerunt ab infidelibus vsurpatæ, posse, cui libuerit, indubitanter concedere, vt recuperet, suæque faciat: sed ea etiam addicere posse, quæ Christianorum nunquam fuerunt, ad Christianæ fidei & Euangelij propagationem, & Idololatriæ extripationem. Et quòd his rationibus motus Alexander V I. amplas istas Indiarum Occidentalium Regiones Catholicis Regibus, Ferdinando & Isabellæ, eorumque successoribus addixit: qui ex illa acquisitione omnem omnino iurisdictionem, ac omne Imperium earundem Prouinciarum sibi iure vendicant, non ipso iure, nec iure belli: sed Romani Pontificis auctoritate; quare iustè dicuntur possidere, *argumento leg. iustè possidet. ff. de acquiren. possess.* Vide etiam Solorzanum *vbi supra*, egregiè disputantem de potestate Pontificis, & ad omnia contra respondentem.

An licitum sit indicere bellum Hæreticis propter solam Hæresim?

R E S O L. XIX.

AD hoc dubium ita respondet Becanus in 2. 2. cap. 25. quæst. 5. Duo spectari possunt in hæresi. Primò, quòd sit peccatum. Secundò, quòd turbet pacem Ecclesiæ & Reipublicæ. Hoc posteriori sensu est sufficiens causa belli. Et quidem triplici modo.

Primò; si subditi alicuius Regis aut Principis deficiant à fide Catholica, & alios secum trahant in eandem hæresim, & sic dissensionem faciant in Regno vel Prouincia, potest Rex aut Princeps Catholicus bello eos coercere; si alius coercendi modus non suppetit. Sic fecit Moyfes, quando pars populi commisit idololatriam in adoratione vituli. Nam bello eos aggressus est, & interfecit triginta tria millia hominum.

Secundò: si Rex, vel subditi vnus Regni deficiant à fide Catholica, & conentur subditos vicini Regni in eandem defectionem pertrahere: potest vicinus Rex bello se

defendere, & iniuriam sibi illatam vindicare.

Sed magis absolutè loquitur Reginaldus tom. 2. lib. 2. 1. cap. 8. num. 95. vbi docet iustam causam inferendi bellum esse hæresim: nam olim Deus *Deuteronomij* 13. filiis Israël præcepit, vt Ciuitatem, quæ in tale crimen incurrisset, bello deleret; & ita vniuersi ipsi filij Israël voluerunt bellum inferre filiis Ruben, & Gad, quòd existimassent ipsos recessisse à fide *ex cap. 2. 2. Josue*. Hanc etiam causam probant Patres relati 23. quæst. 4. cap. displicet, & multis sequentibus. Ratio verò est, quia Hæresis grauissima damna toti Reipublicæ adfert. In qua tamen re obseruandus est ordo iuris: nec enim potest hæreticis bellum inferri, nisi ab Ecclesia declarentur hæretici, *ex cap. cum secundum leges, de hæreticis in 6.* Post declarationem autem potest quiuis Princeps Catholicus suis subditis, pro iurisdictione, quam in eos habet, inferre bellum, & bona ipsorum occupare.

An aliquando sit licitum in bello obsides occidere?

R E S O L. XX.

Affirmatiuè respondet Filliucius tom. 2. tract. 29. cap. 9. num. 191. vbi sic ait. Licet in bello iusto etiam obsides occidere; si hostes fidem fregerint: ea enim conditione dantur, vt hostes fidem seruent; & aliter pax & securitas ex bello haberi non posset, nec hostes semel deuicti contineri possent in officio. Ita ille.

Sed contrariam sententiam docet Bonacina de restitut. disputat. 2. quæst. vlt. sectione 1. punct. vlt. §. 3. num. 21. vbi sic asserit. Possunt etiam occidi obsides, quibus non est data fides de salute; si comperti fuerint nocentes: si verò sint innocentes, non possunt occidi: etiam si illi, qui miserunt, non stent promissis. Hæc ille.

Cuius sententiam docet etiam Villalobos in summa tomo 2. tractat. 3. difficultate 12. numer. 16. ita asserens. [Quanto a los que estan dados en rehenes, se hà de dezir, que si los de su parte quebran las paces, aunque no los pueden matar los que los tienen en rehenes, si no tienen culpa, ora porque son inocentes y no capaces della, ora porque no fueron causa de que los suyos las quebrasen, mas con todo esto los podran detener por cautiuos.] Ita Villalobos, & ante omnes ex Victoria Ludouicus Molina de iustitia tom. 1. tract. 2. disp. 120. & Reginaldus tom. 2. lib. 2. 1. cap. 8. num. 114. Vnde non est audiendus Filliucius.

An

An liceat totam ciuitatem militibus diripiendam dare?

R E S O L. XXI.

Per se loquendo licitè aliquando id efficitur; quando scilicet, ipsa obstinatius resistendo id meruit; iudicaturque necessarium, aut valde expediens, vt milites spe prædæ eam feruentius oppugnent, ac alia vrbes deterrantur, ne tam obstinatè resistant. Est communis, & patet ex communi praxi à Principibus sine reprehensione vsurpata. Benè tamen multi notant id sæpè minùs conuenire ob multa scelera, quæ milites ea occasione communiter perpetrant: multos vt pecunias extorqueant, crudeliter torquendo, matronis ac virginibus vim inferendo, &c. Ob quæ ea concessio per accidens est illicita, quoties ad supradictos fines non est aliquo modo necessaria. Et si quando concedatur, duces tenentur huiusmodi scelera, quantum possunt, impedire, ea seuerè priùs prohibendo, ac demùm puniendo eos, qui in iis fuerint reprehensi. Et ita docet Layman lib. 2. tractat. 3. cap. 12. numer. 13. Reginaldus tom. 2. lib. 2. 1. cap. 8. num. 115. Coninch disputat. 3. 1. de bello, dub. 7. num. 127. Castrus Palaus tom. 1. tract. 6. disputat. 6. punct. 4. numer. 28. Valentia tom. 3. disp. 3. quæst. 16. punct. 3. Molina tom. 1. tract. 2. disput. 122.

Quam satisfactionem possit Princeps in bello petere?

R E S O L. XXII.

Respondet ex Syluestro Duuallius in 2. 2. Diui Thome tractat. de charitate, artic. 4. quòd potest ipse Princeps, Primò petere ea omnia, quæ ablata sunt, vel etiam vastata: Secundò omnes expensas, quas occasione iniuriæ illatæ fecit: Tertio potest aliquid exigi in pœnam iniuriæ illatæ, vt si verbis contumeliosis Principem ipsum prosciderit, hæc verba contumeliosa omninò damnet, & improbet, dicens se hac in parte malè & detractoriè loquutum esse: vel si sit aliud damnum, potest in pœnam Princeps ipse tributum aliquod exigere: postremò potest etiam petere quicquid ad pacem, & securitatem imposteriorum necesse erit: hic enim est finis belli præcipuus: bella enim suscipiuntur, vt exinde pax oriatur.

Nec etiam deseram hinc apponere verba Coninch disp. 3. 1. de bello, dub. 7. num. 209. vbi sic ait. Obrentiam victoria, ac hoste debellato, per se loquendo ea licent, quæ necessaria sunt ad plenam satisfactionem pro iniuriis ac

damnis acceptis, ac impensis factis toto belli tempore, item pro pace ac securitate in posterum stabienda. Qualia sunt priuare victos etiam innocentes suis bonis, aut etiam aliquos libertate, si non sint Christiani; quatenus hoc ad dictos fines necessarium est. Item extruere in eorum terris munitiones, ac præsidia imponere: item imperare iis tributa & similia. His adde; cum victor iam hostes sibi subiecerit, obtinere respectu illorum absolutè personam iudicis, atque posse eos secundum merita punire etiam morte. In his tamen omnibus, quantum fieri potest, oportet victorem esse memorem Christianæ clementiæ: tum in spoliatione bonorum, ac libertatis, præsertim innocentium, tum etiam in occisione nocentium. Hinc quando multi ex victis sunt meriti mortem; etsi eos sine vera iniustitia possit omnes occidere, hoc tamen communiter saperet crudelitatem, ac esset grauiter reprehensibile: nisi in particulari aliquo casu putaretur ad fines aliquos maximi momenti esse necessarium; vt si illi non possent tutò in custodia seruari, & dimissi crederentur omnia turbaturi. Aliàs aliquibus aut nocentioribus, aut forte delectis priuatis, reliquis parcendum; ita saltem vt pœna mortis in mitiorem mutetur.

Ad quem bona capta in bello pertineant?

R E S O L. XXIII.

Respondeo, si bona immobilia sunt, ad Principem pertinere in satisfactionem iniuriæ acceptæ, recompensationem expensarum & periculorum, &c. Si verò bona mobilia sunt, regulariter efficiuntur capientium: nisi consuetudo extet in contrarium in aliquo loco, vt ex hoc milites alacriùs excitentur ad bellum.

Sed difficultas est: si bona quæ ab hostibus eripiuntur, sint furto sublata; qualia sunt ea quæ Turcæ à Christianis accipiunt; & quæ in bello illicito inter Christianos aliquando prædantur: An ista restituenda sint veris dominis, vel possint Milites illa retinere.

Respondeo, quòd si bona immobilia sunt, reddenda sunt veris dominis: si verò bona capta mobilia sunt, probabile existimat retineri posse Valentia tom. 3. disputat. 3. quæst. 16. punct. 3. Couarruias in Regul. peccatum, part. 3. §. 11. num. 7.

Verùm Molina disp. 18 per totam. Coninch disp. 3. 1. de bello, dub. 7. num. 122. & alij distinguunt. Putant enim iure naturæ primis dominis esse restituenda, quia non auferunt dominium: sed iure Cæsareo, & Castellano fieri

capientium, si hostes ea deportarunt ad præfidia & loca tuta. Aduertunt tamen supra citati Doctores has leges Cæsareas & Castellæ non esse extendendas ad bona sublata ab his, qui subditi non sunt iuri Cæsareo, & Castellæ: quare si bona, quæ Hispanus vsurpat à Turcis, Turcæ accepissent à Gallis, non videtur ex vi harum legum retinere posse. Sic è contra, neque Gallus, si vsurparet bona Hispanorum à Turcis, quia Galli & Hispani non subduntur iisdem iuribus.

Sed Castrus Palaus *tom. 1. tract. 6. disput. 5. punct. 4. numer. 27.* putat in omni ferè natione ius hoc approbante consuetudine esse introductum: & ita etiam, docet Emmanuel Sà *verb. bellum, num. 26.* & ego libenter huic sententiæ adhæreo.

Puto tamen cum Hurt. de Mend. *volum. 2. disp. 169. sect. 12 §. 119.* vt bona mobilia existentia apud victos possint iustè retineri, duo necessaria esse. Alterum, vt hostis res alienas vexerit ad Castrum, aliùmve locum tutum, vbi possent ea tueri à veris dominis: alterum vt nox intercesserit inter earum rerum apprehensionem & expugnationem. Si enim hodie hostis prædam agit, eamque hodie ego ei eripio, restituenda est vero domino: si autem elapsæ sunt horæ vigintiquatuor, licet non sit in castro, aliòve loco, dum sit apud hostem in nauì, exempli gratia, aut intra bellum, tunc cedit in dominium victoris. Antiqui Romani excipiebant equos & equas frænis assuetas, mulos onerarios, & alia similia. At consuetudo obtinuit, vt hæc quoque sint victoris, cui consuetudini standum, vt ius gentium iuri: quid autem sit in more positum, meliùs nouerunt ipsi Milites.

Sed post hæc scripta inueni Duuallium in *2. 2. tractat. de charitate, quæst. 16. art. 5.* insurgere in leges supra citatas: vnde docet non posse bona capta à prædonibus, sicut & à peregrinis, atque hospitibus, esse ipsorum capientium: nunquam enim ipsa in potestatem capientium transferunt, tum ratione Prædonum, cum etiam Militum respectu ipsorum Peregrinorum: & quod spectat ad legem illam, quam adfert Couarruias, non apparet adeò iusta; cum Princeps dominium vile in bona suorum subditorum non habeat: adeò vt de iis ad arbitrium suum possit disponere. Fateor quidem militibus, & aliis, qui hæc bona à prædonibus & hostibus recuperarunt, concedendam esse compensationem pro laboribus & periculis, quæ subierunt: sed tamen ea suis dominis in Gallia, & multis aliis regionibus restituenda sunt. Accedit ius antiquum Romanorum *leg. hostes, & leg. latrones. ff. de captiuis.* quo expressè decernitur ea, quæ prædones capiebant, non cecidisse in dominium prædo-

num; ideòque à quocunque postea recuperabantur, veris dominis erant restituenda. Quòd autem iure ipso abrepta ab hostibus, non essent restituenda, siquidem cedebant ipsis capientibus: nihilominus quando bellum est iniquum, non possunt ex iustitia esse capientium; quamuis ius ipsum generaliter loquatur: neque etiam quando in bello iusto à peregrinis, & hospitibus capta sunt. Et hæc opinio videtur mihi multò tutior & iustior. Hucusque Duuallius: sed sententia Couarruias, & aliorum est probabilis, & secuta in praxi.

Verùm nota eiusmodi priuilegium solùm concedi militibus ea bona hosti eripientibus: quare si qui ea alia ratione, verbi gratia, emptione, aut donatione ab hostibus accipiant, tenentur ea prioribus dominis restituere. Non nego tamen quando eiusmodi bona ab hostibus ita capta sunt, vt nulla sit spes priorem dominum ea posse recuperare, quemuis ex præsumpta eius voluntate licet ea vili pretio (provt communiter præda à militibus venditur) emere, ea intentione, vt domino comparenti, ipsaque repenti ea restituat recepto pretio, quod pro iis dedit; quòd, cum huius, (qui aliter rem suam nunquam fuisset recuperaturus) negotium vtiliter gesserit, & quidem ex voluntate eius prudenter præsumpta, ab eo meritò repetit. Quòd notandum est pro Catholicis Hollandis, qui aliquando ex præda Indica aliqua à nautis emunt. Et hæc omnia docet Coninch *disp. 31. de bello, dub. 7. numer. 116.*

An detur bellum ex vtraque parte iustum?

RESOL. XXIV.

Affirmatiuè videtur respondendum: quia sæpè oppugnans & oppugnatus non peccant belligerando; eò quòd vterque probabiliter credit sibi Regnum pertinere: ergo ex parte vtriusque est iustus titulus. Secundò, oppugnans Ciuitatem potest interficere innocentes, si alia via non potest illam subiicere: at innocentes possunt se ab oppugnatione defendere. Item condemnatus ad mortem ob delictum falsò probatum, potest resistere exequutioni sententiæ: Ergo, &c. Item captiuus ius habet fugiendi, & dominus ius detinendi. Et eadem est ratio de reo in carcerem detruso, qui ius habet fugiendi; cum tamen iudex habeat ius illum detinendi, & puniendi, si fugerit. Datur ergo titulus bellandi iustus ex vtraque parte, iustumque bellum etiam nulla intercedente ignorantia. Et ita hanc sententiam tenet Alciatus in Paradoxo

doxis lib. 2. cap. vlt. sequutus Fulgosium in leg. ex hoc iure. ff. de inst. & iur.

Sed contrariam sententiam & meritò docet Valentia *tom. 3. disputat. 3. quæst. 16. punct. 2.* Becanus in *2. 2. cap. 25. quæst. 7.* Lorca in *2. 2. disputatione 53. numer. 15.* Reginaldus *tom. 2. lib. 2. 1. cap. 8. num. 98.* & Villalobos in *summa tom. 2. tractat. 5. difficult. 5. num. 1.* vbi sic ait. [No se puede dar guerra justa por ambas partes, que sea material y formalmente justa; aunque bien podria ser formalmente justa por ambas partes: por auer ignorancia de parte de la vna. La primera parte d'esta resolucion es clara: porque los enemigos son contrarios, y es necessario que tengan contrarios derechos, y assi de fuerça sera el vno justo, y el otro injusto. La segunda parte tambien es cierta; porque aunque el derecho de vno sea justo, puede el otro ignorar con ignorancia inuincible essa injusticia, y pensar que tiene derecho justo: y aun creo, que a conteçe esso muchas vezes; porque los Letrados se inclinan mucho al gusto de los Reyes, por lo qual con ignorancia tienen por justo lo que no lo es.] Ita ille, & alij communiter.

Dicendum est igitur aliquando bellantes non peccare, quia ex ignorantia inuincibili procedunt: non tamen sequitur ex hoc ex vtraque parte dari iustum bellum; sed ex vna parte dari, & in alia præsumi: & ratione talis præsumptionis potest ille actus ad virtutem iustitiæ pertinere.

Nota tamen quod supradicta ignorantia faciliùs habet locum in subditis & militibus, qui causam belli tanto examine discutere non tenentur.

An Milites teneantur cum vita periculo non deserere arces & stationem: & an possint relinquere Castra?

RESOL. XXV.

AD primum respondeo affirmatiuè. Tenentur enim defendere arces, & locum sibi demandatum: aliàs obligantur omnia damna inde prouenientia reparare; & capitis poena plectuntur, *ex leg. 3. ff. ad legem Iuliam.* Sed hoc limitatur, si fortè nulla esset spes præualendi: nam in tali casu non tenentur mortem expectare, quia esset frustranea & inutilis talis expectatio. Et ita docet Becanus in *2. 2. cap. 25. quæst. 15. num. 1.* Castrus Palaus *tom. 1. tract. 6. disp. 5. punct. 5. num. 4.* Coninch *disp. 31. de bello, dub. 7. num. 97.* & alij.

Quoad secundum respondeo cum Molina *tom. 1. tract. 2. disp. 116.* quòd milès relinquere non potest Castra sine Ducis, aut Principis

facultate: idque eò magis, quò plus imminet prælium, plùsque eo indiget Dux aut Princeps. Præsertim cum si multi Castra deserant, Respublica & exercitus periclitentur; victoria anceps futura sit, aut nulla, sumptusque ingentes belli inanes reddantur: quæ omnia attendere debent Confessarij Militum. Cum verò tot & tam ingentia mala ex desertione Castrorum sine Ducis, aut Principis facultate eueniant, mirandum non est, si eiusmodi culpa capitis poena, vel additione ad triremes interdum plectatur. *cap. infames 6. q. 1.* eiusmodi homines inter infames reputantur: & *l. omne. §. qui in facie. ff. de re militari*, capite plectebantur si in conspectu aliorum militum castra deferebant. Vtrumque affirmat G'oss. *de ius militare, dist. 1. verb. deferatur.* Neque cum dispendio Reipublicæ & Principis expedit, vt Duces faciles sint in concedenda facultate discedendi, præsertim quando Milites valde necessarii sunt. Memores namque esse debent, quot sumptus cum illis fecerit Princeps in ipsis perducendis; & quanta cum populorum vexatione in itinere, & dum vocabantur, fuerint hospitio excepti: neque expedire; vt iterum alij similes sumptus fiant, & alia vexatio detur in eisdem, aut aliis perducendis.

Ex alia tamen parte, quando Respublica non multum eorum indiget ministerio, vel vrgens causa se offert; esse non debent admodum difficiles ad concedendum redeundi facultatem: ne difficultas eam obtinendi occasio sit, ne milites ad bellum velint accedere. Iam verò quòd Princeps milites dimittat, quando eis non indiget, vt quando sibi placet, integrum militibus non facit, vt discedant quando voluerint. Quoniam ea lege, eòve tacito pacto ad bellum conducuntur, vt integrum Principi sit illos relinquere, quando eis non indigerit: ipsis verò licitum non sit recedere absque Principis facultate. Ex damno verò & periculo, quòd spectatis circumstantiis imminet, ex eo, quòd Milites absque facultate castra deserant, & ex poena statuta, ac rigore, quo exequutioni mandatur, iudicandum est, an in desertione Castrorum absque Ducis aut Principis facultate lethale crimen admittatur. Vide *cap. infames 6. quæst. 1. & l. omne. ff. de re militari.*

In quo peccent Milites erga eos, apud quos commorantur?

RESOL. XXVI.

Respondeo grauiter peccare milites, & cum onere restituendi.

Primò, qui aliquid rusticis, aliisve, apud quos hospitantur, aut per quos transeunt,

subripiunt; aut ab inuitis extorquent præter ea, quæ ex constitutione Principis debent eis subministrari, quæ seruitia vocare solent, vt sunt lumen, ignis, lectus, paleæ. Nec excusantur; si rustici petentibus, aut quandoque etiam vltro iis offerant pecuniam, aut similia: quia donationes illæ communiter non sunt spontaneæ, sed coactæ; metu maioris mali: atque ita peccant accipientes, nisi constet eas omninò liberè fieri.

Secundò: quando astu aut fauore ab iis, qui ipsis hospitia debent præscribere, obtinent plures schedulas, quibus iis diuersæ domus pro hospitio assignant; & deinde ab aliis quibus pecunias accipiunt, vt apud eos non hospitentur: quæ ratione multi iniuste grauantur.

Ex priore dicto excipe casum, quo milites ob defectum solutionis sunt in extrema, aut graui necessitate; ita vt se sustentare nequeant: nisi à suis hospitibus sibi necessaria extorqueant; tunc enim id licitè faciunt. Quæ hic maximè locum habent, cum aliis milites necessariò deberent aut perire, aut castra deferere: quod fieret cum maximo totius communitatis, atque adeò eorum, à quibus dicta accipiunt, damno. Cum igitur eorum vita ac opera sint his necessaria, meritò coguntur eos sustentare.

Duo tamen hic obseruanda sunt. Primum, vt Milites nihil ab iis extorqueant, quod iis non sit necessarium ad suam sustentationem. Secundum, vt Princeps, aut reliqua pars Reipublicæ compenset ea grauamina illis hospitibus, quatenus ipsi præ reliquis fuerunt grauari: nam cum militum sustentatio cedat in bonum totius patriæ, communibus sumptibus fieri debet, nec vna pars præ alia debet grauari: præsertim ita notabiliter. Et hæc omnia docet Coninch *disp. 3. de bello disp. 7. num. 98. & 99.* Palæus *tom. 1. tract. 6. disput. 5. punct. 6. num. 4.* Becanus *in 2. 2. cap. 25. quest. 15. num. 1.* Molina *tom. 1. tract. 2. disput. 116.* Villalobos *in summa tom. 2. tract. 5. difficult. 11. numer. 8. & 9. & alij.*

Non desinam etiam hic obiter adnotare cum Hurtad. de Mend. *volum. 2. disputatio- ne 169. sect. 13. §. 30.* quòd quando Capitaneus generalis interdicit militi spolia: quia non vult hostem tam acerbè plectere, nec relinquere in egestate; tunc miles tenetur hosti restituere, quæ contra Capitanei legem auexit. Quia pœna non potest infligi, nisi per iudicis sententiam: miles autem non est iudex; id enim spectat ad caput exercitus: si verò Dux interdicit spolia non ob commiserationem in hostem; sed ne miles spoliis onustus retardetur ab assequenda victoria, & hostes insequendo; tunc

non peccatur contra iustitiam, sed contra obedientiam.

Et tandem non desinam hic apponere etiam verba Layman, qui supradicta confirmat, & alia etiam addit; asserit igitur, quòd milites obligantur sub mortali. Primò, vt Duci ac Præsidi militiæ obtemperent, in acie & pugna consistent, & non facilè fugiant, aliisque timorem iniiciant, *iuxta leg. omne delictum. ff. de re milit.* Secundò, vt stationem seruent, arcem sibi commissam defendant, etiam cum vitæ periculo, quandiu spes defendendi superest, alioquin capite plectuntur, *iuxta leg. 2. ff. ad legem Iuliam Maiestatis.* Tertio, vt sine Ducis sui consensu à Castris vel exercitu non discedant: quandoquidem tali pacto à belli Duce milites conducti censentur; vt illi liberum sit, eos cum voluerit, perfoluto stipendio dimittere: iis verò liberum non sit, cum voluerint, discedere. Quæ in re aduertere etiam debet miles quatum damnum ex discessione, aut fuga sua sequatur; seu quòd alius miles non nisi longo tempore, inagnisque expensis adduci possit: seu quòd periculum sit, ne paucorum exemplum plures alij sequuti castra, vel etiam aciem aduersus impetus hostiles non satis instructam deserant: vt meritò eiusmodi delicto capitis supplicium decretum sit *in l. omne. §. qui in facie. ff. de re militari, & l. 3. ff. ad legem Iuliam Maiestatis.* Quarto Milites suis stipendiis contenti esse debent, vt sanctus Ioannes Baptista illis præcepit *Luca 3.* ideòque homines innocentes, per quorum terras non hostiles transeunt, vel apud quos hospitantur, insolitis atque indebitis exactionibus non grauari.

Sed et si Milites in solutione stipendij iniustam imminutionem, aut dilationem patiantur: non idè ipsi licitum est subditos, aut accolos innocentes spoliare; quia bona aliena non sunt oppignerata militibus pro stipendio, ait Caietanus *verb. bellum, prope finem.* Neque dissimulatio vel auctoritas Ducis sui ipsos excusat: nisi id fiat in pœnam iuste infligendam nocentibus, aut membris Reipublicæ nocentis. Alioquin verò Princeps stipendia militibus dare debet ex prouentibus totius Prouinciæ, aut Regni secundum proportionem facultatum singulorum; & non particulares personas, puta agricolas, &c. præ aliis grauare.

Excipitur tamen primò: si consuetudo loci obtineat, vt hospites militibus habitationem, ligna, paleas & similia gratis dent: tunc enim per accidens, & quasi fortuitò accidit, vt vna pars Prouinciæ plus quam altera oneretur. Excipitur secundò: si grauissima necessitas cogat milites ad spoliandum innocentes: quo tamen casu belli Princeps in conscientia obligatus

gatus erit ad damnum, quatenus moraliter potest, resarciendum; si iniusta stipendiorum detentio causa eius extitit: sin verò sine culpa extitit, non ampliùs obligatur, quam inde locupletior redditus est. Et hæc omnia docet Layman *lib. 2. tract. 3. cap. 12. num. 18.*

De peccatis Ducum in exercitu regendo.

RESOL. XXVII.

Necessaria sunt hæc pro praxi: & idè respondeo. Quòd Duces & Ministri Principum peccant grauissimè, si plures Milites repræsentent, quam secum habent, vt sic plura stipendia accipiant, & sibi retineant. Nam præterquam quòd ea à Principe iniuste surripiunt, grauissimorum damnorum sunt causa. Nam Princeps credens tot milites adesse, non procurat alios milites submittere ad Castrum defendendum, inimicosque oppugnandos, qui necessarij erant, eaque de causa non solum non reportat victoriam, quam verè reportaret: sed sæpè castrum ab inimicis occupatur, vel milites grauius caduntur; & Respublica, Religioque Christiana in maximo periculo constituitur, eiusque hostes exardescunt, & insolentiores fiunt: prohdolor! Tenentur ergo Duces hoc crimen committentes hæc omnia reparare: sic Molina *disput. 116. vers. solet.* Coninch *disput. 31. dub. 7. numer. 100.* Bonacina *disput. 2. de restitut. quest. vlt. sect. 1. punct. 12. §. 3. num. 17.* Secundò peccant Duces & Ministri Principis, si ob negligentiam, vel ob furtum necessaria ad bellum parantes, parent cibum & potum, aliisque huiusmodi corrupta, ex qua mors militibus prouenit, aliæque damna enumerata sequantur. Et idem est, si ob eandem causam simulent se præparasse ea, quæ ad bellum sunt necessaria ex voluntate Principis; cum tamen in minori quantitate præparata sint; aut si præparent ea, quæ victoriæ consequendæ necessaria, sunt dolosa & falsa. Molina *dicta disputat. 116. vers. non dissimile.* Bonacina, *vbi supra.* Tertio peccant Duces transeuntes cum suo exercitu tenentes loca vicina suspensa; neque manifestantes quòd sint diuersuri; vt sic accedat & offerat vnusquisque locus magnam quantitatem, ne illuc exercitus transeat: quia hac via regnum grauatur iniuste, tum grauando populum, apud quem diuertit exercitus, tum accipiendo ab aliis illam summam. Et licet Ducibus concessa sit electio vnus populi pro alio, quando onus non potest æqualiter in omnes diuidi: non tamen est illis concessum, neque concedi potuit, vt hanc electionem vanalem faciant, & sibi pretium retineant.

Expediebat namque potius si vnus Populus grauabatur hospitando exercitum, vt reliqui ad eius leuamen concurrerent, media aliqua contributione. Molina *disp. 116. vers. molestum.* Coninch *disput. 31. dub. 7. num. 100.* Bonacina *dicta disp. 2. de restitut. quest. vlt. sect. 1. punct. 12. num. 27.* Quarto peccant Duces signantes suos famulos in milites, & centuriones, vt stipendium à Principe signatum imminuant, & sibi illam partem referuent nisi constet ipsos gratis Ducibus donare: quòd rarò est credendum. Bonacina *suprà.*

Vide etiam quoad supradicta præter Doctores citatos Villalobos *in summa tom. 2. tractat. 5. difficult. 11. num. 5. 6. & 7.* Becanus *in 2. 2. cap. 25. quest. 15. numer. 2.* & Layman *lib. 2. tract. 3. cap. 12. numer. 18.* vbi docet Duces conducentes exercitum peccare. Primò: si milites suos absque necessitate, causa temerè exponant certæ internecioni. Secundò: si nulla cogente necessitate in locis palustribus & valde insalubribus castra figant cum periculo morbi seu contagionis. Tertio: si in solutione stipendiorum iniustis & vsurariis cambiis, seu permutationibus pecuniarum vtantur. Quarto, si pecunias accipientes pro maiore militum numero, non compleant cum ingenti interdum Reipublicæ damno. Quintò: si dimissis veteranis & exercitatis militibus, in eorum locum novos inexpertos minore stipendio substituant. Sextò: si stipendium Militibus subtrahentes permittant eos à rusticis & aliis innocentibus extorquere, quæ sibi necessaria sunt. Septimò: si dum per Prouincias exercitum ducunt, à pagis & ciuitatibus pecuniam accipiant ad redimendam vexationem: vt videlicet exercitus non ad ipsos, qui pecunias obrulerunt, sed ad alios adducatur.

Sed non desinam hic apponere dubium, quod monet Duuallius *in 2. 2. Diut Thomæ tract. de charitate, quest. 16. art. 4.* vbi sic ait. Quæres an ipsi Præfecti Arcium possint pauciores Milites in arce ponere quam à Principe constitutum fuerit: verbi gratia Rex præscripsit pro arce aliqua custodienda centum Milites: Præfectus imminuet hunc numerum, & ad quinquaginta reducet; vt sic stipendia reliquorum sibi attribuat. Idemque quæritur de Ducibus & Capitaneis, qui cum in suis Centuriis tot milites conscriptos habere debeant, pauciores tamen retinent, vt stipendium aliorum ad suos vsus conuertant. Respondeo primò, duplex esse tempus distinguendum: vnum quando hostes sunt proximi; necnon bellum, seu potius conflictus maximè vrget: & tunc grauissimè peccant ipsi Duces, posuntque puniri capitaliter, si numerus Militum à Rege assignatus non sit completus: defectu enim

vnus aut alterius militis victoriæ nonnunquam deperduntur, & castra, seu arces inuaduntur. Aliud verò tempus est pacis & tranquillitatis; & tunc crederem posse habere pauciores milites, quàm Rex edixerit: eò quòd tunc nullum periculum Arci, aut exercitui imminet; & probabile est, Regem, eò quòd istud satis sit consuetum inter nobiles, tacite in id consentire: ex quo sequitur similiter non teneri ad restitutionem stipendiorum, quæ in proprios & priuatos vsus, propter paruum illum militum numerum conuerterunt: Rex enim in istud tacite consentit, videt quippe, hoc, cum ordinarium sit, & tacet: ideòque annuit. Hucusque Duuallius. Sed tu cogita: nam puto Reges hoc nescire; neque tacite consentire.

De peccatis aliorum Officialium in exercitu commorantium.

R E S O L. XXVIII.

Peccant etiam, ait Becanus in 2. 2. *Diui Thomæ* c. 2 §. 9. 15. n. 3. alij officiales in exercitu. Primò, quando qui ex officio debent victualia ad exercitum comportare, non diligenter id faciunt, sed per auaritiam, aut negligentiam dant militibus corruptum cibum, aut potum, ex quo morbi oriuntur. Secundò, quando lucri causa pulueri tormentario admiscunt aliquid extraneum, vt non sit aptus ad victoriam comparandam. Tertiò, quando plus pecuniæ exigunt à militibus pro cibo, potu, vestibus, armis, & aliis necessariis, quàm præscriptum est. Quartò, quando in designandis hospitibus, alicui militi dant tria, aut quatuor chirographa ad tres vel quatuor distinctas domos, vt in vnaquaque hospitio recipiatur: tunc enim in vna habet hospitium, ab aliis autem accipit pecuniam pro subleuato onere.

Vide etiam Layman *lib. 2. tractat. 3. cap. 12. numer. 18.* Molinam *tom. 1. tract. 2. disput. 116.* qui asserit ad hæc debere multum attendere horum officialium Confessarios.

De peccatis Regum & Principum, etiam si bellum iustum exerceant, in ordine ad Milites.

R E S O L. XXIX.

Respondeo cum Coninch. *disp. 31. de bello, dub. 7. numer. 94.* & Castro Palao *tom. 1. tract. 6. disput. 5. punct. 5. numer. 2.* Reges ex iustitia teneri militi promissa stipendia persolvere, idque statutis temporibus, quantum fieri potest. Ex quo sequitur Principem, qui sua culpa

stato tempore non soluit militi stipendium, teneri resarcire omnia damna, quæ inde fuerint sequuta. Primò, ipsi militi, si oppressus inedia, sua vili pretio debuerit vendere: aut si grauem morbum ideo incurrerit, & multa fuerit coactus expendere in Medicos contrahendo debita, aut membrum aliquod amiserit, aliave ratione inutilis ad aliquid lucrandum factus fuerit. Secundò, aliis suis subditis, aut etiam extraneis non hostibus, quos milites coacti inopia spoliarunt; quia ipse huic damno causam dedit, militem ad id inferendum per subtractionem stipendij compellendo; præsertim cum ipse ex officio teneatur, quantum potest, talia impedire. Tertiò, ipsi Reipublicæ similiter, si ob defectum solutionis rebellauerint, aut suo officio fungi non potuerint; atque ea ratione aut victoria fuerit amissa, aut bellum diutius cum maioribus Reipublicæ impensis, aut incommodo protrahendum; aut si clades, aliave incommoda accepta fuerint. Quia Princeps tunc horum omnium sua culpa est causa; non secus ac Oconomus, qui statam mercedem sua culpa non soluit conductis operis, ideòque hæc desinunt Terras Domini colere, & consequenter hic earum fructu priuatur.

Sed circa præsentem quæstionem non deseram apponere verba Pauli Layman *lib. 2. tract. 3. cap. 12. numer. 18.* vbi sic ait. Considerandum est, vtrum Princeps vltro ad bellum iustum gerendum accedat, v. g. occupandæ Ciuitatis, aut Prouinciæ causa, quæ ipsi iure debita denegatur, tunc persuadere sibi debet, quòd bello rectè sustinendo idoneus futurus sit, videlicet diuitiis tam potens, vt militibus quandiu bellum geritur, stipendia soluere, & tam potens auctoritate, vt eosdem per subordinatos Duces in officio continere possit: alioquin bellum plerumque intermittere debet. An verò necessitate coactus ad bellum præsertim defensuum, v. g. contra incursum infidelium aut hæreticorum aggrediatur: tunc interdum accidere potest, vt sine culpa Ducis, aut Principis diuturnum bellum gerentis, stipendia militibus tardius, aut tenuius proueniant, quàm ipsi mereantur; quo necessitatis casu (si sumptus quamuis omni possibili studio quæsi & collecti non sufficiant) partim ipsos milites, partim verò incolas boni publici causa, aliqua incommoda tolerare necesse est. Contingere etiam potest, vt etsi maximè belli Dux supremus disciplinam militarem seruare cupiat, non tamen possit: quia milites, eorumque Capitanei secessionem ad aduersarios aperte cogitant, si cum supplicij seueritate à prædis omnino arceantur: quo casu interdum minora eiusmodi mala permitti, & ab incolis æquanimitè perferri debent, vt grauiora

uiora videntur incommoda; modò talia pericula reuera subsint, & non vana excusatione prætendantur.

Accedit, quòd ad stipendij solutionem attinget, etiam consuetudinem spectandam esse. Nam in quibusdam Regionibus mos est, vt milites in partem stipendij sui pannum accipere cogantur, eo pretio auctiore, quo Mercatores scenatores Principi vendiderunt. Plerisque verò locis consuetum est, vt etiam vel quatuor plerumque mensium stipendia militibus seruentur, fortasse ob eam causam: vt dum hanc debitam sibi pecuniam apud Ducem quasi depositam habent, à fuga & secessione retrahantur: quòd si autem ex Militibus aliqui moriantur, hæredibus eorum nihil soluitur. Sin autem dimissio militum fiat, aliquid debiti ipsis stipendij detrahitur, tanquam in pœnam, quia multas contra Ducis voluntatem rapinas abegerint; esto multi eorum hac in re innocentes sint. Hæc & similia interdum probabiliter excusantur; vt saltem à Confessariis tanquam manifestò iniusta damnari non possint, partim ob necessitatis rationem, quia pecuniæ non sufficiunt ad bellum necessarium gerendum, vel continuandum: quare priuata Militum iactura posthabetur bono publico: partim quia Milites, dum militiæ nomen dant, scientes huiusmodi consuetudinem, spontè in eam consentire videntur.

An qui bellum iniustum bona fide gessit, cognita iniustitia belli teneatur resarcire omnia damna quæ intulit?

R E S O L. XXX.

Respondet & benè Lorca in 2. 2. *D. Thomæ, sect. 3. disp. 55. numer. 4.* quòd qui hoc modo ignoranter damnum iniustum bellando intulit, teneretur ad restitutionem eorum dumtaxat, quæ aduersariorum erant, & apud ipsum in specie permanent, vel in virtute, quia ex eis ditior factus est. A cæterorum verò restitutione excusatur; quia bona fide, & ignorantia inuincibili liberatur ab obligatione restitutionis, quæ oritur ex iniusta acceptione vel læsione: & solum teneretur obligatione, quæ oritur ex re accepta; quæ solum vrget, quando res permanet in se aut in virtute.

An gregarij Milites iniuste inuadentes & depradantes aliquam urbem, teneantur restituere in integrum?

R E S O L. XXXI.

Magna est hæc difficultas. Vtùm omnes, qui ad bellum iniustum concurrunt,

teneantur in solidum ad restitutionem nocumentorum omnium, quæ illata sunt: an solum ad specialia nocumenta, quæ quisque intulit. Respondetur dubitari non posse, Auctores belli, nempe Principem & Consiliarios teneri integrè restituere, & quemlibet illorum altero omittente. Sic etiam speciales Duces, ac Tribuni, quoad ea damna, quæ sui milites eis iubentibus inferunt. Præterea, quando in discurfu belli plures sociantur, & se adiuuant, vt aliquam prædam capiant, vel aliquod damnus inferant: certum est, quemlibet teneri in solidum, quia quilibet est quasi causa totalis. Sed probabilius est, singulos milites, qui ad bellum concurrunt, etiam si simul cum aliis in conflictibus pugnent, non esse obnoxios restitutioni omnium; sed eorum tantum, quæ ipsi auferunt, vel inferunt; quoniam iste concursus non est sufficiens, vt singuli censentur causa omnium, quæ in bello fiunt. Et ita docet ex Syluestro, Gabriele, & Nauarra Petrus Lorca in 2. 2. *Diui Thomæ sect. 3. disput. 53. numer. 5.*

Sed contrariam sententiam tenet Caietanus in 2. 2. *quest. 62. art. 7.* & alij: quia ex dictis Militibus vnus sine alio non auderet, verbigratia, urbem inuadere, nec posset inferre damnus: atque ita in tali casu quilibet iuuat alterum, & facit alterum fortiorum; & sic quilibet videretur de omni damno teneri.

Verùm ego sententiam Petri Lorca probabilè esse puto, quam etiam tuetur Nauarrus in *Manuali cap. 17. numer. 21.* & Paludanus in 4. *distinctione 15. quest. 2. art. 5.* cum aliis, quos ego ipse citavi in 3. *part. tractat. 5. resol. 86.*

Non desinam tamen hinc adnotare nouissimè Ioannem VViggers *de iust. de iure, tract. 3. cap. 2. dub. 5. numer. 40.* has pugnantis sententias fœdere distinctionis conciliare: sic enim asserit. Cæterum videntur mihi istæ sententiæ posse conciliari, & ambæ benè explicatæ habere veritatem: quod fieri poterit hoc modo, dicendo scilicet, quòd Authores sententiæ posterioris loquantur in casu, quo Milites tantum iussu Superioris inuadunt urbem aut Castrum, ipsis inter se non communicantibus de inuadendo & spoliando urbem: sed iam loco superato & obtento incipiant pro sua particulari voluntate prædas agere absque omni respectu vnus ad alterum; neque enim solet tunc vnus ab altero in præda capienda dependere, aut iuari: & tunc videretur verum quòd non singuli teneantur in solidum de tota præda; quòdque isti sic intellexerint suam doctrinam, satis ex adiunctis percipitur. Prioris verò sententiæ Authores dicuntur loqui in casu, quando omnes communi consilio, aut

mutua

mutua exhortatione, & veluti vna manus inuadunt locum, aut domum ad depradandum: prout sæpè contingit, quòd aliqua pars exercitus rali modo diripiat minora oppidula, aut aliqua loca minùs firma, vel etiam exercitus sese ad prædam animans, & sine iussu superioris oppugnans ciuitatem & diripiens: & in eiusmodi casu veritatem obtinet, sicuti omnino apparet, quòd singuli in solidum teneantur de toto damno: quem sensum etiam satis præferunt verba horum Doctorum. Hucusque VViggers.

Sed hic obiter quærendum est magis generaliter; quid debeant facere milites, qui ignoranter pugnarunt in causa belli iniusti. Respondendum est: quandiu ignorant iniustitiam causæ, nihil debere facere, si probabilis sit eorum ignorantia, seu quæ adhibita morali diligentia vinci non potuerit; præsertim si sint sequuti Principem, cuius sunt subditi. Itaque non tenentur restituere ea, quæ ex hostium spoliis consumpserunt bona fide, neque rescire damna quæ intulerunt. Vbi autem scierint bellum esse iniustum, debent ab eo desistere, ac restituere ea, quæ ex hostium spoliis apud se adhuc habeant, eaque in quibus facti sunt locupletiores. Qui autem subditi non sunt dubitantes de belli iniustitia; si postea constar bellum iustum esse, ad nullam restitutionem tenentur, cum nec Princeps, quem iuuerunt, ad illam tunc teneatur. Sin constet de iniustitia, vel de ea dubitetur, iidem tenentur restituere, Principe, qui est causa præcipua damni illati, non restituente. Et ita docet Reginaldus tom. 2. lib. 21. cap. 8. num. 104.

Quo tempore licitum sit bellare?

R E S O L. XXXII.

Respondeo: Ab Aduentu vsque ad Octauam Paschæ prohibuit bellare Alexander III. in cap. *Tregua, de treg. & pace*, sub grauibus pœnis, & comminatione excommunicationis: sed hoc præceptum receptum non fuit, vt ibi notat Glossa, & tradit Valentia tom. 3. disp. 3. quæst. 16. punct. 5. Suarez disp. 13. de bello, sect. 7. num. 24. & alij.

Verùm difficultas est de diebus festis. Et quidem seclusa necessitate & vtilitate in illis pugnari non posse, docet Castrus Palauus tom. 1. tractat. 6. disputat. 5. punct. 6. num. 12. quia est opus seruile: & D. Thomas in 2. 2. quæst. 40. art. 4. docet licitum esse bellare diebus festis, si id necessitas poscat; secùs si non poscat. Et Caietanus in Commentario sub nomine necessitatis, intelligit etiam vtilitatem.

Sed ego certum puto, quando in die festo non negligitur Missa, tunc non est peccatum

mortale bellum offensiuum exercere. Ratio est, quia in die festo solùm prohibentur opera seruilia, id est, quæ seruorum propria sunt: at bellare non est opus seruile; quia non minùs pertinet ad Dominos ac Principes, quàm ad seruos. An saltem sit veniale, affirmat Bannez, quia bellum affert magnas distractiones, quæ impediunt pietatem ac deuotionem, cui diebus festis vacandum est. Molina putat non semper esse veniale: quia sæpè fit, vt milites, quando pugnant, potiùs abstrahantur à peccatis, quàm à pietate. Nam extra pugnam, quando in otio viuunt, multas habent peccandi occasiones, quas non habent in ipsa pugna actuali. Tunc potiùs solliciti sunt de pia morte, & dolore peccatorum, quàm de nouis peccatis perpetrandis, vel etiam excogitandis.

Verùm contrariam sententiam tenet Lorca in 2. 2. quæst. 40. art. 4. vbi sic ait. Non solùm propter necessitatem vrgentem, & vtilitatem; sed absque vtraque, & etiam si bellum sit iniustum, non existimo esse peccatum præliari in die festo, dummodo Missa non prætermittatur. Circumstantia enim diei festi non vitiat bellum iustum, aut auget malitiam belli iniusti, quoniam præliari non est opus seruile. Non esse autem seruile, declaratur exemplo: nam agere ludos bellicos, vt hastiludia in die festo, exultationis aut exercitationis gratia, censetur licitum, & non computatur inter opera seruilia: & rixari priuatim in die festo, etiam vsque ad occisionem hominis, non existimatur opus seruile, nec contra festiuitatis obseruantiam: ergo nec publicum bellum. Quid enim interest? Itaque nulla est circumstantia temporis ad bellandum obseruanda. Quod planè definiisse videtur Nicolaus in cap. *si nulla, allegato*. Si nulla vrget, inquit, necessitas, non solùm in quadragesimali tempore, sed omni est à prælio abstinendum. Sin autem ineuitabilis vrget necessitas & importunitas, nec quadragesimali tempore est bellorum præparationi parcendum: ac si dicat. Solùm considerandum est, an bellum sit iustum, & necessarium: de tempore autem nulla est habenda ratio.

Et hanc sententiam præter Lorcam docet etiam nouissimè Hurt. de Mend. volum. 2. disput. 169. sect. 15. §. 150. Coninch. disput. 31. de bello, dub. 7. numer. 123. Molina tom. 1. tract. 2. disput. 111. Reginaldus tom. 2. lib. 21. cap. 8. num. 99. quibus ego adhæreo.

Quæres. An in die festo, quando prælium est in procinctu, ad Missam audiendam Milites teneantur? Caietanus & Lorca Cisterciensis asserunt, Missam non esse prætermittendam absque grauiissima necessitate: sed tamen satius responderetur, si auditio illa Missæ præparationi ad prælium non noceat, consultissimum,

mum, immò necessarium est eam audire; in hoc enim casu præceptum Ecclesiæ obligat: sed si tantisper hæc auditio impediatur, aut milites, ne se, vt par est, ad pugnandum accingant; aut Sacerdotes, ne vacent tunc confessionibus ipsorum Militum audiendis: quod opus præstat auditioni Missæ, non est dubium, quin ab eius auditione meritò excusentur. Et ita tenet Duuallius in 2. 2. *Diui Thomæ tract. de charitate, quæst. 16. art. vltim.*

An liceat Episcopis esse Duces supremos in aliquo exercitu terrestri vel maritimo?

R E S O L. XXXIII.

Negatiuè respondeo: quia Clericis prohibitum est militare, sunt enim dicati Deo seruire, à qua professione malitia multum reuocat. Item Clerici sunt Christi Ministri, ipsùmque repræsentant, qui proprium sanguinem pro aliorum salute effudit; ergo non eis licebit alienum effundere.

Est tamen controuersia: an solo iure posituo, vel etiam naturali interdicta sit Clericis militia. Non desunt ex recentioribus nonnulli asserentes prohibitam esse iure naturali: quia rationes, quas suprà adduximus, non esse licitam malitiam Clericis procedunt ex propria conditione status, atque ad eò ex ipsa natura rei. Deinde D. Paulus 2. ad *Timotheum* 2. dixit. *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus*. Ex quibus verbis meritò Gregorius Nazianzenus *orat. 2. de pace*, asseruit arma prohibita esse Clericis, quod idem etiam docuit Bernardus *lib. 4. de consideratione ad Eugenium Papam*, explanans illa verba D. Matthæi cap. 26. *Mitte gladium tuum in vaginam*.

Verùm his non obstantibus, licet negari non possit militiam suapte natura indecentem esse Clericis, qui altari & Deo ministrant; & aliquale impedimentum, quominus munus suum perfectiùs obire possint; & hoc ostendunt rationes & auctoritates adductæ. Tamen dicendum est, quòd non ita vrgent sola natura rei, & conditione muneris clericalis pensata; vt obligationem & necessitatem inducere videantur secluso iure posituo.

Igitur ex vi solius legis naturalis, & diuinæ conuenientius est, & rationi magis consentaneum vt Clerici militiæ non assistant: non tamen est omnino prohibitum, & peccatum; aliter in hoc dispensatio Pontificis non valeret: nam talis dispensatio aduersaretur legi naturali.

Dicendum est ergo solo iure posituo &

Ecclesiastico militiam Clericis interdictam esse, vt constat ex cap. *Clericum, cap. de his Clericis, cap. eos qui 20. quæst. 3. cap. Clerici, cap. quicumque Clericus, cap. quicumque ex Clericis, cap. ex multa, de voto, & alijs iuribus*. Quam quidem prohibitionem grauem esse, & ad culpam mortalem obligare satis indicant grauiissima pœnæ Clericis pugnantibus impositæ: priuantur namque vsu suorum Ordinum, recluduntur in Monasterio, & si in bello moriantur, pro illis non offertur sacrificium & oblatio, vt constat ex allatis iuribus.

Vbi tamen graues causæ id exigunt, & quoties Clericis licet, non peccant, si tunc exercitus ducant Episcopi.

An Clerici constituti in Minoribus, vel Beneficiati licitè possint pugnare?

R E S O L. XXXIV.

Circa præsentem quæstionem Molina *tractat. 2. de iustitia disput. 108.* sub finem docet. Primò verendum esse, ne huiusmodi Clerici, si actu habeant beneficium Ecclesiasticum dicta faciendo mortaliter peccent: quia reddunt se ad officium, ad quod obligantur in idoneos. Vbi non dicit absolutè eos peccare mortaliter, sed solùm insinuat id esse probabile. Secundò Clericos non habentes beneficium, gaudentes tamen priuilegio Clericali, vt si gestent Clericalem habitum, & aut ministerio Ecclesiastico deputati sint, aut in ordine ad illud de Episcopi licentia studeant, docet facientes peccare venialiter; quia faciunt aliquid suum statum dedecens, idemque insinuat de Religiosis non constitutis in sacris: quamuis putet hos grauiùs peccare, quàm illos, venialiter tamen. Tertio docet alios Clericos sæculares in minoribus constitutos non peccare dicta faciendo; quia hi habentur ex hæ parte quasi laici.

Lorca verò 2. 2. *sect. 3. disput. 51. num. 12.* putat his omnibus vi Canonum non prohiberi pugnam, atque ad eòs pugnando in bello iusto non peccare, nisi fortè per accidens, quatenus se exponunt periculo incurrendi irregularitatem, atque ita reddendi se inhabiles ad suum officium.

Verùm licet sententiam Molinæ amplectatur Coninch *disputat. 31. de bello, dub. 6. numer. 87.* Becanus *cap. 25. quæstione 25. conclus. 3.* Tamen ego puto cum Lorca, cui adde Layman *lib. 2. tract. 3. cap. 12. num. 19.* & Bonacinam *tom. 2. disput. 2. quæst. vlt. punct. vlt. §. 42. num. 29.* Clericos in Minoribus non prohiberi, quominus propria manu pugnent. Quamuis autem hinc excipi debeant beneficiati,

ficiati, non tamen peccati mortalis semper damnandi sunt, si eorum beneficia residentiam non postulent, & nihil obligationis, quod beneficiis eorum incumbit, negligatur: maximè si bellum contra infideles, aut hæreticos institutum sit. Quod ideo assero, quia in quibusdam Germaniæ Diocesisibus usitatum est, ut Canonici nondum Capitularibus, neque redditus Capitularium habentibus interim permittatur, quocumque ipsis libitum est, etiam ad bellum proficisci. Si tamen accidat beneficiarium propria manu in bello aliquem occidere, vel mutilare; beneficium resignare debet, vel dispensationem super irregularitatem impetrare.

Sed quid dicendum de Religiosis laicis. An peccent pugnando propria manu: & videtur affirmatiuè respondendum *ex c. eos qui* 20. q. 3. ubi mandantur excommunicari; quod non fiet, nisi graue esset peccatum. Sed dicendum est non obinde præcisè excommunicari; sed quia apostatando à Religione se militiæ, & publicis honoribus tradiderunt: & ideo si tales pugnarent in bello propria manu, solum venialiter existimo peccaturos, grauius tamen, quàm beneficiatos Clericos.

Verùm circa omnia supradicta non desinam hic apponere sententiam Duallij in 2. 2. *Diui Thomæ tract. de charitate, q. 16. art. 7.* ubi sic ait. Ego verò puto primùm Monachos conuersos, si professionem emiserint, non posse militiæ adscribi, debent enim se à negotiis secularibus subducere, & Deo soli, vnà cum officiis, quibus sunt mancipati, vacare. Adde istud generare grauius scandalum, videndo eos ex vna parte vel deposuisse habitum, vel si eum non deposuerint, supra illum enses, arcum, & reliqua alia deferre, quo fit ut eorum superior non possit cum iis hac in re, quæ tantopere est scandalosa, dispensare. Secundò etiam puto, non posse Monachos Choro mancipatos, etiam si sacris ordinibus non sint initiati, non posse similiter sectari militiam: sunt enim deputati ad sacerdotium, vel ad minus Altari seruiendum: ideòque Christum, quem aliquo modo repræsentant, debent in mansuetudine imitari. Tertio dico Clericos in Minoribus militiæ se adscribendo non peccare per se, & ex vi Decretorum Ecclesiæ, quia de eis iura non loquuntur, minusque ius diuinum, & naturale; nec nobis licet illa iura ad personas non expressas extendere: ex accidente tamen, si beneficium habeant, aut habitum, atque tonsuram deferant propter scandalum, quod tunc aliis militibus causatur, potest subesse peccatum, illudque pro qualitate scandali dari, mortale, aut veniale. Duallius.

An in aliquo casu licitum sit Clericis pugnare?

R E S O L. XXXV.

Respondeo affirmatiuè. Primò si id necessarium sit ad defensionem propriæ vitæ. Secundò si necessarium sit ad defensionem proximi innocentis, præsertim qui Reipublicæ valde utilis aut necessarius est, teste Caietano *q. 40. art. 2.* Tertio si necessarium sit ad defensionem Patriæ, aut Ciuitatis contra iniustos inuasores, *argumento cap. 2. de immunit. Eccles.* Quarto si necessarium sit ad consecutionem iustæ victoriæ, ex qua salus Ecclesiæ, vel Reipublicæ Christianæ multum pendet. Ordinariè autem talis necessitas in bello præsertim offensiuo, non occurrit; cum plerumque Milites laici adhiberi possint. Ita Malderus in 2. 2. *q. 40. art. 2.* Molina *tom. 1. tract. 2. disput. 108.* Becanus *cap. 2. q. 2. conclus. 3.* Layman *lib. 2. tract. 3. cap. 12. num. 19.* Castrus Palau *tom. 1. tract. 6. disp. 5. punct. 6. num. 7.* Et in his casibus Clericos pugnantes & occidentes non esse irregulares tradit Hurt de Mend. *vol. 2. disputat. 169. sect. 2. §. 139.*

An Clerici sine superioris licentia in aliquo casu possint bello interesse absque peccato?

R E S O L. XXXVI.

Respondeo Clericos posse bello interesse, ut subsidia spiritualia ministrent, milites consolentur, & ad pugnam excitent: modò non excitent specialiter & expressè ad occisionem & mutilationem inimicorum, quia hæc officia non sunt aliena à Clericorum statu. Et Innocentius in *cap. quod in dubijs, de penis*, prohibens Sacerdotibus ne ad pugnandum incitent, intelligendus est de bello iniusto. Et ita præter Layman *ubi infra* docet Castrus Palau *tom. 1. tract. 6. disp. 5. punct. 6. num. 6.*

Verùm difficultas est. An in his casibus possint Clerici bello interesse sine licentia Episcopi, & hic sine licentia Summi Pontificis. Et affirmatiuam sententiam apertè insinuat D. Thomas in 2. 2. *q. 40. art. 2. ad 2.* & probari potest *ex c. reprehensibile, & cap. quo ausu* 23. q. 8.

Sed ego puto cum Coninch *disp. 3. de bello, dub. 6. n. 90.* Castro Palau *tom. 1. tract. 6. disp. 5. punct. 6. num. 6.* posse supradictos in supradictis casibus bello interesse sine licentia Episcopi, vel Pontificis: nam *in citato cap. reprehensibile*, reprehenduntur Episcopi, non quia ad bellum ob consolandos milites, eosque ad pugnam hortandos sine licentia profecti fuerint: sed quia ibi sicut reliqui milites pugnauerint; & quia

quia hac occasione impediti non venerint ad Concilium, quod Summus Pontifex Romæ congregauit. Textus verò *in cap. quo ausu*, non de profectioe ad bellum, sed ad Imperatoris Ecclesiam loquitur, & grauius reprehenditur à Pontifice Episcopus, qui eius mandatum contemnit ob Imperatoris iussa exequenda: præcipuè cum Canones euidenter præcipiant nullum omninò Episcoporum, qui Leuitica portione sunt contenti, nisi Summo Pontifice viso atque consulto, ad Comitatum, hoc est, ad Imperialem Aulam debere contendere.

Nota tamen Lorcam in 2. 2. *quest. 40. art. 1. sect. 3. disp. 5. numer. 18.* asserere de iure communi hanc facultatem requiri, sed contrario vsu hos Canones fuisse abrogatos.

Verum ego stando in prima opinione, puto tamen Religiosos subditos non posse conferre se ad exercitum, sine venia saltem tacita sui Superioris; quia in omnibus ab huius voluntate pendet. Et etiam si esset vera opinio, quòd Clerici non possint bello interesse sine superioris licentia: putat adhuc Lorca *ubi supra*, & alij, sufficere virtualem & præsumptam: præsumptus verò consensus, ait Molina *tom. 1. tract. 2. disp. 180.* intelligi potest, quando acceditur sine detrimento propriarum ouium; simulque acceditur, vel ad subueniendum proximis in spiritualibus, quia præsentia Ecclesiasticorum, qui accedunt, conferunt non parùm ad defensionem Ecclesiæ, propriarum ouium, vel boni communis, vel ad alius notabile augmentum. Eòque plus locum habet præsumptus consensus superioris, quando cum nihil occurrat vnde contrarium sit credendum, non est facilis ad eum accessus, ut Prælatorum ad Summum Pontificem. Præsumptus verò consensus in re proposita pro expresso haberi debet, præsertim cum ex præsentia & adiutorio in bello iusto nulla incurratur irregularitas.

An Clerici modo quo supra licitè bello assistentes spolia aduersariorum accipere & retinere possint?

R E S O L. XXXVII.

AD hunc casum respondet Molina *de iustitia, tom. 1. tract. 2. disp. 180.* hoc pendere ex expressa, vel tacita Ducis, aut Principis exercitus voluntate: & quando aliud non constat, præsumendum eam esse, ut quod diripiunt, suum id efficiant Clerici, non secus ac si essent milites. Sunt enim viles exercitui, imò & pars exercitus, non minùs quàm milites, atque adeò gaudere debent commodis belli, sicut milites: præsertim cum aduersarij nõ mi-

nus Clericorum sint hostes, quàm aliorum, qui in exercitu pugnant. Quando autem constaret contrariam esse Ducis voluntatem, illi restitutio eorum honorum esset facienda cui Princeps, aut Dux vellet. Et hæc omnia etiam docet Layman *lib. 1. tract. 3. cap. 12. num. 20.*

An Clerici, qui in graui necessitate pugnant in bello, incurrant irregularitatem? Et quid de Clericis ex licentia Summi Pontificis bello assistentibus?

R E S O L. XXXVIII.

AD primum respondeo certum esse vrgente graui necessitate, ut supra diximus, Clericos, qui licitè bello iusto interfunt, etiam licitè propria manu pugnare: ut si aliàs ab inuadente hoste essent occidendi; aut ciuitas, aut nauis, in qua sunt, essent expugnanda, aut victoria magni momenti certò amittenda: tunc enim ius naturæ dat illis facultatem & se & communitatem defendendi; imò in tali casu obligantur pugnare, cum ius humanum nec intendit, nec potest derogare iuri naturæ.

Sed difficultas est, an incurrant irregularitatem. Aliqui affirmatiuè respondent nisi Clerici pugnent ad necessariam vitæ propriæ defensionem: sed ego puto contrariam sententiam esse sustinendam, quam ex Molina & Lorca docet Coninch *disp. 35. de Bello dub. 6. num. 91.* nam nullam Clericus incurrit irregularitatem, nisi sit ei culpabilis.

Ad secundum dubium sic respondet Lorca in 2. 2. *D. Thomæ quest. 40. art. 1. sect. 3. disp. 5. num. 24.* Si Clericus ex dispensatione Pontificis expressa pugnet, etiam si occidat aut mutilet, nullam irregularitatem incurere tradunt Couarruias & Molina: quoniam qui dispensat in aliquo, dispensare censetur in eo, quod consequens & connexum est. Sed id non probò: quia Milites iustè pugnantes si occidant aut mutilent, irregulares fiunt: ergo eodem modo Clericus. Nec Papa concedens primum, censetur concedere secundum, nisi in concessione expresserit. Ita Petrus Lorca.

Verùm ego sententiæ Molinæ adhæreo, & contra Lorcam assero esse disparem rationem inter Laicos in bello iusto pugnantes, & inter Clericos ex licentia Summi Pontificis: nam Laici vocantur & admittuntur ad id, quod licitè possunt efficere: neque in eorum exercitio quicquam Summus Pontifex dispensat: & ideo neque tollere est censendus irregularitatem. Sed contrarium accidit in Clericis, qui ex eius licentia possunt in bello pugnare: ergo dicendum est eo ipso quòd Papa præbet eis licentiam supradictam, auferre irregularitatem.

L Non

Non nego tamen sententiam Lorca esse probabilem, quam tueri etiam Duallius in 2. 2. D. Thoma tract. de charitate, quæst. 16. art. 7. Notandum est etiam hic cum Molina ubi supra tom. 2. tract. 2. disput. 110. conclus. 2. quod etiam in casibus, in quibus in bello iusto Clerici pugnando lethaliter peccant, non sunt irregulares: esto in eo bello aliqui interficiantur, aut mutilentur; habetque id verum, non solum si in genere exhortentur ad pugnam, fortiterque dimicandum, armaque & subsidia præbeant: sed etiam si ipsi aliquos percutiant, ac vulnerent. Huic conclusioni quadam ex parte fauent cap. presentium, & cap. continentia, de Clerico percussore; sed aperte colligitur ex cap. petitio, de homicid. cui iuri innixi eam amplectuntur Panormitanus ibidem, Nauarrus in Manuali cap. 27. num. 215. Couarruias in Clement. si furiosus, p. 2. §. 3. n. 2. & Doctores communiter. Quod si Clerici ita pugnando in bello iusto irregularitatem non incurrunt; multo minus illam incurrunt laici licite & merito in eo pugnant. Huius conclusionis non alia est ratio, quam quod cum hæc ex iure positio pendeat, merito in fauorem belli iusti, quo Ecclesia & Respublica defenduntur, atque ampliantur, à Summis Pontificibus constituta sunt: præsertim cum si morte aut mutilatione in bello iusto subsecuta, omnes qui in eo consilium, fauorem, aut auxilium dederunt, irregularitatem incurrerent; sanè in singulis iustis præliis exercitus totus, innumeraque alia hominum multitudo maneret irregularis, quod esset infinitam penè multitudinem irretire, hominesque tardos ad præliandum, & adiuuandum in bello iusto cum magno Ecclesie & Respublice detrimento reddere. Et hæc omnia docet etiam Lorca in 2. 2. disputat. 111. num. 22. & 23.

An Clerici bello assistentes pro spirituali Militum auxilio, si illos in conflictu incitent ad præliandum, incurrant irregularitatem?

RESOL. XXXIX.

Respondet, si bellum est iustum, licitum esse Clericis milites hortari ad pugnam fortiter pro Patria, pro Rege, pro iustitia Religionis, dummodò non dicant, Occide, macta. Quinimmo probabiliter puto contra

Lorcam in 2. 2. sect. 3. disp. 51. num. 22. Suarez de Censuris disp. 46. sect. 6. num. 8. & alios posse Clericos sine irregularitatis periculo milites in bello iusto hortari generatim ad percutiendum, & occidendum hostes: modò in particulari neminem occidi suadeant aut iubeant. Ita Layman lib. 2. tract. 3. cap. 12. num. 19. Henriquez lib. 14. cap. 12. num. 4. in Glossa littera R. Auila de censuris part. 7. disput. 76. sect. 3. dub. 2. Hurt. ubi infra §. 137. & 143.

Sed si aliquis quærat. Vtrum necessaria sit licentia Prælati ad existendum in exercitu absque irregularitate. Aliqui censent Ecclesiasticum exhortatorem ad pugnam licitam esse irregularem cæde sequuta, si adsistat exercitui absque licentia Prælati. Censeo tamen cum eo euentu non fore irregularem, licet eius in exercitu præsentia sit peccatum contra obedientiam: quia licentia Prælati, aut carentia eius nihil pertinet ad rationem homicidij, aut defectum lenitatis. Ergo si illa actio cum licentia non spectat ad eos defectus, nec sine illa spectabit. Et ita decet Hurtad. de Mend. volum. 2. disp. 169. sect. 2. §. 135.

De quibusdam verò casibus in quibus pugnando incurritur, vel non incurritur irregularitas, vide me ipsum in part. 4. tract. 2. resol. 27. 28. 29. & 30.

An Clerici assistentes in bello sine licentia Pontificis, teneantur restituere prædam captam?

RESOL. XL.

AD hoc dubium ita responderi Petrus Lorca in 2. 2. Diui Thoma sect. 3. disp. 53. numer. 7. Dubium est, vtrum Clerici assistentes in bello iusto sine licentia Pontificis, & etiam contra prohibitionem Ecclesie præliantes, teneantur restituere, si quid de spoliis accipiunt, vel refarcire, si quod nocuum inferunt. Gabriel artic. 3. dub. 4. Angelus verb. Bellum. Syluester verb. Bellum 1. quest. 9. conclusione 2. & 3. quest. 4. obligant eos ad restitutionem. Sed meo iudicio decipiuntur: quoniam Clerici ita bellantes non agunt contra iustitiam, sed contra obedientiam Ecclesie, & decentiam status; & idè non peccant, quatenus nocuenta inferunt, neque restituere debent. Ita Lorca, cui etiam ego libenter adhæreo.

TRACTA



TRACTATUS QUINTVS

DE

CONSVETVDINE.

Quanam dicatur consuetudo rationabilis?

RESOL. I.

MATERIA huius tractatus est maximè necessaria pro praxi & casibus sæpius occurrentibus: idè pro fundamento notandum est, quod in cap. fin. de consuetud. asseritur, consuetudinem rationabilem & legitime præscriptam sufficere ad abrogandam legem. Sed difficultas est, quanam dicatur consuetudo rationabilis.

Prima opinio asserit hoc relinquendum esse arbitrio iudicis, qui considerabit, an finis consuetudinis sit bonus vel malus. Ita Abb. in d. cap. fin. de consuetud. Schneidervinus Institut. de iur. natur. §. ex non scripto, num. 4. in fine. Vvesembecius in Paratitulis de legib. num. 9. ver. materia circa quam.

Secunda opinio est Geronis 3. part. de vita spirituali anima lect. 4. coroll. 13. Alphabet. 62. littera P. Gabrielis in 4. dist. 42. quest. 1. artic. 3. dub. 6. Nauarri lib. 3. consil. tit. de censib. in priori editione consil. 7. num. 3. in posteriori autem consilio 3. numer. 3. asserentium, quod nunquam censetur consuetudo rationi dissonans, nisi iuri diuino, aut naturali refragetur.

Sed mihi placet opinio tertia Montefini in part. 2. som. 2. disputat. 23. quest. 13. numer. 210. Granado tractat. 7. part. 2. disputat. 56. sect. 1. numer. 2. Sanchez lib. 7. disput. 4. numer. 14. & aliorum asserentium, quod cum dicimus rationabilem esse debere consuetudinem, non ita intelligendum est, quasi irrationalis sit omnis consuetudo eo ipso quod est contra legem: sic enim nulla consuetudo rationabilis esset, quæ pugnaret cum lege, quam euertere molitur. Sed ita intelligendum vt aliàs, & semota ea lege quam euertit, turpitudinem aut deformitatem non contineat, siue contra legem diuinam aut naturalem, aut rationis æquitatem, quæ lex aut æquitatis ratio vigeret, etiam seclusa ea lege, quam euertit.

Et pro maiori elucidatione notandum est, quod consuetudinem esse contra honestatem,

rationique aduersari contingit dupliciter. Primo, quasi actus illi, quibus inducitur consuetudo, sint contra rectæ rationis dictamen, postquam iam in consuetudinem abierunt; et si hoc modo dicatur esse contra rationem, petitur principium: probandum enim erat obseruantiam illam rationi aduersam esse, non obstante consuetudine illa iam inducta. Secundo potest intelligi, quia actus illi ante legitimam consuetudinis præscriptionem iniqui fuerunt: quod fateor. At id non obstat, quominus consuetudo ex actibus illis iniquis conuersus, vbi legitime præscripta fuerit, honesta sit, ac vim legis nouæ statuendæ, & antiquæ abrogandæ habeat, vt benè docet Caietanus 1. 2. quest. 97. art. 3. nemine contradicente. Aliàs nunquam consuetudo eam vim obtinere posset, cum semper necessarium sit actus illos contra legem gestos initio illicitos esse; donec consuetudo illos excusans iam inoleuerit præscriptaque sit, priori lege abrogata. Et idè non placet, quod Bartolus in d. l. de quibus num. 11. exigit in consuetudine principium rationabile; id est, vt non ex errore, sed ex certa scientia introducta sit consuetudo: non enim attenditur principium consuetudinis, vt dictum est, & quia sæpè ignorari necesse est, in vetustis rebus principium, quo introducta sunt, l. si arbiter 28. ff. de probat. quamuis oppositum dicat Suarez lib. 7. de legib. cap. 12. sine fundamento tamen, vt putat Pontius de Matrimon. lib. 6. cap. 5. num. 2. Quod autem idem Suarez lib. 7. cap. 18. num. 8. & 15. docet, necessarium esse vt omissiones legem abrogantes sint peccaminosæ saltem in principio: quia aliàs, inquit, non ostenderet voluntatè legi contrariam; sed hoc expressè est contra S. Thomam quest. 97. art. 3. ad 2. & communem Theologorum; quia satis est iis circumstantiis omitti legis iussionem, quibuscum alioquin Princeps veller legem obligare, si populo contrarium non videretur consultius. Intèrim non nego posse consuetudinem initio ob repugnantiam folius positivæ legis esse vitiosam, modò simul honestari possit aliqua ratione, ob quam saltem accedente tacita voluntate Principis, rationabilis ac iusta esse possit. In quo differt

L 2 præferri

præscriptio talis consuetudinis à particulari præscriptione, qua rei alicuius dominium à priuatis acquiritur. Et hæc docet contra Suarez Tannerus *tom. 2. disputat. 5. quest. 7. dub. 1. numer. 7.* cui adde Montefinuum *in part. 2. tom. 2. disput. 2. 3. quest. 13. num. 219.* Granado *contr. 7. tract. 3. part. 2. disput. 16. sect. 1. num. 2.* Sanchez de Matrimonio *tom. 2. lib. 7. disput. 14. numer. 14.* & alios penes ipsos. Vide etiam celebrem decisionem Sacræ Rotæ in vna Hispalens. vori die 28. Aprilis 1597. coram Gyprio apud posthumas Farinacii *tom. 1. decis. 2. 8. numer. 1.*

Norandum tamen est hic, quòd in dubio an consuetudo contraria legi sit rationabilis, id est, expediens communi bono, præsumenda est rationabilis, & communi bono expediens, quia in dubio in fauorem consuetudinis iam introductæ firmandum est, vt tradit Sanchez *ibi*, & Suarez *lib. 7. cap. 6. num. 15.* Vtrum si consuetudo non solum sit contraria legi, sed etiam à lege prohibita, aut reprobata; tunc in dubio pro lege firmandum est, & iudicandum consuetudinem esse irrationabilem: hoc tanquam certum dicit Sanchez & Suarez *suprà.* Salas *disput. 19. sect. 18.* cum Røcho de Curtis *tractat. de consuetud. sect. 7. numer. 2. 4.* & probatur optimè *ex cap. 3. de eo, qui mittitur in possessionem, ibi, si laudabilem esse constiterit.* Et ratio est clara, quia reprobatio consuetudinis facta à lege est certa; ergo non potest ab honestate dubia vinci, Et hæc omnia docet etiam Castrus Palaus *tom. 1. tract. 3. disput. 3. punct. 2. §. 1. num. 5.*

Et tandem nota posteros consuetudinem obseruantes à culpa excusari, nec tenentur inuestigare de illius iustitia, sed præsumere debent in fauorem consuetudinis. Ita Palaus *vbi supra*, & Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 2. difficult. 38. num. 9.*

Quenam dicatur consuetudo legitime præscripta?

RESOL. II.

VT consuetudo sit iusta, non solum vt visum est, debet esse rationi consona: sed requiritur ad consuetudinem inducendam cursus temporis, hoc est, vt diuturna sit; sed difficultas est, cuius temporis cursus esse debeat.

Prima opinio est Conani *lib. 1. Comment. numer. 6.* & Hottomani *in §. ex non scripto Institut. de iur. natur.* afferentium requiri tempus immemorabile, cuius nulla extat memoria.

Secunda opinio est Ioannis Præpositi *in part. 2. Diui Thomæ quest. 97. dub. 1. numer. 10.* & *dub. 2. numer. 13.* Iacobi Gordoni *in summa*

tom. 1. lib. 2. quest. 14. cap. 4. num. 14. & 15. Megalij *in promptuario verb. consuetudo, numer. 5. & numer. 8.* Donelli, Bonacinæ, Mascardi, Emanuelis Sà, quos citat & sequitur Castrus Palaus *tom. 1. tractat. 3. disputat. 3. punct. 2. §. 2. num. 6.* afferentium absolute consuetudinem esse legitime præscriptam ad abrogandam legem, vel denuò constituendam, si per decennium perseuerauerit: quia iura ad consuetudinem inducendam requirunt tantum longum tempus: sed decennium est longum tempus, vt patet *ex leg. ult. Cod. de præscript. long. temp. §. 1. Institut. de vsucap.* Ergo, &c.

Tertia opinio distinguit. Vel consuetudo est præter legem ciuilem, vel contra legem ciuilem: & in hoc casu decennium sufficit. Vel est contra legem Canonicam; & tunc quadraginta anni necessarij sunt. Ita Schneidvvinus *§. ex non scripto, Institut. de iur. natur. num. 5.* & præter alios infra citandos Tannerus *tom. 2. disp. 5. quest. 7. dub. 1. num. 8.*

Quarta opinio est Iacobi Grenado *in part. 2. Diui Thomæ contr. 7. tract. 3. part. 2. disputat. 16. sect. 1. num. 9.* vbi sic ait. Mihi absolute placet, quòd Dominicus Soto *lib. 1. de iustit. quest. 7. art. 2.* Medina *ad art. 3. quest. 79.* affirmarunt; scilicet hoc negotium relinqui debere arbitrio prudentis & docti viri, qui perspectis omnibus circumstantiis iudicet; quando consuetudo tantum temporis vigerit; vt merito credatur adesse rationabilem & tacitum consensum Principis, seu Legislatoris nolentis ulterius obligare suam legem. Et quidem quandiu non constiterit, consuetudinem durasse per tempus sufficiens, expectandum est tempus decem annorum: hoc enim est tempus longæuum, & sufficiens ad præscriptionem, ac proinde ad abrogationem legis quæ minus requirit, vt ita dicam. Longius verò tempus, & multò magis spatium quadraginta annorum nullo modo requiritur etiam ad consuetudinem legitime præscriptam contra legem Ecclesiasticam: vt non solum Vasquez, sed etiam alij graues Doctores rectè docuerunt; quia id in iure non habetur. Licet enim ad præscribendum contra bona Ecclesiastica, id spatium exigatur in iure; longè diuersa est ratio in consuetudine: præscriptio enim tollit ius, quod Ecclesia habebat ad bona Ecclesiastica, etiã si hæc non consentiat; & ideo voluit ius Canonicum in fauorem bonorum Ecclesiasticorum tam longum temporis spatium requiri. At verò consuetudo solum tollit obligationem legis, quatenus affert tacitum saltem consensum Principis; qui quidem sufficienter dignoscitur in decennio. Hæc omnia Granado. Cuius sententiam, nempe tempus necessarium, vt dicatur consuetudo legitime præscripta relinquendum esse arbitrio iudicis, præter Doctores

res

res ab ipso citatos tenet Basilius Pontius *de Matrimonio lib. 6. cap. 5. num. 8.* Montefinuum *in part. 2. tom. 2. disp. 2. 3. quest. 3. num. 215.* Menochius *de Arbitr. lib. 2. cent. 1. cas. 88. numer. 6.* Corrauius *in leg. de quibus, ff. de legibus, num. 8.* Syluius *in part. 2. D. Thomæ quest. 97. art. 2. conclus. 8.* Cuiacius *lib. 2. obseruat. cap. 1.* Lorca *in part. 2. tom. 2. de legibus, disput. 29. membr. 2.* ac etiam Duuallius *in part. 2. Diui Thomæ tractat. de legibus, quest. 7. art. 2.* cum alijs.

Sed quid ego sentiam, dicam breuiter. Prima opinio est reiicienda: alix tres sunt omnes probabiles, & maximè quarta: sed ego tertiæ tanquam probabiliori adhæreo. Dico igitur consuetudinem decem annorum contra legem ciuilem esse legitime præscriptam; contra verò legem Canonicam requiri spatium quadraginta annorum. Probatur prima pars *ex leg. 1. Cod. qua sit longa consuetudo, ex leg. sed ea qua ff. de legib. in quibus iuribus solum requiritur ad inducendam consuetudinem longum tempus; sed decennium est longum tempus requisitum ad præscriptionem, vt patet ex toto titulo Cod. de præscript.* Ergo, &c. Secunda verò pars, nempe consuetudinem contra ius Canonicum & Ecclesiam debere esse quadragenarium. Probatur *ex Authent. quas actiones. Cod. de sacrosanct. Eccles. & illam ego teneo ex auctoritate venerandæ Sacræ Rotæ Romanæ, quæ semper hanc sententiam canonizauit, vt patet in vna Gerundens. Administracionis die 13. Maij 1630. coram Eminentissimo Verospio apud Guerilios Venetos decis. 375. numer. 10.* & ita præter Doctores vbi supra citatos, tenet hanc sententiam D. Antoninus *1. part. tit. 16. cap. 1. §. 4. Corduba lib. 1. quest. 12. ad 4. argument.* Angelus *verb. Consuetudo, n. 8.* Corneus *lib. 2. consil. 193. num. 14.* Alexander *lib. 2. consil. 68. numer. 7.* Socinus senior *lib. 2. consil. 260. num. 19.* Ruinus *lib. 4. consil. 115. n. 1.* Decius *consil. 134. ver. & in casu isto.* Arcinius *consil. 44. num. 1.* Baldellus *lib. 5. disp. 47. n. 13.* Ioannes VViggers *in part. 2. quest. 97. art. 3. conclus. 2. difficult. 3. num. 22.* Lessius *lib. 2. cap. 6. dub. 14. num. 47. & dub. 8. num. 25.* Rebellius *part. 1. lib. 1. quest. 15. num. 12.* Suarez *de legibus lib. 7. cap. 18. num. 12.* Layman *lib. 1. tractat. 4. cap. 24. num. 6.* Reginaldus *tom. 1. lib. 13. cap. 23. num. 247.* Ciarlino *in disceptationib. forensib. cap. 15. num. 86.* Malderus *in part. 2. Diui Thomæ quest. 97. art. 3. numer. 1. in fine.* Et tandem Ferdinandus Oterus *in cap. fin. de consuetud. part. 2. num. 38.*

Non desinam tamen hic adnotare Caltrum Palaum contra nostram sententiam insurgere *tom. 1. tract. 3. disput. 3. punct. 2. §. 2. num. 9.* Quia consuetudo abrogans legem Ecclesiasticam non est contra Ecclesiam, sed potius pro illa, cum ex consensu ipsius Ecclesiæ tradito in

cap. ultimo, de consuetud. hæc abrogatio procedat: sed præscriptiones, quæ sunt in fauorem Ecclesiæ, & non contra illam, non indigent spatio quadraginta annorum, sed decennio perficiuntur, vt tradit Rota *in nouissim. part. 2. decis. 375. num. 8 apud Farinacium.* Ergo, &c. Deinde si ob similitudinem desumptam à præscriptione propria exoptulantur in consuetudine Catholica 40. anni, etiam debent exoptulari centum, vel tempus cuius initij non sit memoria. Probo, quia aduersus Ecclesiam Romanam non datur præscriptio, nisi centum annorum spatio *Authent. quas actiones C. de sacros. Eccles.* Ergo consuetudo, quæ legem latam à Romano Pontifice abrogat, centum annorum spatium ad præscriptionem exigit. Deinde aduersus referuata Principi non præscribitur, nisi consuetudine immemorabili, *ex cap. super quibusdam. §. praterea, de verb. signif. & tradit multos allegans Mascardus de probat. conclus. 424. num. 40.* Sed lex lata à Principe sibi est eius dispensatio referuata: ergo non solum spatium 30. annorum, sed immemorabile requiretetur; si ex proportionem ad præscriptionem esset desumenda præscriptio in consuetudine legali. Item vna Ecclesia aduersus aliam præscribit decem annis, nisi obftet ius: ergo aduersus legem municipalem, vel statutum decem annis præscribitur. Ergo consuetudo Canonica abrogans legem non exoptulat quadraginta annos. Hucusque Palaus. Sed tu ne deferas nostram sententiam tenere, cum sit communis, & illam, vt dixi, canonizauerit Sacra Rota; vt ego docui *in tract. de immunit. Eccles. contra Sayrum.*

An tempus decem annorum sufficiat ad consuetudinem inducendam non solum inter presentes, sed etiam inter absentes?

RESOL. III.

Affirmatiuè respondet Suarez *de legibus lib. 7. cap. 18. numer. 11.* vbi sic ait. Est tamen notanda distinctio inter leges Canonicas & Ciuiles, quam omnes Authores supracitati tradunt: nam in Ciuilibus idem tempus sufficit ad legem abrogandam, quod ad inducendam, scilicet decem annorum. Ratio est, quia ius ciuile in hoc distinctionem non facit; sed ad vtrumque indefinitè requirit tempus longæuum, vt patet *in dicta leg. de quibus: tempus autem longæuum in eodem iure est tempus decem annorum, vt supra dictum est, & expressius habetur in §. 1. Institut. de vsucapion.* Neque hic fit distinctio de tempore inter absentes & presentes propter rationem supra

tractatam, quòd ad necessitatem huius præscriptionis semper supponitur ignorantia Principis: nam si Princeps sciat, non est necessaria præscriptio ad præsentem effectum: respectu verò Principis ignorantis impertinens est absentia vel præsentia; & idè idem tempus indistinctè postulatur. Ita Suarez.

Sed aduersus illum nominatim insurgit Tannerus *tom. 2. disp. 5. quæst. 7. dub. 1. numer. 8.* vbi sic asserit. Aliqui addunt ad præscriptionem contra ius Canonicum requiri quadraginta annorum spatium; contra ius ciuile decem inter præsentem, viginti inter absentes. Quamuis Suarez vniuersim decem annis in ciuilibus legibus contentus sit, idèoque eam distinctionem de absentia vel præsentia tanquam impertinentem reiiciat: sed id asserit sine firma ratione. Hæc Tannerus. Cui adde Syluestrum *verb. consuetudo, quæst. 7.* Azorium *tom. 1. lib. 5. cap. 17. quæst. 8.* Molinam *tom. 1. tract. 2. disp. 77.* & alios. Et pro opinione Tannerii contra Suarez potest hæc ratio adduci, quia longum tempus inter præsentem esse decennium, inter absentes vicennium tradit lex vltima *Cod. de præscript. longis. temp.* ergo cum Legislatores absentes est, requiritur vicennium ad præscribendum aduersus illum: non semper igitur consuetudo constituit legem, vel abrogat decennium.

Sed ego puto vtramque sententiam probabilem esse, sed magis contra Tannerum adhæreo sententiæ Suarez, quam etiam tuetur Castrus Palaus *tom. 1. tract. 3. disput. 3. punct. 2. §. 2. num. 7.* vbi citat Vasquez & Salas, quibus ego addo Ioannem VViggers *in part. 2. quæstione 97. art. 4. conclus. 3. num. 26.* vbi sic ait, Secunda difficultas est, An idem tempus sufficiat, si Princeps sit absens? Ratio dubitandi est, quia iura definiunt tempus longæuum inter præsentem quidem esse decem annorum, sed inter absentes esse viginti annorum. Respondetur hæc de causa nonnullos Doctores, inter quos videtur esse Syluester *verb. consuetudo, quæst. 2.* requirere in absentia Principis viginti annos, siue ad legem inducendam, siue abrogandam: sed communis sententia tenet contrarium, quæ & vsu recepta est. Vnde etiam consuetudo hic censetur ius interpretari, vt circa præscriptionem consuetudinis in respectu ad legem sufficiat decem annorum tempus. Et fundamentum potest esse, quòd hoc sit magis ex communi bono, & quidem quoad legis inductionem; quia expedit, quòd consuetudines rationabiles, & sufficienti vsu probatæ roborentur, & vim obligandi accipiant. Accedit quòd inductio talis obligationis non adferat præiudicium Legislatori, cum sit ex potestate eius per ius

commune applicata: quare non censetur ipse hac in parte inuoluntarius, & idè non est eadem ratio huius & præscriptionis aliarum rerum: vbi dominus absens solet pati præiudicium, & haberi tanquam inuoluntarius. Ita VViggers & Ego.

An consuetudo decennialis, vel quadragenaria interrumpatur per vnicum actum?

RESOL. IV.

Suppono cum Suarez *de legibus lib. 7. cap. 8. num. 14.* tempus consuetudinis ad abrogandam legem non debere interrumpi. Idè respondeo ad quæsitum, vnicum actum contrarium probare non obstat consuetudinem, non obstantibus mille actibus, qui stent pro consuetudine. Ita firmavit Sacra Rota in vna Viterbienfi decursus aquarum die 15. Martij 1604. coram Gregorio XV. *decis. 162. num. 9. & 15.* quod etiam docet Basseus *in flor. Theol. pract. verb. consuetudo, num. 11.* Surdus *vol. 3. consil. 293. num. 23. & 24.* Scruerius *de feudis, part. 10. sect. 20. num. 157. in fine,* & hoc etiam ex Reginaldo, Salas, & Bonacina tradit Castrus Palaus *tom. 1. tract. 3. disput. 3. punct. 2. §. 2. num. 11.*

An tempus determinatum, vt consuetudo sit legitime præscripta, procedat etiam in foro conscientie?

RESOL. V.

Negatiuè (nota Lector) respondet Duuallius ex insigni Sorbonico Museo Inclytus Theologus *in part. 2. Diui Thomæ tract. de legibus quæst. 7. art. 2.* vbi sic ait. Animaduertendum est istud tempus tantum in foro externo requiri: nam in interno, & in conscientia possumus aliquid tanquam consuetudine firmatum obseruare: quando constat plerisque viros bonos ita se gerere, & morem istum obseruare, etiam si non sit legitime præscriptus, nec habeat numerum annorum, quem assignauimus, illudque experientia comperitum est in valore seu pretio monetarum: nam contra edictum Regis satis recens solent aliquando viri boni abire ex eo, quòd videant mercatores, aut alios ex populo, quorum probitatem agnoscunt, pretium illud determinatum non seruare, sed superare. Ita ille.

Sed plures Doctores à me alibi citati contrarium sentiunt: & idè Basseus *in floribus Theolog.*

Theolog. Practica verb. consuetudo numer. 16. sic asserit. Secundum doctrinam plurimorum Doctorum, introducens consuetudinem contra legem, seu contra antiquam consuetudinem legitime receptam in foro conscientie non peccant, quando consuetudo ita inualuit, vt docti & probi viri sine remorsu conscientie eam sequantur: in foro tamen externo præsumetur illos delinquere & peccare contra legem, vnde inferitur, quòd licet consuetudo contra legem & canonem introducta sit ex causa non iusta, & primi illi legis transgressores peccauerint; successores tamen eorum excusantur à peccato ob talem consuetudinem introductam, quia præsumere possunt eos habuisse iustam causam: nonnulli nihilominus authores censent non improbabiler hos primos legis transgressores semper peccare, donec elapsum sit tempus requisitum ad legitimam consuetudinem inducendam, nisi bona fides illorum excuset, & interueniat scientia Principis illam consuetudinem tolerantis. Hæc Basseus.

An consuetudo non legitime præscripta sufficiat ad legem abrogandam ex conuientia Principis?

RESOL. VI.

AD hunc casum ita respondet Ioannes VViggers *in part. 2. Diui Thomæ quæst. 97. art. 1. numer. 28.* vbi sic ait. Tertia difficultas est de tempore, quòd requiritur vt consuetudo habeat vim legis via conuientie, siue tacite approbationis personalis Principis? Respondetur hic non esse necessarium decennium; sed breuius tempus posse sufficere: verumtamen illud non esse certo annorum numero à iure definitum, nec commodè definiti posse: quia sufficiens signum tacite voluntatis Principis approbantis, seu confirmantis consuetudinem iuxta intentionem populi, cum in factis consistat, pendet ex diuersis coniecturis, quæ non sunt æquales in omnibus consuetudinibus; atque ita potest in aliquibus breuiori tempore constare sufficienter de Principis voluntate, quàm in aliis: quædam enim sunt, quæ frequentiore habent vsu, & magis communem ac publicum, quàm aliæ. Item in aliquibus occurrunt plures occasiones, vnde intelligantur voluntas & assensus Principis, quàm in cæteris: & sic non vno definito tempore consuetudines omnes possunt hac via legem, siue ius stabilire: sed aliæ breuiori, aliæ longiori tempore id assequuntur, quatenus citius aut tardius colligitur sufficienter tacita

approbatio personalis Principis, quæ iuxta hanc viam requiritur, non autem in via præscriptionis; vbi iuris constitutio certo tempore eam supplet. Quando autem debeat censeri de Principis voluntate sufficienter constare, hoc prudentum arbitrio æstimandum venit. Ita VViggers, cui adde Suarez *de legibus lib. 7. cap. 18. numer. 17. & 18.* cum Prapósito *in parte 2. D. Thomæ quæst. 97. dub. 2. num. 12.*

Quenam frequentia actuum introducat consuetudinem?

RESOL. VII.

AD hoc dubium ita respondet Duuallius *in part. 2. Diui Thomæ tract. de legibus, quæst. 7. art. 2.* Quot autem actus requirantur ad introducendam consuetudinem; certum est communiter requiri actus frequentatos, vt ex solo nomine, consuetudo patet: sed in quonam numero, & cuius qualitatibus esse debeant, difficultas est. Prima conclusio in causis criminalibus duo actus faciunt consuetudinem, 25. *quæst. vlt. can. fin.* In causis verò ciuilibus requiruntur quatuor, *extra de caus. possess. cap. cum Ecclesia.* Secunda conclusio. Duo actus pro causis etiam ciuilibus sufficiunt; dummodo illi actus sint iudicarij & notorij: tum quia consuetum idem est ac solitum; duo autem actus iudicarij faciunt actionem solitam ac proinde consuetam: tum etiam quia Iason *l. de quibus, ff. de leg. num. 5. 1.* istud expresse affirmat, cumque sequitur Emmanuel *verb. consuetudo.* Notat autem Syluester *verb. consuetudo, num. 4.* in ciuilibus ex vno actu oriri posse consuetudinem, modò ille actus effectum habeat diuturnum: vt si quis semel pontem supra plateam publicam ædificasset, & ille pons diu permanisset, eo euerso posset alius sine consensu Principis ædificari; etiam si ædificatio pontium communiter ad Principem pertineat, & sic per vnum actum diuturnum præscribi potest aduersus ius illud Principis, & consequenter introduci consuetudo ei contraria. Ita Duuallius *loco citato.*

Sed circa præsentem quæstionem libet hic transcribere verba Montefini *in part. 2. Diui Thomæ tom. 1. disputat. 23. quæst. 3. numer. 24.* sic asserentis. Quinta conditio est, quòd consuetudo sit ex frequentatione plurius actuum: nec enim sufficit vnus, aut binus actus vt consuetudo habeat vim legis, sed requiruntur plures, & frequentatio eorum. Verum est, quòd Syluester *num. 6.* & Angelus *numer. 7.* limitant hoc dicentes in aliquo casu sufficere vnum aut binum actum ad consuetudinem; vt

quando ille actus habet causam successiuam, vel permanentem diurnam: vt si beneficium aliquod Ecclesiasticum detur Sacerdoti Religioso, qui illud obtineat per viginti annos aut plures, talis actus videtur sufficere ad consuetudinem, vt colligitur *ex cap. cum de beneficio, de prabend. in 6.* Tamen videtur mihi dicendum, quod in isto casu consuetudo possit obtinere vim legis quantum ad hoc, quod est facere personam aliquam habilem ad obtinendam prabendam, vel aliquid aliud: sed consuetudo quæ habet vim legis obligantis communitatem semper fit ex frequentatione actuum. Similiter id quod asserunt prædicti Authores, quod in iudicialibus & præsertim in criminalibus vnus aut binus actus sufficiat facere consuetudinem, quando ille est factus à superiori: hoc, inquam, non est omnino verum: nam quamuis si factus sit à superiore habente potestatem condendi leges, verum esse possit istud quod dicitur, non tamen quando fit ab alio iudice inferiori, vel saltem quamuis ex vno aut bino actu facto à iudice superiori possit generari consuetudo largè sumpta, non tamen propriè quæ habeat vim legis. Hæc igitur consuetudo debet esse ex pluribus actibus, & non quomodocunque: sed notoriis & manifestis ita vt de illis constet non solùm Principi ad hoc vt ille præbeat consensum saltem tacitum: sed etiam manifestentur toti communitati, vt per hanc manifestationem promulgetur consuetudo quæ habet vim legis. Hucusque Montesinus. Vnde ego puto cum Basilio Pontio *de matrimon. lib. 6. cap. 6. num. 1.* Conano, Duareno, Scheneudouino, & aliis penes ipsum, quando frequentia actuum inducat consuetudinem, relinquendum esse arbitrio iudicis.

Non desinam tamen hic adnotare ea, quæ docet ex Syluestro, & Panormitano Lessius *lib. 2. cap. 6. dub. 14. numer. 10.* nempe vt consuetudo dicatur esse contraria, sufficere bis terte contra actum esse: quam consuetudinem si constaret Principem scire & dissimulare, desineret lex obligare. Ita Lessius. Et hanc opinionem in aliquo casu probabilem esse putat Lorca *in part. 2. tom. 2. de legib. disputat. 29. membr. 1.* vbi sic ait. Circa actus, quibus consuetudo induci potest, dubitatur primò, quot actus sufficiant. Angelus *verb. consuetudo, n. 9.* sequutus Panormitanum *in cap. cum tanto, de consuetudin.* affirmat duos aut tres actus sufficere, quando Princeps scit & tolerat. Idem videtur docere Syluester *verb. consuetud. quest. 7.* Sed non loquitur de consuetudine, quæ abrogat legem receptam, & vsu probatam: sed resistit legi denuò lata, & fortasse in hoc casu probabilis est hæc sententia, si duæ aut tres actiones sint à maiori parte populi simul pro-

cedentes. Sed dicit Castrus Palauz *tom. 1. tractat. 3. disput. 3. punct. 2. §. 3. num. 4.* ex non resistentia præcisè non inferri approbationem. Quod si legislator iudicetur approbare consuetudinem, in tali casu consuetudo non habet vim legis ratione sui, cum non sit propria consuetudo, sed inchoata; sed habet vim ex approbatione Legislatoris; quæ approbatio sicut se sola potest legem statuere, & præ-existentm abrogare, idem efficere potest annexa vnico vel duobus actibus. Verum ad inducendam nouam legem, vel abolendam legem antiquam, certissimum est non sufficere tres nec plures actus, vt ibi Syluester concedit: nam tam pauci non possunt efficere, vt quod fit, communis populi consensus censeatur, præsertim cum requiratur temporis diurna perseverantia in eisdem actibus, & tres actiones, etiam si totius populi sint, consuetudinem efficere non possunt. Ita Lorca *loco citato.* Cui etiam adde Præpositum *in part. 2. D. Thoma quest. 97. dub. 1. num. 8.*

Apponam etiam hic opinionem Duuallij *in part. 1. D. Thoma tractat. de legibus, quest. 7. art. 3.* vbi sic ait. Vbi nulla est in contrarium lex, asserendum est actus extraiudiciales ad consuetudinem introducendam sufficere. Quot autem requirantur, respondet Emmanuel *verb. consuetudo, numer. 5.* illud dici consuetum seu solitum, quod bis factum est; citatque Iasonem *in l. de quibus ff. de legib. num. 51.* asserentem duos actus iudiciales notorios ad inducendam consuetudinem satis esse: quod ego verum censeo, dummodo illi actus non sint adeò distantes: nam si actus illi iudiciales per longum tempus, vt potè per decennium à se inuicem distarent, non introduceretur per eos consuetudo: si enim lex per decennium non obseruata desinat obligare, multò magis actus per decennium nullo modo reiteratus desinet concurrere ad introducendam consuetudinem; nisi fortè materia ipsius consuetudinis esset de rarissimè contingentibus: tunc enim duo actus iudiciales non obstante tali distantia inducerent consuetudinem. Hæc Duuallius.

An ad stabiliendam consuetudinem requirantur saltem aliqui actus iudiciales.

RESOL. VIII.

PLures Auctores requirunt actiones iudiciales duas ad minus, vt consuetudo legitime præscripta censeatur. Syluester *verb. consuetudo, quest. 4.* Antoninus *1. part. tit. 16. cap. vnic. §. 4.* & alij. Quod deduci videtur *ex leg. cum*

cum de consuetud. ff. de legib. vbi dicitur ad discernendam consuetudinem, primum quidem illud explorandum arbitror; an etiam contradictio aliquando iudicio consuetudo firmata sit, & *ex cap. Abbate, de verb. signif.* vbi insinuat idem iudicium contradictum necessarium fuisse.

Sed opinio contraria est tuenda, quam tuetur Præpositus *in part. 2. Diui Thoma, quest. 97. dub. 1. num. 8.* Syluius etiam *in part. 2. quest. 97. art. 2. conclus. 8.* Gordonus *in summ. tom. 2. lib. 2. questione 14. cap. 5. numer. 19.* Granado *in part. 2. contr. 7. tract. 3. part. 2. disput. 16. sect. 2. numer. 15.* Lorca *disput. 29. membr. 3.* Vasquez *disput. 177. cap. 6.* Pontius *lib. 6. cap. 6. numer. 2.* Suarez *lib. 7. cap. 11. numer. 2.* Salas *disput. 19. section. 11. numer. 93.* Donellus *lib. 1. Comment. cap. 10. & ibi Osvaldus litt. H. Cuiacius lib. 20. obseruat. cap. 1.* Guillinus *lib. 20. obseruat. c. 31. num. 8.* & alij. Et ratio est, quia rerum iudicatarum auctoritas non inducit consuetudinem, sed probat. Vnde *l. 38. de legib.* consuetudo à rerum iudicatarum auctoritate secernitur per particulam, aut, quæ disunctionis nota est. Deinde, quia vera causa consuetudinis est Principis aut populi consensus, qui non minùs animum suum actibus extraiudicialibus, quàm iudicialibus declarare possunt. Præterea multò maioris auctoritatis videtur esse longo tempore & sine dubitatione confirmatus vsus, quàm quod in contradictorio iudicio fuerit obtentum.

Dicendum est igitur ad inducendam consuetudinem non requiri actiones iudiciales; ita vt decreto & sententia iudicis in aliqua causa vel causis iuxta consuetudinem pronuncietur ius: sed sufficere actiones vulgares, & extraiudiciales.

Quales actus ad stabiliendam consuetudinem requirantur?

RESOL. IX.

Respondeo, quod ad stabiliendam consuetudinem requiruntur actus voluntarij, & consequenter non ex errore & ignorantia: vnde si per vim aut metum grauem populus aliquid faceret etiam per longum tempus, vtique talis non erit consuetudo sufficienter introducta. Ita Sacra Rota in vna Giennensi portionis die 13. Nouembris 1613. coram Burato *part. 1. decis. 19. numer. 11.* Præpositus *in part. 2. Diui Thoma quest. 97. dub. 1. num. 6.* Granado *in part. 2. D. Thom. contr. 7. tract. 3. part. 2. disp. 16. sect. 2. num. 14.* vbi sic ait. Necessè est ad obligationem consuetudinis eam non esse inductam errore facti vel iuris: sic enim populus putauerit propter aliquam deceptionem se

obligari, aut dari causam, quæ verè non datur, non manebit obligatus. Etenim obligatio consuetudinis oriri debet ex libera voluntate eorum, qui se obligare voluerunt: vbi autem est deceptio seu error, non est libera voluntas se obligandi, error enim impedit liberum consensum. v.g. inducta est consuetudo celebrandi festum talis Sancti in aliquo oppido, quia existimabat ibi esse sepultum corpus eius; ita vt hæc fuerit adæquata causa celebritatis, si constaret eam fuisse deceptionem, quia ibi Sanctus ille sepultus non erat, cessabit consuetudinis obligatio. Similiter si propterea consuetudo aliqua inducta esset, quia credebatur tale vel tale opus non esse prohibitum in iure, eo ipso quod constaret esse prohibitum; non obligaret consuetudo, quippe quæ ob errorem inducta fuit. Vide etiam Suarez *lib. 7. cap. 12. per totum*, Gordonum *in summa tom. 1. lib. 2. quest. 14. cap. 5. per totum.* Cui adde Castrum Palauz *tom. 1. tract. 3. disp. 30. punct. 2. §. 3. n. 11.* qui adducit duo exempla, quibus gloss. *in leg. quod non ratione, ff. de legib.* & Panormitanus *in cap. fin. de consuetud.* vtuntur: videlicet si consuetudo sit aurigam obligatum non esse de periculo vini, quod in plaustro defert, si dominus vini plaustrum comitetur, eò quod existimet nullum ius habere, nulla est consuetudo, quia fundamentum illius est error, quo cessante euanescit consuetudo; secùs verò si ex alio errore inducta foret. Et hac ratione dicit Suarez *num. 5. aduersus Rochum*; si populus consuevit non extrahere frumentum è ciuitate, quia credebat id sibi esse prohibitum, non ideo consuetudinem obligantem inducere: quia non abstinuit ab illa actione animo inducendi consuetudinem, sed animo obseruandi legem, quam sibi esse positam existimabat.

Notandum est etiam non requiri, quod actus, ex quibus consuetudo constat, careant omni malitia, vt habeatur ipsa rationabilis: immò dicit Suarez *loco citato cap. 18. numer. 8.* necessarium esse, quod tales omissiones, quibus lex abrogatur, sint peccaminosæ saltem in principio, quia si prouenirent ex aliqua rationabili excusatione, inquit, non declararent voluntatem legi contrariam: vt si occurreret necessitas excusans, tunc enim non esset diffeultudo; sed purus non vsus legis, qui ex omnium sententia non sufficit ad legis abrogationem inducendam: quod si verò tam frequentes sint eiusmodi occasiones, siue necessitates, vt possint ostendere legem esse incommodam, aut inutilem, tunc consuetudo non propriè abrogauit legem: sed quia manifestatur eius inutilitas, hinc per se emoriatur & cessabit. Idem docet latius Suarez eodem loco *num. 15.* vbi dicit Caietanum hoc loco *ad secundum,* &

& omnes ita sentire. Quòd autem per actus malos saltem ab initio legis abrogatio fieri possit, hinc mirum videri non debet, quia actus illi non concurrunt, tanquam causa per se istius abrogationis; sed tanquam causa per accidens, & sine qua non: nam causa per se est legalis voluntas, siue ius, quod voluit legem aliquando cedere consuetudini inolitæ, quæ subnixæ sit probabilibus saltem rationibus, ob quas Legislatores possit rationabiliter legem mutare, quod secundum rectam rationem ordinatum est, vt succurratur subditorum infirmitati, & regimen communitatis sit suauis. Interim verò quod tandem resultat ex eiusmodi consuetudine, non est malum, scilicet, quòd similes actus postea sine malitia fiant ablata nimirum lege, & in hoc consentire censendus est Princeps abrogando legem. Et hoc modò licet consuetudinis illius actus, quibus constat, sint irrationabiles, prout fiunt (quia videlicet contra positam legem) non tamen in substantia, siue ab intrinseco; quia possunt licitè fieri, sublata scilicet lege; neque in termino aut effectu; quia Princeps propter istam consuetudinem prudenter & rationabiliter potest legem abrogare; & sic consuetudine completa, & lege abrogata, actus postea licitè fiunt, & ius quoque ad eos liberè faciendos rationale est: quia non est nisi quædam carentia, siue solutio à lege prohibente, quæ rationabiliter auferri potuit. Et hæc omnia docet Ioannes VViggers in part. 2. quæst. 97. art. 5. num. 15. & 17. & Lorca tom. 2. disp. 20. membr. 2. in fin.

Et tandem nota posteros consuetudinem à suis maioribus introductam obseruantes à culpa excusari, nec inuestigare teneri de illius iustitia: sed posse illam præsumere. In quo sensu dixit Basilus de Leon ex Barolo in l. de quibus, ff. de legibus, quòd ab omnibus fit, rectè fieri præsumitur. Intelligendum tamen est, quando toto tempore necessario ad præscriptionem consuetudo præualuit. Denique si consuetudo immemoralis fuerit, præsumenda est iusta & rationabilis, etiamsi esset contra dispositionem legis anterioris, quia ratione temporis diurni præsumitur in ea iustus ritulus. Et ita ex Alexandro, Auendano, & Salas docet Castrus Palaus tom. 1. disput. 3. tract. 3. punct. 2. §. 1. num. 5.

An actus suprascripti debeant procedere ex intentione introducendi consuetudinem: hoc est, introducendi obligationem?

RESOL. X.

Affirmatiuè respondeo cum Villalobos in Summa tom. 1. tract. 2. difficult. 38. num. 10.

vbi sic ait. [Item es necessario para que la costumbre tenga fuerça de ley que lo haga el pueblo, como obligado, y no de su libre voluntad, como todos tenen, que claro esta, que los que de su deuotion ayunan las vigilias de N. S. y no por obligacion, no inducen costumbre.] Ideo ad iudicium ferendum de consuetudine, necessariò attendendum esse, qua intentione fuerit incepta & continuata. Requiritur enim, vt tempore requisito ad præscriptionem continuata fuerit consuetudo animo inducendi obligationem; etiamsi à principio ex deuotione fuerit incepta. At si solum ex deuotione incepta & continuata est, nullam obligationem inducit; vt non inducit consuetudo salutandi Virginem ad signum Campanæ noctis, ieiunandi in Sanctorum vigiliis, semendi aquam benedictam in ingressu Ecclesiæ, panem benedictum diebus Dominicis, & cinerem benedictum primo die Quadragesimæ, & ramum in Dominica Palmarum, recitationem matutini ante Missam, & alia exempla his similia congerit Belarminus lib. 4. de Roman. Pontif. cap. 18. Suarez lib. 7. cap. 14. num. 6. Salas disp. 19. sect. 11. sub num. 92. Azorius tom. 1. lib. 5. c. 18. quæst. 5. Idem est, si ex vrbantate, aut liberalitate alicui obsequium, vel beneficium præstare populus etiam multo tempore, non inde ex necessitate obligatus manet continuare: quia cum solum ex vrbantate & liberalitate introducta sit consuetudo, non potest aliam in continuatione obligationem inducere. Sic Menochius de arbitr. lib. 2. centur. 5. casu 494. num. 4. Et hæc omnia docet etiam Præpositus in part. 2. Diui Thomæ quæst. 97. art. 2. conclus. 8. Castrus Palaus tom. 1. tract. 3. disput. 3. punct. 2. §. 3. num. 12. cui adde Montefinus in part. 2. D. Thomæ tom. 2. disput. 23. quæst. 13. num. 223. vbi ita asserit. Quarta conditio est, vt consuetudo habeat vim legis, quòd aliquid obseruetur ex consuetudine tanquam necessarium, & non solum ex deuotione. Vnde qui habent consuetudinem recitandi officium Beatæ Mariæ in choro vel extra chorum propter solam deuotionem, non peccant omittendo illud, quia non est consuetudine receptum apud illos, quòd illud recitare sit necessarium. Sed quando consuetudine receptum est in aliquo populo agere diem festum, & audire sacrum determinato aliquo die, vel ieiunare, aut abstinere ab esu carniarum; ita quòd sit receptum istud consuetudine tanquam necessarium ad non peccandum, talis consuetudo est, quæ habet vim legis, vt optimè dicit Sorus loco citato. Ita Montefinus. Cui etiam adde Ioannem VViggers in part. 2. quæst. 97. art. 3. n. 24. Hinc rectè sacra Rota in vna Giennensi portionis die 13. Nouembris 1613. coram Bu-

rato

rato part. 1. decis. 19. num. 14. statuit consuetudinem tunc induci, quando actus efficiuntur animo intentione eam inducendi.

Quomodo cognoscatur consuetudinem esse introductam cum animo inducendi obligationem?

RESOL. XI.

AD hunc casum ita respondet Ioannes VViggers in part. 2. Diui Thomæ quæst. 97. art. 3. conclus. 3. numer. 29. Quarta difficultas est, quando quidem dictum sit, vt consuetudo inducat aliquando legem, debere à populo illam frequentari eo animo, vt in ius transeat: vnde constare poterit de tali intentione populi, cum hæc in actibus non se monstret? Respondetur de hac re non posse quoque determinatam regulam tradi, quia id certò cognoscatur; sed morali iudicio prudentem esse æstimandum: ad quod rationabiliter formandum, (quando intentio populi non est aliter explicata) poterunt hæc seruire, vt attendatur in primis ad opinionem populi, quam habet de materia consuetudinis; si enim iudicet eam necessariam, aut plurimum conducere ad tranquillum regimen, vel ad notabile bonum communitatis; vel indecorum fore respectu Religionis aliter agere, magnum hoc erit iudicium, quòd intentio populi sit inducere legem. Item si illi, qui contrarium faciunt, à populo reprehendi soleant: rursus si populus passim existimet se malè agere, si faciat contrarium. Ita VViggers.

Sed Suarez de legibus, lib. 7. cap. 15. num. 13. & Castrus Palaus tom. 1. tract. 3. disp. 3. punct. 2. §. 3. num. 13. magis clarè quatuor conditiones assignant, ex quibus deduci potest consuetudinem obligare. Prima, si consuetudo sit rei grauis, difficilis, & communiter seruata à populo, quia non solet populus vniformiter conuenire in his actibus, nisi quando se obligatum sentit. Secunda, si viri timorati malè sentiant de his, qui non seruant consuetudinem, vel communiter populus scandalizatur. Tertia, si Prælati & superiores puniant violantes consuetudinem. Quarta, si materia consuetudinis, & illius obligatio multum conferat Reipublicæ: quælibet enim ex his coniecturis non leue est indicium obligationis. Et hanc sententiam docet etiam Præpositus in part. 2. D. Thomæ quæst. 97. dub. 1. num. 7. Iacobus Gordonus in Summa tom. 1. lib. 2. quæst. 14. cap. 4. num. 16. Vide etiam Megalium in Promptuario verb. consuetudo, num. 5.

An in dubio si consuetudo sit inducta animo obligandi obliget?

RESOL. XII.

Respondeo negatiuè. Quoties igitur communi iudicio obligatio consuetudinis non est recepta, sed in dubio versatur: tunc cæteris paribus potius est inclinandum in eam partem, quòd consuetudo sit deuotionis vel honestatis, quàm quòd sit iuris & obligationis, quia generalis est regula, quòd in dubio nullus præsumitur se velle obligare. Ita VViggers in part. 2. D. Thomæ quæst. 97. art. 3. num. 29. qui citat Suarez lib. 7. cap. 15. num. 15. quibus adde Villalobos in Summa tom. 1. tract. 2. difficult. 39. num. 3. Castrus Palaus tom. 1. tract. 3. disp. 3. punct. 2. §. 3. num. 13. & Bonacinam de legibus, disputat. 1. quæst. 1. punct. ultimo, §. 3. num. 21. Quibus adde & nouissimè Basseum in floribus Theologiae practicae verb. consuetudo, num. 7. vbi sic ait. Non quælibet consuetudo obligat sub peccato mortali; sed illa sola quæ inducta fuit per modum præcepti: vnde non est obligatio ex iustitia seruandi consuetudinem in iis, quæ ex mera liberalitate, aut vrbantate fieri consueuerunt: tamen obligatio esset seruandi consuetudinem, quæ initio inchoata fuit ex deuotione, sed postea continuata fuit, vt obligatoria. In dubio autem, an consuetudo inducta fuerit ex deuotione, an animo se obligandi, præsumendum est non fuisse inductam animo se obligandi, sed potius animo deuotionis: quia nemo præsumitur velle sibi onus imponere, neque obligare; nisi aliter constet de ipsius voluntate, & an sint sufficientes coniecturæ ad iudicandum animo se velle obligare.

An ad stabiliendam consuetudinem requiratur expressus, vel saltem tacitus Principis consensus?

RESOL. XIII.

Hæc resolutio est difficilis, & multum deferuiet pro praxi: ideo illam paulò latius explanabo. Asserunt igitur aliqui nullum alium consensum requiri præter traditum in cap. fin. de consuetud. & in leg. de quibus, ff. de legibus, in quibus habetur consuetudinem rationabilem, & legitime præscriptam legi derogare posse docet Malderus in part. 2. D. Thomæ 97. art. 3. n. 3. vbi sic asserit. Si quæras quali opus sit consensus, an tali, vt superior speciatim & personaliter in consuetudinem consentiat; an verò sufficiat consensus ille superioris, qui datur per ipsum ius: quia videlicet iurè scripto est

est statutum, quod consuetudo habens eiusmodi conditiones habeat vim legis. Respondet de consuetudinem legitime præscriptam inducere legem, siue sæcularem, siue Ecclesiasticam, sine personali consensu Principis, aut Papæ; & sufficere consensum, cui per ipsum ius datur, quia per ius Princeps censetur continuo loqui. Ita ille. Cui adde Sanchez *de matrimonio, lib. 7. disp. 4. num. 11.* ubi sic ait. Deinde probatur minimè ad eam consuetudinem inducendam desiderari Pontificis scientiam: quoniam licet non desint Doctores graues scientiam Principis exigentes, quod consuetudo vim legis inducendæ aut abrogandæ habeat: at verior sententia habet eam minimè desiderari, etiam si sit circa sacramentalia ea consuetudo: quippe cum Princeps *cap. finali, de consuetud.* generaliter decreuerit consuetudine posse legem statui, & abrogari; iam talis voluntas, ut eam facultatem obtineat consuetudo, est racia scientia & tolerantia consuetudinis in posterum legitime introducendæ, ut eas vires fortiatu absque alia speciali ipsius consuetudinis in Principe notitia. Ita Sanchez; & hanc opinionem tenet etiam Suarez *lib. 7. cap. 13. num. 6.*

Sed nominatim, aduersus illos insurgit Basilii Pontius de Matrimonio *lib. 6. cap. 6. n. 5.* ubi ita asserit. Nec verò satis est ad consensum Principis approbantis præsumendum generalis illa doctrina *in cap. fin. de consuetud.* ubi dicebat Thomas Sanchez, quem sequitur Suarez: idque probatur ex textu *in dicta l. de quibus*, iuxta considerationem præmissam: si enim actibus populi inducitur consuetudo, penes quem est potestas leges condendi; ergo est specialis consensus legis, & non generalis: quare *in eo cap. fin.* solum traditur generalis doctrina, quæ explicat vim consuetudinis approbatæ à Principe. Sicut ergo re ipsa, ut sæpè contingit, non omnis consuetudo probatur à Principe: sed aliæ probantur, aliæ tantum permittuntur, non potest ob vniuersalem illam doctrinam in quavis consuetudine præsumi approbatio. Et cum consuetudo specialis quædam tacita lex sit, specialis etiam Principis consensus præsumendus est circa materiam illam, sicut & requiritur ad leges aliquas in speciali ferendas. Nec præsumi potest, nec debet solo illo generali iure explicato *in dicto cap. finali*, voluisse Principem tacitum suum consensum in quavis speciali consuetudine præsumi posse, cum multis consuetudinibus sese opponat. Non igitur præsumendus consensus, nisi præsumatur etiam specialem illam consuetudinem ad eius cognitionem deuenisse, & approbatam. Hæc Pontius.

Verum sententiam Sanchez & Suarez tueri nouissimè contra Pontium Cæstrus Palaus

tom. 1. tract. 1. disp. 3. punct. 2. §. 4. num. 3. quia Princeps supremus, scilicet Rex aut Pontifex optimè poterat legem suam stabilire, ut quoties populus in aliqua consuetudine rationabili decennio durauerit, ea consuetudo pro lege suscipiatur, facta autem hac lege nemini dubium esse potest consuetudinem rationabilem decennio durantem vim legis habere ex approbatione legali supremi Principis, neque alia est approbatio exposulanda. Sed hoc ipsum factum iam est iure Canonico & Ciuili, ut patet *in d. cap. fin. & l. de quibus.* Ergo, &c. Et ita hanc sententiam docet etiam Basseus *in florib. Theolog. pract. verb. consuetudo, numer. 12.* Azorius *tom. 1. lib. 5. cap. 18. quæst. 1. Salas de legib. disput. 19. sect. 3. num. 20. & 37. & sect. 4. num. 39. & 40.* & Villalobos *in summa tom. 1. tract. 2. difficult. 38. num. 6.* sic asserens. [Para introducir costumbre, tengo por mas probable, que no es necessaria sciencia del Principe, ò del Pontifice, porque aunque fuera necessaria ex natura rei, pues no es de menos autoritat el quitar la ley, que el ponerla, y el pueblo no puede hazer ley sin el Principe, mas atendiendo à lo que esta escrito en ambos derechos, donde se dize, que la costumbre puede quitar, y poner ley, y a esta autoritat, que le da el derecho, es sciencia tacita, y tolerancia, para que tenga fuerça sin especial noticia del Principe.] Ita ille.

Sed contra supradictos Doctores, opinionem Basilij Pontij, nempe ad introducendam consuetudinem requiri consensum Principis, tenent Montefinus *in part. 2. tom. 2. disput. 23. quæst. 13. num. 220.* Vasquez *tom. 2. disput. 177. cap. 2. & 3.* & Lorca *tom. 2. disput. 29. de legib. num. 2.* cuius verba hinc apponere non graua bor. Sic itaque ait, sequitur necessariò requiri scientiam, quia Principi innotescat consuetudo; atque ad eam consuetudinem debere esse publicam, & manifestam: occultis enim actionibus, quantumcumque multiplicentur, legitima consuetudo introduci non potest. Quare non rectè sentiunt Syluester & Angelus consensus tacitum interuenire posse sine scientia Principis, quod est omnino impossibile. Quod autem Antoninus obiicit impossibile esse, ut omnes consuetudines Principi innotescant, nullius est momenti: quia si non est possibile ut Princeps omnem usum nouerit, non est etiam necessarium, ut omnis usus in legem transeat, vel contra legem legitime præscribat.

Dicunt quidam in ipsa prima legum institutione interuenisse conuentionem & consensum Principis, ut consuetudine lex abrogari possit: sed hoc commentitium est; neque enim tale pactum in prima legum institutione

initum esse constat, nec cum singulæ leges feruntur, fieri consuevit. Aduerte præterea requiri consensum & scientiam Principis supremi, & qui potest leges edere; nec sufficit specialis Rectorum & Magistratum, nisi circa ea, quæ illorum dispensationi commissa sunt. Sæpè tamen istorum consensus argumentum esse potest permissionis & approbationis supremi Principis, quia præsumi potest eos non sine beneplacito sui Domini, quod agitur tolerare. Hucusque Lorca.

Et idèd hanc opinionem esse communiter receptam inter inlytos Theologos Complutenses apparet; & pro nobis etiam adsunt Salmanticenses, cum Pontius instat multorum esse possit. Et ego hanc sententiam in ordine ad consuetudinem abrogantem legem Canoniam prorsus teneo, quam ita firmavit sacra Rota in vna Treuerensis Abbatia sancti Maximini die 24. Ianuarij 1625. coram doctissimo Domino meo Cocino, ubi sic asserit. Secundò fuit principaliter responsum, quod ad introducendam consuetudinem contra Canones requiritur scientia & expressus consensus Papæ, aliàs nunquam per consuetudinem contrariam lex abrogatur: quia Summus Pontifex non habet potestatem à populo, sed immediatè à Deo, & idèd non est populus, qui inducit consuetudinem contra Canones, sed auctoritas Papæ permittentis, Abbas *in cap. fin. numer. 8. in fin. de consuetud.* Salas *de legibus quæst. 97. tractat. 14. disputat. 19. sect. 6. num. 59. ver. hæc sententia.* Quod in lege Ciuili secus est: nam lex ciuilis tendit ad bonum publicum, & in utilitatem priuatorum: vnde si populus vult sibi inferre præiudicium, Principes ab eodem populo potestatem habentes non curant. *l. de quibus, ver. nam cum ipse, ff. de legib. S. Thomas 1. 2. quæst. 47. art. 3. in respons. ad 3.* Abbas *in cap. fin. num. 9. de consuetud.* Driedon *de libert. Ecclesiast. cap. 11. ante finem.* Ius autem Canonicum principaliter intendit hominem in Deum dirigere, & venit ad bonum publicum Ecclesiasticum: & cum sit institutum à potestate spiritali, illa non potest in Laicos cadere. Abbas & Driedon *locis præcitatis.* Hinc ergo cum consensus Papæ operetur ad istam consuetudinem inducendam, requiritur illius certa scientia, itaut non sufficiat error, ut dictum est, & insimul requiritur animus inducendi consuetudinem. Gloss. *in dicto cap. finali in verb. legitime, ibi Abbas numer. 17.* & facit textus *in l. 1. Cod. quæ sit longa consuetudo.* Quare si consensus Papæ est ille, qui consuetudinem inducit, & etiam ad hunc effectum requiritur certa scientia & voluntas inducendi consuetudinem, non potest deduci voluntas, nisi expressus adsit consensus: multa enim per patientiam tolerantur, quæ deducta in iudicio

exigente iustitia toleranda non essent, ut dicit text. *in cap. cum iam dudum 18. in fin. de præbend.* quem in puncto allegat Gloss. *in §. leges verb. abrogata, distinct. 4.* Et ex istis rationibus conuincitur Vasquez *part. 2. art. 97. disp. 157. cap. 12.* dum dicit nihil referre, quod Papa recipiat potestatem à Deo, & non à populo, ut consensus eius tacitus non possit operari ad derogandum suæ legi; ut enim ex prædictis apparet, multum refert, quod Papa immediatè potestatem habeat à Deo. In hoc autem casu nedum non adest expressus consensus Summorum Pontificum, sed nec etiam scientia. Et quod requiratur nedum scientia, sed etiam expressus Papæ consensus ad introducendam consuetudinem contra canones, etiam quantumcumque temporis spatio illa fuerit seruata, tenent Gloss. *in dicto §. leges in ver. abrogata. dist. 4.* Archidiaconus *in cap. cum de benef. n. 2. circa med. ver. nam & ibi notat. de præbendis in 6.* ubi optimè dicit casum esse expressum *in cap. consequens, & in cap. nolite 11. dist. cap. facta 9. quæst. 3. & cap. illud, & cap. ridiculum 12. dist.* Ioan. Andreas *in d. cap. cum de benef. post princip.* Geminianus *in 6. Francus num. 3. & 4.* S. Antoninus *in summa part. 1. tit. 16. cap. unico §. 2. ante finem ver. dicit autem Ioannes.* Ioan. de Salas *de legibus quæst. 97. tractat. 14. disput. 19. sect. 6. numer. 62. in fine.* Quam sententiam sequuta fuit Rota in Romana obseruationis contractus 23. Octobris 1551. coram Chifaneñ relata apud Verallum *decis. 204. numer. 3. part. 3.* & in Romana Concordiæ sancti Petri 12. Februarij 1610. coram Illustrissimo Domino meo Caualerio. Hucusque sacra Rota coram Domino meo Coccino. Quam decisionem per extensum adducit Castellinus *tract. de elect. cap. 4. in fine.* & Massobrius *in praxi habendi concursus Prælat. numer. 88.* & hanc Rotæ sententiam sequitur nouissimè Ioannes Maria Nouarius *in Lucerna Regularium verb. electio numer. 34.*

Non desinam tamen hinc adnotare opinionem Vasquez, quam impugnat sacra Rota, defendere Montefinum *in part. 2. tom. 2. disputatione 23. quæst. 13. numer. 228.* quia quamuis verum sit, quod auctoritas Pontificis sit immediatè à Christo; auctoritas verò Principis sæcularis à Republica: tamen postquam Respublica dedit auctoritatem suo Principi, nequit abrogare legem illius sine consensu eiusdem Principis. Tum etiam secundò, quoniam quamuis auctoritas Pontificis sit immediatè à Christo, nihilominus potest Pontifex iustis de causis abrogare legem à se ipso prius latam, vel à sua Prædecessore: consuetudo autem non habet vim legis, ut sæpè dixi, nisi ex consensu superioris: ergo sicut consuetudo approbata consensu tacito Principis sæcu-

laris abrogare potest legem sæcularem; ita etiam approbata consensu Pontificis poterit abrogare legem Canonicam. Et hanc sententiam præter Vasquez & Montefinum tenet etiam Lorca *in part. 2. tom. 2. disput. 29. de legibus. membr. 2.* vbi etiam dissentit à Sacra Rota, quoad consensum expressum Pontificis necessarium, vt consuetudo abroget legem Canonicam: sic enim asserit, Quæritur ramen, an requiratur consensus expressus Principis; an sufficiat tacitus & virtualis. Antoninus existimat, quoad leges Pontificias (in quibus solis censet nullam esse vim consuetudinis sine Principis approbatione) requiri expressum consensum eius, & aliàs consuetudinem firmam non esse: quoad alias verò nec tacitum, nec expressum requiri. Sed fallitur, & communis sententia omnium fert vniuersum tacitum consensum sufficere sine discrimine aliquo inter Ecclesiasticas leges & ciuiles: nam verus consensus est, & voluntarium ac liberum censetur, quod tacite approbatur. Est autem consensus tacitus permissio; quia scilicet scit quod agitur, & non reprimat, sed fieri patitur. Ita Lorca. Sed propter reuerentiam, quam debeo, ac omnes habere debent Sacræ Rotæ Romanæ, puto non esse discedendum ab his, quæ ipsa firmavit, *vbi supra.*

Notandum est, etiam hinc multò magis irritam esse consuetudinem, cui Princeps resistit: sed quia aliquando cedere oportet, multitudini, etiamsi contra legem iniuste releuet, propter pacem Reipublicæ, & ad vitanda maiora incommoda; etiamsi Princeps coactus, & quia non potest populum reprimere, tandem tacite vel expresse consentiat, consuetudo stabilita manet.

Nota etiam, quòd quamuis Princeps ex desidia annuat, & non reprimat transgressores, quando reprimere & conseruare legem tenebatur; nihilominus consuetudo vincit legem, licet Princeps reuocet legem iniuste & absque causa, si tamen semel reuocauerit abolita manet; & eadem ratio est, si ineptè aut aptè consensum præbeat consuetudini legem abroganti; dummodò consuetudo soli legi positivæ & non naturali contraria sit. Ita Lorca *vbi supra.*

*Quinam possint consuetudinem
introducere?*

R E S O L. XIV.

AD hoc dubium ita respondet Villalobos *in summa tom. 1. tract. 2. diff. 38. num. 4.* [La costumbre no la puede introducir persona particular, sino que la ha de introducir el pueblo, que puede hazer ley, como dizen Bar-

tolo, Iason, Panormitano, Roque, Suarez, y otros muchos que trahen. Bien es verdad que la Comunidad de los Clerigos es bastante para introducir costumbre contra el derecho Canonigo, como dizen los mismos, porque aunque los Clerigos de echo no pueden hazer leyes, son capaces para poderlas hazer, y assi mismo la comunidad del pueblo de los legos puede hazer costumbre acerca de la ley Ecclesiastica, como del ayuno, ò de guardar vna fiesta, porque esso se haze de consentimiento tacito de los Prelados de la Yglesia, y assi como ellos con este consentimiento podrian hazer ley, tambien pueden hazer costumbre. Assi mismo podrian hazer costumbre la Comunidad de los Mercaderes en sus tratos, como supone Suarez. Tambien la Comunidad de las mugeres, qual es vn Monastero de Monjas puede introducir costumbre, como sea aceptada del Prelado tacitamente, ò expresse, como tiene Bartolo, y le sigue Suarez por dezir, que es capaz de la ley.] Ita ille. Cui adde Suarez *lib. 7. cap. 9. Castrum Palaum tom. 1. tract. 3. disp. 3. punct. 3. Salas disp. 19. sect. 11. num. 90. & sequent.*

Nota tamen quòd licet consuetudo sit introducenda à maiori parte Communitatis, quæ potest illam introducere: verum quando consuetudo est contra legem priorem, & minor pars seniorum, prudentiorum, ac præcipuorum ciuium sciente Principe aut superiore recipit talem consuetudinem, nec Princeps punit illos, cum possit; videtur consentire in hoc, atque aded talis consuetudo poterit habere vim legis: quia quamuis sit à minori secundum numerum, est tamen à maiori secundum qualitatem. Ita Montefinus *in part. 2. tom. 2. disput. 23. quest. 13. num. 221.* qui etiam addit, quòd postquam consuetudo est approbata tacite vel expresse à superiore, absque dubio cæteri tenentur seruare illam: ita vt si sit consuetudo generalis Regni aut Prouinciæ, omnes illius Regni aut Prouinciæ teneantur seruare: si autem sit alicuius specialis oppidi, omnes oppidani; immò ad consuetudinem tenentur peregrini, sicut diximus teneri ad leges. Qua ratione Hispani, dum viuunt in Italia, tenentur in Sabbato abstinere ab esu ieiuniorum, & extremitatum, &c. Contra verò Itali, cum sunt in Hispania, non tenentur ratione consuetudinis.

*An mulieres possint introducere
consuetudinem?*

R E S O L. XV.

Mhi circa præsentem quæstionem placet opinio Montefini *in part. 2. tom. 2. disp. 23.*

disput. 23. quest. 13. num. 220. vbi sic ait. Conditio consuetudinis est, quòd sit introducta vel recepta à maiori parte populi; immò verò addunt Syluester & Angelus non sufficere quamcumque maiorem partem eorum, qui sunt habiles ad faciendam consuetudinem vel legem. Vnde pueri, ebrij, amentes, & alij huiuscemodi, sicut non sunt habiles ad præstandum consensum, ita neque ad faciendam legem aut consuetudinem; atque aded maior pars non debet computari ex parte istorum. Idem dicunt prædicti Doctores de mulieribus. Sed hoc crediderim esse limitandum: nam quamuis verum sit, quòd mulieres regulariter non possint introducete consuetudinem generalem obligantem omnes etiam viros; sicut regulariter non sunt habiles ad condendas leges, benè tamen potest per mulieres introduci consuetudo habens vim legis obligantis ipsas, non viros. Vt si in aliquo loco esset consuetudo, quòd mulieres audirent Sacrum in Sabbato, vel ieiunarent feria sexta in honorem Beatæ Mariæ. Ita Montefinus & Ego.

*An consuetudo Laicorum obliget
Clericos?*

R E S O L. XVI.

Respondet Ioannes VViggers *in part. 2. quest. 97. art. 3. numer. 32.* Quòd si consuetudo sit in materia ciuili, quæ vim suam fortiri debeat ex consensu Principis sæcularis, non obligare Clericos, per se loquendo: puta Princeps sæcularis etiam per expressam voluntatem non potest obligare Clericos: ergo minus per tacitam. Immò nec possunt Clerici consentire in aliquam subiectionem contra suam exemptionem, & Ecclesiasticam libertatem. Quòd si materia sit mixta, vt si pertineat ad politiam ciuilem & Ecclesiasticam, & in vtraque seruetur per vtriusque status homines consuetudo communis, tunc erunt quasi duæ consuetudines, & à parte rei duò iura; vnum ciuile habens vim à consensu Principis Laici, & alterum Ecclesiasticum habens vim à consensu Superioris Ecclesiastici, & proinde etiam Clerici eo tenebuntur. Denique si materia sit spiritalis, & ad bonum animæ tendat, vt ieiunium, festiuitas alicuius diei ad diuinum cultum, sic quidem erit vna consuetudo & obligabit Clericos & Laicos, quatenus vim accipit ex consensu, & potestate Superioris Ecclesiastici, qui in vtroque habet suam iurisdictionem spiritualem; vbi etiam non considerantur subditi, tam vt Laici vel Clerici distincti ordinis, quàm omnes vt Christiani.

Immò poterit vnus solus Laicorum inducere consuetudinem, cuius obligatio etiam ad Clericos se extendat, si tacita Episcopi adsit voluntas inducendi ius Episcopale consuetudinarium pro sua Diocesi, quod quidem potest & præsumitur etiam ita velle, quando materia consuetudinis de se communis est Clericis & Laicis, & æqualiter vtroque, aut magis Clericos decens; vt non possit sine scandalo Laicis magis, quàm Clericis intelligi obligatio imposita; idque præsertim quando totus populus simul in hoc conuenit; quia respectu talis consuetudinis non consideratur populus vt Laicus distincti ordinis contra Clericos, vt nunc indicauimus; sed vt Christianus, quod vtriusque commune est; vt hinc huiusmodi consuetudine possint vincere Clericos, & etiam in ordine ad illos eam introducere. Hucusque VViggers. Cui adde Suarez *lib. 7. cap. 16. num. 9. & seq. cum Salas disput. 19. sect. 15. num. 115. & Azorio tom. 1. lib. 5. cap. 8. quest. 12. & Gordonio in summa tom. 1. lib. 2. quest. 14. cap. 6. num. 21.*

Non desinam tamen hic apponere etiam verba Francisci Syluij *in part. 2. Diui Thomæ quest. 97. art. 2. conclus. 10.* vbi sic ait. Consuetudo Laicorum non potest Clericos obligare, nisi vel indirectè, sicut in materia, quæ communis est Clericis & Laicis: vel nisi interueniat consensus tacitus Superioris Ecclesiastici. Ratione prioris, Clerici non possunt frumenta, vel alias res venales pluris vendere, quàm habet consuetudo, quæ adhuc viget. Ratione posterioris, Clerici tenentur seruare festa, & ieiunia, si qua vigeant ex consuetudine Laicorum introducta. Ita Syluius.

Quas personas consuetudo obliget?

R E S O L. XVII.

Respondeo in hac parte consuetudinem æquiparari legi: nam sicut lex obligat subditos, ita & consuetudo; & sicut lex non obligat extra territorium pro quo fertur, ita nec consuetudo. Vnde si hæc sit vniuersalis totius Ecclesiæ, omnes Christianos indistinctè obligabit: si solius Regni alicuius, aut Episcopatus, omnes istorum districtuum respectiue incolas obstringet, & sic de cæteris communitatibus cum proportione. Generalis autem regula est, quòd consuetudo vnius communitatis non obliget alteram distinctam; quia vna non habet potestatem imponendi alteri legem; neque ad hoc censetur Princeps præbere suum consensum: idque aded verum est, vt consuetudo Episcopatus Romani, quatenus est particularis Ecclesiæ, non obliget Ecclesiæ alias, vt notat

Panormitanus *ad cap. fin. de fer.* quod etiam ex vsu & praxi satis est manifestum.

Sed contra hanc regulam potest opponi Capitulum. *Super eo, de cognatione spirituali*: ubi præcipitur cuidam Episcopo consuetudinem suæ Metropolitanæ Ecclesiæ, vel aliarum circumiacentium inquirere, & diligenter imitari. Ergo videtur, quod consuetudo vnius Diocesis etiam obliget vicinam, & præsertim si sit consuetudo Ecclesiæ Metropolitanæ. Respondetur negando consequentiam: nulla enim est ratio, cur magis consuetudo vnius Episcopatus, quæ illius est propria, vel etiam Ecclesiæ Metropolitanæ, modò eius tanquam particularis Episcopatus habeatur propria, obliget alios Episcopatus; quàm quod propria illarum Ecclesiarum statuta obligent Episcopatus alios. Ad textum itaque allegatum dicendum erit, quod loquatur de consuetudine, quæ est quidem totius Prouinciæ; sed in aliqua Diocesi non ita erit nota; quia forsitan à multis annis non acciderat casus, in quo praxis conformis, vel contraria tali consuetudini possit ostendi; tunc enim voluit Pontifex consuli Episcopos vicinos, & maximè Metropolitanum, & communi eorum consuetudini infisti, quæ scilicet ab illis obseruatur tanquam consuetudo totius Prouinciæ, & non tanquam propria huius vel illius Ecclesiæ tantùm. Et hæc omnia docet VViggers *in part. 2. quest. 97. art. 3. conclus. 3. difficult. 5. num. 30.* Et ideò dicendum est consuetudinem non extendi de loco ad locum, nec de persona ad personam, nec de casu ad casum. Et licet Castrus Palaus *tom. 1. tractat. 3. disputat. 3. punct. 4. §. 1. num. 3.* teneat quod si in aliqua Ciuitate non fuerit statutum, aut lex, aut consuetudo, quibus causa decidatur, recurrere debet iudex ad consuetudinem vicinarum Ciuitatum, si rationalis est, iuxta *cap. cum eo, de cens. & cap. cum olim, de consuetud.* & tradit *ibi* Panormitanus *num. 1.* Et idem est in eadem Ciuitate circa diuersum casum, si subest eadem ratio & æquitas. Conceditur enim tunc extensio & vsus præscriptionis, vt relatis aliis docet Menochius *suprà num. 65.* Verùm vt rectè aduertit Salas *disp. 19. sect. 14. num. 102.* hoc intelligendum est de non obligatione, sed de conuenientia & æquitate: quia consuetudo vnius Ciuitatis ad aliam authenticè non extenditur; neque de vno casu ad alium, vt dictum est. Et ita intelligendus est, textus *in cap. super eo, de cognat. spiritual.* non enim loquitur, de præcisa obligatione, sed de æquitate. Ita idem Castrus Palaus *ubi suprà.*

Aliquæ verò quæstiones circa præsentem materiam, videlicet, An consuetudo obliget Principem vel Senatium supremum: & an consuetudo Ciuitatis vel Territorij obliget

forenses: item an obliget Ciues extra Territorium. Sed in his & similibus eadem ratio est in consuetudinibus quæ in legibus vel statutis scriptis propter rationem fundamentalem positam, quod consuetudo, de qua tractamus, est vera lex, & ab eadem potestate & iurisdictione procedit, solùmque differt in modo, qui non variat rationem obligandi in omnibus illis casibus. Et ideò quæ de lege humana dicunt Doctores, ad consuetudinem applicanda sunt. Ita Suarez *lib. 7. cap. 16. numer. 8.* Vide etiam Azorium *tom. 1. lib. 5. cap. 18. q. 13.* & Salas *disp. 19. sect. 16. num. 106.* ubi docent consuetudinem non ligare externos & peregrinos, nisi veniant animo commorandi; neque subditos extra territorium.

An non vsus possit introducere consuetudinem?

RESOL. XVIII.

AD hoc dubium ita respondet Villalobos *in summa tom. 1. tractat. 1. difficult. 39. numer. 12.* [Quando el non vfo contiene acto tacito contra la ley induce costumbre en contrario: como si manda la ley, que los Clerigos traygan corona, y no la traen, pueden introducir costumbre: mas si el no vfo contiene el tal acto contra la ley, non puede introducir costumbre, como si no huiesse Hermafrodita en mil años, no por esso se introduce costumbre contra las leyes que hablan de los Hermafroditas: assi lo tiene Panormit. despues de Iuan Andreas. Y en caso que el no vfo introduce costumbre, quando el Legislador lo sabe, y no lo castiga pudiendo; bastaran dos o tres actos, como despues de Abad lo dize Azorio. El priuilegio del Principe si pierde non vsando del por diez años, como costa de vna ley, salvo si nõ se vsd del, porque nõ se pudo, õ no se ofrecio ocasion, como dizen orras leyes; ni tan poco si pierde por el no vfo, quando el Principe en el priuilegio quedio dize, que pueda vsar del como, y quando quisierẽ, como dize Azorio. Los priuilegios de los Religiosos nõ se pierden por el no vfo, si no es en 60. años: por vn priuilegio concedido à San Benito el Real en Valladolid; que trae Fray Emanuel Rodriguez, y conforme a otro priuilegio que concedio Eugenio a los Religiosos de San Pablo extra muros de Roma nõ se pierden sino por tiempo de cien años, como dize el P. Fray Manuel, Fray Iuan de la Cruz, y Portel: porque dize que nõ se prescriba contra los bienes de los Religiosos, si no en el dicho tiempo,

tiempo, y los priuilegios son bienes de la Religion.] Ita ille.

Sed manifestum est merum non vsus non posse inferre consuetudinem, quæ vim legis habeat, cum solus vsus eam inferat; eatenus enim robur iuris acquirit, quatenus in vsu est: solùm ergo est difficultas, an non vsus possit abrogare legem, & quoad hunc effectum consuetudinem inducere. In quo puncto Syluester *quest. 8. cum Panormitano in cap. Ioannes, de Clerico coniugato.* Marc. Burg. *in lib. 1. Tauri numer. 164.* ex communi doctrina asserunt, non vsus, si præcisè non vsus sit, & non æquiualeat contrario vsui, atque illum inuoluat, nulla temporis diuturnitate sufficientem esse, vt legi deroget: quia consuetudo vsus est, & in non vsu consistere non potest. Inuoluit autem non vsus vsus contrarium, quando lex præcipit aliquid fieri, vel, vt dicit soler, statuit præceptum affirmatiuum, & præualet non vsus eius, tunc enim cessatio ab opere, & non vsus, vsus quidam est. Sed hoc est intelligendum, quando cessat vsus præcepti occurrentibus occasionibus & materia agendi: nam si materia rarò occurrat non vsus insufficiens est, vt legem abroget, v. g. lex disponit, vt hermaphroditus deputeretur sexui præuolenti, huius legis non vsus, qui prouenit ex raro euentu, ei derogare non potest. Et hæc omnia docet Lorca *in part. 2. tom. 2. disp. 29. de legibus, membr. 3.*

An consuetudo possit abrogare pœnam legis manente obligatione legis?

RESOL. XIX.

NEGatiuam sententiam docet Castr. *lib. 2. de legib. pœn. cap. 22.* & alij penes ipsum asserentes consuetudinem abrogare non posse pœnam lege impositam, nisi simul abroget ipsam legem, seu eius obligationem. Mouetur, quia faciens contra legem committit culpam; ergo astringitur pœna, quia pœna est propter culpam, ergo consuetudo non potest abrogare pœnam legis manente legis obligatione.

Sed contrariam ego sententiam teneo. Dico igitur posse legem pœnalem per consuetudinem quoad pœnam derogari, & manere quoad obligationem ad culpam: & ideo dicendum est per consuetudinem contrariam excusari à censura constituta per Extrauag. *1. de sœmonia* contra dantes, vel accipientes aliquid ob ingressum in aliquod Monasterium, non autem à peccato mortali. Et probatur aliis exemplis: nam olim filij Clericorum nascebantur serui ipso iure in pœnam paternæ incontinentiæ, *cap. cum multis, dist. 15.* Et tamen

per dissuetudinem obrogata est pœna, manente obligatione ad culpam, vt ibi notat Gloss. Item in Extrauag. *de reb. Ecclesiæ non alienandis*, variæ imponuntur pœnæ ipso facto, quæ in aliquibus locis per dissuetudinem cessarunt, manente adhuc lege, eiusque prohibitione: vt etiam videre est apud Nauarrum. Et fundamentum est, quia potest aliquando rationabiliter auferri obligatio ad pœnam aliàs ipso facto incurrendam, etiam si lex maneat: nam ita Pontifices aliquando etiam expressis constitutionibus ordinarunt. Nihil ergo obstat, quominus illud quoque possit fieri per aliquam consuetudinem, & consensum tacitum Superioris, siue personalem siue legalem: neque hoc eò tendere dicendum est, vt delicta maneant impunita; sed vt aliis mediis & pœnis magis opportunis pro ratione temporis & personarum cohibeantur & castigentur. Hinc licet in Extrauaganti *1. de reb. Ecclesiæ non alienandis*, & in Clementina *Ambitiosa, cod. tit.* & in aliis multis decretis Pontificiis variæ pœnæ sint impositæ; ex tamen iam vsu cessarunt manente legis obligatione. Et ita docet Nauarrus *cap. 27. numer. 250.* Gordonus *in summa tom. 1. lib. 2. quest. 14. cap. 6. num. 22.* Montefinus *in part. 2. tom. 2. disp. 23. quest. 13. num. 132. & 133.* Suarez *lib. 7. cap. 19. numer. 3.* Salas *disput. 19. sect. 9. numer. 75.* Azorius *tom. 1. lib. 5. cap. 18. quest. 10.* VViggers *in part. 2. quest. 97. art. 3. numer. 35.* Castrus Palaus *tom. 1. tract. 3. disputat. 3. punct. 4. §. 1. numer. 3.* Præpositus *in part. 2. D. Thoma quest. 97. dub. 2. num. 11.* Syluius etiam *in part. 2. quest. 97. art. 2. conclus. 6.* & alij. Sed è contra querendum est,

An consuetudo possit abrogare legem quoad culpam manente obligatione quoad pœnam?

RESOL. XX.

VIDetur negatiuè respondendum, quia cessante causa adæquata cessat effectus; ergo si propter consuetudinem cessat culpa, necessariò debet cessare pœna, siue lata, siue imponenda; quia culpa est causa adæquata pœnæ, & sic consuetudo aliter introducta irrationalis erit.

Sed negatiuam sententiam communiter tenent Doctores; quia potest huiusmodi consuetudo aliquando esse rationalis, qua luatur multa, aut quasi multa ab illis, qui faciunt id, quod fuit lege prohibitum, etiam si absoluta prohibitio iam non subsit: sed quæ erat lex pœnalis copulatiua transferit in pœnalem disiunctiuam. Confirmatur, quia sapius ob iustas rationes instituuntur ab initio huiusmodi ordinationes siue statuta, v. g. vel quod

omnes tale vel tale quid faciant; vel talem aut talem summam pecuniæ pendant, aut aliam poenam subeant. Patet hoc ipso usu in plurimis; ergo etiam si ab initio lex sit lata copulatiuè, poterit superuenire ratio, quare rationabiliter Princeps mutare eam possit in merè disunctiuam, & per consequens eo casu, si quæ incipiat talis consuetudo, censebitur ea rationalis, & successu temporis poterit legitime esse præscripta. Et sic fortasse multæ leges ciuiles imponentes exactiorem; vel prohibentes venari; vel aliquid ex Regno asportare, licet ab initio directiuæ fuerint, poterunt usu fieri merè poenales, & quasi naturam mutare, quia non aliter sunt obseruatæ. Vnde eò usque etiam tantum modò contra illas præscriptum est.

Sed supradicta doctrina intelligenda est, quando poena non supponit intrinsecè culpam; quia quando talis est poena, non potest lex abrogari quoad obligationem directionis, quin etiam derogetur quoad huiusmodi poenam. Tales sunt Ecclesiasticæ censura: & hinc lex, quæ prohibet aliquid sub poena excommunicationis ipso facto incurrendæ, non potest abrogari quoad prius, quin etiam abrogetur, quoad incursum talis poenæ; quia hæc poena intrinsecè supponit culpam & inobedientiam, quæ locum non habebunt, si lex non obliget ad simpliciter abstinendum ab eo quod vetat; non sunt autem omnes aliæ poenæ generaliter saltem dictæ talis naturæ. Poterit autem huiusmodi consuetudo inchoari hoc modo, quòd homines passim incipiant non plus tribuere legi, quàm quòd deprehensi in contrario facto soluant, vel luant poenam appositam, idque existiment pro bono publico, aut bono regimine communitatis satis esse: & quamuis ab initio peccassent; quando tamen ex illa ratione agendi visitata sufficienter fuerit obseruata tacita voluntas Principis, huic se conformans, vel ipsa legitime præscripta fuerit, liberantur tunc subditi ab obligatione directionis & peccato; sic quòd tantum remanebit obligatio ad soluendam poenam, quæ erit appositæ. Et hæc omnia docet Ioannes VViggers in part. 2. quæst. 97. art. 3. numer. 37. & 38. Suarez libr. 7. cap. 19. numer. 11. & 12. Castrus Palaus tom. 1. tractat. 3. disput. 3. punct. 4. §. 2. numer. 4. Salas disp. 19. cap. 9. numer. 77. Gordonus in summa tom. 1. lib. 2. quæstione 14. cap. 6. numer. 13. & alij penes ipsos.

An consuetudo possit abrogare legem prohibentem consuetudinem contrariam?

R E S O L. XXI.

Respondeo, Suarez libr. 7. cap. 7. num. 2. & cap. 19. numer. 18. cum Salas disputat. 19. sect. 7. numer. 71. distinguere inter legem prohibentem introduci consuetudinem; & inter legem improbantem illam: dicuntque aduersus legem prohibentem consuetudinem futuram præscribi posse consuetudine; secus verò aduersus legem improbantem consuetudinem: quia non obstante prohibitione consuetudinis potest esse consuetudo rationalis, & legitime præscripta, at consuetudo improbata ut irrationalis, rationalis esse non potest. Ergo, &c.

Sed Castrus Palaus tract. 1. disp. 3. punct. 4. §. 2. numer. 7. cum Basilio Pontio de Matrim. lib. 6. cap. 6. numer. 19. supradictam distinctionem veram esse dicunt; si quoties reprobat consuetudo, reprobaretur ut difflona rationi, & contraria legi naturali aut diuinæ, aduersus quam legem nulla consuetudo præualere potest. At quia non semper reprobat consuetudo, ut irrationalis; sed quia Reipublicæ, aut Ecclesiæ non censetur conueniens: idè existimo supradictam distinctionem necessariam non esse; sed idem esse dicendum de lege sic improbante consuetudinem, ac de lege consuetudinem prohibente: quia si prohibet Legislator consuetudinem, idè illam prohibet, quia iudicat esse Reipublicæ inconuenientem; cum enim iudicet legem latam conuenientem esse, ergo in idem redit prohibitio & reprobatio consuetudinis inconuenientis.

Verum sententiam Suarez modo quo supra distinguentem aliqui putant probabilem esse, & idè VViggers in part. 2. quæst. 97. artic. 3. numer. 43. docuit, quòd lex quæ tantum reuocat consuetudinem antecedentem, vel nudè prohibet futuram absque illius reprobatione, non impedit, quominus consuetudo possit etiam talem legem abrogare. Ratio est, quia cum tali reuocatione & prohibitione potest stare, quòd consuetudo sit rationalis; neque enim lex sufficienter contrarium declarat, nudè reuocando, vel prohibendo consuetudinem; quia potest legislator habere iustam rationem id sic ordinandi & statuendi; & tamen ex altera parte possunt etiam occurrere aliquæ rationes probabiles; ob quas sine iniquitate & cum aliquo fundamento possit aliter ipse ordinare & constituere. Hæc VViggers, quæ satis probant sententiam ipsius Suarez.

Notan

Notandum tamen est hîc, quòd licet non poterit per consuetudinem abrogari lex, quæ reprobat consuetudinem contrariam, quoad eadem manent rerum circumstantiæ; illis tamen mutatis poterit consuetudo etiam legem mutare. Ratio prioris partis est, quia hoc ipso, quo lex reprobat consuetudinem, declarat illam esse irrationabilem, aut corruptelam, quam diximus nihil posse valere, siue ad legem inducendam, siue abrogandam. Ratio posterioris partis est, quia non omnis consuetudo, quæ reprobat, idè reprobat quòd sit contra ius naturæ, aut ius diuinum: sed aliquando propter aliquam notabilem indecentiam, vel propter plura pericula, aut grauiora incommoda communitatis, quæ cum tempore possunt mutari; ac proinde quæ vno tempore esset irrationabilis consuetudo, poterit alio tempore esse rationalis, & sic desinere esse reprobatæ. Et ita docet VViggers in part. 2. Diui Thomæ quæst. 97. art. 3. numer. 42. Suarez libr. 7. cap. 19. numer. 24. Pontius libr. 6. cap. 6. numer. 9. Sanchez libr. 7. cap. 4. numer. 14. Azorius tom. 1. lib. 5. cap. 17. quæst. 10. & alij.

An prior consuetudo remaneat abrogata per legem: si in ipsa non efficitur mentio de consuetudine in contrarium?

R E S O L. XXII.

Respondet Diuus Antoninus affirmatiuè, & colligitur ex cap. 1. de constitut. in 6. Sed aliqui distinguendum putant: quia aut consuetudo est generalis in tota prouincia aut Regno, aut specialis alicuius oppidi aut loci, vel determinati status personarum. Et quidem si consuetudo sit generalis, abrogatur per legem subsequenter, quamuis illius non fiat mentio: si autem sit specialis, non potest abrogari per legem subsequenter, nisi expressè fiat mentio consuetudinis per verba abrogatiua. Et hoc est quòd dicitur in dicto cap. 1. de constit. Ratio autem huius differentiæ est, quia ut Legislator abroget priorem consuetudinem per legem subsequenter, opus est ut nouerit consuetudinem; & quando est consuetudo generalis, præsumitur iure nota à Legislatore: quando autem est specialis, potest ignorari in particulari, & præsumitur ignorari, si eius non fiat mentio in lege subsequenti; atque adèò consuetudo specialis in isto casu non abrogatur. Et ita docet Montefinus in part. 2. tom. 2. disp. 23. de legibus, quæst. 13. numer. 151.

An si lex improbat consuetudinem per verba generalia, non solum de consuetudine præterita, sed etiam de futura intelligatur?

R E S O L. XXIII.

Affirmatiuam sententiam docet ex multis Sanchez tom. 2. lib. 7. disput. 4. num. 13. vbi sic ait. Si dicas per verba appositæ, non obstante consuetudine, non derogari consuetudini futuræ; sed soli præteritæ, iuxta glossam celebrem Clement. statutum, verb. consuetudine, de elect. ac proinde non obstare, quominus consuetudo postea introducta possit impedimentum dirimens abrogare abolendo ius Pontificium, quòd illud statuerat. Non inuabit hæc euasio. Quia illa doctrina gloss. communiter reprobat, & communis sententia docet utramque consuetudinem, ut multis citatis docet Tiraquellus de retract. in præfat. numer. 13. & 19. Couarruuias variar. cap. 13. numer. 14. Burgos de Paz leg. 1. Tauri, numer. 464. & 479. Zauillos in suis quæstionib. pract. q. 704. per totam. Hæc Sanchez.

Sed non desinam hîc adnotare sententiam Gloss. à Sanchez reprobatam approbare Suarez libr. 7. cap. 7. à num. 2. existimantem verba illa generalia, non obstante contraria consuetudine, solum ad præteritam consuetudinem se extendere, neque futuram respicere; quia improbare consuetudinem est quid odiosum: ergo non est extendenda, sed limitanda. Secundò, quia illis verbis solum intendit Legislator tollere consuetudinem contrariam suæ legi: consuetudo autem quæ nondum est, non est legi contraria: ergo de illa lex non loquitur. Tertio, quia sæpè Legislator verbis clavis consuetudinem futuram prohibet, ut si dicat, nojumus contra legem hanc aliquam consuetudinem valere: ergo cum id non exprimit, censendus est solum præteritam consuetudinem improbare.

Et tandem non desinam hîc apponere verba Villalobos in sum. tom. 1. tractat. 2. difficultate 39. numer. 8. vbi sic ait. [Que diremos si en la ley se pone clausula, non obstante quacunque consuetudine? Respondeo con Couarruuias lo primero, que si la ley o Canon reprobase alguna costumbre por iniqua y mala, no solo condena la passada, sino la futura, porque es la misma razon de la vna que de la otra. Lo secundo digo que si la ley reprobase expressamente la costumbre futura, no puede preualecer contra la tal ley costumbre, como dicen Abad, y otros que cita, salvo se vuisse nueva causa para induzir la tal costumbre, como lautamente lo

M 4 prueua

prueua Couarruias y Sanchez. Mas quando no dize mas, que non obstante consuetudine: no deroga mas que la passada.] Ita ille.

An consuetudo habeat vim interpretandi legem?

RESOL. XXIV.

Respondeo affirmatiuè cum Montefino in *part. 2. tom. 2. disp. 23. de legibus, quæst. 73. numer. 226.* & aliis Doctoribus supra citatis. Et ideo sacra Rota in vna Romana pensionis die 14. Februarij 1583. & in vna Burgenfi Quindenniorum die 5. Decembris 1601. coram Seraphino *decif. 606. n. 17. & decif. 1410. num. 3.* dixit consuetudinem esse optimam legis interpretem.

Sed pro maiori intelligentia notandum est dupliciter posse consuetudinem interpretari legem; vno modo sic, vt tantum sit index & quasi testis veri, & germani sensus Legislatoris, qui ex modo & consuetudine seruandi legem colligi potest, tanquam ex probabili videlicet, vel moraliter certo argumento, nisi aliunde de contrario constaret: cuius quidem argumenti tanta est efficacia, quòd Doctores frequenter dicant legem esse interpretandam iuxta consuetudinem loci, etiamsi oporteat verba legis minùs propriè exponere. Vide Glossam in *cap. nonnullis, de rescriptis*. Quod etiam locum potest habere in consuetudine antecedente legem, si nimirum ad eius conformitatem, vel confirmationem lex sequens appareat lata: alio modo potest consuetudo interpretari legem, tanquam scilicet causa concurrens ad introducendum & stabilendum aliquem sensum legis, eiusque obseruationem; qui forsitan minùs cum prima Legislatoris mente congruat, vel plus aut minus contineat; & hanc virtutem intendunt potissimum Authores adscribere consuetudini, quando conclusionem supra positam tradunt. Et probari potest, quia non est necessaria maior auctoritas, nec expressior voluntas Legislatoris ad legem interpretandam, quàm vel ad nouam inducendam, vel ad indetam abrogandam, aut derogandam; quod consuetudinem præstare posse iam supra demonstratum est. Hinc fit, quòd licèt aliquando ex verbis aut materia legis sit ambiguum, vtrum sub mortali obliget, & ideo per se sumpta foret in benigniorem partem interpretanda: nihilominus si constet eam consuetudinem esse receptam, tanquam grauius & sub mortali obligantem, debeat illa cenferi hoc modo obligare; vt docet Syluester *verb. præceptum, numer. 2.* & Caietanus 2. 2.

quæst. 186. art. 9. ad primum, & Natarrus c. 21. num. 11. & alij.

An consuetudo possit lege abrogari?

RESOL. XXV.

Respondeo affirmatiuè ex *cap. 1. de consuetud. & ex cap. cum consuetudine, de consuetud.* dummodo lex clarè & ex diametro contraria sit consuetudini: nam si consuetudo compati potest cum lege, etiamsi verba legis essent restringenda, consuetudo est obseruanda: nam iuris correctio vitanda est, & consuetudo legitime præscripta est quoddam ius.

Nota secundò, quòd licèt per legem generalem abrogetur consuetudo æquè generalis illi opposita; etiamsi illius non fuerit facta mentio, neque lex habuerit clausulam derogatoriam; tamen hoc non procedit quoad consuetudinem alicuius loci: ideo per legem vniuersalem non censetur derogata consuetudo alicuius loci, neque statutum ius commune non continens, nisi talis statuti aut consuetudinis fiat mentio specialis; vel saltem in genere apponatur clausula derogatoria cuiuscunque consuetudinis, vel statuti in contrarium. Et ratio est, quia Princeps vel Pontifex locorum consuetudinem & statuta censentur ignorare.

Nota tertio, legem specialem factam à Principe vel Pontifice pro aliqua ciuitate vel Prouincia, probabile est non derogare consuetudinem illius Prouinciæ, nisi expressè apponatur clausula derogatoria. Ex quo infertur idem esse dicendum de statuto facto ab aliqua ciuitate, vel populo, ad cuius valorem Principis consensus requiritur: nempe tale statutum non derogare consuetudinem contrariam, nisi Princeps conscius fiat talis consuetudinis derogandæ: fortè enim si sciret consuetudinem, non præstaret consensum statuto derogatorio: ac proinde ignorantia consuetudinis, cui opponitur statutum, reddit consensum inualidum. Et omnia supradicta docet Suarez *lib. 7. cap. 20. num. 7. & 8. & 15.* Castrus Palaus *tom. 1. tractat. 3. disputat. 5. punct. 5. §. 1. à numer. 1. vsque ad numer. 7.*

Notandum est tamen hic obiter cum Granada in *part. 2. Diui Thoma controuerf. 7. part. 2. disp. 16. sect. 3. numer. 18.* quòd Episcopus, sicut potest reuocare suam legem ita & tollere consuetudinem suæ Diocesis

propriam, quia hæc similis est legi.

Qualis

Qualis esse debeat consuetudo vt lex non censeatur illam abrogare ex præcisa positione legis, sed addenda sit clausula derogatoria?

RESOL. XXVI.

AD hoc dubium ita respondet Suarez *lib. 7. cap. 20. numer. 12.* Probabiliter censeo non esse restringendam regulam, illius textus ad consuetudinem præscriptam; sed intelligendam esse de consuetudine rationabili & honesta, & tam publico vsu, & tanto tempore firmata, quòd sufficeret ad legem introducendam, si Princeps illam sciret: eò quòd prudenti arbitrio verisimile sit Principem fuisse in illam confensurum, si illam sciret. Tunc enim ob contrariam rationem non est verisimile velle contra illam obligare per legem generaliter latam, seu velle illam tollere, dum illam ignorat, nisi expressè id declaret: nam in talem consuetudinem & verba & ratio dicti cap. 1. optimè cadunt. Nam verbum derogandi rectè etiam de tali consuetudine dicitur; tum quia etiam dici solet de aliis iuribus iustitiæ, quæ non sunt leges: vt dicimus Principem concedendo priuilegium nolle derogare iuri tertij; tum etiam quia illa consuetudo de se sufficiens esset ad ius inducendum, nisi obstaret Principis ignorantia: tum denique quia populus habet quoddam ius, vt non cogatur mutare talem consuetudinem, cui non intelligitur velle derogare Princeps, nisi id exprimat.

Sed his non obstantibus Castrus Palaus *tom. 1. tract. 3. disp. 3. punct. 5. §. 1. num. 8.* probabilius cenferi Regulam *cap. 1. de consuet. in 6.* de sola consuetudine præscripta intelligendam esse; quia consuetudo, quæ præscripta non est, non est ius, neque facultatem tribuit illa vtendi, vt constat ex superioribus, & omnes admittunt: ergo illa excusari non possunt subditi à legis obseruatione. Secundò, sola consuetudo præscripta præualet aduersus legem latam: Ergo sola illa impedit obligationem legis ferendæ. Tertio, derogatio propriè est alicuius iuris & facultatis; at ex consuetudine non præscripta nullum resultat ius, ergo nulla indiget derogatione talis consuetudo. Quarto consuetudo introduci non potest resistente Principe; at qui legem contrariam instituit, resistit eius introductioni; ergo, &c. Quintò, impediri legem consuetudine res est odiosa, & in Legislatoris detrimentum; ergo non debet extendi ad omnem consuetudinem. Sextò, consuetudo est stricti iuris, strictèque est interpretanda, vt tradit Rota in no-

uisimis part. 2. apud Farinacium decif. 112. numer. 4. ergo sola præscripta debet obstare legis efficaciam; quia sola hæc est, quæ propriè dicitur consuetudo. Et hæc Castrus Palaus sententiam tenet etiam Mascardus *de probationibus conclus. 423. num. 17.*

An consuetudo legitime præscripta possit abrogare aliam consuetudinem & de tempore ad hoc requisito, præcipuè in materia Ecclesiastica?

RESOL. XXVII.

Respondeo consuetudinem antiquam per subsequentem abrogari posse seruata proportione, id est, vniuersalem per vniuersalem; particularem per particularem in eodem loco: nam in diuersis non sunt contrariæ, vniuersali verò derogari per particularem alicuius loci pro illò etiam loco: vniuersalem denique derogare particulari. Ita ferè Hostiensis in *summa eod. tit. §. quæ cui præiudicet, & omnes.* Et ratio generalis est, quia ita comparantur consuetudines inter se, sicut leges, vel & consuetudo seruata proportione. Vnde quòd dicitur in *§ penult. Infit. de iur. natur.* Ea quæ ciuitas constituit, sæpè mutari solent, vel tacito consensu populi, vel alia postea lege lata: sicut est verum de his, quæ iure scripto sunt constituta; ita etiam à fortiori de iure non scripto: quia non minùs, imò magis videtur posse mutari tacitus consensus per tacitum contrarium, quàm expressus per tacitum: sed hoc potest fieri, vt ostensum est. Ergo, &c. Vnde in primis necesse est consuetudines esse contrarias: nam si possunt ad concordiam reduci, obseruandæ sunt.

Sed difficultas est de tempore requisito in Ecclesiasticis consuetudinibus. Ad quam sic respondet Suarez *lib. 7. cap. 20. num. 11.* Quæri potest; an in Ecclesiasticis consuetudinibus requiratur tempus 40. annorum, vt posterior reuocet priorem. Panormitanus enim dicit indifferenter sufficere tempus 10. annorum: sequitur Felinus; & reddit rationem quia posterior consuetudo non est contra ius: quòd sic declarat. Quia vel prior consuetudo fuit contra ius, & sic posterior est secundum illud antiquius ius, quòd per priorem consuetudinem reuocatum fuit; & sic ad illud faciliùs fit regressus: vel prior consuetudo fuit præter ius, & sic etiam posterior erit præter ius; & ita semper in posteriori consuetudine sufficiunt decem anni.

Hunc verò discursum non approbat Rochus *suprà* cum Barbofa, *ibi.* Et mihi etiam videtur difficilis, quia nulla ratio iuris non scripti

scripti in eo habetur. Et ideo breuiter cenfeo primò. Si prior consuetudo non fuit contra, sed præter ius, posteriorem esse simpliciter contra ius, & ideo postulare tempus canonicæ præscriptionis. Probatur, quia prior consuetudo induxit ius, cui est contraria posterior, quæ non est conformis alicui iuri. Item si prior consuetudo fuit vniuersalis, & posterior particularis, est id euidentiùs, quia consuetudo vniuersalis ius commune inducit: idem autem videtur, si prior fuerit particularis eiusdem loci, & iuri communi non contraria. Nam consuetudo contra simile statutum esset contra ius, & postulare tempus canonicæ præscriptionis; ergo idem est de consuetudine: nam est æqualis ratio. At verò si prior consuetudo fuit contra ius commune, quod non fuit omnino ablatum illa consuetudine; quia non fuit vniuersalis, sed particularis, quæ illi derogauit: tunc probabile est posteriorem consuetudinem decem annis præscriptam sufficere; quia non est simpliciter contra ius: quia ius commune semper manet, ad quod per illam consuetudinem fit regressus, & tunc procedunt quæ Felinus tradit. Secus verò cenfeo, si prior consuetudo fuit vniuersalis, & abrogauit omnino ius vniuersale antecedens: nam tunc existimo necessariam esse præscriptionem canonicam quadraginta annorum contra talem consuetudinem; quia posterior consuetudo iam est omnino contra ius commune inductum per priorem consuetudinem. Aliud enim ius antiquius vtraque consuetudine perinde se habet, ac si non præcessisset; quia omnino sublarum est. Hucusque Suarez.

Sed aduersus illum contrariam sententiam docet Castrus Palas *tom. 1. tractat. 3. disput. 3. §. 2. punct. 5. numer. 5.* vbi putat idem tempus esse necessarium ad abrogandam consuetudinem consuetudine, ac fuit requisitum ad illius introductionem: cum autem ad introducendam consuetudinem, siue abrogationem legis, siue illius constitutionem, dixerimus decennium sufficere tam in materia ciuili, quàm Ecclesiastica: efficitur sanè idem tempus decennij sufficiens esse ad abrogandam consuetudinem. Rationem reddimus, quia consuetudo abrogans legem & ius constitutum, non est contra ius, sed potius iuri conformis, quia ex ipso iure habet hanc efficaciam nemine repugnante: leges autem expostulantes tempus quadragenarium ad præscriptionem loquuntur de præscriptione iuris contra Ecclesiam Ecclesia contradicente: at consuetudo legalis non præscribit contra Ecclesiæ mandatum ex repugnantia Ecclesiæ; sed potius ex eius consensu & voluntate: ergo non est idem tempus expostulandum. Ita Palas. Sed ego puto non esse recedendum à sententia Suarez.

nam, vt superius firmatum est, & præcipue ex sacra Rota, in materia Ecclesiastica nulla valet consuetudo, nisi sit quadragenaria.

An credendum sit Doctori testanti de consuetudine?

RESOL. XXVIII.

AD hanc quæstionem ita respondet Villalobos *in summa tom. 1. tractat. 2. diff. 39. numer. 11.* [Aduerte que no conuenien los Doctores en si, se ha de creer, o no a vn Doctor, que testifica la costumbre; dizen que si Bartolo, Gómez, y Mascardo con muchos que resieren. Mas lo contrario tienen Iason, Nauarro, y otros, que resiere Mascardo y fundase en que las cosas que son de hecho, como es costumbre muchas vezes engañan à los muy prudentes, como dize vna ley, y en otras razones, que alli trae Mascardo. Esta segunda sentència me parece mas verdadera, saluo quando el Dotor restificasse de la costumbre de la Tierra donde viue, que entonces parece que se le deuia dar credito.] Ita ille. Dicendum est igitur Doctore excellenti testanti de consuetudine credendum esse præsumptiue, non concludenter. Vide Sanchez *tom. 2. lib. 7. disp. 17. numer. 7. Salas de legibus, disput. 19. sect. 18.* & alios penes ipsos.

Non desinam tamen hic adnotare in foro conscientie posse quem stare assertioni vnius Doctoris testantis de consuetudine docere Granado *in part. 2. D. Thome contr. 7. tractat. 3. part. 1. disput. 16. sect. 1. numer. 12.* vbi sic ait: Peter aliquis, an sufficiat testimonium vnius præcellentis Doctoris affirmantis esse consuetudinem non seruandi aliquam legem; vt saltem pro foro conscientie illi standum sit, & possit lex sine serupulo non seruari. Alij negant, sed valde probabile mihi videtur, quod multi recentiores affirmant, scilicet, credi posse prædicto viro testanti consuetudinem, quantumuis illa sit contra ius, seu ad abrogandam legem. Probatur, quia auctoritas vnius præcellentis Doctoris rem facit probabilem, quandiu oppositam aperte non constat: ergo si testetur esse sufficientem consuetudinem ad cessationem legis, id erit probabile; dummodo contrarium non probetur clarè, ac proinde tuta conscientia poterit non seruari. Ita Granado, cuius sententiam docet etiam Suarez *lib. 7. cap. 11. numer. 8.* & Salas *disput. 19. sect. 19. numer. 108.*

Dicendum est igitur quod in foro externo Doctore fidem facienti de consuetudine, fides non adhibetur secundum magis receptam sententiam per sacram Rotam approbatam in

vna

vna Romana Theaur. die 3. Iulij 1606. coram Gregorio X V. *decis. 278. numer. 5.* & in vna Parmensi die 14. Aprilis 1608. coram Seraphino *decis. 1349. numer. 5.* & in vna pecuniaria die 21. Iunij 1602. coram Coccino apud Durandum *decis. 137. numer. 27.*

An in materia præcedentia sit attendenda consuetudo?

RESOL. XXIX.

CAsus est practicabilis, & affirmatiue respondet Gloss. *in cap. 2. verb. aufcaltetur, in fin. de offic. Archidiacon. Cornutus consil. 193. numer. 4. lib. 2. Riminaldus iunior lib. 1. consil. 95. numer. 22. Felinus in cap. statuimus, de maior. & obediens.* quod procedit, etiam si consuetudo iuri repugnet. Et ita determinauit sacra Rota in vna Pampilonensi præminentiarum die 29. Octobris 1593. coram Mantica *decis. 244. numer. 2.* In vna Colonienfi præcedentia die 9. Iulij 1627. coram Vbaldo penes Querilios Venetos *decis. 85. numer. 5. & 6.* Et in vna Illerdenfi præminentiarum die 20. Iunij 1603. coram Gregorio X V. *decisione 124. numer. 2. vbi numer. 4.* eius Additionator Oliuerius Beloraminus *littera A* sic ait. Quod attendatur consuetudo in materia præcedentia asserit Cardinalis consil. 62. numer. 1. Natta consil. 62. *in fine.* Menochius consil. 51. numer. 89. Rota *decisione 964.* & fuit dictum in Pampilonen. præminentiarum 17. Aprilis 1592. coram Cardinali Pamphilio, quod procedit etiam si illa consuetudo repugnaret dispositioni iuris communis, puta si minus dignum præferat digniori. Menochius consil. 51. numer. 51. Seraphinus *dicta decisione 964.* Verum quod huiusmodi consuetudo tanquam irrationabilis & corruptela non teneat, non obstante quod sit immemorabilis, dicit Ruinus consil. 155. numer. 11. *lib. 4. Tob. consil. 72. numer. 24.* Menochius consil. 126. numer. 31. *in fin. & 32.* & dixit Rota coram Sanctissimo *infra decisione 310.* Sed hæc opinio habet locum, quando consuetudo in omnibus casibus absolutè, & in omnibus locis sine causa aliqua præferret minus dignum magis digno: secus autem est, quando in aliquo casu particulari concurrente aliqua qualitate, & ex aliqua rationabili causa minus dignus præfertur, quia tunc consuetudo non est irrationabilis. Ita Menochius consil. 52. numer. 99. & sequens. & dixit Rota in Seguntina præcedentia 23. Iunij 1609. coram R. Domino Pamphilio, vbi etiam dicit huiusmodi consuetudinem induci ex solo spatio decem annorum. Et ita ad concordiam reducun-

tur istæ duæ opiniones, quæ aliàs videntur inter se contrariæ. Sed hoc vltimum quod docet Beloraminus non approbo, quando consuetudo introduceret præcedentiam contra ius Canonicum: & ideo cum de iure Archidiaconus sit maior Archipresbytero, vt patet *ex cap. ad hæc, de offic. Archidiacon. & cap. 2. de offic. Archipresbyteri.* in hoc tamen præualet consuetudo Ecclesiarum; vt Archipresbyter, vel Præpositus, aut alia dignitas, Archidiacono, & aliis dignitatibus præferatur, quia rationabilis esse potest diuersa in huiusmodi rebus consuetudo propter diuersas causas, vel officia singulis dignitatibus attributa. Cardinalis Tusculus *littera A. conclusionem 482. numer. 22.* & exemplum ponit Alexander consilio 142. Viso processu *lib. 6.* in Ciuitate Paudæ, vbi Archipresbyter præcedit Archidiaconum ex antiqua consuetudine, & sic installat Abbatissas exemptas, & beneficiatos in ciuitate; Archidiaconus verò beneficiatos extra ciuitatem: tamen hæc consuetudo, cum sit contra ius Canonicum, debet esse præscripta per quadraginta annos, aliàs non releuat. Et ita docet Barbosa *de Canon. cap. 5. numer. 40.*

An valeat consuetudo, quod minor numerus testium quàm septem in testamento sufficiat?

RESOL. XXX.

Respondeo. Quod de consuetudine potest adhiberi in testamento minor numerus testium, quàm septem: & talem consuetudinem esse validam tradit Bartolus *in leg. omnium, Cod. de testament.* Et regulare est, quod quoad solemnitatem actus inspicitur consuetudo Regionis *leg. 1. in fin. ff. de ventr. inspic.* & dicit *ibidem* Bartolus; & de statuto, quod possit inducere, vt testamentum valeat cum minori numero testium *in §. testamentum, quest. 25. numer. 23.* Statuto autem æquiparari consuetudinem textus *in l. omnes populi, ibi, legibus vel moribus, vbi notant Doctores, ff. de iust. & iur.* & Bartolus *in dicta leg. 1. præcipue, numer. 42. vers. mihi videtur.* æquiparat statutum & consuetudinem.

Notandum est etiam, quod talis consuetudo non possit dici omnino contra ius: clarum enim est de iure Canonico testamentum coram duobus testibus & Parocho sustineri, *cap. cum esset, cap. relatum, de testament.* quæ dispositio fuit extensa per Doctores, vt procedat, etiam si testamentum sit conditum coram quatuor testibus sine Parocho e ratione:

ratione ; quia alij duo testes suppleant præsentiam Parochi. Abbas *in dicto cap. cum esses, numer. 10. & ibidem Didacus numer. 13. Rolandus consil. 92. numer. 42. & sequent. lib. 3.* vbi adduxit Alexandrum attestando de communi cum latè adductis per Clarum in §. *testamentum, quest. 56.* & Craffum etiam *questione 56.* Et licèt adfint aliqui Doctores pro contraria opinione, vt per Craffum *numero 9.* Tamen non propterea videtur posse dici talis consuetudo contra ius, etiam quòd adesset in contrarium communis opinio, dummodo non essent contra legem vel canonem expressum, vel contra rationem legis expressam. Puteus *decisione 240. lib. 3.* Cardinalis Seraphinus *decis 645 numer. 1.* & hæc omnia firmavit Sacra Rota in vna Leodien. Dominij die 4. Martij 1619. coram Caualerio *decis. 497. num. 1. & sequent.*

An consuetudo particularis attendenda sit, vbi adest vniuersalis: & an consuetudo extendenda sit de loco ad locum?

R E S O L. XXXI.

Respondeo. Quòd vbi adest consuetudo particularis, non attenditur vniuersalis, aut loci dominantis: & ideo non est attendenda consuetudo generalis totius Archiepiscopatus, quando in loco particulari viget contraria consuetudo: nam ad eam tanquam loci dominantis recurritur tantummodo in subsidium deficiente consuetudine particulari, *ex cap. super eo, de cens. Federico de Senis consil. 91. verb. tertio probo. Bartolo in leg. 2. num. 41. C. que sit longa consuetudo. Parisio consil. 25. num. 42. lib. 4.* & ita docet Sacra Rota in vna Calaritana Decimarum die 19. Martij 1610. & in vna Pamphilonenſi Vicariæ de Apre die 3. Martij 1617. coram Caualerio *decisione 95. num. 3. & decisione 419. num. 4.* & in vna Placentina Decimarum die 10. Maij 1628. coram Domino meo Coccino Decano apud Querilios Venetos *decis. 169. num. 8.* vbi plures aliæ Rotæ decisiones adduntur: igitur in concursu consuetudo particularis præualeat generali.

Quoad secundam dubitationem respondeo. Quòd consuetudo non extenditur de loco ad locum, nec de persona ad personam, *in leg. 3. §. si quis hoc interdicto, & ibi Bartolus de itin. actuque priuat. ex leg. ius singulare, & leg. quod verò contra, ff. de leg. Aretilino consil. 122. numer. 4. Decio consilio 483. num. 22. Purpurato consilio 522. num. 12.* Vnde ex his sequitur, quòd consuetudo in spe-

cie probari debet, vt docet Crauetta *consilio 96. num. 4. Ripa in respons. lib. 2. cap. 25. numero 17. in fine. Paulus de Castro consil. 340. in fine. verb. superest, lib. 2.* & ita firmavit Sacra Rota in vna Burgenſi de Cudejo die 3. Iunij 1599. coram Manrica *decisione 284. num. 6.*

Non desinam tamen hîc apponere verba Ioannis Salas de Legibus *disputat. 19. sect. 14. numer. 10.* vbi sic ait. Licèt communiter dici solet vsus & consuetudinem, quæ iuri communi repugnat, vel præter illud est, non extendi de loco ad locum, nec de persona ad personam, nec de casu ad casum, vt cum Aretilino, Alexandro, Parisio & aliis obseruat Menochius *de retinend. possess. remed. 5. numero 91.* eò quòd consuetudo & præscriptio habeat tantum de potentia, quantum de vsu & actu, vt ex Baldo, & aliis ibidem comprobatur. Nihilominus cum eadem subest ratio & æquitas, conceditur extensio vsus & præscriptionis; vt post Iasonem, Parisium & Bartolum affirmat Menochius *ibi num. 65.* nec immeritò, quia, vt inquit Crauetus *consil. 2; 8. numer. 8.* consuetudo veritati æquiualeat. Quod totum de rationabili consuetudine intellige: nam irrationabilis non meretur nomen consuetudinis, sed corruptelæ, vt ait Panormitanus *ad cap. cum venerabilis, de consuetud. num. 4.* subditque prima fronte irrationabilem præsumi eam, quæ est contra Sacros Canones. Quando ergo in propria ciuitate non fuerit consuetudo certa, vel statutum, siue lex de re aliqua; attendenda erit consuetudo vicinarum ciuitatum, si rationabilis sit & amplectenda in iudicando, iuxta cap. *cum eo, de cens. & cap. cum olim, de consuetud. vt ibi Panormitanus num. 1.* docet. Sed hoc intellige de interpretatione non authentica, qualem faciunt Doctores, aut iudicia: nam consuetudo vnius ciuitatis vel Prouinciæ non habet auctoritatem inducendi, vel abrogandi legem in alia; licèt in dubio assumi possit ad explicandam vim legis vel consuetudinis alterius ciuitatis vel Prouinciæ.

An consuetudo immemorialis censetur derogata per clausulam generalem reuocantem consuetudines?

R E S O L. XXXII.


Affirmatiuam sententiam, quando additur dictio vniuersalis, tenet Gloss. *in Clement. ultim. de rebus Eccles. in fin. ibi Cardinalis & Imola numer. 6. Azeuedo in leg. 3. num. 3. tit. 1. lib. 2. recopil. numer. 2.* Pelaez de Mierez

Mierez *tractat. de maioris. part. 4. quest. 20. numer. 51. Rochus de Curtis in cap. fin. de consuetud. numer. 525. & sequent. Felinus cap. causam, de sentent. & re iudic. numer. 12. & in cap. dilecti, numer. 3. de maior. & obed. Ruinus vol. 4. consil. 156. numer. 8.* & hanc opinionem tenet etiam Sanctarellus *variar. tom. 1. questione 15. numer. 12.*

Sed negatiuæ sententiæ ego adhæreo, quam tuetur Afflictus *decisione 254.* Couarruias *lib. 3. variar. cap. 35. numer. 5. Menochius consilio 93. numer. 7. & consil. 96. numer. 65. & consilio 291. num. 96. Castrus Palaus tom. 1. tract. 3. disputat. 3. punct. 4. §. 1. numer. 10. Gordonus in summa tom. 1. lib. 2. quest. 14. cap. 8. numer. 27.* & ita determinauit Sacra Congregatio sub die 4. Maij 1573. teste Cardinali Bellarmino *in Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 7. littera S. & sess. 24. cap. 4. littera Z.* & sequitur Rota in vna Placentina Canonatus die 25. Maij 1612. apud posthumas *Farinacij tom. 2. decisione 286. num. 1.* & ratio est: quia pro consuetudine immemoriali titulus iustus præsumitur, & habet vim priuilegij à Principe concessi; sed priuilegium non derogari censendum est

ex clausula generali derogante consuetudinem. Ergo, &c. Et ita hanc opinionem præter Doctores citatos docet Gonçalves *in Regul. 8. Cancellaria gloss. 33. numer. 5.* Garzias de beneficiis *tom. 1. part. 3. cap. 2. numer. 194. & 195.* cum Narbona *Recopil. lib. 2. tit. 4. leg. 59. Gloss. 1. num. 2. fo.* vbi adducit plures declarationes Sacræ Congregationis asserentes Concilium Tridentinum in clausula, Non obstantibus consuetudinibus in contrarium, non includere immorabilem.

Non desinam tamen hîc adnotare, quòd valde menti tenendum est, quòd licèt ex dictionibus vniuersalibus adunatis verbo consuetudini, non censetur derogatum consuetudini immemoriali: tamen quando consuetudo est iniqua & irrationabilis, censetur in dictis verbis damnata & reprobata. Et ita cum multis Doctoribus tenet Sanctarellus *variar. resol. tom. 1. quest. 4. n. 37.* & firmavit Sacra Rota in vna Cracouiensî Iuris legendi die 21. Maij 1627. coram Domino meo Cocino Decano apud Guerilios Venetos *decis. 71. num. 3. & 7.* Vide etiam Narbonam *de appellat. vicar. part. 2. fundam. 4. num. 19.*





TRACTATUS SEXTVS MISCELLANEVS.

An Proreges possint pro eorum arbitrio aggratiare, ut vulgò dicunt; delinquentes, qui accusatorem non habent, & pro dictis gratijs pecuniam accipere?

RESOL. I.



AFFIRMATIVE videtur respondendum ex Mastrillo de Magistrat. tom. 2. lib. 5. cap. 6. n. 147. vbi sic ait: Prorex potest de criminibus & pœnis gratiam facere, dummodo adsit partis remissio, vt clarè colligitur ex eius Parente, ibi. Et vbi desit partis instantia, pœnas remittere, relaxare & condonare, prout nos facere possemus. Et ita etiam docet Sesse de inhibitis. cap. 1. § 4. numero 10.

Sed ego placentia Principibus loqui non debeo, sed vera; idè ad præposita dubia negatiuè respondeo, quia, vt benè aduertit D. Thomas in 2. 2. quæst. 67. art. 4. Bannes, Syluius, ceterique Expositores potest quidem Princeps pœnas delinquentibus minuere, & in totum relaxare: sed hoc non est relictum arbitrio suo, interest enim Reipublicæ delicta punire, ex leg. si ita vulneratus ff. ad leg. Aquil. & alius iuribus, sed facere debet ex rationabili causa & rarissimè. Et idè Villalobos in summa tom. 2. tract. 14. difficult. 17. numer. 2. sic ait. [Quando perdona la parte, puede el Iuez superior relaxar, y remitir la pena; mas esto no ha da ser à su aluedrio, sino quando viene, que conuiene al bien comun: y que no lo puede hazer, si no es con causa bastante es claro, y verdaderamente redundaria en gran danno de la Republica, si el Superior à su aluedrio dexasse de castigar los delictos, o castigasse menos de lo que conuiene.] Ita ille.

Hoc idem dixit Molfesius in summa tom. 1. tract. 9. cap. 9. num. 50. vbi sic asserit. Solus Legislator ex bono communi potest pœnam remittere delinquenti; si enim Princeps id faceret sine rationabili causa, peccaret mortaliter, cum esset in magnum nocumentum Reipublicæ, cuius interest delicta punire. Idem

etiam docet Ledesma in summa tom. 2. tract. 8. cap. 2. 2. difficult. 5. conclus. 6. Aragonius in 2. 2. quæst. 76. art. 4. Azorius tom. 3. lib. 13. cap. 13. quæst. 3. & alij communiter.

Dico igitur non posse Proreges pro suo arbitrio communiter aggratiare delinquentes, etiamsi accusatorem non habeant; sed attendere debent ad qualitatem delicti, quod est remittendum, & ad ceteras circumstantias concurrentes: ex quibus omnibus est iudicandum, num bono communi expediat, aut certè cum illo non pugnet tale delictum tunc remitti. Vnde sequitur Proreges peccare mortaliter, etiamsi semel pœnam remitterent delinquenti facinoroso, vt homicidæ ex industria, alicui sicario, assassino, &c. vel secundò si passim etiam delicta leuia condonarent: nam etiam in hoc vltimo casu talis remissio vergeret in damnum Reipublicæ.

Non igitur nego, & hoc vult dicere Mastrillus & Sesse, vbi supra, posse Proreges aliquando pœnas criminum condonare: id quod constanter nego est, passim hoc facere, nam ex multitudine gratiarum populus efficeretur audacior ad delinquendum. Rarissimè ergo id eis concedo ob iustas euidentes causas, & miserabiles casus, quales essent, minor ætas rei, senectus infirma, delictum sine animi deliberatione, sed ex impetu commissum, insignis delinquentis pericia, seu ars Reipublicæ necessaria, vel perutilis, primum & vnicum delictum alioqui bonæ vitæ hominis, homicidium casuale, merita delinquentis, vel fuorum, vel alterius, qui pro illo preces Principi offerat, & similia. De quibus vide Tassonum in pragmat. de Antifato, vers. 12. obseruation. 1. d. n. 125. & Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 25. num. 11.

Et ita hanc sententiam præter Doctores citatos mordicus sustinet Pater Hernandus de Mendoça Societatis IESV in tractatu de hac quæstione ad Comitem de Lemos tunc Proregem Neapolitanum. Et quia Codex non ita facilè inuenitur, ponam hîc per extensum aliqua eius verba. Sic itaque in cap. 2. asserit. [La segunda cosa que V. E. ha de considerar es segun he dicho la cantidad, y numero de las gracias que concede, porque tambien esto es cosa muy peligrosa por la ocasion que

que se da a los demas de pecar desenfrenadamente, si veen demasiada blandura en su Principe, y assi digo que no basta que el delicto sea agraciable, o que la gracia sea factible, como aqui dizen, ni que aya perdonado la parte, para que V. E. pueda con buena conciencia y conforme à buen gouierno perdonar sin mas, ni mas, todas estas maneras de delictos que llaman graciabiles. Porque dado caso que considerada cada vno de por si parezca digno de perdon, y que no tiene mucho inconueniente la gracia que del se haze, con todo esso, si se consideran muchos perdones juntos, y vna ordinaria facilidad en hazer esta manera de gracias, se vee claramente, que tiene grandissimo inconueniente, y que se pierde el miedo, y la verguença del pecar, y por consiguiete la paz y bueno estado de la Republica. De manera que no basta que el delicto aya sido casual, o cometido con grande ocasion, para que por el mismo caso se aya de perdonar pues tambien contra estos delictos ay sus leyes, y pragmatias, y sus penas proporcionadas y iustas, y la Republica tiene derecho à pedir a su Principe, que por el exemplo los castigue, aunque aya perdonado la parte, y el Principe, y el Governador esta puesto, para que tambien en estos casos haga justicia, y atropellar todo esto de ordinario, y sin suficientes causas y ocasiones seria sin duda y dificultad muy graue, y mortal offensa de Dios nuestro Señor, y caerian sobre V. E. todos los pecados que se hiziesen con la esperança del perdon, y con el poco miedo del castigo.] Hucusque Pater Mendoça.

Sed an Proreges possint in casibus, in quibus licitè pœnas delinquentibus condonarent, recipere pro eis pecunias. Affirmatiuè videtur respondendum per ea quæ adducit Mastrillus de Magistrat. tom. 1. lib. 3. cap. 7. n. 53. quia dum quis non tenetur gratis aliquid facere, si pecunias accipit vt faciat, non dicitur malè facere. Sed Proreges non tenentur aliquo iure gratias huiusmodi facere, quia non esset gratia, iubente iustitia; ergo, &c. Adde quòd de consuetudine ita videtur receptum.

Sed his non obstantibus contrarium ego teneo. Et idè Valentia tom. 4. disputat. 5. quæst. 21. punct. 4. sic ait. Certum esse iudicem superiorem, remittente accusatore posse relaxare pœnam reo sine detrimento boni communis: circa quod Syluester & Caietanus rectè norant non debere etiam iudicem supremum facilè relaxare pœnam reo, quamuis ignoscat accusator, impediri enim sic bonum commune; hoc est communiter & maximè est cauendum, cum interueniunt munerera. Ita

Valentia. Et ratio est, quia Proreges, vt pater, nec indiget probatione, illam in Regno habet auctoritatem, quam eis Rex tribuit: sed Rex prohibet Proregibus per geminatas literas super hac rescriptas, recipere pecunias condonando reis pœnam: ergo peccant mortaliter hoc faciendo propter venditionem rei alienæ inuito domino. Vnde pater responso ad argumentum aliquorum asserentium has gratias esse pretio æstimabiles, nec Proreges ad illas largiendas teneri; ergo illas ex iusta causa largiendo, posse aliquid iustum & moderatum pretium accipere illicitum minimè erit. Non, inquam, hoc argumentum valet: nam licet Proreges ex iusta causa modo vt supra explicatum est, possint, si velint, pœnas reis condonare; tamen tenentur hoc facere gratis, nec pecunias pro ipsis accipere & sibi applicare; nam ita vult, & seuerè per litteras eis imperat Rex, cuius sunt Regnum & eius habitatores Ergo, &c.

Nec valet dicere Proreges dictas literas non obseruasse; non enim quid factum sit, sed quid fieri debeat spectandum est, vt patet ex leg. sed licet, de offi. Præsidis, & ex cap. cum causam, de elect. Et certum est, quòd Proreges tenentur seruare mandata & ordinationes Regias, idque non solum ex iure, per ea quæ notat ex multis Mastrillus de Magistrat. tom. 2. lib. 5. cap. 6. numer. 267. Sed etiam quia id expressè mandatum est per literas Regias datas Toleti sub die 10. Julij 1596. exequutorias Panormi sub die 17. Augusti eiusdem anni tempore felicissimi Regiminis Excellentissimi Domini mei Marchionis Hieracensis tunc Regni meritisissimi Præsidis: quas quidem hîc ad verbum per extensum apponam, vt videant Proreges, quàm malè faciant, ordinationes & literas Regias non exequendo, sic itaque Rex ait. [Hauiendo algunas vezes succedido per lo passado en tiempo de diuersos Virreyes desse Reyno Predecessores buestros, que no solo no han cumplido ni executado diuersas cosas, que les è mandado tocantes à gouierno, justicia, hazienda y declaración de mi precisa voluntad en toda suerte de negocios, porque aun no me han respondido, ni auisado del reciuo de mis ordenes dexando por esse camino deserto el cumplimiento de lo que mando con mucho deseruicio mio, y defauidad de mi supremo Consejo, con cuya comunicacion refuelbo las tales cosas, me ha parecido preuenir al enconueniente que de continuar este estylo se puede adelante seguir, con aduertir os hasta donde y como es justa y licita la repugnancia de mis Ministros a las dichas mis ordenes, y quanto me displacera que se ceda desta regla, y assi os ordeno y mando precisamente, que vos en

uestro tiempo, y los que os sucedieren en esse cargo que siempre que os llegare algun mandado mio, en cuya execucion se os represente enconueniente podays dilatarle ò dexarlo de cumplir, hasta auuifarme de la causa porque lo hareys, y esperar repuesta mia, y si yo mãdare justo lo que poneys por impedimiento, que toda via lo cumplays haziendo assi inuiolabilmente sin mas replica ni dilacion con aperceuimiento, que quando en esto ay falta, se procedera contra los que no lo cumplieren con la demonstracion que se juzgara conueniente, y porque como arriba se supone, esta orden se entienda con vos y con los que sucedieren en este cargo, prouereys que se registre en parte que no pueda dexar de esser notorio a los uestros dichos successores, afin que ninguna se excuse con la ignorancia, y me auuifareys de hauerlo hecho, pues con esso quedare cierto, que siendo vos tan puntual y zeloso, como foys de las cosas de mi seruicio no aura en uestro tiempo descuydo de la execucion de que a qui se ordena. Yo el Rey.]

Ad auctoritatem verò Mastrilli suprà adducti respondeo. Primò, quòd ipse ibi loquitur dubitatiuè cum verbo *forfan*. Secundò, consulit omninò, ne Proreges id faciant. Ad rationes autem, quas adducit, nempe Proreges non teneri aggratiare reos, ergo eis gratias concedendo posse pecuniam accipere. Dico quòd hoc argumentum forsitan procederet, si non adesset Regis prohibitio; sed Rex, vt dictum est, sapius Proregibus interdixit, ne hoc facerent; ergo, &c. Loquitur igitur Mastrillus seclusa prohibitione.

Ad consuetudinem autem, de qua ipse testatur, respondeo, Proreges timorata conscientia hoc non fecisse; & demus aliquando actum fuisse, quamuis nunquam sine scandalo, illud est certum nullam consuetudinem vim habere reclamante Rege, vt docet in casu simili Salonius in 2. 2. *quest. 63. art. 2. controuers. 8. ad 2. argumentum*, & alij. Et cum sit consuetudo perniciofa Reipublica, vt tradit Sesse *de inhibit. cap. 1. §. 5. numer. 13.* non potest præsumi Rex in illam, neque tacitè consentire. Vide *infra* in Resolut. *An Proreges possint vendere officia.* Ergo, &c.

Et ita hanc sententiam defendit etiam Pater Hernandus Mendocça *ubi suprà cap. 3.* per totum vbi loquens cum Comite de Lemos inter alia sic ait. [Noes V. E. Señor de este Reyno, ni la auctoridad que tiene de hazer gracias es fuya sino de su Rey, que es el legitimo y supremo Señor del Reyno, y por el mismo caso esta V. E. obligado a vsar della como el Rey quisiere. Y si el no lo da a V. E. expressa o tacita licencia para recibir este di-

nero, y facar, o chupar de la substancia de los Vassallos estos que llaman emolumentos (porque no se atreuen a llamar los latrocinios) no puede V. E. tomarlos, y si los tomare pecara mortalmente, y estara obligado à restituir, como hombre, que vende la hazienda agena contra la voluntad de su dueño. Que bien sabe V. E. lo que su Magestad sientte de esto, y con quan graues palabras le manda, que destierre de su Casa vn negocio tan feo y abominable como este, porque su voluntad no es dar a sus Virreyes vna autoridad tan vil, que se renda como el pan, y como la carne, sino vna autoridad grauissima, y limpiissima de administrar iusticia, y de hazer gracias, faouores, y mercedes à todos sus Vassallos, quando conueniere, que por esso le señalan à V. E. tantos millares de Ducados de salario, y le conceden otros muchos licitos emolumentos, porque administre la Republica en iusticia y en gracia con la limpieça que deue vn tan gran Ministro. Hasta ora he hablado con V. E. como con Christiano, agora quiero hablar como con vn Cauallero, como si hablara con Cesar, o con Alexandro. Porque dado caso, que la ley de Dios lo permitiera, puede se imaginar cosa mas baxa en vn tan gran Señor como V. E. que tener esta manera de mercancia. Quanto mas vil cosa es esta, que no negociar en vino, o en azeyte, ò en otra qualquier mercaderia? que cosa de mayor verguença se puede imaginar en vn Principe que vender à los pobres subditos los faouores y gracias que les haze? y que cosa de mayor honra, que hazer bien à todos, quando se deue y puede con limpieça y liberalidad? y assi vera V. E. que los mismos, que le persuadere que venda estas gracias le aconsejan que sea con grande secreto, y contrezientas embrollas, que ello mismo va diziendo la pongoña, que trae en cubierta, y los mismos Predicadores que buscan esta piel de oueja publican que so lobos. Y si V. E. ha reparado en ello quando nos vien en sobornar con dinero. La primera cosa que dicen es, que no lo fabra la tierra, y que lo dan para vna obra pia, ò para vn criado, que la Cedula para el banco se porna en cabeça de otro; y finalmente buscan otros trecientos rodeos, porque la misma conciencia les dize quan indigno sea este trato de hombres tales como V. E.] Ita Pater Mendocça, qui etiam in *cap. 4. per totum* docet, Proreges peccare, condonando reis penam ad petitionem famulorum recipientium pecunias; si hoc ipsi scirent. Quod tamen limitatur, si pecunia esset moderata & sumpta propter diligentias & labores, quos adhibuerunt impetrando gratiam, & hoc etiam secluso

secluso scandalo, nam sic puto, nec ipsos famulos, nec Proreges peccare.

Sed in hoc cautè est procedendum; nam raro necessaria circumstantia adfunt. Vnde in tali casu, vt docet Mastrillo *ubi suprà de Magistrat. tom. 1. lib. 3. cap. 7. numer. 50.* non erit excusabilis Prorex, propterea quòd ad ipsum nihil perueniat pecuniarum, si conuiuentibus oculis famulos talia parantes retineat; alioquin si talia impunè permittat, quid aliud erit domus eius, quam scelestorum hominum Asylus. Ita Mastrillo.

Notandum est tamen hic obiter differentiam esse inter Proreges & eorum famulos, vel alios impetrantes ab ipsis gratias pro delinquentibus: nam isti in tali casu adhibent suum laborem & diligentiam pretio æstimabilem, quam non tenentur adhibere gratis, ergo possunt moderatum pretium & proportionatum pro tali diligentia & labore accipere. Sed auctoritas & potestas Proregis, quam habet in administrando Regno, non est sua, sed Regis, vnde tenetur illam exercere, prout Rex vult. Sed Rex, vt dictum est, per geminatas litteras prohibuit Proregibus, ne pecunias pro gratis concedendis accipiant. Ergo, &c.

Dicendum est igitur ipsos pecunias pro aggratiandis reis accipere minimè posse: non nego tamen posse aliquos reos aggratiare mediante pecunia in casibus licitis & permissis modo quo suprà explicatum est, & dummodo pecunia applicetur in beneficium Regij Fisci, vel ad aliquod opus pium, & similia.

An Proreges, vt vulgò dicitur, nella Nomina de gli Officiali, teneantur proponere Regi digniores.

RESOL. II.

Videtur respondendum sufficere proponere dignos omittis dignioribus: nam Rex ad officia secularia non tenetur eligere digniores, sed dignos, vt docet Caietanus, Vasquez & alij, quos ego ipse citavi in 1. *part. tract. 1. Miscellaneorum resol. ultima.* Et ratio est, quia forma iustitiæ distributiæ tantum est seruanda necessariò, quando dispensatur aliquod bonum commune, quod ciuibus debetur: sed in electione hac, de qua loquimur, hæc officia non sunt bona communia debita ciuibus; ergo, &c. Secundò, quia iustitia distributiua dicit ordinem totius ad partes: hæc autem officia publica non dicunt ordinem totius ad partes, sed tantum ordinem ad totum, cum sint instituta in ministerium totius. Tertio eligendo dignum in hoc casu, nulli irrogatur iniuria; non Reipublicæ, cum eligatur di-

gnus & sufficiens; nec ipsi digniori, quia cum hæc officia non sint instituta in præmium & vtilitatem digniorum, non debentur ipsis ex iustitia. Quarto, Reipublica constituit Regem vt supremum Ministrum, qui possit eligere reliquos Ministros inferiores, sicut constituitur OEconomus ad eligendos operarios in domo domini sui: sed OEconomus non tenetur ex iustitia distributiua eligere digniores; Ergo nec Rex.

Sed his non obstantibus ego puto Proreges teneri ad proponendum Regi pro officiis digniores: quia communis opinio est ipsosmet Reges teneri eligere digniores etiam ad officia secularia: & ita præter Malderum, Reginaldum, Valentiam, Turrianum, Rebellium, Vegam, Ioannem de la Cruz & alios, quos ego ipse citavi in *dicta resolut.* tenet etiam Ioannes VViggers *de iust. & iur. tract. 7. cap. 1. dub. 3. numer. 7.* Anguianus *de legibus lib. 2. contr. 8. numer. 30. & 33.* Syluius in 2. 2. *D. Thomæ q. 63. art. 2. queritur 6.* Tannerus *tom. 3. disputat. 4. quest. 8. dub. 2. numer. 22.* Lessius *lib. 2. cap. 32. dub. 3. num. 15.* Salonius *tom. 1. in 2. 2. quest. 63. art. 2. controuers. 9.* Peguera in *Practica Criminali cap. 7. numer. 10.* Sotus *de iustit. lib. 3. quest. 6. art. 4.* Aragonius in 2. 2. *quest. 63. art. 2.* Guttierrez *Canon. quest. lib. 2. cap. 11. num. 42.* Molina *de Primogenit. lib. 3. cap. 5. numer. 66.* Grammaticus *consil. 6. numer. 11.* Bannes in 2. 2. *quest. 63. art. 21. conclus. 4.* & Villalobos in *summa tom. 2. tract. 8. difficult. 6. numer. 6.* vbi sic ait. [Tambien los Reyes estan obligados à dar estos officios à los mas dignos. Prouase esto, porque se deuen distribuyr segun iusticia, como los beneficios; y casi se siguen los inconuenientes, que en los beneficios se dan a los menos dignos. Lo segundo, porque los Reyes no tienen lleno y absoluto dominio dominatiuo en estos officios, sino solo gubernatiuo, como dize S. Thom. y como tampoco la Republica le tiene: porque el dominio dominatiuo es para vtilidad propria, y el gubernatiuo para comun, y es llano que no puede conuertir estos officios en proprios vsos, luego segun esto obligacion tendra a darlos a los mas dignos. Lo tercio, porque si la Republica proueyera estos officios auia los de dar por votos, y qualquiera Ciudadano terna obligacion de elegir el mas digno, y pues el Rey no tiene mas potestad que la que la Republica le da; Porque nemo dat, quod non habet, bien si sigue que tiene obligacion de darlos a los mas dignos. Confirrase esto, porque los que son verdaderos Reyes tienen toda su potestad de consentimiento tacito o expreso de la Republica, y la razon natural dize, que ninguna Republica da tan plenaria potestad al Rey, que haga lo que el quisiere,

sino que haga lo que a ella le esta mejor, ni aun se la pudiera dare de otra manera, y assi no se la da como à Señor absoluto, sino como Administrador.] Hæc Villalobos.

Dicendum est igitur, quod rationes de digniore eligendo ad Ecclesias & beneficia Ecclesiastica, procedunt etiam in electione & prouisione munerum publicorum secularium, atque Reipublicæ Magistratum, officiorumque gubernationis & administrationis iustitiæ: ex quibus totius Regni regimen Ecclesiasticum ac secularis status moderatio plerumque pendet. Et probatur præterea ex text. in Authent. vt iudic. sine quoquo suffrag. §. eos autem, collat. 2. ibi. Honestiorum quosdam ad administrationes dirigere. Et iterum ibi. Testimonium habens quidem, quia sit optimus, text. in Authent. de defensor. ciuit. in princ. vers. interim, ibi, Sed inuicem vniuersi nobiliores, vbi Gloss. verb. nobiliores, inquit, notabiliores esse eligendos, quam ibidem scribentes sequuntur l. ad scribenda, Cod. de Decurion. lib. 10. ibi, dignissimi meritis & facultatibus, Siue etenim hæc publica munera conferantur vt onera Reipublicæ, quæ priuati ad eius ministerium subire tenentur, vel vt bona, & honores ipsius communitatis, vtroque casu peccatur digno conferendo, omissio digniore. Priori quidem, quia conferens non seruat illam iustitiæ & rectitudinis rationem in regimine communitatis, qua vt debet erga ipsam Reipublicam, cum teneatur digniorem mulieribus publicis præficere, vt in d. cap. licet ergo, & in cap. unico, vt Ecclesiast. benef. & in cap. viliusimus 1. quest. 1. Posteriori autem casu peccat Princeps Communitatis aduersus iustitiam distributiua, iuxta quam tenetur Reipublicæ honores & bona subditis distribuere secundum cuiusque dignitatem; vt dignior digno, melior bono in his assequendis præferatur. Concedo tamen, quod hæc iniuria non est contra iustitiam commutatiua, ac proinde non obligat ad restitutionem.

Restat modò respondere ad argumenta contraria. Et ad primum dico, Officia publica, et si non sint bona communia in vtilitatem particularium ciuium, dispensanda esse nihilominus iuxta formam distributiua ex commutatiua iustitia; quia tenetur ex officio distributor eorum dispensare illa prospiciendo vtilitati Reipublicæ.

Ad secundum similis est solutio, iustitiam distributiua secundum se dicere ordinem totius ad partes: commutatiua quoque secundum se dicere ordinem vnius partis ad alteram: nihilominus dicit etiam aliquando commutatiua ordinem totius ad partes, non quidem secundum se, sed quando talis ordo ex officio debetur toti. Et quia Communi-

tati debetur vtilior Minister, hac ratione debet etiam ex iustitia commutatiua elector illius talem eligere. Hoc est dictum, licet hæc officia non sint debita meritis ciuium, vt talia officia, debentur tamen dari pro meritis; quatenus habentes merita sunt necessarii bono Reipublicæ, cuius vtilitati tenetur elector ex officio prospicere. Vnde quando forma iustitiæ distributiua simpliciter seruanda est, distribuitur bonum totius in partes, vt partes illius Communitatis: quando verò forma distributiua seruanda est, non simpliciter, sed quia sic exigit bonum totius, distribuendum est bonum illud in partes digniores, non vt in partes simpliciter, sed tanquam in partes necessarias bono totius.

Ad tertium dico fieri iniuriam Reipublicæ, cuius vtilitati non prospicitur eligendo dignum relicto digniori, qui commodè haberi poterat in re adeò graui, qualis est ipsius gubernatio, & administratio iustitiæ.

Ad quartum dico OEconomum non tene-ri eligere digniores operarios, quia eius officium tantum est quærere sufficientes. Quod si dominus committeret ipsi, vt consuleret vtilitati domus suæ: quantum commodè posset, peccaret grauissimè, & ageret infideliter contra suum officium, si eligeret dignos, relictis dignioribus, quos commodè poterat habere. Et similiter Rex, & quiuis Elector peccat eligendo dignos, relictis dignioribus, quos commodè habere potest, quia non prospicit vtilitati Reipublicæ, ad quod tenetur ex officio, sub quo vinculo ac pacto suscepit regnum.

Verùm demus, contrariam sententiam Caietani, Vasquez & aliorum esse probabilem: nempe Reges sufficere, si eligant ad officia secularia dignos prætermittis dignioribus. Tamen adhuc puto ad quæstionem propositam respondendum negatiuè; quia non valet consequentia. Rex potest eligere ad officia minus dignos; ergo Proreges possunt pro dictis officiis non digniores, sed dignos proponere; quia potestas illa eligendi minus dignos Regis est, & non Proregis. Qui quidem Rex supponendus est rationabiliter semper velle eligere digniores, licet possit minus dignos eligere: quod quidem quis sanæ mentis negabit relinquendum esse arbitrio suo, & non Protegis; qui quidem Prorex, si in nominatione presentaret minus dignos, relictis dignioribus, ipse electionem faceret de dictis minus dignis, & non Rex. Ergo, &c.

Concedo igitur Regem à Proregibus exigere vt dignissimos semper nominent: vnde contrarium facientes peccare mortaliter dicendum est. Et ita nostram sententiam in terminis docet nunquam satis laudatus Pater Petrus

Petrus Hurtado Societatis I E S V, de Incarnat. disputat. 12. sect. 15. subiect. 3. §. 250. & 251. vbi sic ait. Tertio deduco Principem non peccare munera deferendo minus digno, si absolute deferat digno. Rex enim non tenetur optimum quemque eligere; satis est si eligat bonum. Fateor si semper aut frequentius ommitteret digniores; tunc fore peccatum graue contra iustitiam distributiua: quia ex frequentia non optima distributione imminet Reipublicæ grauius damna. Peccant tamen administrati priuati non eligentes, aut proponentes digniores, quia Princeps ab illis exigit id munus. Ita Hurtadus; qui, vt visum est, licet teneat posse Regem eligere minus dignos: rectè tamen negat ministros posse illos Regi proponere prætermittis dignioribus. Ergo hoc faciendum erit. Et si Rex dato quod posset eligere minus dignos, per Hurtadum peccaret mortaliter, si frequenter id faceret; quanto magis dicendum est peccare Proreges, si frequenter illos ad dicta officia relictis dignioribus Regi proponerent.

Sed dicendum est cum ipso Hurtado, etiam si non frequenter id facerent Proreges; peccare tamen: nam, vt dictum est, in eis non militant rationes, quæ secundum Caietanum, & alios Doctores militant in Rege. Et ideo magnus ille vir Regens Aponte postea nostræ Religionis presbyter in tractatu de potestate Proregis, de electione officialium tit. 5. §. 5. numer. 6. sic asserit. Perpendendum est pro nominationibus officialium, quæ in dies fiunt Sacræ Maiestati à Proregibus, quod non debent in hoc gratificare personas, nec attendere ad preces, vel aliorum intercessionem; sed cunctis viribus inuigilare ad bene se informandum de bonitate, qualitate, & sufficientia personarum, & inter eas absque alia passione proponere meliores & digniores; aliàs ipsorum conscientia oneratur, & non Regis. Ita Aponte. Cui etiam addo ex Iuriconsultis Tassonum in Pragmat. de Antifato vers. 2. obseruat. 2. n. 102. vbi ex Diuo Thoma docet etiam Proreges peccare contra iustitiam distributiua in nominatione officialium: quæ omnia superius dicta procedunt à fortiori in nominatione Episcoporum, Abbatum, &c.

Nec desinam etiam hinc adnotare secundum aliquos non posse Proreges licitè pro tali nominatione ad aliquod officium pecuniam accipere. Et ita docuit Pater Hernandus de Mendoza Societatis I E S V in tract. de tractis, ad Comitum de Lemos tunc Neapolitanum Proregem, vbi dub. 3. in fine. sic ait. [Y con esto he acauado los Tratados que por orden de V. E. començe luego que llegue à este Reyno. Por losquales vera V. E. que ni de

gracias, ni de officios, ni de nominas puede facer vn real de prouecho fuera de aquel salario, y de aquellos officios vendibles, que publicamente le concede su Magestad. Et in tract. de Gratiis, cap. 5. in fine. sic ait. Lo mismo digo de las nominas, che V. E. truuire de hazer para su Magestad; porque verdaderamente consentir que estas se hagan por dinero, es vna de las mayores vellaqueras, que se pueden hazer en esta materia, y meceria el Virrey, que tal hiziesse ò consentiesse, ser affrontosa mente priuado dell' officio.] Hæc ille. Quæ quidem ab optimis Proregibus obseruata sunt, & obseruanda puto. Quibus etiam in mentem adducam verba illa Cornelij Taciti lib. 13. Annalium, vbi sic ait. Nero cum optimæ speciei iuuenis esset, curiam ingressus, egregia multa se esse facturum promisit; & inter alia nihil in penetralibus suis veniale, aut ambitiosum esse permittiturus.

An Proreges possint vendere officia, & pecunias sibi ipsis applicare?

R E S O L. III.

Videtur affirmatiuè respondendum: quia Proreges, vt notat Aponte tit. 1. num. 5. constituantur à Rege, vt Alter ego; & possunt omnia quæ ipsemet Rex: sed Rex potest officia vendere, vt docet Cynus in leg. 1. Cod. ad leg. Jul. de Ambit. Barrolus & Baldus in l. Barbar. ff. de offic. Prator. & alij Iuriconsulti communiter cum Theologis infrà citandis: ergo poterunt & Proreges. Quibus aliqui addunt suffragari consuetudinem, quam multum valere in hoc casu tradit Aragonius in 2. 2. questione 61. art. 2. Villalobos in summa tom. 2. tract. 8. difficultat. 7. numer. 5. in fine. & alij.

Sed ego contrariam sententiam tenco, pro qua firmanda, Dico primò, venditionem officiorum experientia teste habere speciem mali, ac præ se ferre magnam indecentiam ac turpitudinem propter detrimenta, quæ ex tali venditione sequuntur. Nam primò, hac via ista officia non obtinentur à melioribus & vtilioribus Reipublicæ, sed à ditioribus: quia digni, vt bene considerat Caietanus, & quibus debentur pro meritis, non conferent pretium; sed indigni & carentes meritis, supplebuntque merita pecuniis. Secundò, pereunt hac via in Republica studia literarum & virtutis, & offertur occasio cupiditatis, & curandi tantum pecunias; cum videant ciues ista officia, quæ honorifica sunt, non pro meritis dari, sed pecunia emi. Tertio, ementes ista officia, cum emant illa non vt ministeria Reipublicæ, sed vt hæreditatem sibi vilem, non exercebunt

fin eferupulo de conciencia todos aquellos officios, que no tienen administracion de iusticia como se ayan vendida de los demas. Virreyes passados con licencia del Rey, ò con costumbre publica, y aprobada, secus autem minimè. Et ego scrupulum haberem numerando inter dicta officia, quæ vulgo dicimus. Maestro di Campo, Sergente Maggiore, Capitani d'Infanteria, Capitani di Caualli, Capitani d'Armi del Valle, & similia. Hæc enim officia, vt optimè aduertit Mendoza *vbi supra num. 25. & sequent.* iurisdictionem exercent in milites & subditos, & in terris, vbi commorantur, & habent magnam occasionem exercendi oppressiones & extorsiones: ideò videntur aliquo modo reducenda ad officia exercèntia iurisdictionem, quorum pretium magis quàm aurum, vulnere in bello pro Regum seruitio accepta, esse deberet. Sed hodie faxit Deus, quòd aliqui Heliogabalum non imitentur, de quo Aelius Lampridius adnotauit, vendidisse honores & dignitates tam per se, quàm seruos. Non ita Alexius, qui teste Niceta *lib. 2.* initio sui Principatus proclamari iussit Magistratus se non venditurum, sed delectu ex optimis habito gratuito mandaturum. Rectè igitur Plato *lib. 8. de Republica* afferuit Principatus malè constituti argumentum esse, cum Magistratus venales sunt.

Et tandem optarem in hac materia legi Politicum Bobadilla *tom. 1. lib. 1. cap. 14. per totum*, & ne deseram hic apponere eius verba, quæ ponit *in cap. 3. num. 21.* vbi sic ait. Conueniè que con gran recato se repela de tan altos y reales ministros este ardor y capital delito, no solo para que de sus personas, como es de creer no pueda sospecharse pero ni de muy lexos mediante la interuencion de sus deudos amigos & familiares presumisse haziendo sobre a esto, a menudo pelquifa para que el y los suyos sean y parezcan a todos limpiissimos y deste tan horrendo y detestable vicio inculpables. Y basta dezir aqui que venderse los officios y magistrados, no es otra cosa sino collocar en los Tribunales la auaricia y no la iusticia; y vender iuntamente la iusticia, vender la Republica, vender la sangre de los subditos; vender las leyes, y quitar los premios del honor, de virtud, de doctrina, de piedad, de Religion, y abrir la puerta a los latrocinios, a la auaricia, a la iniusticia, a la ignorancia, a la impiedad, y finalmente a todos los vicios y fealdades. Porque es muy dificultoso que el que comprò el officio dexè de venderle. Ita ille. Cui adde & alium Hispanum Ioannem Marchez *in Gubern. Christ. lib. 1. cap. 20. in fine* sic asserentem. Esta fue la razon principal de S. Thomas para

aconsejar a la Duquesa de Brabante, que no vendiesse los officios de iusticia, porque es grande el peligro de que los Magistrados reuendan al Pueblo por menudo, lo que compraron en gtuesso. Ita ille, & Ego.

An Proreges possint concedere Priuilegiatis Tractas pro anno sterili non extractas: & an possint vendere tractas, & in eorum commodum pecuniam accipere?

R E S O L. IV.

HÆc materia tractarum periculosa est pro Proregum conscientis, & multò magis pro eorum Confessariis: & faxit Deus, quòd aliqui respicientes ad carnem & sanguinem & Regi & Regno magnum aliquando non inferant damnum. Ideò ad primam partem dubij respondeo negatiuè.

Dico igitur concessiones tractarum habere intrinsecam, & insitam naturam, & conditionem, quòd eas liceat extrahere, quatenus Regnum remanet munitum, & his opus non habeat: aliàs Proreges malè facerent, ex quo multa mala successerunt penuriæ, ruinæ, & conturbationes totius Regni, in quo prudentes Ministri summopere aduertere debent & inuigilare. In tantum quòd si in concessione non adest clausula refectionis, vt si quod vno anno non potuit extrahere, valeat extrahere annis sequentibus, minimè poterit id, quod non est extractum vno anno, extrahere aliis annis, quia si eatenus intelligitur concessum, quatenus Regnum superabundat, & in casu necessitatis minimè concessio intelligitur facta. Igitur extractione deficienti ex deficientia abundantia deficit pariter concessio, & illo anno caritatis non dicitur quid concessum: vnde cum expiret, imò habeatur pro infecta ex iuris intellectu, si non adest prædicta clausula expressa particularis refectionis, non adest, in quo annis sequentibus rescitur, quia non intelligitur concessum. Et ita docet Regens Aponte *tract. de potest. Proreg. tit. 5. de Tractis, num. 5. & 9. & ibi Thorus Additionator*, quibus adde nostrum Maltrillum *de Magistrat. tom. 2. lib. 5. cap. 9. num. 56.* vbi sic ait. Prætereundum non erit, quòd si facta venditione tractarum, seu earum concessione, reollectio frumentorum sterilis appareret, ne Regnum exhaustum remaneat, licitum erit Tractas iam concessas denegare. Quod maximè ampliandum erit in habentibus particularia priuilegia extrahendi quolibet anno certam frumentorum quantitatem, prout plures habemus in Regno, qui nedum eueniente sterilitate impediri possunt, ne ex-

trahant;

trahant, verum nec in sequenti anno competeret refectione extrahendi summas non extractas in annis præteritis. *Ex Reg. Pragmat. 2. tit. de assignat. ac aliis particularibus regis literis*, & fuit pluries determinatum, maximè contra Ducem Terræ nouæ, cum huiusmodi concessiones, seu assignationes, etsi præstationem in annos singulos habeant, in annos tamen singulos per se considerandæ sunt, ac si concessio, seu assignatio certæ summæ in vnum, & deinceps in alium annum specialiter facta esset, ita vt pro illo anno, in quo fructus non nascantur, vel minùs nascantur, videatur restricta concessio & assignatio, *argument. l. Si debitor. §. verisimile, ibi, qua collecta essent. ff. de action. empt. & l. cum certus, ff. de trit. vin. & ol. leg.* Et consequenter quod pro illo anno sterili cesset facultas extrahendi, atque extinguatur, non autem suspendatur, neque prorogetur illius executio in annos sequentes vberiores. Huc vsque Maltrillum. Qui tamen *num. 82.* aduertit supradicta procedere nisi Tractarum priuilegium concederet expressè refectionem, prout obseruat habere in Regno Comes Modicæ. Verum est, quòd si illo anno ex culpa concessionarij extractio minimè facta fuerit, non poterit in annis sequentibus extractionem facere.

Sed hinc obiter vellem à Dominis Proregibus in visceribus Iesu Christi vnum considerari; quàm dura res videatur, vt in eodem tempore, quo pro Regno & Regis necessitatibus gabellæ super gabellas imponuntur, in eodem, inquam, tempore actu concedere extractionem Tractarum personis de illis concessionem habentibus. Deus bone, si Rex tanta premitur egestate, & necesse sit tam ingentibus gabellis Regnum onerare, quo pacto in eodem tempore Tractas personis particularibus concedit, & non pro sua & Regni necessitate applicat? Res enim certa est, quòd tunc gabellæ iuste imponi possunt quando aliàs necessitas publica succurri non potest: vt docet Aponte *decis. 3. numer. 13.* & alij communiter: & priuilegia Tractarum, vel omnium aliarum pensionum, quæ in dies per Regem conceduntur, eatenus concessæ intelliguntur & solui debent, quatenus Regni redditus suppetunt. Non enim credendum est, quòd si Regi fuisset dictum an vellet, vt pensiones, quas concedebat, prælatæ essent prouisionibus faciendis pro armatione & sustentatione triremium, pro munitione Castrorum, pro stipendiis militum in Regni defensionem, pro recta gubernatione populorum, ac iusta manutentione; non inquam credendum est, quòd voluisset, vt hæc omnia essent in collapsum: sed respondisset quòd minimè in eum casum intelligebat aliquid concedere, quia non poterat, nec

debebat. Nam hoc modo seruitia facta, ob quæ pensiones conceduntur, non fuissent ad acquisitionem & defensionem Regnorum, sed in causam perditionis illorum; ita quòd intelligi debent submissæ huic periculo, & talibus oneribus, vt illæ soluantur, quatenus Regni necessitates aliud non requirant. Igitur quomodo tractandum est hisce temporibus in tantis calamitatibus de soluendo pensiones, & vt plurimum vidimus ex hac causa per vicos & plateas exclamare, qui contraxerunt cum Regia, bonâ fide bona dederunt, vel pecunias dederunt ad emptionem introituum, quibus debita satisfactio non fuit facta, nec fit; quia visum fuit gratificare, & soluere pensionariis: ex quo quæ mala sequantur, & quæ consequentiæ, iudicent prudentes: Regnum exasperatur, quia exuisceratur quotidie, & pecunia conuertitur in tales vsus. Si ergo, vt patet, neque probatione indiget, Regnum sit exhaustum, & hoc non obstante propter Regis necessitatem gabellis in dies supra vires onerandum est, quo iure in eodem tempore aliis conceduntur Tractæ? quare eas pro sua necessitate Rex non accipit, subleuando Regnum, ne tam ingentibus prematur oneribus? Quod idem dicendum est de pensionibus concessis.

Et hæc omnia non ego, sed ante me, vt alibi adnotaui, doctissimi Iurifconsulti, & Regij Consiliarij docuerunt, vt Aponte *vbi supra de Potest. Proreg. tit. 5. numer. 10. & sequent.* Valenzuela *consil. 99. punct. 2. num. 29. & sequent.* Rouitus *in consultat. de Donatiuis numer. 4. & sequent. post consil. 100.* Maltrillum *de Magistrat. tom. 1. lib. 3. cap. 4. num. 427.* Matura *in Respons. contra Messanenjes fol. 6. in princip.* Tappia *decis. 23. num. 83.* quibus etiam adde ex Theologis Rastellium *de Regimin. princip. lib. 3. de Causa efficienti Parliamenti num. 4. fol. 131.* docentes, quando Regnum est valde tributis oneratum, debere Regem, non noua donatiua poscere, & noua tributa imponere; sed suspendere, vel minuere gratias, & pensiones personis particularibus concessas. Et tandem ad confirmationem supradictorum non desinam hic apponere verba Fagundez *in Precepta Decalogi tom. 1. lib. 4. cap. 15. num. 5.* vbi sic ait. Cum autem magnæ superuenerint necessitates totius Regni, vt propter defensionem totius Regni, aut conseruationem dominiorum statuumque illius, necessum sit noua aliqua tributa imponere, prius quàm imponantur debent Reges ostendere & explicare populis, præsentem vrgentemque Regni necessitatem, & manifestare insuper omnia in quibus Regalia iura, redditus & tributa sunt exhausta, & se non habere bona in quibus præsentibus necessitatibus succurrere possint,

aut

aut vendere ad eam necessitatem subleuandam: & tunc quidem debent auferre bona Regiæ coronæ à donatariis, quibus illa donarunt, quia huiusmodi bona tanquam res, quæ à populis donatæ, & assignatæ fuerunt ad Regni defensionem regalemque sustentationem censentur à Rege ea tacita conditione fuisse donata, vt in magnis Regni & Reipublicæ necessitatibus iterum auferri possint, erant enim illis veluti hypothecata, & additæ. Et his factis, hoc est, manifestata in populis in Comitibus publica necessitate, & ostenso haustu reddituum regalium qui vendi possint, & de raptis atque ademptis à donatariis bonis Regiæ coronæ, tunc concedit ius licentiam ac potestatem Regibus & Principibus ad imponenda populis tributa in ordine ad bonum publicum totius Regni. Huc vsque Fagundez Societatis IESV insignis Theologus, quæ quidem mirificè confirmant id quod superius dixi de concessione Tractarum. Recognosce etiam post hæc scripta visum eruditum Amaja in Cod. lib. 10. tit. 16. numer. 36. vbi omnia supradicta confirmat.

Quoad alteram verò partem dubij: nempe an Proreges ex concessione dictarum Tractarum, possint pecuniam accipere? Respondeo quòd hanc quæstionem fusè tractauit Pater Hernandus Mendocça in peculiari tractatu de hac materia ad Comitum, de Lemos tunc Proregem Neapolitanum; & negatiuam sententiam docet: & idè inter alia in dub. 1. sic asserit. [De las Tratas que tienen ya señalado su tributo parece que puede hauer mayor dificultad y que no corren las razones dichas, porque haziendole pagar a S. Magestad su tributo, parece que se podría aprouechar el Virrey de los demas sin hazer perjuyzio a nadie. Pongamos vn exemplo. Quiere el Virrey vender para si vna trata de mill voras de vino, y sacados los mill ducados que tocan al Rey, le dan por ella otros tres mill, parece cosa clara que estos tres mill los puede tomar pues a nadie perjudica, no al Rey, pues presuponemos que le paga los mill ducados que le tocan de tributo, no a la Republica pues tambien se presupone, que ay arto vino, no al particular que las compra, porque tambien se presupone, que no las compra forçado, ni engañado sino que libremente se concierta, y que compra justamente segun el tiempo que corre Pero con todo esso digo que tan poco destas tratas se puede aprouechar con buena conciencia, aunque concurran todas las cosas suso dichas, y que si se tomare para si el dinero dellas pecara mortalmente, y estara obligado a restituyr, porque vende lo que no es suyo contra la voluntad de su Rey que es el verdadero Señor dellas, y el que da

la autoridad al Virrey para que las pueda conceder, y no para que las pueda vender, como tan poco quiere que se vendan las demas acciones, y exercicios, y como si dixesemos vfos del gouierno, y si vna vez se da licencia, para que se venda el gouierno y administracion de las Tratas de la Republica, tambien se puede dar para que se vendan todos los demas actos gubernatiuos que nacen de la autoridad por su Magestad concedida a los Virreyes, lo qual seria cosa tan fea, como dezir que el cargo de Virreyes es officio mercantil inuentado para hazer dinero, y para contractar con los subditos, como si les vendiera el pan ò el vino de que se sustentan. Allende desto en otro tratado dize à V. E. que el Virrey presupuesto que era criado, y no Señor del Reyno estaua obligado à contentarse con el salario, y con los licitos emolumentos que su Magestad le concede, y que no puede inuentar para si nueuos tributos ni gabelas, ni otro genero ninguno de contribuciones sin expresa licencia de su Rey, y en que razon cabe, que señalando su Magestad para si en lugar de tributo vn ducado poco mas ò menòs por cada vota de vino, que se saca del Reyno, quiera che su Virrey se tome para si dos y tres ducados por cada vna.] Huc vsque Pater Mendocça. Qui responder postea ad argumenta contraria, & vt visum est, docet Regem præbere Proregibus auctoritatem concedendi Tractas, non autem ipsas vendendi: vnde si hoc ipsi faciunt, vendunt rem alienam inuito Domino. Si aliquis verò dicat Regem hoc scire & tolerare, ergo tacitè consentire, & licentiam præbere Proregibus dictas Tractas vendendi: Responder ipse Regem hoc non scire, vel si scit & tacet, [ò por ignorancia, ait Mendocça, ò por esperar mejor tiempo para remediarlo, ò porque desespera del remedio, ò por ser floxo, y descuidado en gouernar su Reyno. En tales casos no basta el Rey calla, porque esta manera de callar no es suficiente para excusar de pecado mortal y de restituyr, sino que es menester que sabiendolo, y pudiendolo, y esperando de remediarlo calle y consenta.] Vide supra in aliis Resolutionibus, vbi satis responsum est ad dictam consuetudinem. Et hæc est sententia Patris

Hernandi de Mendocça circa præsens dubium; quid ego sententiam ex dignis rationibus proferre nolo.

An

An Proreges ex causa necessitatis possint homines malæ vitæ in carceribus existentes deponere super Regiis Triremibus, donec eorum causa expediantur?

RESOL. V.

DE hoc casu interrogatus olim fui ab Excellentissimo Duce Alcalensi Proreges; & tunc non defuit, qui ei sententiam affirmatiuam consulere, nixus auctoritate Regentis Aponte in tract. de potest. Proreg. de Regal. impost. tit. 4. §. 1. num. 51. vbi sic ait Ex quo iustissime habet ortum practica depositorum delinquentium & carceratorum pro delictis grauib. in M. C. qui dum ob multitudinem ipsorum non possunt tam celeriter expediri: & multoties expeditiones ipsimet dilatant ad fugiendas debitas pœnas, solent transmitti ad Regias Triremes, vt ibi inferuiant, donec ipsorum causæ expediantur: nam si tali pœna digni reperti fuerunt, non grauantur; & si secus, soluitur eis merces dari solita aliis, qui pro rimeriis in Regis triremibus permanent: quasi aliàs, vt supra fundatum est, ad hoc compelli possent, nulla propterea eis fit iniuria, si debito salario pro ipsorum labore sunt satisfacti: est enim quædam commutatio carceris à Magna Curia ad Triremes; cùmque ordinariè tales delinquentes sint personæ facinorosæ, viles & pauperes; quibus Curia expensis alimenta præstantur, cur absconum videri debet, vt ex causa publici boni in triremibus degant, ac Curia inferuiant; postquam ab ea vitæ alimenta sustinent. Et si quamplurimi pauperes otiosi, ac inutiles homines voluntariè ad remigandum se locant, soluta certa mercede, quare ob bonum publicum necessitate suadente non poterunt ad hoc compelli facinorosæ personæ. Et sic decusum passim & indistinctè est etiam per Regias constitutiones, Capitula, & Pragmaticas Regni, teneri vasallos Barones solitos & in defectum habiles inferuire Baronibus quibuscumque seruitiis illis necessariis, quare Regi hoc erit denegandum omnium Domino. Et in specie dicitur, in constitut. Regn. quòd in Regno Rex est Dominus personarum suorum vasallorum in constit. Reg. incip. quia frequenter, vbi Afflictus notat & Frecc. lib. 2. 24. author. Baron. Et idem in Capitul. Regni ad Regale fastigium; & cap. finis præcepti charitas in fin. Cumque hæc fiant omnia in Regni defensionem necessariam; propter publicam vtilitatem, quando triremes aliàs nauigare non possunt; propterea de hoc non est dubitandum, nec est prouiso noua, vt aliqui incipientes dicebant, & acriter illam increpabant Nam videatur Capitulum tertium

concessum Ciuitati in anno 1554. per Carolum V. in lib. Capitul. Ciuitatis, fol. 13. vbi hoc supplicatur, vt pendente appellatione ad Sacrum Consilium interim carcerati ad Triremes non transmittantur, vt afferebatur fieri; quod Capitulum non fuit seruatum ex causa publicæ necessitatis. Huc vsque à Ponte.

Verum ego tunc in facti contingentia contrariam sententiam consului per ea quæ latè adduxi in Resolutione vltima mearum Additionum in 1. 2. & 3. part. quæ impressa fuerunt in quinta editione, & postea in omnibus aliis. Et licet opinio Aponte fuerit aliquando obseruata, tamen postea ex litteris Regiis fuit prohibita vt amplius in praxi deduceretur, vt obseruat Mastrillus de Magistrat. tom. 2. lib. 5. cap. 6. num. 265. & 266. vbi ita asserit. Prorex ex causa necessitatis potest homines malæ vitæ & famæ pro delictis grauib. in carceribus existentes deponere super Regiis Triremibus, donec eorum causæ expediantur; si ita celeriter expediri minimè valeant, vt ex pluribus defendit Dominus de Ponte in tractatu de potest. proreg. tit. de Regal. impost. in rubr. n. 51. & ita aliàs vidi seruatum in Regno. Nam per Mag. Cur. consueuerat etiam fieri prouiso, quòd huiusmodi delinquentes carcerati facerent processum super Regiis Triremibus. Sed inde superuenit Ordo Regius huiusmodi prouisionem prohibens, idque summa cum ratione: nam etsi tempore necessitatis multa licita sint, maximè soluta mercede, si veniant liberandi, vt præsupponit D. de Ponte in loco citato, negari tamen minimè poterit, quin eorum defensiones per indirectum denegentur, cùm ij extra Urbem, & fortè à Regno reperiri possint ibi inferuendo, quo in casu vel termini processus eis indefensis & absentibus curerent, vel saltem eorum causas retardare necesse esset, quòd rectè iustitiæ administrationi minimè conuenit. Hæc Mastrillus.

Sed an saltem ex causa necessitatis possint Remiges à Proregibus compelli in Triremibus perseverare per aliquod tempus, affirmatiuè conclusum esse restatur Cutellius in Codice legum Sicularum ad leg. Iacobi Regis, cap. 3. 1. not. 38 num. 3. vbi sic ait. An autem possint homines vasallorum vel alios subditos abiectione fortunæ in Remiges feligere, ac ad id compellere, euitat quæstionem Constantius ex Luca de Penna, concluditque nullatenus cogendos, volentes tantum conducendos buenas voyas nuncupant. Quid autem de his, qui vna vice remo adscripti sunt, an in magna necessitate perseverare compelli possint, scio à summæ doctrinæ viris ac doctissimis Theologis Præfide Duce de Albuquerque responsum posse, si alij haberi non possent; dummodò merces statutis temporibus solueretur: qui enim

O operas

operas locare consueverunt in bonum publicum perseverare rectè coguntur. Ita Cutilius. Et scio idem fuisse determinatum tempore Regiminis Excellentissimi Domini mei Principis Paterni. Ego tamen hanc sententiam confulerem, quando tempus, quo dicti Remiges in Triremibus perseverare cogentur, non esset arbitrio boni viri adeò longum; & secluso quòd aliqui ex ipsis vxores & filios non haberent, qui ex tali absentia in honore & necessariis naturæ damnum probabiliter timere non possint.

An omisso vnus integra Hora parua sit pars notabilis ad constituendum peccatum mortale?

RESOL. VI.

Affirmatiuam sententiam docet Castrus Palas *tom. 2. tract. 7. disput. 2. punct. 5. n. 1.* vbi sic ait. Existimo sanè quamlibet horam paruam, aut illi æquiualens esse partem notabilem, & non aliud. Quia communior sententia est, vnum esse præceptum de septem horis Canonis recitandis: sed posita vnitare præcepti, leuis materia iudicanda est, quæ quantitatem horæ parua non attingit, cum non attingat partem duodecimam materiæ præceptæ. Ergo, &c. Et ita omittentem vnam ex horis Canonis peccare mortaliter docent communiter Doctores Ioannes Molanus *in compen. Theol. pract. tractat. 3. cap. 10. conclus. 2. n. 11.* Ioannes VViggers *de iust. & iure, tract. 8. cap. 2. dub. 17. num. 79.* Lessius *lib. 2. c. 37. dub. 9. numer. 51.* Ioan Baptista de Fabris *in Manual. ordinand. cap. 9. numer. 65.* Vega *in summ. tom. 1. cap. 128. cas. 15.* Fernandez *in Exam. Theol. moral. part. 3. cap. 13. §. 7. num. 3.* Ledesma *in summ. tom. 2. tract. 9. cap. 10. conclus. 14.* Bellochius *in pract. de casib. reseru. part. 2. quæst. 15. num. 46.* Bonacina *de horis Canonis, disp. 1. quæstione 5. punct. 1. numer. 2.* Tabiena *verb. Hora, numer. 18.* Naldus *in summ. verb. officium diuinum, n. 10.* Reginaldus *tom. 2. lib. 18. cap. 11. num. 144.* Siluester *verb. Hora, quæst. 12. sub finem.* Molfesius *in summa tom. 1. tract. 5. cap. 5. num. 8.* Oliuerius Bonarcus *de horis Canonis, lib. 2. cap. 20. conclusione 2. num. 5. & cap. 19. concl. 4. num. 12.* Macignus *de Horis Canonis, cap. 26.* Squillante *de obligat. Cleric. part. 1. dub. 33. num. 68.* Merolla *tom. 1. disput. 2. cap. 4. num. 132.* Faustus *de Hor. Canon. lib. 2. quæst. 78.* Sanchez *in opuscul. tom. 2. lib. 7. cap. 2. dub. 11. num. 2.* Palatius *in 4. sentent. dist. 15. disput. 9.* Nauarrus *in Manuali, cap. 25. num. 96. & 97.* D. Antoninus *in summa part. 3. tit. 13. cap. 4. §. 5.* Medina *in summa lib. 1. c. 14. §. 11. & alij.*

Verùm his non obstantibus nouissimè Phi-

libertus Marchinus *de Sacramento Ordinis, tractat. 2. part. 6. difficult. 3. num. 5.* tenet omissionem vnus horæ parua integræ non esse materiam notabilem ad constituendum peccatum lethale, Sic enim asserit. Saluo meliori iudicio arbitror omissionem vnus integræ horæ parua non esse lethalem: ratio est, quia singulis diebus vnicum tantummodò vrget præceptum; sed omisso vnus horæ est parua materia comparata ad integrum officium diuinum; ergo, &c. Ita ille. Et Sotus *de iustitia lib. 10. quæst. 5. art. 7. ver. subtegitur*, videtur dubius remanere; dicit enim, quòd fortè est mortale aliquam horam non recitare.

Sed hæc sententia Marchini, mihi non placet. Primò, quia, vt visum est, contra illam stat communis sententia Doctorum. Secundò, quia, vt rectè obseruat Suarez *de Religione tom. 2. lib. 4. cap. 25. numer. 15.* & Reginaldus *tom. 2. lib. 18. cap. 11. sect. 3. numer. 144.* omisso cuiuscunque horæ sufficit ad mortale, quia talis omisso est notabilis deformitas & mutilatio officij diuini contingens in tali parte, quæ sufficeret ad mortale, si sola sub eo reatu præciperetur, quæ sunt sine dubio singula eadem horæ, quæ simul quidem & tanquam partes eiusdem totius præcipiuntur; sed perinde ac si seorsum vnaquæque præciperetur.

An si dentur Sacerdoti particula pro communicandis laicis non solum post offertorium, sed etiam post Præfationem, possit illas adhuc consecrare.

RESOL. VII.

Posse oblatione dictarum particularum mente concepta post offertorium ante præfationem vrgeri aliqua causa iusta, docui cum Gauanto *in part. 1. tract. 14. resol. 71.* Nunc tamen addam secundum Philibertum Marchinum *de Sacramento Ordinis tractat. 3. part. 2. cap. 4. num. 15.* etiam fieri hoc posse post præfationem; quia ait ille, oblatio particularum, neque de necessitate sacrificij, neque ex vi legis præceptiæ coniungi debet cum grandioris hostiæ oblatione, sed sufficit vtrasque simul tempore consecrationis in eodem corporali reperiri, vt omnes verba consecratoria æqualiter recipiant. Neque video maiorem rationem, cur ante præfationem id admitti debeat, minimè verò post cœptam Præfationem, cum in neutro casu nullam oppositam legem habeamus. Ita Marchinus. Cuius sententiam videtur etiam docere Magalius *in Promptuar. tom. 2. verb. Eucharistia materia, num. 7.* vbi asserit facta oblatione ante consecrationem posse Sacerdotem recipere particulas ad aliquos

quos communicandos, & illas vnà cum hostia iam oblata consecrare. Nota quòd non dicit facta oblatione ante præfationem, sed ante consecrationem; ergo etiam post præfationem.

An Sacerdos possit applicare partem Missæ sibi competentem, & pro illa stipendium accipere?

RESOL. VIII.

Affirmatiuam sententiam docet Philibertus Marchinus *de Sacramento Ordinis tract. 3. part. 2. cap. 16. numer. 7.* nam si talis fructus est alteri applicabilis, certè afferri non potest Theologica ratio solida, cur Sacerdos pro tali obligatione applicandi huiusmodi fructum, non possit aliquod distinctum stipendium accipere. Tum etiam, quia omne opus bonum, non quatenus est meritorium, sed quatenus est satisfactorium, est applicabile alteri ab ipso operante; imò sacram ipsam communionem solent laici pro aliis offerre: Ergo multò magis fructum Missæ sibi proprium poterit celebrans aliis largiri, & absque Simoniæ labe in pactum deduci. Deinde poterit Sacerdos sibi ipsi applicare fructum Missæ medium seu specialem, quem pro aliis offerre potest; ergo poterit etiam fructum sibi proprium applicare alteri, & consequenter duas participantias accipere. Huc vsque Philibertus Marchinus.

Sed ego hanc sententiam maximè post Decreta Celebrationis Missarum satis reprobauit *in 5. part. tract. 14. resol. 41.* cum multis Doctoribus, quibus nunc addo Gauantum *in Rubricis Missalis part. 3. rit. 12. numer. 29.* Dico igitur non posse Sacerdotem pro vna Missa duplicatum stipendium accipere, applicando v.g. vni fructum Missæ medium, & alteri fructum Missæ sibi proprium, cui ipse renuntiat, & cedit. Et hanc sententiam tenet nouissimè Perficus *de offic. Sacerd. lib. 2. dub. 9. num. 102.* & contrariam damnat?

An Sacerdos possit applicare diuersos fructus vnus Missæ diuersis personis: & ab illis duplicata stipendia accipere?

RESOL. IX.

VT verbi gratià dicendo Missam de Spiritu sancto, vel de Beata Virgine, & applicando vni illam Missam ad aliquod beneficium à Deo impetrandum; alteri verò applicando eandem Missam in satisfactionem peccatorum alicuius defuncti vel viuientis. Et affirmatiuam sententiam docet Philibertus

Marchinus *de Sacramento Ordinis tract. 3. part. 2. cap. 16. num. 17.* quam testatur se vidisse seruari in praxi à valde doctis & timoratis Religiosis, sustinuisse Patrem Tafca insignem Theologum Societatis Iesu: & rationes adducit, eò quòd isti duo fructus impetrationis & satisfactionis sunt separabiles & realiter distincti: Ergo licebit Sacerdoti se obligare ad vnum, & non ad alium: ergo dum offert impetrationem pro vno, & satisfactionem pro altero, poterit duo stipendia recipere. Deinde si Sacerdos tenetur vni vtrumque effectum applicare, vel tenetur ex natura sacrificij id postulante, vel ex pacto & contractu inter ipsum & dantem stipendium: non ex primo capite; quia illi duo fructus sunt distincti realiter, & de facto separantur, vbi Missa offertur pro viuo existente in peccato mortali, cui potest Missa prodesse solum quoad impetrationem, non quoad satisfactionem. Neque tenetur ex pacto, quia neque Sacerdos intendit se obligare ad applicandos binos fructus, neque Missam petens, Sacerdotem ad vtrumque effectum obligauit, cum id non expresserit. Ergo, &c.

Nec valet dicere, quòd qui dat stipendium pro Missa, censetur velle tam impetratorium, quàm satisfactorium fructum; nam rogatur vtrumque velle, & stipendium pro vtroque est sufficiens. Ergo Sacerdos iniuste agit, si integrum fructum illi non confert. Nam responderetur ex dictis negandum esse antecedens, quia propositum in mente retentum nihil operatur, vt clarè patet *ex leg. quicquid adstringenda, de verb. oblig. ibi nisi palam verbis exprimatur*, &c. Quinimò in motiuo & fine, quem habent Missam petentes, conicienda est illorum voluntas: finis autem interdum est sanitas ægotantis; cui applicatio satisfactionis quæ ex Missa prouenit, prorsus repugnat; interdum est bonus exitus rerum temporalium vel quid simile; neque quiquam cogitant de peccatorum suorum satisfactione, imò sapissimè sunt in statu peccati mortalis, dum pro aliquo temporali beneficio impetrando Missam sibi celebrari curant, ac proinde norunt se esse fructus satisfactorij incapaces. Non ergo approbandum est, vt vniuersaliter verum, petentes Missas integrum ex eis fructum velle, nisi aliud exprimant. Et tandem in tali casu non recipiuntur bina stipendia, quasi sint pretia duplicis Missæ fructus, sic enim esset simonia, sed accipiuntur pro seruitute & obligatione applicandi pro vno satisfactorium, pro altero impetratorium fructum: quæ quidem seruitus & obligatio cum sit duplex, & diuersis personis ob diuersos fines applicabilis, sitque vtraque pretio æstimabilis, potest vtiq; duplici stipendio compensari.

Et hæc omnia docet Marchinus *ubi supra*, licet afferat supradictis non nihil aduersari decreta sacre Congregationis *de celebrat. Missarum* quæ si alicubi non essent non recepta, aliquis posset dicere opinionem Marchini tanquam probabilem amplecti posse.

Sed ego puto absolutè contrariam sententiam tenendam esse, quam tuetur Nauarra *de restitut. lib. 2. cap. 2. dub. 6. num. 243*. Possëuius *de offic. Curat. cap. 2. quest. 7. numer. 25*. & Bonacina *de Sacrament. disput. 4. quest. ult. punct. 8. num. 15*. quia Sacerdos sic faciens excedit taxam sibi debitam, & ab Episcopo præscriptam, quæ quidem debetur & præscribitur non in ordine ad applicationem fructus impenetratorij, vel satisfactorij, sed in ordine ad laborem, vel sustentationem ipsius Sacerdotis, Ergo, &c. Adde quòd, vt rectè obseruat Grafius *de celebrat. missar. tom. 2. conf. 3*. qui petit celebrari Missam, intendit obligare sacerdotem ad id quod est vtilius, & quantum licitè potest, & omni meliori modo. Ergo, &c.

Notandum est hic etiam Marchinum *ubi supra, cap. 17*. docere etiam Sacerdotem posse idem sacrificium offerre pro eo, à quo accepit eleemosynam, & simul pro alio ex sola liberalitate vel charitate & gratitudine. Et ratio est, quia Sacerdoti prohibetur solum eandem Missam dicere pro multis, quibus de iustitia, ratione stipendij accepti tenetur. Non verò prohibetur offerre pro vno cui debet, ex iustitia, & simul pro alio ex sola liberalitate, vel charitate, stante Missæ sacrificij valore infinito, tam secundum virtutem intensiuam, quam extensiuam, vnde æqualiter prodest multis ac paucis secundum cuiuslibet deuotionem, sed de hac quæstione alibi dictum est.

Quenam facultas per Decreta sacre Congregationis de celebratione Missarum sublata sit Episcopis & Generalibus Ordinibus reuocandi Missas ad minorem numerum?

R E S O L. X.

Resolutio huius difficultatis pendet ex intelligentia verborum sacre Congregationis. Ibi. *Ac primò districte prohibet, &c.* Sed secundum Marchinum *de Sacrament. Ordinis tract. 3. part. 2. cap. 19. numer. 31*. per dicta verba non censetur reuocatum priuilegium moderandi Missas & annuaria à Testatoribus ante Tridentinum relicta, quorum maximus est numerus: nam Decretum supradictum Sanctissimi D. N. Urbani prohibet eam solam Missarum reductionem, quæ post Tridentinum acceptata fuerunt, vt optimè notatur in Synodo Florentina sub die 18. Maij

1627. §. 3. *de Missarum celebrat.* & satis declarant illa verba Decreti, aut post Concilium imposita. Deinde non videtur per hoc decretum derogatum Episcopis, quin possint moderari Missas alicui Ecclesiæ relictas; nondum tamen ob tenuitatem Eleemosynæ ab eadem Ecclesia acceptatas: nam Decretum hoc loquitur manifestè de oneribus Missarum impositis; non est autem onus impositum nisi post acceptationem, & intentio eiusdem sola est, vt numerus Missarum relictus & acceptatus adimpleatur. Quare ante acceptationem non abstulit Episcopis facultatem, quæ illis de iure communi competebat, alterandi & moderandi eas Missas. Et ita sentit Marchinus re cum multis viris doctis communicata, saluo tamen meliori iudicio, ait ipse, & sub censura Ecclesiæ.

An per Decreta Sacre Congregationis fuerint reuocata priuilegia Regularium circa Legata Missarum?

R E S O L. XI.

Respondeo affirmatiuè, vt patet in illis verbis, *Id verò, vt deinceps, &c.* Sed obseruat Philibertus Marchinus *de Sacramento Ordinis tract. 3. part. 2. cap. 20. numer. 7*. quòd post euulgata dicta Decreta Sanctissimus D. N. Urbanus VII. die 13. Iulij 1626. ad petitionem Deodati Lomellini Procuratoris Generalis Minorum S. Francisci de Paula concessit Fratribus eiusdem Ordinis Cœnobij Ianuensis, vt legata Missarum perpetua & oneri annexo imparia ad rationem quinquaginta scutorum monetæ Romanæ pro qualibet Missa quotidiana reducerentur: decernitque per celebrationem Missarum sic reductarum saluti animarum eorum, quorum intentione Missæ sic reductæ fundatæ fuerunt, suffragari, perinde ac si illæ verè, realiter, & cum effectu celebrarentur: dictæque domus Priorum & fratres desuper à quoquam quauis auctoritate molestari, perturbari, vel inquietari non posse. Et hoc priuilegium afferre Peirinum ego alibi etiam notauit; quo quidem in pari causa, vt docet rectè Marchinus per communicationem, non modò aliæ eiusdem Ordinis domus, sed etiam aliarum Religionum familiae, quæ communicant in prædictis priuilegijs perfruuntur.

* * *

An

An Sacerdos obligatus celebrare in Altari priuilegiato satisfaciatur, si celebret alibi cum numismate, vel calculo priuilegiato?

R E S O L. XII.

Respondet affirmatiuè Marchinus *de Sacramento Ordinis, tract. 3. part. 2. cap. 24. num. 8*. quia iste Sacerdos non violat fidem datam nisi materialiter; nam formaliter loquendo iste implet testatoris voluntatem, qui aliud non intendebat, nisi liberari è flammis Purgatorij, quam liberationem Sacerdos celebrans, & vtens numismate, vel calculo priuilegiato æquipollenti medio à Deo impetrat. Neque verum est damnum aliquod inferri animæ Testatoris, quia vel hoc damnum sequitur illi ratione inæqualis sacrificij, & hoc non, quia Missa in vtroque Altari facta est eiusdem valoris, vel attenditur hoc damnum, eò quòd aliud altare, in quo celebravit, non sit priuilegiatum, & hoc neque; quia liberatio animæ è Purgatorio medio calculo, vel numismate à Papa benedicto est æquè certa & infallibilis, atque eiusdem prorsus utilitatis eum illo, quæ medio Altaris priuilegio habetur: & nihil refert quid ex æquipollentibus fiat ex leg. finali §. finali ff. mandati. Et licet inæqualis esset certitudo inter Numismatis & Altaris priuilegium; attamen non cogor eligere certiore partem, sed sufficit eligere probabilem; vel me non habere rationabile dubium tale numisma non esse priuilegiatum, cum illud acceperim à fide digno; secus in omnibus rebus esset ambigendi locus, & de ipso Altaris priuilegio, vel Bullæ circumstantiis posset etiam quis dubitare non secus ac de ipso numismate. Ita Marchinus, qui me citato solum excipit casum, quo fuerit electus locus, seu Altare priuilegiatum causa cultus diuini eiusdem loci.

Non desinam tamen adnotare contrarium fuisse determinatum Bononiæ in casibus conscientie ibi discussis anno 1634. mense Februario *cas. 1. fol. 9*. quia non est ita certum priuilegium numismati concessum sicut certum est mortaliter priuilegium altaris. Sed Marchini sententiam probabilem esse puto, quam nouissimè cum limitatione à me superius adducta, tenet Antonius Ruteus *de Fructus Sacrif. Missæ lib. 3. disputat. 3. quest. 3. num. 10*.

* * *

An quando solum constat Capellanum teneri quotidie celebrare in tali Ecclesia vel Altari, teneatur applicare valorem Missæ pro fundatore Capellaniæ?

R E S O L. XIII.

Hæc dubitatio habet locum præsertim in antiquis Capellanijs, quæ quibus conditionibus seu oneribus fundatæ fuerint ignoratur, sed solum certum esse potest ex antiquo vsu & sacelli obligationibus in tali Altari tot Missas in anno, mense, hebdomada, vel die celebrandas. Et quidem in tali casu negatiuam sententiam circa quæstionem propositam tenet Philibertus Marchinus *de Sacramento Ordinis tract. 2. part. 2. cap. 27. numer. 5. & sequent.* Putat enim non esse Sacerdotem onerandum applicatione sacrificij, nisi manifestè constet de tali obligatione; & consequenter posse alteri fructum Missæ applicare & nouum stipendium accipere. Et ratio est, quia in leg. *quicquid adstringenda ff. de verb. oblig.* hæc verba habentur. *Quicquid adstringenda obligationis causa dictum est, id, nisi palam verbis exprimat, omissum esse intelligendum est, aut certè secundum promissorem interpretatur, quia stipulatori liberum fuit verbalitè concipere.* Sic ibi. Hinc ortum fuit illud axioma. *Propositum in mente retentum nihil operatur.* Ergo si fundator non se declarauit per verba importancia Missæ fructum, nulla oritur in Capellano obligatio ad illius applicationem, & sibi fundator debet imputare, si mentem suam non aperuit: imò in dubio præsumendum est, si voluisset, vtique declarasset. Secundò, lex quælibet et si iusta non ligat subditum, nisi sit ei sufficienter promulgata & intimata, seu nisi habeat claram legis notitiam: sed onus applicandi sacrificium est quasi lex priuata, & contractus quidam onerosus, qui expressa contrahentium voluntate perficitur. Ergo Sacerdos non est onerandus onere applicationis sacrificij, nisi habeat claram de illo notitiam. Tertio in dubio melior est conditio possidentis suam libertatem. Ita Marchinus.

Sed contrariam sententiam docet Bonacina *de Sacramentis disput. 4. quest. ult. punct. 7. §. 2. numer. 13*. Gauantus *in Rubricis Missalis part. 3. tit. 12. numer. 5*. Homobonus *in Exam. Eccles. part. 1. tract. 4. cap. 13. quest. 121. in fine*. Quibus adde nouissimè Ghilinum *in summa verb. Missa celebratio, numer. 23*. vbi sic ait. Quando nullo modo constat de fundatione Capellaniæ, cum nulla reperitur scriptura: sed solum constat ipsum Capellanum teneri quotidie celebrare in tali Ecclesia, vel in tali

Altari, tenetur obtinens Capellaniam Missæ valorem applicare pro fundatore Capellaniæ. Ratio est, quia fundator censetur sibi voluisse consulere omni meliori modo, applicando sibi Missæ valorem, cum agatur de salute animæ, de qua præsumendum est vnumquemque curam habere, & etiam quia Capellaniæ regulariter loquendo solent iustitui cum onere applicandi Missæ sacrificium pro fundatore. Sic ille. Et hunc casum videtur definiuisse Sacra Congregatio in declarationibus Decreti de celebrat. Missar. in ordine ad 4. dubium, vbi sic habetur. Ad 4. Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare, ratione beneficii, seu Capellæ, legati, aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa vtrique obligationi satisfacere.

Verum ad omnia hæc argumenta conatur respondere Marchinus; & ad auctoritatem Sacræ Congregationis putat Decretum illud loqui de Capellis, quæ habent onus applicandi pro fundatore sacrificium; non de iis quibus simplex celebratio seu officitura cum tenui Eleemosyna iniuncta manet. Sed an hæc opinio sit probabilis, aliis iudicandum relinquo, mihi enim non placet, & ideo nouissimè illam refellit Auctor casuum conscientiæ Bononiæ discussorum anno 1634. mense Februario *cas. 1. fol. 9.* Auctorem dictorum casuum, asserunt esse P. Carolum Zambertum Societatis I. E. S. V.

An post susceptam Eucharistiam in eadem die sit peccatum veniale petere debitum causa captanda voluptatis?

R E S O L. XIV.

DE hoc casu fuit olim mihi magna altercatio cum quodam viro Religioso, qui affirmatiuam sententiam mordicus sustinebat, quam tuetur Beja *part. 1. casu 8.* qui citat Syluestrum, Caietanum, & Albertum Magnam, quibus addo Paludanum *in 4. distinct. 9. quæst. 3. art. 2. conclus. 3.* D. Antoninum *in 3. part. titul. 13. cap. 6. §. 10.* Angelum *verb. Eucharistia 3. num. 44.* asserentes coniugatos petentes copulam eodem die, quo susceperunt sacram Synaxim, peccare venialiter; & hoc propter irreuerentiam, quæ infertur Sacramento.

Verum mihi tunc, & etiam nunc negatiua sententia placet, quia nullibi reperitur talis prohibitio; nec videtur tanta indecentia, quæ culpam constituat: nec debemus laqueos coniugatis iniicere. Et quia non est eadem ratio de copula habita ante sumptionem Eucha-

ristiæ & post; nam ante desiderabatur abstinentia à copula, vt congrua dispositio ad receptionem corporis Christi: at post sumptionem corruptis speciebus Sacramentalibus talis abstinentia à copula licita, non videtur necessaria ad finem vllum per se intentum ab Ecclesia. Et idè hanc sententiam sustinet Tabiena *ver. communicare quæst. 37. num. 43. in fine*, vbi dicit hoc tantum esse consilium; Victoria *in summa quæst. 87.* Sanchez *de matrimonio lib. 9. disput. 13. num. 17.* Reginaldus *tom. 2. lib. 29. cap. 6. quæst. 7. num. 117.* Magalius *in Prompt. tom. 2. ver. debitum coniugale num. 6.* Machinus *de Sacramento Ordinis tract. 3. part. 3. cap. 2. num. 17.* & alij.

An licitum sit diebus festis occupare puellas in faciendis Recamaturis?

R E S O L. XV.

Affirmatiuam sententiam docet Armilla *verb. festum, num. 21.* Azorius *part. 2. lib. 1. cap. 27. quæst. 6.* & nouissimè Auctor Casuum conscientiæ Bononiæ discussorum anno 1635. mense Martio, *casu 2.* vbi sic habetur. Valde probabile est Caium non peccare occupando suas puellas diebus festiuis in faciendis Recamaturis, vt artem addiscant: tum quia eas occupat in re quæ non est ita seruilis, vt sit omninò seruorum propria, sed est, quamuis mechanica, ita tamen nobilis, vt à qualibet libera, & ingenua persona absque seruitutis nota exerceri possit: & de facto multæ sunt nobiles fœminæ, quæ huiusmodi arte delectantur, eamque sapientissimè frequentant, cum sit ars persimilis arti pingendi, quæ à pluribus non vulgaribus Doctoribus æstimatur ars liberalis, cum pingere nihil aliud sit quàm lineas ducere, colores apponere, ac dispositis artificosè coloribus figuras inducere, quæ hominem etiam liberum ac nobilem non de- decent. Tum quia non minùs personæ in pingendo cum acu, quàm studiosi literarum in studendo quadam animi voluptate capiuntur, ac derinentur, quod signum est artem istam, si non est omninò liberalis, certè ad liberalem valde accedere, quippè quæ ad animum recreandum instituta sit, liberòque animo non indigna, vt est pictura. Neque enim implicare videtur aliquibus idem opus esse seruile & non seruile, variatis circumstantiis vt de pictura refert Bonacina. Tum denique, quia non minùs licitum videtur diebus festis pingere acu, quàm pennicillo: sed hoc à pluribus Doctoribus conceditur, artis præfertim discendæ, temporis fallendi, & animi recreandi gratia. Ergo, &c.

Sed an hæc opinio sit probabilis, remitto iudicio

dicio aliorum. Quòd verò argumentum à pictura ad recamaturam possit procedere, patet apud Azorium *vbi supra*, & Castrum Palaum *tom. 2. tract. 9. punct. 6. num. 6.* licet ipse *vbi* sentiat picturam esse opus seruile. Quòd verò excusentur puellæ laborantes in diebus festis ad vitandam otiositatem, tenent Villalobos, Ioannes de la Cruz, Emmanuel Sà; quos ego citavi *in 3. part. tract. 5. resolut. 8.* quibus adde Marchancium *in Resolut. Doctor. super Decalogum, cap. 3. quæst. 2.* Syluestrum *verb. Dominica, quæst. 5. conclus. 4.* & Ghilinum *in summa verb. Festum, num. 2. litera I.* licet Sanchez in opusculis *tom. 2. lib. 5. cap. 2. dub. 18. num. 13.* contrariam sententiam veriore existeret, quia potest otiositas vitari exercendo aliud opus bonum licitum: ideo, vt dixi, an hæc opinio sit probabilis, tu cogita.

Verum liceat iniurianti respondere Mentiris?

R E S O L. XVI.

DE hoc casu olim interrogatus fui ab Excellentissimo heu quondam Domino meo Domino Ioanne de Aragona Duci Terræ nouæ, qui mihi præbuit responsum cuiusdam Theologi inclytæ Societatis Iesu, quia defensio debet fieri cum moderamine inculpata tutelæ, ita vt vitetur quantum potest offensa: vt iniuriatus, cum ipsi dicitur, verbi gratià, es fur, potest se bene defendere replicando, non sum; vel hoc non est verum, absque eo quod dicat *mentiris*, quod verbum ex sua natura est offensiuum. Præterea falsum est, quòd illa mentita sit defensio; quia defensio secundum Theologos & Casuistas fit ab iniuria, quam Aduersarius vult inferre, non autem ab ea, quæ est illata: si autem secus fiat, est vindicta, & sic non est licita. Neque enim in hoc debet attendi mos militaris, vt vulgò dicitur, *Caualleresco*, sed mos Christi nostri legislatoris, qui in terminis, operibus huiusmodi casum definiuit, & reliquit nobis vt exemplar & legem: cum enim *Ioannis 8.* dicerent ei Pharisæi, *Demonium habes*, non respondit, *Mentimini*, sed dixit, *Ego Demonium non habeo*; quod aliàs docuerat discipulos suos *Matth. 5. Sit sermo vester, Est est, non non.*

Sed his non obstantibus, tunc affirmatiuam sententiam docui: quia verbum *mentiris*, potest assumi vt offensiuum, & vt defensiuum; sed in casu nostro, cum proferatur eo tempore, quo iniuriata fuit illata iniuria, liquidò constat ex circumstantia temporis assumi vt defensiuum ad repellendam iniuriam, & quòd per accidens est iniuria. Ergo, &c. Confirmatur primò: nam, vt optime obseruat Hurtadus

de Mendoza *in 2. 2. Diui Thomæ volum. 2. disput. 170. §. 14. num. 119.* quando blasphemus obiicit Deo infamia mendacia, cui libet priuato licet dicere illi, *Mentiris*, quando alia ratione non potest consuli honori Dei, quæ actio pertinet ad virtutem Religionis. Ergo verbum *Mentiris*, non est tam intrinsecè malum comparatione hominis priuati, quin aliquando exuens malitiam induat honestatem. Igitur, & quando est mihi necessarium ad propulsandum iniustum damnum illi proportionatum. Confirmatur secundò: Ego possum coram Iudice probare licitè illum hominem sic mihi iniuriantem fuisse mentitum, & dare operam, vt puniatur pro mendacio & contumelia: ergo licet mihi auctoritate priuata illi obiicere hoc crimen, quando est medium per se vtile & vnicum ad eluendam maculam, quam ille mihi adsperserat iniuste. Et in hoc casu verbum *Mentiris* est quidem contumelia physice, non verò moraliter: sicut occisio quando est in defensionem inculpata, non est absolutè homicidium, quamuis sit physice, id est hominis necatio. Et ideo nostram sententiam tenet Hurtado *vbi supra*, Peregrin *de duello, quæst. 3. num. 1. verb. quartò, & num. 6. verb. quartum.* Emmanuel Sà *verb. infamare & fama, num. 4.* Aragonius *in 2. 2. Diui Thomæ quæst. 70. art. 3. conclus. 3.* Pitigianus *in Pract. Crimin. Can. in tertio substantiali iudicio, cap. 4.* Sorus *de iustitia, lib. 5. quæst. 9. art. 3.* Valentia *tom. 3. disput. 5. quæst. 16. punct. 3.* Sayrus *in Clauis Regiæ, lib. 12. c. 4. n. 12. 13. & 14.* Felinus *in cap. dilecti, n. 10. de except. Bartol. in l. que omnia, num. 1. ff. de procurat.* vbi sic ait. Nota quòd ei, qui dicit se commisisse aliquod crimè, licitè potest dicere, *Tu mentiris*, licet enim retorquere in alium ista ille: cui adde Farinacium *in pract. crimin. part. 2. tit. de homicidio, quæst. 125. part. 7. §. 4. n. 526.* vbi docet quòd datur mentita in casu licito ad propulsationem illatæ iniuriæ. Hanc sententiam Hurtadus limitat, quando verbis minus asperis potest iniuria illata depelli, tunc enim non est licitum respondere iniuriato *Mentiris*, sed inibi asserit, quòd hoc in praxi moraliter non potest euenire: contumeliosus enim difficillimè speratur se cohibiturum, sed perstiturum in contumelia semel dicta aut aliàs aggressurum.

Restat modò respondere ad argumenta illius Theologi. Ad illud igitur, quod aiebat in tali casu dicendum esse, verbi gratià: Ego non sum Sodomita; Hoc non est verum. Respondeo quòd istæ simplices negationes sunt velatæ mentitæ: sed cum iniuria illata sit clara & aperta, vt, es Sodomita, cur non licitum erit iniuriato assumere defensionem apertam, quæ sita est in hoc verbo *Mentiris*. Adde quòd ex istis verbis minus

asperis nescio an iniuria depellatur, & sperari possit iniuriantem se cohibiturum.

Ad secundum, quod dicebatur verbum *Mentiris*, ex natura sua esse offensiuum, patet responsio ex his quæ obseruauimus supra, adducendo rationes pro nostra sententia.

Ad tertium, quod hæc potius est vindicta, quam defensio, prorsus negandum est: nam iniuriatus eodem tempore, quo accipit iniuriam à contumelioso, statim ei responderet, *Mentiris*: ergo non infert ei iniuriam, sed à sibi illata se defendit: hoc enim verbum *Mentiris*, in isto casu non est propriè iniuria, sed repulsio iniuriæ, & defensio, cum proferatur eodem tempore, quo ille iniuria est affectus.

Ad quartum, respondeo optimum esse sequi exemplum Christi, & eius consilia: sed inde non videtur consequi esse præceptum, quod est perfectionis exemplum.

An liceat Sacerdoti in Sacrificia, dum adhuc Sacris vestibus est indutus sumere reliquias Hostiæ inuentas in Calice?

R E S O L. XVI.

Negatiuam sententiam docet Marchinus de Sacramento Ordinis *tract. 3. part. 3. cap. 3. num. 20.* vbi sic ait. Hæc doctrina temperanda est, vt non procedat in Sacerdote, qui iam in Sacellum se recepisset, etiam si facris vestibus indutus adhuc maneret, etiam si tunc incipiat videre reliquias, quas in Altari non discernibat. Nam postquam ab Altari Sacerdos discessit, iam compleuit totum suum Ministerium, propterea post sumptionem abluitionis, si in sacellum reuersus reliquias Sacramenti, in quibus totus Christus asseruatur, iterum manducet, sequitur quod nefas est, eum bis eadem die sacram Communionem recepisse. Ita ille. Et hanc sententiam cum multis Doctoribus ego docui in *3. part. tract. 4. resolut. 4. §.* quibus etiam adde Perficum de officio *Sacerdot. lib. 1. cap. 12. num. 122.*

Sed pro affirmatiua sententia in *5. part. tract. 14. resolut. 4.* adduxi Iacobum Granado, qui licet videatur loqui ex aliorum sententia, tamen illam non improbat; sed clarè hanc opinionem affirmatiuam tenet Ioannes Baptista de Fabris in *Manuale Ordinandorum, cap. 11. num. 142.* vbi sic asserit. Si celebrans sumpto sanguine videt particulam hostiæ in fundo Calicis; vel sumpta purificatione reperiat super patena vel corporali aliquod fragmentum eiusdem hostiæ præsumptæ, quid faciet? Respondeo in primo casu, vel digito deducat par-

ticulam ad labium Calicis, & fumat ante purificationem, vel remoto scrupulo vna cum purificatione deglutiat. In secundo casu fragmenta potest fumere etiam non ieiunus & extra Altare in Sacrificia. Hæc ille. Cui adde ex nostris Patrem Megalium in *Promptuario tom. 2. verb. Eucharistiæ Sacramentum suscipiens, n. 24.* vbi sic asserit. Ego probabilem etiam censo sententiam, quam in praxi seruant aliqui Sacerdotes docti, & timorata conscientia, vt scilicet prædictas reliquias fumant etiam post recessum ab Altari, & priusquam Missæ paramenta dimittant, si illas in Calice, vel in patena inueniant. Et ratio huius praxis est, quia sumptio harum reliquiarum post Missam relictarum, est complementum eiusdem actionis & sacrificij: & consequenter tota hæc actio censetur vna & fieri à ieiuno, quando fiat ab eo, qui eam ieiunus inchoauit, & interim nihil sumpsit, quod ex institutione Ecclesiæ fumere non teneatur; & sic nihil nisi abluitionem, quæ fit ad perfectam consummationem eiusdem sacrificij ad quam perfectam consummationem cum pertineat prædicta sumptio reliquiarum, nulla est ratio, cur liceat eas fumere priusquam Sacerdos recedat ab Altari, & non liceat statim postquam recessit, cum non obstante recessu adhuc non sit perfectè consummatum sacrificium ob prædictas inaduertenter relictas reliquias. Et præterea magis reueretur Sacramentum, si statim fumantur etiam post recessum ab Altari, quam si relinquuntur in patena, aut in Calice, & maximè sine lumine; & facillè possunt interim decurrere & perire. Huc vsque Megalius.

Sed si quæras hinc obiter, cuius quantitatis esse oporteat huiusmodi reliquias, vt licitè post abluitionem sumi possint. Respondet Sotus in *4. dist. 12. quest. 5. art. 8. ad 8.* sic asserens. Si magnam hostiæ portionem in linteolis post lotionem Sacerdos inueniret, consilium esset, illam in pyxide reseruare in crastinum: & in hanc sententiam inclinat Henriquez *lib. 8. cap. 50. num. 2. & in glossa litera G* Sed ego puto nullam inter magnas & paruas particulas differentiam assignandam esse: nam est eadem omnino ratio omnium, cum pertineant ad eandem actionem sacrificandi per modum vnius, & integra actione fumuntur: quare non est quantitas attendenda. Ita Suar. *tom. 3. disputat. 68. sect. 6. cap. 2.* Reginaldus in *praxi tom. 2. lib. 29. cap. 6. num. 123.*

Fagundez *part. 3. lib. 3.*

cap. 5. num. 24.

& alij.

An qui manè Missam dixit, vel sacram Eucharistiæ sumpsit: si post prandium incidat in articulum mortis, possit eodem die iterum communicare?

R E S O L. XVIII.

Hanc quæstionem fusè pertractaui in *5. part. tract. 3. resolut. 33.* & affirmatiuam sententiam docui, quam scio multum placuisse viris doctis: & ideo illam modò etiam ex auctoritate aliquorum stabilire conabor.

Dico igitur nostram sententiam præter Gasparum Hurtado & alios tenere in terminis, vt dici solet, terminantibus Marcellum Megalium in *Promptuario tom. 2. verb. Eucharistiæ Sacramenti præceptum, num. 6. & verb. Eucharistiæ Sacramenti Minister, num. 20.* vbi sic ait. Quando Sacerdos, qui manè celebravit, aut laicus qui manè communicauit sanus ob suam deuotionem, tempore vespertino in morbum incidere ita periculosum, vt iudicio probabili Medicorum supra viuere non possit vsque ad sequentem diem: tunc enim quia vnusquisque in articulo mortis constitutus tenetur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum recipere, tenetur & tunc illud recipere, non obstante quòd eadem die Missam celebraverit, aut communionem receperit: nam per talem communionem non satisfecit præcepto, quod nunc imminet de communicando in mortis articulo. Ita ille. Cui etiam adde ex Societate Iesv Martinum Bresserum *lib. 3. de conscientia probabili, cap. 8. num. 100.* vbi sic asserit. Infertur subito morbo, aut periculo mortis correptum debere communicare per modum viatici, quamuis alio sine, præcedenti, vel eodem die communicasset: quod etsi Doctores non expriment, necessariò sequitur ex eorum sententia saltem valde probabili, quam tradit nominatim Vasquez, quòd nisi in morbo præcepto diuino tunc communicandi satisfieri non possit. Ita Bresserus. Et hanc sententiam re maturius considerata, & inter illos discussa anno 1638. deduxerunt in praxi Patres Societatis Iesv Domus professæ Pannonitane in persona Patris Gascone, qui cum manè Missam celebrasset, & post prandium lethali morbo correptus fuisset, iterum in eodem die sacram communionem per modum viatici ei præbuerunt.

Notandum tamen est hinc obiter refellendam esse opinionem Soti in *4. dist. 12. quest. 1. art. 11.* Tabienæ *verb. communicare, n. 16.* Armillæ *verb. communicatio, n. 12.* asserentium in articulo mortis toties ex præcepto Eucharistiæ esse fumendam, quoties post sumptionem amissa est gratia per peccatum mortale.

Quidam vouerat singulis festiuitatibus Annunciationis Beatae Virginis Communionem, festum illud accidit feria sexta Hebdomadae sanctæ: quæritur an teneretur in illa die sacram synaxim sumere?

R E S O L. XIX.

Resolutio huius casus pendet ex illa quæstione: An feria sexta Parasceues licitum sit fumere sacram Communionem: & negatiuam sententiam tenet Francolinus de *horis Canonicis, cap. 30. num. 12.* Marchinus de *Sacrament. Ordinis, tract. 3. part. 3. cap. 8. num. 3.* Megalius in *Promptuario tom. 2. verb. Eucharistiæ Sacramenti Minister, num. 19.* & ita determinasse Sacram Congregationem Rituum die 19. Februarij 1622. testatur Gauantus in *Rubricis Missalis, tit. 19. §. 4. num. 24.* Barbosa de *officio Paroch. cap. 20. num. 16.* & Leone de *officio Capell. quest. 8. sect. 17. num. 170.* Et ratio est, quia in *cap. Sabbato, de Consecrat. distinct. 3.* Innocentius asserit Sacramenta eo die penitus non celebrari. Item quia in officio illius diei solùm propter infirmos præcipitur seruari Sacramentum.

Sed his non obstantibus non desunt Doctores contrarium sentientes, nempe licitum esse per se loquendo secluso omni scandalo eo die communicare. Primò, quia cum hoc sit per se bonum & prohibitio in contrarium non extet, non est cur tanquam malum, & peccatum damnetur. Et Innocentius in eo cap. manifestè de solo Missæ sacrificio loquitur: nam celebrare Sacramenta non est propriè præbere Eucharistiæ populo, sed conficere & consecrare illam; inde enim celebrare pro Missam dicere, & sacrificium facere vsurpatur. Secundò, quia parum obstat, quòd in officio Parasceues Sacramentum solùm propter infirmos custodiri iubeatur: nam id non ideo fit, quòd illis solùm licitum sit dispensare; sed quia illa fuit causa maximè necessaria seruandi Sacramentum. Et ita hanc sententiam docet Fagundez *part. 1. lib. 3. cap. 15. num. 16.* Suarez in *3. part. de Sacramento, disp. 8. sect. 1.* La man in *Theologia Morali, lib. 5. tract. 5. c. 4. num. 7.* Molfesius in *summa tom. 1. tract. 3. cap. 14. num. 100.* Filliucius *tom. 1. tract. 5. cap. 1. num. 100.* Emanuel Sà *verb. Eucharistiæ, num. 19.* & qui apud me instar multorum est, Pater Vasquez *tom. 3. disputat. 252. cap. 2. num. 22.* dicit posse quemlibet ex causa, vel deuotione eo die communicare & sacram synaxim fumere.

Nec valet dicere, quòd hodie in Ecclesia Latina solus Sacerdos dicta feria sexta communice ex præsanctificatis die præcedenti: nam

nam afferunt Doctores citati hanc consuetudinem non esse ita introductam & receptam, ut vim præcepti habeat, sed potius deuotionis gratia, & ut magis congruenter: nam cum omnes ferè communicent feria quinta, ideo nullus communicat feria sexta; præsertim cum ea die non possit commodè fieri. Non ergo dici potest per non usum introductam esse prohibitionem: quia sola negatio actus non sufficit ad introducendam legem. Verùm his non obstantibus ego consului in casu præsentis dubij vouentem potuisse abstinere à sacra communione in illo die Annunciationis sine fractione voti, quia incidit in feriam sextam Parasceues.

Non desinam hic etiam adnotare sacram Congregationem rituum, ut patet apud Decretum Diocesanae Synodi Neapoli celebratae anno 1627. & apud Persicum *de officio Sacerdotis* lib. 3. *cap. 6. num. 40.* decreuisse in feria quinta in Cæna Domini celebrandum esse vnam Missam tantum. Et Marullus Francolinus *de horti Canonici*, cap. 30. num. 18. testatur suo tempore Cardinalem Sauellium Pontificis Vicarium Romæ quibusdam Sacerdotibus celebrare volentibus præcepisse, ne eo die celebrarent. Tamen hoc decretum non videtur in Sicilia, & in multis locis vsu receptum: nam passim in illa die Sacerdotes celebrant; & hoc fieri posse etiam publicè secluso scandalo tenent Doctores, quos ego citavi *in tractatu de celebrat. Missar.* & citat & sequitur Marchinus *de Sacrament. Ordinis*, tract. 3. part. 3. cap. 8. n. 1. & Pater Vasquez *tom. 3. disput. 232. cap. 2. n. 15.* docet neque iure scripto, neque consuetudine veritum esse feriã quintam in Cæna Domini Missam celebrare, neque Prælati licentiam esse necessariam, & testatur se plures Romæ vidisse eo die celebrare.

An Principes ad vitanda maiora mala possint in aliquo casu absque incurfu censurarum permittere duellum?

R E S O L. X X.

Affirmatiuè respondet Sanchez *in summa tom. 1. lib. 2. c. 39. num. 30.* vbi dicit, quòd licet Princeps semper peccet assensum præbendo his duellis, siue ea concedendo; at immunis esset culpæ ea permittendo in aliquo casu extraordinario ad vitanda maiora mala, sicut ob similem causam licet permittere lupanaria. Et pro sua opinione probanda adducit Caietanum *in 2. 2. quæst. 95. art. 18. in fine.* & *in summa verb. duellum, in fine.* Armillam eodem verb. num. 2. Emmanuelem Sà numer. 1. Valen-

tiam *tom. 3. disput. 3. quæst. 17. punct. 1. in fin.* & Liranum *1. Regum cap. 17.* qui omnes dicunt licitum esse Principibus minora mala permittere ad vitanda minora. Et quia contra hanc opinionem videtur obstare Constitutio Gregorij XII contra Duellantes, qui extendit illam ad Dominos duella permittentes, aut non prohibentes, respondet illam esse intelligendam, quando illicitè permittunt.

Verùm suaderi potest negatiua sententia. Primò ex Decreto Concilij *sess. 25. cap. 19. de Reform.* quo excommunicantur Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos non solum concesserint, sed etiam, si fieri permiserint. Secundò probatur ex Constitutione Gregorij XIII. contra Duellantes *ibi.* Volentes etiam locorum Dominos, si certamen ex condicito huiusmodi (nota) permiserint, aut quantum in se fuerit non prohibuerint. Tertio probatur ex Constitutione Clementis VIII. § *Nos nefaria*, &c. *in fin.* & §. *ac insuper.* & §. *non solum.* in qua approbat & innouat dictum Decretum, & Constitutionem Gregorij XIII. & declarat locum habere, vbicunque gentium & terrarum, & excommunicat non solum locorum Dominos, sed etiam Magistratus duella permittentes, & quantum in ipsis est, non prohibentes.

Nec obstat responsio data à Sanchez dicente dicta iura intelligi debere de illicita permissione, non autem de licita: nam respondet primò, quòd dicta iura generaliter & simpliciter loquuntur, & ideo generaliter & simpliciter, & absque distinctione debent intelligi, ita ut comprehendant omnes casus, & ita fuerunt vsu recepta. Secundò Pius secundus per Constitutionem suam, quæ incipit *Regis pacifici*, §. *nos igitur, in fine*, prohibet omnino duella committi ex quacunque causa (nota) etiam à legibus fieri permiffa. Quæ Constitutio per Clementem VIII. fuit confirmata & innouata, ut patet ex §. *nos nefaria*, &c. Ergo comprehendit casum à Sanchez exceptum. Tertio si duellum in aliquo casu esset permittendum, utique esset permittendum, quando pactiones fuerint de dirimendo certamine, cum primùm alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit; sed etiam in hoc casu est prohibitum per Clementem VIII. ut patet in sua Constitutione §. *ne non*, &c. Et Domini & Magistratus permittentes, & quantum in ipsis est non prohibentes puniuntur, ut patet ex §. *et non solum*, &c. Ergo multo magis est prohibitum verum duellum, vbi non interueniunt dictæ pactiones. Quartò experientia docuit, quòd non solum non euitantur maiora mala ex permissione duellorum: sed ex vno inconuenienti (nempe ex permissione duello

duellorum) plura acciderent mala & scandala, ut testatur Iulius I. *in sua Bulla Regis Pacifici*, &c. *in fine proæmij.* Ergo illud Axioma, Licitum esse Principibus minora mala permittere ad vitanda maiora, limitandum est non habere locum in duello ex superiùs dictis.

His tamen non obstantibus non desinam adnotare sententiam Sanchez affirmatiuam docere nouissimè Fragozo *in Regimine Christi. Reip. part. 1. lib. 1. disp. 2. num. 23.* & Hurtadum de Mendoza *in 2. 2. de fide, spe & charitate volum. 2. disput. 170. sect. 2. 1. §. 173.* vbi sic asserit. Princeps non est obnoxius his pœnis, quando permisso duello vitat grauiora damna, quæ alia ratione vitari non possent, nisi cum grauiori incommodo. Probatur, tum quia minora mala non solum permittuntur, sed etiam consulantur, quando aliter vitari non possunt: tum etiam quia ius naturale & Ecclesiasticum vetant eas permissiones ad vitanda damna inde sequenda: ergo si non ex permissione sequantur damna grauiora, non intelligitur permissio interdicta. Vnde in tali casu licebit designare certaminis locum, sicut licet designare locum lupanari, quando sine lupanari vitari non possunt incommoda grauiora: & designatio loci non est cooperatio ad certamen, sicut neque designatio lupanaris est cooperatio ad impudicitiam meretricum: sed est designatio conditionata, ut ibi concertent, si qui concertare voluerint; sicut in lupanari, ut ibi meretrice exerceat, si quæ voluerit esse meretrix. Possuntque in designando locum multæ suppetere rationes, quibus vitentur grauiora damna; quod est multo melius: estque multo melius ut locus eligatur à Principe, quàm à Monomachis, ut contingit in lupanari eligendo, quæ electio, si ipsis meretricibus permitteretur, ipsæ se prostituerent in Urbis medietullo. Hæ occasione sunt, quando inter duos Principes feruerent odia minitancia bellum exitiale: quod quidem auerteretur & restinguerentur odia, si Monomachiam permittat Princeps tertius, qui non solum posset eam permittere, sed consulere: si omnibus prudenter expensis iudicaret nullam esse aquam illi incendio, consulere inquam non absolutè, sed ut potest consuli minus malum. Item si vassalli Principis ita tumultuentur ciuilibus odiis, ut prudenter timeatur illos cateruatim, & ex insidiis congressuros; neque ipse Princeps posset eos legibus coercere, nec compefcere, immineratque seditio & rebellio: tunc si possent ea damna vitari permiffa aut consula Monomachia, esset permittenda aut consulenda; minus enim malum est, ut pauci congregiantur, quàm ut multi. Item si duo Principes peterent à Principe tertio campum, ut ex ipsorum

vassallis pauci in eo duellarent, si Princeps tertius illum negare non posset sine periculo, ut illi in eum arma verterent, illique immineret aut amissio Regni, aut periculosum bellum. Hucusque Hurtadus, cui etiam adde Cælestinum *in Compend. Theol. Moral. tract. 3. cap. 10. num. 10.* & alios, quos ego remissiuè citavi & sequutus sum *in 3. part. tract. 5. resol. 1.*

An si conuentio de pugnando facta sit in rixa, & inter conuentionem & pugnam intercedat tempus, incurrat in penas latas contra duellantes?

R E S O L. X X I.

Affirmatiuam sententiam docet Filliucius *tom. 1. tract. 15. cap. 5. num. 111. & 112.* ex duobus casibus quos ibi ponit, & ego infra resellam: & rationem adducit, quia est duellum ex condicito prohibitum à Constitutionibus Pontificiis, cum intercedat tempus inter conuentionem & pugnam.

Sed mihi placet contraria sententia, dummodo intra illud spatium temporis pugnantes non se vertant ad actus extraneos & alienos ab ipsa pugna, & arbitrio prudentis duret calor iracundiæ. Et ratio est, quia conuentio & pugna est vna actio moralis continuata, & in ipso calore iracundiæ facta, ut patet ex Suarez *tom. 4. in 3. part. disput. 2. 2. sect. 5. num. 1. & 22.* Sed principium dictæ actionis fuit rixa, & conuentio pugnae facta fuit in rixa, & in ipso calore iracundiæ: & durante ipso calore arbitrio prudentis sequuta est pugna: Ergo pugna illa dicenda est rixa, & non duellum ex condicito factum, quia in actionibus moralibus principium semper attenditur.

Nec obstat interuentio temporis inter conuentionem & pugnam; si enim pugna sequuta est eodem die, quo facta fuit rixa & conuentio; creditur commissa ex eodem calore iracundiæ, ut docet Menochius *de arbitr. iudic. lib. 2. cent. 4. cas. 363. num. 53.* & Mascardus *de probat. consil. 98. num. 18.* & per consequens est vna actio moralis procedens ex rixa. Vnde ex supradictis sequitur, contra Filliucium, *vbi supra*, quòd si duo exorta rixa in Ecclesia, ibi ob reuerentiam loci enses non educunt, sed conuentione facta de pugnando in viam, vel in alium locum determinatum exeunt, ut pugnent, & pugnant, licet spatium temporis intercesserit inter conuentionem & pugnam, & in determinato loco sit sequuta: tamen si ad actiones alias extraneas & alienas à pugna non se verterunt, sed durante calore iracundiæ excitato in rixa pugnam commiserunt, non est dicendum duellum ex condicito, sed pugna exorta

exorta ex rixa, & per consequens non incidunt in excommunicationem & alias pœnas contra Duell antes inflictas, quia est vna actio moralis cōtinuata, principium habens in rixa, & finem in pugna, & quia principium attenditur in dictis actionibus, vt docet Bonacina *tom. 3. disput. 2. quæst. 3. punct. 48. num. 8.* & Peregrinus *de duello, quæst. 2. num. 21.* dicenda est rixa & non duellum ex condicto. Et similiter si duo inuicem contendant, quorum alter quia non habet ensem, in vicinam domum se confert, vt eo accepto cum altero armato pugnet, dato quòd in ipsa contentione conuenerint se pugnuros, & vt armatus expectet, si postea pugnent existimo non esse duellum ex condicto, sed pugna ex contentione, siue rixa exorta: & licet sint duæ actiones physicæ distinctæ, conuentio & pugna, tamen est vna actio moralis, cuius principium fuit rixa. Ergo, &c.

Notandum est etiam hîc obiter me his diebus probabilius respondisse, consulentem duellum non incurrere excommunicationem, si fecit quantum potuit reuocando consilium, licet nihil profecerit: quia quantum ex se effecit, vt per illum cesset duellum; quòd si non cessauit, ipse iam non est in causa, quia nouum consilium dedit efficacius de se ad reuocandum duellatorem, qui si non reuocatur, est propter eius prauitatem: iamque non mouetur ex eius consilio formaliter, sed materialiter. Ita in specie Cœlestinus in *Compend. Theolog. Moral. tract. 3. cap. 10. numer. 10.* & Hurtadas de Mendoza in *2. 2. de fide, spe & charitate, vol. 2. disp. 170. sect. 21. §. 189.*

An Superiores Regulares possint reconciliare eorum Ecclesias consecratas pollutas, si Episcopus distet per duas Dietas?

RESOL. XXII.

Affirmatiuam sententiam docet Confertius, Vgolinus, Sayrus, Barbosa, Henriquez & Rodriquez, quos citat & sequitur Philibertus Marchinus *de Sacramento Ordinis, tract. part. 3. cap. 11. num. 14.* vbi sic ait. Dico quartò Ecclesiæ reconciliationem habere locum solùm in Ecclesiis ab Episcopo consecratis: in benedictis verò licere cuilibet Sacerdoti post pollutionem eas rebenedicere & purificare aqua ab ipso benedicta. Quando autem Ecclesiæ sunt consecratæ, opus habent reconciliatione facta per Episcopum, qui non potest alteri etiam Vicario suo hanc facultatem delegare. Quòd si Ecclesia polluta sit Regularis, & Episcopus per duas Dietas longè abesset,

tunc ex concessione Leonis X. facta Mendicantibus, poterunt Superiores illius Ordinis, & reliqui communicantes in eorum priuilegijs prædictam Ecclesiam pollutam aqua per ipsos benedicta reconciliare. Quod ego semel feci Ticini in Ecclesia nostra Sanctæ Mariæ Coronatæ; & dum post factum multos habere Curia Episcopalis Aduersarios, visis & inspectis nostris priuilegijs, omnes siluerunt. Huc vsque Marchinus, cui adde Megalium in *Prompt. tom. 2. verb. Ecclesia, num. 21. in fine.* Auilam *de censur. part. 5. disp. 7. dub. 4. concl. 3. in fin.* licet aliqui, quos ego notauit in *4. part. tract. 4. resolut. 95.* contrarium sentiant; sed supradicta opinio videtur mihi satis probabilis; & illam præter Doctores citatos tenet etiam Layman *lib. 5. tract. 5. cap. 5. num. 12.* qui etiam docet ex priuilegio posse etiam Regulares solemniter benedicere suas Ecclesias, & Cœmeteria, si Episcopi nolint, aut negligant.

Notandum est etiam hîc Regulares posse vt dicto priuilegio, non solùm quando Episcopus distat per duas Dietas, sed etiam quando defunctus est; immò quocunque modo absit Episcopus, morte, renunciatione, depositione, &c. Ita Rodriquez in *Quæstionib. Regul. tom. 1. quæst. 19. art. 3.* Et post illum Pericus *de offic. Sacerd. lib. 1. dub. 13. num. 121.*

Et pro casu occurrenti in gratiam Regularium, si aliquis ex ipsis nesciat, quid intelligat Leo X. in dicto priuilegio; dum requirit vt Episcopus distet per duas Dietas. Respondeo Dietam significare iter dici, quod vulgò dicimus vna giornata: & ideo duas Dietas significare iter duorum dierum. Sed difficultas est; quot milliaria Dieta, seu iter vnus diei contineat: nam vt docet Gloss. in *cap. nonnulli, de rescript.* Dieta alia est vulgaris, & alia legalis: vulgaris metienda est secundum consuetudinem regionis; legalis verò viginti milliaria continet, *ex l. 3. ff. de verb. signific.* Hoc supposito Pericus *vbi supra de offic. Sacerd. lib. 1. dub. 13. num. 174.* putat priuilegium Leonis intelligendum esse de Dietis vulgaribus. Verùm aliqui putant dictum priuilegium intelligendum esse de Dietis legalibus: & ideo Pater Henriquez *lib. 9. de Missa, cap. 27. num. 6.* & in *Gloss. litera D.* cum huius priuilegij Leonis X. meminisset, subdit in *eadem Glossa litera F.* Dieta continet viginti milliaria. Idem dicit *lib. 13. cap. 5. in 5. in Gloss. litera D.* vbi citat Mandosum, quibus adde Rodriquez in *quæstionib. Regular. tom. 1. quæst. 19. art. 6. in fine.* Sed ego puto probabilius esse & securius in priuilegio Leonis per Dietas intelligendas esse vulgares, secundum variorum Regnorum consuetudines: & credo quod in Sicilia Dieta contineat 30. Milliarium,

An

An liceat Sacerdoti post ablutionem sumptam consumere particularum fragmenta, si in alia Missa fuerint ab alio Sacerdote præconsecrata?

RESOL. XXIII.

Dictum est supra posse Sacerdotem consumere reliquias particularum à se consecrarum inuentas post ablutionem: sed difficultas est, si fuerint præconsecratæ ab alio in alio Sacrificio: & nouissimè sententiam affirmatiuam docet Philibertus Marchinus *de Sacrament. Ordinis, tract. 3. part. 3. cap. 3. n. 19.* vbi sic asserit. Ampliatur, vt non minùs liceat Sacerdoti post sumptam ablutionem consumere præconsecratas reliquias ab alio, quàm à se ipso, si in patena vel Calice reperiantur. Primò quia diuersitas Ministri non videtur ad rem facere, cum sit circumstantia accidentalis. Secundò sic audiui praticari in multis Religionibus eximie doctrinæ & sanctitatis. Tertio difficile est rectè scire, an illæ reliquie inuentæ post ablutionem sint ex præconsecratis ab alio, vel à se ipso; cum sæpius in patena vel calice reperiantur etiam particule præconsecratæ ab alio. Quartò in die Parasceues post sumptionem ablutionis Sacerdos consumit reliquias proconsecratas die præcedenti, si quæ in patena, vel in calice remaneant: ergo idem licebit omni tempore. Ita Marchinus.

Sed contrariam sententiam tenent communiter Doctores, vt Vasquez in *3. part. tom. 3. disput. 211. cap. 5. numer. 55.* Suarez *tom. 3. in 3. part. disputat. 68. sect. 6. cas. 2.* Reginaldus in *praxi tom. 2. lib. 29. cap. 6. num. 123.* Fagundez *part. 3. lib. 3. cap. 5. numer. 29.* Pericus *de offic. Sacerd. lib. 1. dub. 12. num. 118.* Bonacina *de Sacramentis disput. 4. quæst. 6. punct. 2. num. 15.* Megalium in *Promptuario, tom. 2. verb. Eucharistia Sacramentum suscipiens, num. 23.* Coninch. *de Sacramentis quæst. 80. art. 8. num. 67.* & alij. Filliucius *tom. 1. tract. 4. cap. 8. num. 239.* Sotus in *4. distinct. 12. quæst. 1. artic. 8.* Victoria in *summa numer. 83.* cum alijs. Et ratio est, quia absumptio harum reliquiarum in alia Missa præconsecrarum non est completio conuiuij à celebrante parati.

Dicendum est igitur reliquias Eucharistiæ non in illo sacrificio, sed in alio præcedente consecratas, vel in sacrario repositas ad communicandum populum regulariter loquendo consumendas esse ante ablutionem, nec posse post ablutionem consumi, quia non pertinent ad idem sacrificium, ac proinde nec ad eandem actionem sacrificandi: & ideo non possunt per modum vnus cum Sacramento tunc

consecrato post ablutionem à Sacerdote sumi. Quare inferitur, quòd si pars aliqua Eucharistiæ, quæ in pyxide seruetur inter communicandum populum, in linteum vel corporale altaris ceciderit, etiam si sit minimæ quantitatis, non potest à Sacerdote post ablutionem sumi, sed in sacrario reponi debet ac seruari.

Non desinam hîc adnotare citatum Marchinum etiam in Ordine ad Laicos suam sententiam extendere: sic enim asserit, *vbi supra num. 16.* Ampliatur in laicis infirmis, quibus post sumptam hostiolam simul cum ablutione, vel paulò post licebit reliquias Sacramenti tradere inuentas in calice, vel in pyxide; sicut moris est in religione Sanctæ Mariæ Fulicenis Ordinis Cisterciensis & passim vidi in praxi apud multos in multis ciuitatibus, & oppidis. Et ratio esse potest, quia sumptio illa reliquiarum ob minimam temporis moram censetur vna & eadem actio moralis cum manducatione hostiolæ, quam ieiunus accepit, vt diximus de Sacerdote; & ideo erit licita. Ita ille.

Sed contrarium docet Fagundez *part. 3. lib. 3. cap. 5. num. 31.* vbi sic ait. Rogabis an possint huiusmodi reliquie inuentæ dari alicui ex his, qui communionem Eucharistiæ acceperunt, præsertim post sumptam aquam. Respondeo huiusmodi reliquias dari per se loquendo non posse laicis post sumptam ablutionem, quia hoc non pertinet ad eorum ministerium, censetur enim eorum actio perfectè consummata in ipsa prima sumptione ipsius Sacramenti; quare nec illis etiam dandæ sunt post finitam communionem, etiam si ablutionem non sumpserint, nisi simul dentur vna moralis communio: post hanc verò primam communionem non possunt laici iterum communicare, per se loquendo: illa autem sumptio reliquiarum est vera communio, si per se ac separatim fiat. Ergo, &c. Hæc Fagundez. Cui adde etiam Pericum, Vasquez, Reginaldum, Suarez, Bonacinam locis citatis: vide etiam Caietanum *tom. 2. opuscul. tractat. 3. de celebrat. Missar. quæstione 1. ad 3.* Tabiena *verb. Missa quæstione 42. numer. 43. in fine.* Armilla *eod. verb. numer. 26. in fin.* Et Henriquez *lib. 8. cap. 50. numer. 2. in gloss. litera H & P.* Vnde ex his, vt verum fatear non possunt

his duabus Marchini opinionibus adherere, quæ tamen an sint probabiles, remitto aliorum iudicio.

* * *

P

Quidam

Quidam in Ecclesia rixando cum alio, illum pugno in naribus percussit, ex quibus magna sanguinis quantitas exiuit; petierunt à me, An Ecclesia remanserit polluta?

RESOL. XXIV.

Casus est practicabilis, & in facti contingentia mihi accidit: & affirmatiuè videbatur respondendum. Nam tunc violatur Ecclesia, quando percussio est peccaminosa & lethalis, & cum illa coniungitur copiosa sanguinis effusio; sed in nostro casu percussio fuit peccaminosa, & cum ingenti sanguinis effusione: Ergo, &c. Et ita hanc sententiam docet Syluius in 3. part. quest. 83. art. 3. post conclus. §. quaritur, & Coninch etiam in 3. part. quest. 83. art. 3. dub. 1. numer. 4. in fine.

Sed ego tunc in facti contingentia negatiuam sententiam consului, & adduxi Graffium in decis. aur. lib. 2. cap. 48. numer. 25. Emmanuel Sa verb. Ecclesia numer. 13. in fine. Fagundez part. 1. lib. 3. cap. 14. numer. 7. & part. 2. lib. 4. cap. 4. numer. 18. qui citat etiam Sotum, quorum sententiæ inuenio nunc adhærere Marchinum de Sacrament. Ordin. tract. 3. part. 3. cap. 11. numer. 8 vbi sic ait. Tertio excipitur effusio sanguinis etiam lethifera, seu grauis, & in magna quantitate, quæ de naso profluere pugno, alapa, & similibus. Quia nasus est organum sanguinis faciliè ab hac parte fluentis. Ita ille. Est ergo hæc sententia absolutè tenenda: & non quoad pueros tantum rixantes in Ecclesia, vt tunc assererat quidam Parochus nixus auctoritate Coninch loco citato.

Quidam fuit occisus ante Ecclesiam, & dum adhuc calidus esset, intra eam illatus; credens inimicus esse adhuc viuum, vulnus graue ei intulit, ex quo emanauit copiosa sanguinis effusio: quaesitum fuit, An Ecclesia remaneret interdicta?

RESOL. XXV.

DE hoc casu olim per litteras interrogatus fui. Et affirmatiuam sententiam docet Durandus in Rationali diuinorum officiorum, lib. 1. cap. 6. numer. 41. in fine. Ioannes Bacon in 4. distinct. 10. quest. 2. art. 3. & Emmanuel Sa verb. Ecclesia numer. 13. vbi sic asserit. Polluitur Ecclesia effusione sanguinis per iniuriam, quæ sit peccatum mortale, factam etiam homine mortuo in Ecclesia ipsa existente. Sic ille.

Sed quia Ecclesiæ violatio est pœna, & ideo restringenda, ego negatiuæ sententiæ adhæ-

reo: quia homo mortuus verè non est homo: & dum iura in violatione Ecclesiæ requirunt necessariò effusionem sanguinis, debet intelligi de principali analogato, id est, sanguinis hominis viui. Et ita hanc sententiam tenet Fagundez part. 1. lib. 3. cap. 14. numer. 14. & 15. & Henriquez lib. 9. cap. 27. numer. 5. vbi ait Ecclesiam violari per effusionem sanguinis hominis viuientis, si modò iniuria sit intra Ecclesiam. Vide etiam Sayrum de censur. lib. 5. cap. 16. numer. 7.

Notandum est etiam hîc obiter falsam esse opinionem Alphonsi de Castro de lege pœnali lib. 1. cap. 7. art. 2. asserentis ex qualibet minima sanguinis effusione Ecclesiam pollui; non verò si vna aut altera gutta effundatur: nam Ecclesia polluitur ex sanguinis effusione in abundantia; vide Gloss. in cap. unico, de consecrat. Eccles. in 6. Abbatem in cap. proposuit n. 3. de consecrat. Eccles. Azorius part. 1. lib. 10. c. 26. quest. 13. Suarez tom. 3. disput. 81. sect. 4. numer. 2. Reginaldum in praxi tom. 2. lib. 29. cap. 29. numero 181. Auilam de censuris part. 5. disput. 7. dub. 1. conclus. 1. cas. 1. & alios penes ipsos, quibus adde Fagundez part. 1. lib. 3. cap. 14. n. 19. vbi ita asserit. Notabis tamen ad violationem Ecclesiæ non sufficere quamcumque effusionem iniuriosam sanguinis: sed requiri magnam effusionem, imò enormem; quia iura requirunt effusione m, effusio autem largiter denotat. Et est optimus textus in cap. reuertimini 16. quest. 1. & in cap. cum illarum, de sentent. excommunicat. & Gloss. ibi verb. effusionem. Nam vocabulum effusionis ex se copiosum sanguinis fluxum significat, quod est valde notandum: ne dicamus per quamcumque effusionem modici sanguinis pollui Ecclesiam. Ita Fagundez & ego.

Olim in Ecclesia Regularium fuit quidam cum sacculis arena ita acriter contusus, vt post tres dies extra illam mortuus sit. Quaeritur an Ecclesia remanserit polluta?

RESOL. XXVI.

Affirmatiuam sententiam docet Marchinus de Sacramento Ordinis, tract. 3. part. 3. cap. 10. numer. 7. Layman lib. 5. tract. 5. cap. 5. n. 8. & Fagundez part. 1. lib. 3. cap. 14. numer. 13. Nam si Doctores asserunt sufficere mortiferam vulnerationem sine effusione sanguinis ad polluendam Ecclesiam, si in ipsa Ecclesia fiat, quamuis mors extra illam sequatur: cur non sufficere etiam mortifera contusio in ipsa Ecclesia facta, etiam si mors extra illam eueniat; cum vtrobique causa ipsius mortis, & completa malitia illius, & peccatum ipsius homicidij

in

in Ecclesia consummatum fuerit: nam posita ea causa, mors quæ postea euenit, naturaliter euenit. Ergo, &c.

Sed negatiua sententia quam ipse Marchinus & Fagundez probabilem vocat, tuetur etiam Præpositus in 3. part. quest. 83. art. 3. dub. 2. numer. 152. & Suarez tom. 3. in 3. part. disput. 81. sect. 4. cas. 1. vbi ait: Existimo necessariū esse, vt mors ipsa in Ecclesia contingat; quia aliàs reuera non fit homicidium in Ecclesia. Ita ille. Vnde Azorius part. 1. lib. 10. c. 26. quest. 13. docuit, quòd si sanguis minimè fundatur, licet ossa vel membra conterantur, aut frangantur; non idcirco polluitur Ecclesia, & hæc antea docuerat Panormitanus in cap. proposuisti, numer. 14. de consecrat. Eccles. Et ratio huius sententiæ est, quia diximus supra, pollutio Ecclesiæ est pœna, ergo restringenda erit: cum igitur in casu nostro in Ecclesia non fuerit sanguinis effusio, neque mors in ea contigerit; reuera homicidium non committitur in Ecclesia: ergo quòd non remaneat polluta, dicendum est. Et in his casibus fauere Ecclesiis debemus, vt potius non sint pollutæ, quam pollutæ.

Vnde ex his aliqui approbant opinionem Patris Reginaldi in Praxi tom. 2. lib. 29. cap. 9. sect. 5. numer. 18. vbi docet Ecclesiam non violari, si quis vino consecrando immiscuisset aliquid veneni; vt illius sumptione Sacerdos moreretur, qui eo sumpto domum rediens mortuus est, quia in hoc casu non adest effusio sanguinis, & homicidium non potest simpliciter dici fuisse in Ecclesia commissum. Ergo, &c.

An Ecclesia non censeatur polluta per quamcumque delicti notitiam: nisi hoc fuerit per sententiam Iudicis declaratum?

RESOL. XXVII.

Negatiuam sententiam docet Suarez tom. 3. in 3. part. disput. 81. sect. 4. cas. 3. dub. 2. & Fagundez part. 1. lib. 3. cap. 14. numer. 34. qui tamen etiam cum Suarez affirmatiuam sententiam probabilem putat, sic enim asserit. Aliqui satis probabiliter asserunt non sufficere quamcumque notitiam delicti, nec Ecclesiam censendam esse pollutam, donec Iudicis sententia declaratum sit Ecclesiam illam esse pollutam. Ratio est, quia illa pœna pollutionis Ecclesiæ est veluti quædam censura; & instar censuræ requirit sententiam Iudicis: nullus enim excommunicatus vitari debet, donec per sententiam Iudicis declaretur, ac denunciatur censuram incurrisse. Quòd verò huius-

modi pœna sit instar censuræ, seu pœnæ interdicti ingressus Ecclesiæ; ac proinde instar pœnæ censuræ, docet Paludanus in 4. distinct. 18. quest. 8. art. 4. Syluester verb. consecratio, questione 9. in fine, & verb. interdictum 4. quest. 3. Huc vsque Fagundez & Sayrus etiam lib. 5. de censuris, cap. 16. numer. 1. ait pollutionem, siue violationem Ecclesiæ esse similem interdicto locali, & Auila de censuris part. 5. disp. 6. dub. 6. conclus. 3. in fin. asserit ad interdictum locale reduci quodammodò Ecclesiæ violationem: sed post Concilium Constantiense nemo tenetur interdictum seruare, donec per Iudicis sententiam interdicti censura publicè denunciata fuerit. Ergo, &c.

An in Ecclesia polluta si quis celebret, remaneat consecrata?

RESOL. XXVIII.

Negatiuam sententiam ita mordicus tenet Pater Ioannes de Lugo in 3. part. tom. 2. de Sacrament. Eucharist. disp. 20. sect. 4. numer. 91. vt nominatim contra me contrariam sententiam existimet falsam; credo nixus auctoritate Sayri de censuris lib. 5. cap. 16. numer. 11.

Sed nimis rigidè amicitissimus vir se gessit in censura huius opinionis: nam non solum non est falsa, sed probabilissima & tuta in praxi: & ideo contra Lugum oppono ex eadem Societate præter Auilam, Emmanuel Sa verb. Ecclesia numer. 19. Henriquez lib. 9. cap. 27. n. 5. in Gloss. litera L. & numer. 6. in Gloss. litera I. & P. & nouissimè Patrem Pericum de offic. Sacerd. lib. 1. dub. 6. numer. 61. vbi postquam posuisset circa præsentem questionem primam sententiam negatiuam, & secundam affirmatiuam: sic ipse postea asserit. Pro solutione, præsentis dubij: Dico secundam sententiam esse valde probabilem, & in praxi tutam: tum propter Doctorum auctoritatem, tum etiam, quia præsentia corporis Christi, dum in Ecclesia Missa celebratur, reputanda est pro sufficienti reconciliatione. Ita ille. Cui etiam adde præter alios à me alibi citatos Antonium Naldum in summa verb. Ecclesia numer. 24. & Thomam Zerola in praxi Episcop. part. 1. verb. pollutio Ecclesia not. 5. An verò hæc opinio procedat, si Sacerdos celebret in Ecclesia mala fide; negat omninò Layman lib. 5. tract. 5. cap. 5. numer. 13. Sed affirmat Emmanuel Sa correctus vbi supra, verb. Ecclesia numer. 19. & alij.

Notandum est etiam hîc obiter Sacerdotem celebrantem in Ecclesia polluta ante reconciliationem, non esse irregularem, vt perperam voluit Hostiensis in cap. finali, de consecrat. Eccles. & hoc expressè determinatur in cap. is qui, de sent. excommunicat. in 6. Imò ego

P 2 puto

puto neque incurrere suspensionem ab ingressu Ecclesiae, & per consequens nec mediatè, nec immediatè sit irregularis, etiam si celebret in eodem loco. Ita Paludanus in 4. distinct. 18. quest. 8. art. 3. conclus. 5. Emmanuel Sa verb. Ecclesia num. 21. Henriquez lib. 9. cap. 27. num. 7. in Gloss. litera M. Suarez tom. 3. disput. 81. sect. 4. §. penult. Layman lib. 5. tract. 5. cap. 5. assert. 21. Auila de censur. part. 5. disput. 7. dub. 3. conclus. 3. Fagundez part. 1. lib. 3. cap. 14. numer. 5. & alij. Et ratio est, quia cap. Episcoporum, de priuileg. in 6. solum loquitur de eo, qui celebrat, vel celebrare facit in locis interdictis: Ergo non debet extendi ad celebrantem in Ecclesia polluta; nam locus pollutus, seu violatio proprie non est interdictus. Vnde non est audiendus Naldus verb. Ecclesia numer. 15. Nauarrus in Manual. cap. 25. numer. 94. Syluester verb. consecratio 2. quest. 9. Grassius tom. 1. consiliorum lib. 3. conf. 2. num. 21. de consecrat. Eccles. & alij sentientes celebrantem in Ecclesia polluta esse iure ipso suspensum ab ingressu Ecclesiae; & si post talem suspensionem celebret, vel actum sui Ordinis exercent, fieri irregularem.

An Magister Tertiae Classis in nostra Religione, vel, ut dicitur, in aliis nouiter Professorum, debeat habere aetatem 35. annorum necessariam pro Magistro Nouitiorum, iuxta Constitutiones Clementis VIII.

R E S O L. XXIX.

Hic casus in omnibus Religionibus potest de facili accidere: & negatiuam sententiam docet nouissimè Carolus Marante in controvers. Iuris tom. 2. Respons. 25. per totum. Nam Constitutio praedicta apertè loquitur de Magistro Nouitiorum, non verò de Magistro Professorum; ergo non est extendenda de vno ad alium casum. Et dicta Constitutio distinctè de his duobus Magistris loquitur: neque in vno Capitulo dicta atque disposita, in alio disposita & repetita censenda sunt, cum distincta; sint Capitula, & à se inuicem distinctam contineant dispositionem. Ceteras rationes pro hac firmanda sententia videbis penes dictum Marantam loco citato, vbi testatur quemdam Fratrem Urbanum à Neapoli Ordinis Minimorum Sancti Francisci de Paula deputatum ad curam Clericorum Professorum in Conuentu Sancti Ludouici Neapolitano restitutum fuisse ad statum suum, non obstante, quòd prius fuisset priuatus per Generalem ex eo duntaxat, quòd 33. aetatis annum ageret, & non 35.

An blasphemus consuetudinarius, & admonitus saepe in aliis Confessionibus sit statim absolendus; & an teneatur acceptare aliquam poenam, si forte postea blasphemet? Et idem queri potest de iurante falsum ex consuetudine.

R E S O L. XXX.

Casus sunt satis practicabiles. Et quoad primum negatiuam sententiam docet Medina in summa lib. 1. cap. 14. Lopez in instruct. part. 1. cap. 2. Sayrus in Clauis Regia lib. 5. cap. 5. num. 8 & Suarez de Religione tom. 2. lib. 3. cap. 8. num. 7. vbi sic ait. De proposito credendum est poenitenti, non obstante quacunque praecedenti frequentia, & inconstantia eius: quia sicut potuit mutari in malum, ita etiam in bonum; & ipse est sui accusator, defensor & testis. Supposito autem tali proposito obseruandum est, vt si homo habeat aliquos externas occasiones moraliter inducentes illum ad temerè iurandum, illas auferat; alioquin non sufficienter disponetur, si proximè sint & sine magno incommodo auferri possint. Deinde si saepius proposuit emendari, & non fecit, adhibenda sunt remedia sufficientia, quae ipse tenebitur acceptare iudicio Confessoris: denique si haec non sufficerent, interdum erit vile differre absolutionem per aliquot dies, in quibus cogatur attentius vigilare, & contrariam consuetudinem aliquando inchoare. Ita ille.

Sed ego loquendo de rigore affirmatiuae sententiae adhaereo, quam tuetur Sanchez in summa tom. 1. lib. 2. cap. 22. num. 35. & Castrus Palaus tom. 3. tract. 14. disput. 1. punct. 9. num. 6. vbi ita asserit. Verum mihi probabilius est, quando nullam curam apposuisti ad emendam, & admonitus fuisti saepe in aliis confessionibus, adhuc te posse in rigore statim absolui, si verè doleas de praeteritis, & de futuris emendationem proponas: quia ob peccata quae non pendunt ex occasione extrinseca, sed ex fragilitate peccatoris, non est differenda necessariò absolutio poenitenti; quia eo ipso quòd de peccatis dolet, remouet omnem occasionem, & periculum horum peccatorum, quòd periculum situm erat in praui voluntate & affectu. Ita ille.

Quoad secundam verò dubitationem. An blasphemus consuetudinarius, vel iuranti falsò sit conueniens imponere, verbi gratia, ieiunium, eleemesynam, si forte postea blasphemet, vel iuret, & ille teneatur exequi. Et circa hanc quaestionem affirmatiuè respondet Suarez, vbi supra, vt patet; sed nullam rationem pro sua sententia adducit. Sanchez autem negat

negat in summa tom. 1. lib. 3. cap. 5. num. 17. quia alius peccatis id imponi non est solitum: neque iure aliquo probatur hoc procedere quoad consuetudinem.

Verum Castrus Palaus loco citato putat, si talis poena sub conditione reincidentiae imponatur, eo solo casu teneris exequi, quando tamen alio remedio non vteris ad extirpandam consuetudinem: si enim aliis remediis vtaris, cessabit obligatio vtendi medio à Confessario designato; siquidem illud neque vt iudex, neque vt medicus imponit, cum non sit iudex nec medicus peccatorum committendorum, sed commissorum: ac proinde sub conditione peccati futuri applicare medicinam non potest, quam tu alias obligatus non sis accipere ad praecauenda futura peccata. Hac Palaus.

Non desinam etiam hic adnotare Sanchez in summa tom. 1. lib. 3. cap. 8. num. 8. in fine, docere non esse consilium bonum, si Confessor iurare, vel promittere faciant poenitentes aliquam poenam subire, si reinciderint in aliquod peccatum, quia eos transgressionis periculo exponunt: & ideò neque debent Confessarij exigere à suis poenitentibus iuramenta, vel vota desistendi ab aliquo crimine. Sed quoad primum dissentit Palaus vbi supra punct. 10. numer. 12. quia non est idem periculum transgressionis: non enim qui iuramentum non fornicandi violaret, eo ipso violaret iuramentum de poena subeunda; quia in fornicationem rapitur ob inordinatum affectum, secus in poenam. Sed opinio Sanch. magis mihi placet, nam periculum violandi iuramentum de subeunda aliqua poena sequitur ex inordinato affectu poenitentis ad fornicationem, ludum, &c. Ergo notentur omnia supradicta, quia, vt diximus, sunt passim practicabilia.

An peccatum confessum vt dubium debeat cessante dubio iterum vt certum confiteri?

R E S O L. XXXI.

Casus frequenter potest accidere: & pro negatiua sententia (attendas quaeso amice Lector) P. Ioannes de Lugo de Sacrament. Poenitent. disput. 16. sect. 2. §. 4. numer. 77. adducit plurimas rationes. Primò, quia ille v. g. qui confitetur se peierasse decies plus minusve, non dicit vt certum vndecimum periurium, sed vt dubium; & tamen si postea recordatur se vndecim vel duodecim vicibus peierasse, non tenetur, vt communiter asserunt Doctores, & patet ex praxi, confiteri iterum tãquam certum illud vndecimum, vel duodecimum

peccatum, quòd prius sub dubio dixerat: ergo neque etiam si vnicum periurium in dubio confessus fuisset, deberet postea certior factus illud vt certum confiteri: cur enim magis vnum quàm vndecimum debet confiteri, quando vtrumque cum aequali dubio dixit, & postea de vtroque aequalem habet certitudinem. Secundò si aliquis dubius de excommunicatione, irregularitate, voto, &c. petat ad cautelam absolutionem, vel dispensationem, & ea obtenta postea comperiat censuram & irregularitatem fuisse certò contractam, non indiget noua absolutione, vel dispensatione: quia ad hoc ipsum data fuit prior absolutio, vel dispensatio, vt si vinculum fuit verè contractum dissoluatur. Ergo hoc ipsum de peccato dicendum est, quando aliquis illud confitetur, prout est in sua conscientia sub ratione dubij, non indigere postea noua absolutione, cum fuerit absolutus sub conditione, si verum peccatum fuit. Tertio quando es confessus peccatum vt dubium, si fuit verum peccatum, absolutio cadit supra illud, & non quidem indirectè, sed directè: quia ad hoc illud confiteris, vt absoluaris ab illo. Et probatur clarè, quia in aliquo casu teneris illud solum confiteri, & dare pro materia absolutionis, si aliud non haberes. Ergo tunc Sacerdos absoluit directè ab illo peccato: absoluit autem directè sub conditione implicita, nempe si fuit peccatum; si enim peccatum non fuit, non absoluit directè, vel indirectè ab illo: ergo si fuit verum peccatum, absolueris directè ab illo: ergo licet postea constet certò fuisse peccatum, non debes iterum ad iudicium illud deferre. Ad quid enim? non certè ad absolutionem directam obtinendam, quia iam directè absolutus es ab illo. Huc vsque Pater Lugo, qui plures alias adducit rationes, & respondet ad multa argumenta, quae in contrarium adduci possunt, licet postea num. 92. nolit aliquid in hoc puncto definire, sed securiorem partem consulit.

Verum in gratiam amicissimi viri pro confirmatione supradictorum non desinam hic adnotare tanquam probabilem admittere hanc sententiam nouissimè ex eadem Societate Martinum Bresserum de Conscientia lib. 4. cap. 18. num. 197. vbi sic ait. Obserua exprimendas esse circumstantias peccati dubij: quare dubius an foeminam concupiuerit, debet explicare suum, illiusque statum; quia id necessarium est, vt Confessarius cognoscat grauitatem peccati, & statum conscientiae poenitentis. Similiter dubitans, an aliquod in genere peccatum mortale admiserit, etsi immemor speciei, teneretur illud confiteri. Addit Sanchez, si postea speciei meminerit, teneri & illam confiteri; quemadmodum qui peccatum

confessus est vt dubium, debet iterum confiteri vt certum, si postea certus fiat se id fecisse. Verum etsi hoc sit multò tutius & probabilius, contrarium non videtur improbabile, tum de specie, tum præsertim de certitudine. Hæc Brafferus. Sed tu cogita, maximè quando esset confitenda species peccati: nam esse necessariò postea confitendam docet Præpositus in 3. part. D. Thoma quæst. 5. de integritate Confessionis dub. 5. numer. 126. & peccatum confessum vt dubium, debere iterum vt certum confiteri ego docui in 3. part. tract. 4. resolut. 91.

An Sacerdos si ante celebrationem, vel laicus ante communionem dubitet, an commiserit aliquod mortale, v. g. An confenserit morosa delectationi, teneatur confiteri?

RESOL. XXXII.

AD hanc quæstionem ita respondet Philibertus Marchinus de Sacramento Ordinis tract. 2. part. 3. cap. 1. numer. 17. Cùm dubium est vtrunque æquale, itaut dubitans quasi æqua lance pendere videatur, æqualiter ponderans pro vtraque parte coniecturas, & tunc si non deponat dubium, sed cum illo celebret & communicet, peccat contra reuerentiam Sacramento debitam. Nam etiam peccata lethifera, etsi dubia, materia sunt confessionis. At si tale dubium ante celebrationem vel communionem deponat, sequens opinionem Doctorum probabilem, quòd in dubio æquali possit quis deponere conscientiam suam, & sequi quam partem velit, non fecus ac in materia voti & restitutionis, tunc vterque excusatur à culpa, si absque præuia confessione celebret aut communicet. Quo casu non dicitur se exponere periculo accedendi indignè ad Eucharistiam, aut lethalia dubia non esse materiam confessionis; aut Tridentinum excepisse à necessitate Confessionis venialia solum, non lethalia dubia. Si quidem hæc omnia rectè procedunt in accedente ad Eucharistiam cum formali dubio lethalis culpæ: non verò locum habent in eo, qui eligens supra relatam opinionem probabile iudicium intra se haberet, quòd in tali dubio æquali possessio stet pro libertate sua, non pro Sacramento. Ita Marchinus & ante illum Reginaldus in praxi tom. 21. lib. 29. cap. 6. numer. 99.

Sed hanc opinionem puto non esse admittendam: quia ex illa sequeretur peccata dubia nunquam confitenda esse; quia posset quis semper deponere conscientiam, putans se non esse obligatum: quod in nostro casu non est admittendum. Etenim non est par ratio de vo-

to & restitutione, vt docent Doctores. Vnde refellenda veniunt ea, quæ nouissimè docet Auctor casuum Conscientiæ Bononiæ discipulorum anno 1637. mense Septembri cas. 3. fol. 83. vbi sic asserit. Speculatiuè loquendo probabile videtur aliquibus, quòd de iure diuino positiuo non adsit in rigore obligatio confitendi peccata mortalia negatiuè dubia. Ratio est, tum quia qui non habet probabile iudicium, quòd peccauerit mortaliter, potest censere se non teneri ad aperendum illud peccatum in confessione Sacramentali, & potest censere meliorem suam conditionem possidentis suam libertatem, & immunitatem confitendi. Tum quia, qui post diligens examen remanet dubius de voto, non adstringitur quicquam ex voto adimplere; sicut nec similiter tenetur alteri soluere qui dubitat num contraxerit debitum: ergo idem in præsentia dici posse videtur. Præterea non adest obligatio satisfaciendi proximo, aut petendi veniam ab illo, quando dubitamus de iniuria, seu offensa illi à nobis illata.

Confirmari possunt prædicta. Primò ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 5. & 7. vbi cùm exactè tradatur materia necessaria confessionis ad couincendos hæreticos dicentes Confessionem esse carnificinam conscientiæ, nihil tamen prorsus ibi dicitur de peccatis dubiis: ergo iuxta Concilium Tridentinum non videtur horum esse necessaria confessio; alioqui non debuisset prætermitti doctrina necessaria de hac obligatione. Imò Concilium citato cap. 5. videtur etiam excludere positiuè ab obligatione confessionis Sacramentalis peccata dubia, illis verbis, quibus totam solum materiam necessariam confessionis explicat, inquit. Constat enim nihil amplius in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm vt postquam quisque diligentius se excusserit & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras explicauerit, ea peccata confiteatur, quibus se Deum suum mortaliter offendisse meminerit. Quæ verba videntur potiùs oppositum insinuare, dum exigunt confessionem eorum tantum, quorum pœnitens conscientiam habet: conscientia enim videtur inuoluere scientiam, iuxta illud S. Bernardi lib. de Conscientia cap. 8. Conscientiam esse quasi cordis scientiam: peccatorum ergo, quorum non est scientia, non videtur esse conscientia. Huc vsque Auctor discipulorum Casuum Bononiensium, cui adde Præpositum in primam secundæ D. Thoma quæst. 19. art. 6. dub. 4. in fine, vbi sic ait. Qui est dubius, num aliquod peccatum commiserit, si post diligens examen adhuc remaneat dubius, non videtur obligari confiteri, quia respectu præcepti confessionis est in possessione suæ libertatis, quia non debet priuari propter dubium, quod per diligens examen

examen depelli non potuit. Ita ille. Quod etiam docet in alio loco à me citato in 4. part. tract. 3. resolut. 5. vbi hanc sententiam tanquam improbabilem damnaui, & nunc iterum damno.

Nec obstant argumenta in contrarium superius allata: nam ad illa doctè & solidè pro more suo fati respondet Pater Ioannes de Lugo de Sacrament. pœnitentiæ, disp. 16. sect. 2. §. 2. à num. 63. vsque ad num. 77. adi illum, & non pigebit.

Dicendum est igitur peccata mortalia dubia esse necessariò confitenda, siue dubium sit de substantia actionis, an fuerit facta; siue an fuerit mortalis, siue an fuerit iam illud peccatum in confessione dictum. Vnde contra Marchinum vbi supra, Sacerdos ante celebrationem, vel laicus ante communionem, si dubitet, an confenserit morosæ delectationi, tenetur confiteri de tali peccato dubio, nec potest conscientiam deponere in tali casu non adesse obligationem illud confitendi.

An quando quis induxit aliquos ad peccandum, teneatur in confessione explicare non solum numerum personarum, sed etiam speciem peccati, ad quod prauo suo exemplo illos induxit?

RESOL. XXXIII.

PRacticabilis est casus, & nouissimè nominatum contra me negatiuam sententiam docuit Pater Lugo de Sacrament. pœnitentiæ disp. 16. sect. 4. §. 3. numer. 164. vbi sic ait. Quod attinet in primis ad numerum personarum necessariò explicandum, non video quo modo Pater Diana possit id tanquam exploratum docere; cùm ipsemet tom. 1. tract. de circumstantiis resolut. 29. proponat vt probabile non debere explicari in confessione numerum personarum, quas eadem iniuria læsisti. Et resolut. 17. idem dixerit, quando vnica voluntate plures voluisset occidere. Est autem omnino eadem ratio, quando vnico actu malo scandalum præbet & occasionem ruinæ spiritualis pluribus: non potest ergo esse certa obligatio explicandi numerum personarum in peccato scandali, si non est certa in supradictis casibus. Deinde quando præter intentionem præbetur scandalum, solum contrahitur malitia specifica contra charitatem, non contra illam specialem virtutem, cui aduersatur peccatum, ad quod scandalizatus inducitur. Ita Lugo. Et ideo secundum suam sententiam; quando quis non intendit proximi ruinam, neque etiam eius peccatū aut lapsum, neque eo fine facit illud opus, licet præuideat scandalum

proximi, in tali casu contrahitur solum malitia scandali contra charitatem: atque ad eò non oportet in confessione explicare numerum personarum, neque speciem peccati.

Verum ego puto non esse recedendum ab opinione affirmatiua, quam communiter docent Doctores, vt Layman, Castrus Palaus, Filiucius, Sanchez, Syluius, Bonacina, Leo, Molfesius, Azorius & alij alibi à me adducti: quibus nunc addo Cœlestinum in Compend. Theolog. Moral. tractat. 1. cap. 8. quæstione 4. vbi sic ait. Quæres, An sit explicanda circumstantia scandali, v. g. an qui induxit aliquem ad homicidium, ad furtum, ad fornicationem, teneatur hoc explicare in confessione. Respondeo quòd sic: imò & personarum numerum, quibus datum est scandalum, etiam vnico peccato debet exprimere. Sic ille. Et nouissimè in indiuiduo quæstionis, quam posuit Pater Lugo in supra citato §. 3. ita asserit Ghilinus in summa verb. circumstantiæ peccatorum, num. 21. Quando quis se accusat de delectatione rerum turpium ex colloquio cum aliis, in tali casu tenere exprimere conditionem personarum adstantium, an fuerint coniugatæ, solutæ, &c. Et tenetur etiam exprimere qualitatem sermonis, si videlicet fuerit circa coniugatos, circa solutos, circa nefandum crimen, &c. Hæc Ghilinus, cui adde Carolum Baucium in nouissima praxi Confessar. fol. 9. sic asserentem. Nec satis est fateri dicto vel facto alterum ad peccatum incitasse, sed speciem peccati, ad quam incitauit fateri tenetur, & hoc intelligitur de quolibet scandalo siue formali, siue virtuali, siue interpretatiuo. Et præterea est opus nedum in confessione explicare speciem peccati; sed etiam personas coram quibus quis induxit ad peccandum suo prauo exemplo. Ita ille.

Et tandem non definam hic apponere verba Auctoris Casuum conscientiæ Bononiæ discipulorum anno 1635. mense Maio cas. 3. vbi sic ait. Certum est incitantem suo prauo exemplo proximum ad peccatum absque directa intentione ruinæ spiritualis proximi, teneri necessariò exprimere in confessione hanc circumstantiam scandali dati; cùm saltem reductiuè pertineat ad eam peccati speciem, ad quam prauum illud exemplum incitat. Sicut etiam exprimens est numerus personarum, quas ille suo prauo exemplo ad peccatum pertraxit, aut probabiliter trahere potuit. Hæc ibi: vnde apparet nostram sententiam, vt dixi, communiter à Doctoribus amplexatam esse.

Nec obstant ea, quæ contra illam obijcit amicissimus Lugo: nam ad illud quod asserit scandalum in nostro casu contrahere tantum malitiam contra charitatem Respondeo quòd licet hoc verum sit, non tamen sequitur id, quod ipse intendit: nam licet scandala sint

contra charitatem; tamen inter illa est diuersitas specifica pro diuersitate damni illati. Scandalum enim, quo Antonius est in causa, vt Franciscus furetur, differt specie à scandalo, quo illum mouet ad homicidium, propter diuersitatem specificam homicidij & furti: quemadmodum furtum differt à detractioe famæ, & vtrumque ab homicidio, quamuis omnia sint contra iustitiam, quia eadem virtus iustitiæ interdicit plura obiecta inter se tam distantia, vt constituant diuersitatem specificam moralem: nec enim satis est dicere te fuisse iniustum in materia graui, sed opus est dicere, an in fortunis, an in fama, an in vita. Ergo, &c. Et hæc omnia docet Hurtadus de Mendoza in 2. v. de fide, spe, & charitate, vol. 2. disput. 173. sect. 8. §. 6. vnde apparet in confessione explicandam esse speciem peccati, ad quod prauo tuo exemplo aliquem induxisti.

Ad id verò quod Pater Lugo asserit non esse exprimendum numerum personarum, quæ meo prauo exemplo inductæ fuerunt ad peccatum, quia ego docui tanquam probabile non esse explicandum numerum personarum, quas eadem iniuria læsisti. Respondeo esse disparatam rationem inter vtrumque casum; nam quando iniuriis afficio, v.g. tres homines, ego pecco, & non facio, vt illi peccent: sed quando prauo meo exemplo induco tres, v.g. ad fornicandum, facio vt tres committant tres fornicationes: ergo necesse est, vt explicem in confessione & numerum personarum, quæ ex causa mea peccatum illud commiserunt, & speciem dicti peccati, vt sciat Confessarius me fuisse occasionem trium fornicationum à tribus personis perpetratarum.

An si quis comedat vel bibat vsque ad vltimum ictum Horologij designantis horam mediæ noctis, possit die sequenti communicare?

R E S O L. XXXIV.

CVriosum est dubium; & ad illud negatiuè responderet Ioannes Præpositus in part. 1. 2. Diui Thomæ quest. 19. art. 6. dub. 5. num. 8. vbi sic ait. Si esset vnus horologium, & vbi cœpit sonare duodecimam aliquis biberet, licet quando foret vltimus pulsus desisteret bibere, non posset die sequenti communicare: quia cum primus pulsus horæ sonat, iam hora est expleta, & horologium tantum est testis id indicans; etsi diuersi pulsus sint, id euenit, quia nequit vno pulsu duodecima indicari, sicut indicatur prima hora vno pulsu; quod omnino videtur verum, & videtur intelligi respectu locorum, in quibus non est vsus præludiorum

in horologiis. Verum vbi est talis vsus, dubium esse potest, quando sit signum elapsæ horæ, an initio præludij, an postquam incepit primus pulsus horæ. Ad quod videtur dicendum, quod per se loquendo hora sit expleta, quando inchoatur præludium. Ita mihi retulerunt varij horologiorum directores à me super hac re consulti. Ex quo sequitur, quod per se loquendo si quis in talibus locis biberet in initio præludij horæ duodecimæ, sequenti die non posset communicare: quia ab initio præludij incipit sequens dies, & per consequens eo die non esset ieiunus ieiunio naturali. Hæc Præpositus, & ex parte Sanchez, & alij quos ego alibi citauit.

Non desinam tamen hîc adnotare affirmatiuam sententiam probabilem esse secundum opinionem Martini Bresseri Societatis I E S V de conscientia, lib. 4. cap. 11. numer. 107. vbi sic asserit. Probabile videtur horam duodecimam durare moraliter vsque ad vltimum sonum; adeoque interim bibentem & comedentem non violare ieiunium vel naturale, vel Ecclesiasticum sequentis diei. Sed post hæc scripta inueni aliud dubium apud P. Lugo de Sacram. Euchar. disput. 15. sect. 2. numer. 37. an qui post primum pulsus horæ quadrantis vbi solent pulsari ante horas seu pulsus maiores, in media nocte biberet aut comederet, posset communione sumere. Et negatiuè respondet Lugo, quia cum incipit pulsari primus pulsus quadrantis, iam est completa hora 12. & incipit alia hora alterius diei. Sed nouissimè Trullench in Decal. tom. 1. lib. 3. cap. 2. dub. 4. num. 8. putat hoc Mathematicè verum esse, quia tamen moraliter pulsus leuiore quadrantis, & primus pulsus horæ maioris, computari possunt pro vno tempore, & quasi compleri totam horam vsque ad primum pulsus horæ maioris, & Bresserus probabile putet vsque ad vltimum pulsus; ideo aliquis in tali casu posset dicere non esse à communione abstinendum.

An Eunuchus, vel frigidus accusans in confessione se fornicatum fuisse, teneatur explicare circumstantiam impotentie?

R E S O L. XXXV.

AD hanc quæstionem ita respondet Filiucius tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 1. numer. 23. Sequitur, copulam cum habente impedimentum impotentie naturalis, esse etiam peccatum contra naturam reductiuè, quia ex ea non potest sequi generatio. Communiter tamen non reputatur addere specificam

specificam malitiam; saltem est valde dubia. Ita ille.

Sed absolute affirmatiuam sententiam docet Sanchez de Matrimonio, tom. 2. lib. 7. disp. 5. num. 14. Henriquez lib. 5. cap. 6. num. 3. in Gloss. litera M. & Lessius lib. 4. cap. 3. dub. 6. num. 45. Et ideo si frigidus & Eunuchus coëat, talis coitus habet circumstantiam diuersæ speciei necessariò confitendam: quia hic coitus reducitur ad peccatum contra naturam, cum in illo adsit impotentia generandi, & sic frustratio finis, ad quem natura copulam destinauit. Vnde rectè Pater Lugo de Sacram. penitent. disput. 16. sect. 6. num. 338. obseruat in huiusmodi personis etiam in confessione peccatorum interiorum adesse obligationem explicandi talem circumstantiam, nisi fortè fuerint desideria, quæ talem malitiam præscinderent: vt si Eunuchus, aut impotens desideraret potentiam, quæ illi deest, vt possit naturaliter cum aliqua fœmina coire; nam hic actus internus non haberet obiectum peccati contra naturam, sed naturale atque adeo careret malitia speciali proueniente ex tali circumstantia.

Sed quia incidit hic sermo de Eunuchis, fuit à me nouissimè quæsitum, An licitum sit alicui Principi, vel patri castrare filium; vt cantu possit Ecclesiæ melius deferuire. Et pro parte affirmante tunc consulentes adduxerunt mihi Saloniolum: sed respondi satis à me confutatum fuisse in 3. part. tract. 5. resolut. 38. cum aliquibus Doctoribus: quibus nunc addo Ghilinum in summa verb. Castratio. Glanes in summa Censurarum verb. Eunuchus, & alios quos affert & sequitur Martellus Megalius in Promptuario tom. 2. verb. Eunuchus, num. 2. vbi me citato docet illicitum esse parentibus; etiam si fiat sine periculo vitæ de eorum consensu eunuchare filios, quos plurimum Ecclesiæ profuturos sperant: quia talis castratio est intrinsecè mala, cum nemo sit dominus membrorum suorum; & mala non sunt faciendæ, vt inde eueniant bona: & varia animæ pericula hinc consequi solent, cum tales ardentius libidine inflammantur, & ad concubitum impatientissimè feruntur: & bonum illud, & suauius canant in Ecclesiis, tanti momenti non est, vt ob id res à natura per se tam aliena suscipiatur; nec pro salute spirituali, aut periculo animæ vitando, id licitum esse constat: non est ergo audiendus Saloniolus.

An in peccato Sodomia penitens teneatur explicare se fuisse patientem?

R E S O L. XXXVI.

Affirmatiuam sententiam docet Pater Lugo de Sacram. Penitent. disputat. 16. sect. 5. §. 1. num. 243. quia ex parte agentis interuenit pollutio propria, quæ non interuenit ex parte patientis: diuersum autem peccatum specie est, voluntariè pollui, vel solum cooperari pollutioni alterius: aliud enim est cohibere delectationem propriam illicitam, & aliud non procurare alienam. Et quamuis etiam ipse patiens habeat aliquo modo tactum impudicum, & delectationem turpem (quod tamen non videretur quoad delectationem vniuersaliter verum) negari tamen non potest pollutionem ipsam diuersam malitiam explicandam asserre supra simplicem tactum impudicum: qui enim sine intentione aut periculo pollutionis tangeret propter turpem solum delectationem tactus, non contrahit malitiam, quam contrahit, qui ex intentione pollutionis id facit. Vnde iste debet explicare peccatum pollutionis quam procurauit & habuit. Ergo de primo ad vltimum in peccato Sodomitico agens debet explicare circumstantiam illam propter malitiam specie diuersam, quam affert. Ita Lugo. Vbi obseruat, quod ego videor sententiam negatiuam approbare in part. 3. tract. 4. resolut. 159.

Sed hanc sententiam Romæ approbatam esse mihi constat à doctissimo Patre Nicolao Riccardi, Magistro Sacri Palatii Apostolici: Interrogatus enim de hoc casu negatiuè respondit. Et hanc opinionem tenet nouissimè Zambellus in Reper. Mor. verb. Absolutio, n. 43. Lupus de casibus reseru. part. 2. cas. 10. num. 22. & Hieronymus Ghilinus in summa verb. circumstantia peccatorum, numer. 50. vbi sic ait. In peccato Sodomie non tenetur quis exprimere in confessione, an fuerit agens vel patiens, quia tale peccatum est eiusdem speciei. Si quis verè recundiam haberet confitendi se in actu Sodomitico fuisse patientem, sufficit vt dicat, toties Sodomiam exercui. Ita ille. Vide etiam me ipsum in 5. part. tract. 14. resolut. 56.

Quidam inchoabat copulam cum uxore, & postea ob morbi periculum ex eius consensu se retraherat: verum ex hoc aliquando sequebatur pollutio: quæsitum à me fuit, an talis actus esset licitus?

R E S O L. XXXVII.

Respondi affirmatiuè; quia non est peccatum dare operam rei licitæ, & actioni honestæ,

honestæ, quamvis præuideatur sequutura pollutio; dummodo absit periculum consensus, ut erat in casu de quo interrogatus fui: quia tunc pollutio non est in se volita, ut supponitur, neque dici potest volita in causa, quia non teneor illam actionem omittere, ne sequatur pollutio, stante iusta causa. Ergo, &c.

Norandum est tamen causam non debere esse necessariam, aut valde urgentem ad excusandas prædictas pollutiones etiam à veniali: nam si requireretur causa valde vrgens vel necessaria, cum sint innumeræ actiones alioquin licitæ, ex quibus solent provenire pollutiones, daretur locus perpetuis scrupulis, & nimis anxietatibus, quod grauissimum foret. Ergo, &c.

Hinc Ioannes Præpositus in part. 2. *Diuini Thomæ quest. 74. art. 10. dub. 1.* sic respondet ad casum nostrum. Deducitur neque peccare coniuges, qui propter morbi periculum se retrahunt ab actu coniugali, quamvis propter naturæ incitationem putetur sequutura pollutio. Ita ille.

Vnde ex eodem principio dicendum est, non peccare eum de nouo, qui inchoata fornicatione cum aliqua, se retrahit antequam feminet, quamvis propter naturæ impetum semen sit emittendum extra vas naturale. Et eo casu tenetur se retractare, quia omni tempore ante completam fornicationem tenetur desistere, & eam non consummare: vnde eo casu pollutio non censetur volita, sed permissa. Nec assentior Præposito *vbi supra*, Thomæ Sanchez in *editione Veneta, lib. 9. disput. 19. num. 7.* asserentibus contrarium esse probabile, & posse in eo casu sine nouo peccato actum consummari: nec posse fornicantem se retractare, si femina, v.g. seminauerit: nam quod vna pars seminauerit, non tollit obligationem non seminandi & consummandi actum malum, quantum est ex parte alterius. Vide Lessium *lib. 4. cap. 3. dub. 7. num. 55.*

Dicendum est igitur ex supradictis ad decisionem multorum casuum, in omnibus euentibus pollutionem euenientem etiam in vigilia ex aliqua actione, ad quam exercendam subest rationabilis causa, non est peccatum, modò absit periculum consensus. Vnde ego his diebus consului non peccare coniuges, qui in signum matrimonij coniugalis se amplectuntur, quamvis præuideatur sequutura pollutio, quia affectus coniugalis est sufficiens causa talem actum exercendi. Vide Azorium *tom. 3. lib. 1. cap. 23. questione 6.* Sicut etiam neque peccarent coniuges in actu coniugali, quamvis ex debilitate vel imbecillitate naturæ, vel alia de causa præter intentionem effluat aliquid seminis extra vas naturale; vel si aduertant reddentes

debitum in se vel in alio periculum pollutionis; cum vacent rei licitæ, ad quam ex iure alterius obligantur.

Sed hic obiter queri potest, an liceat præbere medicinam ad corrumpendum semen, ut postea possit eiici. Thomas Sanchez in *editione Veneta, lib. 9. disp. 17. num. 15. vel 16.* dicit neminem negaturum fas esse accipere syrupum resoluentem semen in sanguinem aliumve humorem aliis viis expurgandum, ne æger omni modo ad salutem corporis procurandam destituatur. Et hanc opinionem non esse improbabilem, tenet Præpositus *suprà in part. 2. Diuini Thomæ quest. 74. art. 10. dub. 1.* Sed eo puto non licere; quia etiam id repugnat institutioni feminis.

Per literas quesitus fui à quodam Episcopo, An ipse teneatur in sua Diocesi curare, ut leges Pontificiæ publicentur & obseruentur?

RESOL. XXXVIII.

Practicabilis est casus, & aliquando non parum torquet Episcopos: & tunc adnotati sententiam Ioannis Præpositi in p. 2. *Diuini Thomæ quest. 95. disput. 1. dub. 9. num. 30.* vbi sic ait. Aduerte Episcopos, vel alios Superiores non peccare non curantes legem promulgari vel recipi, quando Summus Pontifex id eis non committit. Ita ille. Cui etiam adde Franciscum Syluium etiam in part. 2. *quest. 96. art. 4. Queritur 1. conclus. 3.* vbi hæc asserit. Petes, an Episcopi, quando sciunt aliquam legem Pontificiam esse promulgatam Romæ, teneantur curare, ut in suis Diocesis vel promulgetur, vel obseruetur. Respondeo teneri curare, ut obseruetur, quando Pontifex significat se velle, quòd sua lex ibi obliget etiam absque alia promulgatione alibi facta: non tenentur tamen curare, ut promulgetur, nisi vel mandatum Pontificium ad eos dirigatur, vel rationabiliter iudicent promulgationem in suis Diocesis esse necessarium. Cæterum si Pontifex neque significet opus esse alia promulgatione, neque significet non esse opus, neque etiam mandatum dirigat ad Ordinarios, probabile est, quòd Ordinarij non tenentur legem Pontificiam promulgare, vel curare ut obseruetur, nisi fructum aliquem notabilem ex talis legis promulgatione in suis Diocesis expectent. Possunt enim in eiusmodi casu interpretari mentem Pontificis esse, quòd lex quam ipse ex iustis causis iudicat Ecclesiæ vniuersali esse vtilem, in diuersis Prouinciis tunc obseruari, vel promulgari curetur ab Ordinariis quando illi existimauerint ita

ita

ita esse pro suis locis expediens, & ad aliquem fructum notabilem vtile. Huc vsque Syluius.

Sed ego puto leges Pontificias non egere publicatione in singulis Diocesis: vnde eo ipso, quòd Romæ more solito publicatæ sunt, obligant vbique; neque earum obligatio pendet ex acceptatione populi: vnde Episcopi subditos eas non obseruantes possunt & debent punire, & ideo quero,

An si aliquis sciat Romæ aliquam legem promulgatam, teneatur illam obseruare?

RESOL. XXXIX.

Deciso huius dubij pendet ex illa questione, An leges Pontificiæ obligent, etiam si non publicentur in singulis Diocesis: & negatiuam sententiam docent plures, quos citauimus in part. 1. tract. 10. *resolut. 8. & part. 5. tractat. 14. resolut. 25.* Et hanc sententiam nouissimè probabilem putant Syluius in part. 2. *Diuini Thomæ quest. 96. art. 4. Queritur 1. conclus. 3. in principio.* Et idè ad casum propositum in titulo huius resolutionis secundum hanc sententiam affirmatiuè respondendum videtur. Vnde Ioannes Præpositus in part. 2. *quest. 95. disput. 1. dub. 7.* ex probabilitate talis sententiæ obseruat plurima in praxi posse deduci.

Primò, & est responsio ad casum, aliquem non obligari seruare legem, quam scit Romæ promulgatam, si non sit promulgata in Prouincia vbi commoratur, & specialis clausula in lege non apponatur. Secundò, pœnam legis non incurri ab eo, qui in huiusmodi loco fecerit materialiter contra legem, v.g. non incurri excommunicationem, suspensionem, priuationem beneficij. Tertiò non incurri in conscientia inhabilitatem ad officia, beneficia, neque incurri irregularitatem. Quartò contractum non futurum infalidum & irritum. Quòdque aliquis non teneatur in conscientia abstinere à tali contractu, qui per legem irritatur. Hinc si quis talem contractum inierit, non tenetur eum rescindere, quòd maximè locum habet, quando ex dissolutione alicuius contractus magna scandala, & Reipublicæ perturbatio sequuntur, qualia sequi solent ex dissolutione matrimonij. Quintò legem reuocatoriæ priuilegij non habere vim, antequam in Prouincia publicetur; ut si Sacerdotes alicuius Prouinciæ habeant priuilegium absoluendi à reseruat; aut aliqui habeant priuilegium eligendi Confessarium; talia priuilegia non sufficienter reuocari per legem

Romæ latam, nisi in Dicecesi promulgetur. Sextò legem, quæ reuocat aliam irritatoriæ, non obtinere vim in aliqua Prouincia, si in ea non fuerit promulgata, v.g. olim lex irritabat matrimonium contractum cum affine in tertio gradu ex copula illicita; quod impedimentum sublatum est per Tridentinum *sess. 24. cap. 4. de reformat. matrim.* vbi lex Tridentini non est promulgata, adhuc perdurare hoc impedimentum dirimens, et si matrimonium initum cum tali affine in tertio gradu dissolueretur, & partes aliis coniungerentur, posterius matrimonium esse dissoluendum. Septimò patet, quid dicendum de Regulis Cancellariæ, quòd videlicet sit probabile eas saltem extra Italiam non habere vim legis, quia alibi non sunt promulgatæ. Quòd si Romæ iuxta illas etiam in causis externorum iudicetur, id fit, quia iudices in praxi aliam sententiam sequuntur in foro externo: quo non obstante potest aliquis in foro conscientiæ sese alteri sententiæ conformare. Octauò patet quid dicendum de legibus multis Papalibus, quæ ita emanant, ut tamen non promulgentur in Prouinciis, quòd scilicet sit verisimile non obligare eos, apud quos non sunt promulgatæ, neque quoad culpam, neque quoad pœnam. Et ideo conformiter ad dicta graues aliquot Theologi, è quorum numero fuit Lessius in consultatione Romæ habita censuerunt disparitatem cultus apud Chineses & Iaponios his initiis conuersionis non esse impedimentum dirimens, & his circumstantiis posse Episcopos ibi suspendere legis promulgationem. Huc vsque Ioannes Præpositus, qui, ut dixi, ex probabilitate, ut ipse asserit, sententiæ asserentis leges Pontificias non obligare, nisi publicentur in singulis Diocesis, deduxit supradicta omnia, licet ipse ibi contrariam opinionem teneat; quam ego absolutè tenendam esse existimo, & ideo hic non grauabor latius illam rationibus firmissimis firmare.

Dico igitur leges Pontificias, eo ipso quòd Romæ publicantur, vbique obligant; nec alia in Prouinciis egent publicatione. Primò, quia nec naturali, nec positio iure alia promulgatio requiritur: non naturali, quia lex ex natura sua non requirit promulgationem in singulis Prouinciis: non positio, quia nullum est ius nec diuinum nec humanum, quod in legibus Pontificiis aliam promulgationem requirat; cum Nouella 66. Iustiniani pro Imperialibus legibus posita sit, non pro Pontificiis. Et quamuis Pontifices hæcenus voluerint, ut ius Imperatorum locum habeat in iudiciis caufarum, vbi nihil de iure Canonico statutum est: tamen circa modum promulgandi suas leges, nihil tale statuerunt.

Secundò probatur, quia Pius I. Constitutionem,

tionem, quam contra Clericos malè promotos anno 1461. edidit, vult vbique obligare post publicationem Romæ factam; sicut & Sixtus V. eam quam anno 1588. contra eodè fecit, & Clementis VIII. aliam contra eos, qui ad Presbyteratus ordinem non promoti Missam celebrant, vel Sacramentum pœnitentiæ ministrant anno 1601. editam. Immo Pius I V in *Bulla sicut ad Sacrorum*, anno 1564. cum dubitaretur, ex quo tempore cœpissent Decreta Concilij Tridentini ad reformationem; & ius positivum dumtaxat spectantia obligare resoluit quòd à Calendis Maij: cum autem illa Decreta demum fuissent confirmata sub finem mensis Ianuarij eiusdem anni, & non parum temporis in eis Romæ diligenter, emendatèque imprimendis necessariò consumptum fuisset, vbi dicitur: clarum est, quòd non potuerant in singulis Diœcesibus promulgari; vnde nec Pontifex talis promulgationis meminit. Sentiebat ergo promulgationem Romæ factam sufficere. Accedit, quòd quando Pontifices nolunt leges suas vbique obligare, nisi in singulis Prouincijs publicentur, solent id exprimere. Ergo quando non exprimunt, vbique obligant ante particulares promulgationes.

Tertiò Ecclesia est vnum corpus politicum, cuius caput censetur sufficienter illud dirigere, dum solemniter Romæ suum declarat imperium; præfertim cum Sedes Pontificia Romæ sit fixa, & Pontifex non soleat vagari per Prouincias, vt solent Principes sæculares. Adde quòd multæ Decretales Pontificiæ obligent, quæ nunquam in varijs Prouincijs sunt promulgatæ, vt Sextus Decretalium: item Clementinæ, & varia Pontificum Decreta, quæ ipso vsu censentur obligare, quamuis non constet ea alibi esse promulgata. Ergo, &c.

Nec valet dicere, quòd Pontifices interdum apponunt in Bullis, vt publicatæ Romæ omnes adstringant & obligent: ergo signum est alios non obligare, nisi promulgentur in Prouincijs. Respondeo etiam interdum solere poni, vt obligent, postquam promulgatæ fuerint in Prouincijs: vnde ex altero modo non licet potiùs contra nos concludere, quam ex illo contra alios.

Nec etiam obstat, quòd ex nostra sententia grauiissima sequantur incommoda, quòd videlicet lex Romæ promulgata, & ibidem vim suam obtinens obligaret totam Ecclesiam, etiam partes remotissimas: ibique vt talis legis contractus, testamenta, electiones essent inualida, si lex huiusmodi esset irritans, eique repugnarent, quod cederet in graue multorum detrimentum, & perturbationem Reipublicæ Christianæ. Non, inquam, hæc obstant: nam

respondeo pertinere ad prudentiam Pontificis iuxta qualitatem & momentum legis; ex qua magna alioquin incommoda sequi possent, curare vt leges non obligent, antequam in Prouincijs promulgentur, prout sapientissimè à Concilio Tridentino, *sess. 24. cap. 1. de reform. Matrimon. statutum est.*

Notandum est tamen quòd post hæc scripta Sanctissimus D. N. Vrbanus VIII. in Bulla incipiens, *Romanus Pontifex* die 5. Iunij 1641. damnat omnia præiudicialia contra immunitatem Ecclesiasticam, etiam sub prætextu, quòd Bullæ Pontificiæ non fuerint publicatæ, vel vsu receptæ.

An pœnitens bona fide confitens casum reseruatatum nesciens esse talem, absoluitur valide? Et quid si dubitet an sit reseruatatum, & post absolutionem nouit esse talem?

R E S O L. XL.

CVriosa sunt dubia, & ad primum sic respondet Ioannes Præpositus in 3. *part. quest. 9. de reseruat. cas. dub. 7. numer. 38.* Si pœnitens bona fide confitetur nesciens suum casum esse reseruatatum, vel Sacerdotem non posse ab eo absoluere, absolutio videtur valida, Ecclesia tacitè hîc & nunc dante iurisdictionem in bonum animarum. Primò, quia alioquin innumeris meritis remaneret anxij de suis confessionibus. Secundò valde grauius deciperentur, cum varij Sacerdotes non ita sciant casus reseruatatos, nec sit pœnitentium eos scire, vel Sacerdotum potestatem; vnde siue Sacerdos absoluendo peccet, siue non, pœnitens bona fide procedens videtur validè absolui, remanente onere se sistendi Superiori.

Dices, qui bona fide confitetur mortalia non habenti circa illa iurisdictionem, non absoluitur; ergo nec prior. Respondeo primò Suarez sentire pœnitentem in casu antecedenti absolui, cuius sententia non videtur improbabilis. Respondeo tamen secundò negando consequentiam, quia eo quòd in casu antecedenti Ecclesia non det iurisdictionem, non sequitur notabile animarum periculum, cum ille casus sit omnino rarus, scilicet vel quòd non habens potestatem absoluendi à mortalibus se exponat ad confessiones excipiendas; vel non expositus requiratur audire. Si verò in priori casu Ecclesia non daret hîc & nunc iurisdictionem frequenter sequi possèt animarum periculum, & quodammodo per se rem moraliter considerando, cum Sacerdotes expositi frequenter hac in re possint errare. Huc vsque Præpositus.

Ad

Ad secundum dubium sic respondet Pater Lugo de *Sacrament. pœnitent. disput. 20. sect. 2. numer. 20.* Petes si propter dubium Sacerdos inferior absoluit ab hæresi, v.g. vel alio peccato reseruatato: & postea pœnitens re meliùs examinata deponat dubium, & recorderetur certò peccati commissi, quod erat reseruatatum, an censetur iam legitimè absolutus; an verò debeat recurrere ad superiorem pro absolutione. Videtur dicendum ablatam iam esse reseruationem, si iuxta id quod diximus, probabile esset quòd qui confessus est peccatum dubium, licèt postea recorderetur fuisse certum, non teneatur illud iterum vt certum confiteri; quia iam fuit ab illo directè absolutus sub conditione si fuerat commissum: similiter enim in casu præsentis remanet directè absolutus: quia ille qui in dubio absoluit ab hæresi peccato, ad hoc maximè absoluit, vt si verè fuit peccatum, remittatur; ergo si postea constet fuisse verè peccatum, constat etiam fuisse absolutum directè; ergo non remanet obligatio illud iterum Superiori consistendi. Aliunde tamen obstat, quòd licèt id in peccatis non habentibus censuram posset dici, non videtur tamen habere locum in iis, quæ reseruantur ratione censuræ reseruatæ, qualis est hæresis: nam si reuera commissum fuit tale peccatum, quamuis pœnitens sit postea dubius, incurrit tamen re ipsa excommunicationem reseruatam: non est enim alia excommunicatio pro tali peccato; vel si sit alia, loqui possumus de peccato non habente nisi vnicam excommunicationem reseruatam; ab hac autem reseruatata excommunicatione non potuit absoluere inferior: ergo semper remanet obligatio recurrendi ad Superiorem pro absolutione huiusmodi excommunicationis reseruatæ, quando constat postea certò fuisse incursum. Adhuc tamen existimo absolutè satis probabile non esse recurrendum ad Superiorem postea pro absolutione peccati; aut excommunicationis. Ad quod est optima doctrina Sanchez in *summa tom. 1. lib. 4. cap. 44. num. 10.* vbi proponit casum similem de illo, qui dubius de voto castitatis emisso, petiit dispensationem ab Episcopo, vel ab alio potente dispensare in votis non reseruatatis, qui ratione dubij dispensauit, eò quòd votum castitatis dubium non sit reseruatatum; etiam eo casu, quo propter præsumptionem obliget votum: postea verò comperta veritate & certitudine voti, quærit Sanchez an debeat recurrere ad Papam pro eius dispensatione, & respondet negatiuè, quia recta Ecclesiæ gubernatio hoc exigit: & quia cum ratione dubij tunc votum non esset reseruatatum, potuit tunc in illo inferior dispensare, qui legitimè vsus est potestate quam habebat dispensandi in votis dubijs. Quod quidem mihi verissi-

mum videtur, quia alioquin dispensatio fuisset vana: non enim dispensatur sub conditione, si non fuit votum, sed potiùs sub conditione, si fuit verè votum: nam si non fuit votum, non est dispensabile: ergo si Episcopus potest tunc dispensare, potest tollere obligationem casu quo fuerit.

Ex hoc exemplo arguere possumus ad casum nostrum, quia sicut votum in dubio non est reseruatatum, sic nec peccatum, vel excommunicatio illa, quia in dubio non censetur peccatum reseruatatum: ergo sicut in dubio voti Episcopus v.g. dispensat, & dispensatio manet valida, licet postea constet de voti certitudine; sic absoluens ab hæresi dubia validè absoluit, & absolutio valebit, licet postea constet de certitudine censuræ incursum: non enim fuit data sub conditione de futuro, scilicet si postea non constaret de veritate, quia non est in vsu Ecclesiæ talis modus absoluendi ab excommunicatione: ergo si in dubio tollitur reseruatatio, & datur potestas absoluendi à censura, absolutio valida est, quicquid postea consequatur: si autem semel valida fuit, non potest postea excommunicatio redire sine noua culpa, non enim data fuit absolutio ad reincidentiam, nec dari potuit, nisi in casibus expressis in iure, qualis non est iste: Ergo manet pœnitens absolutus ab excommunicatione. Porro validam fuisse ab initio absolutionem durante dubio negari non potest, quia alioquin ille sic absolutus non esset capax suffragiorum, aut beneficiorum; imò nec licitè Sacramentorum, nisi per accidens propter ignorantiam, quæ omnia absurda sunt. Denique si semel ablata est censura, eo ipso cessauit reseruatatio peccati, quod reseruatatum erat ratione censuræ; nec potest redire reseruatatio non redeunte ipsa censura.

Hinc constat responsio ad rationem dubitandi supra positam. Dicimus enim Sacerdotem inferiorem absoluere quidem ab excommunicatione, quam Hæreticus v.g. incurrerat, & quæ reseruatata erat secundum se; sed cessauit reseruatatio propter dubium adueniens, in quo dubio suspenditur reseruatatio; ita tamen, vt si durante illo dubio non absoluitur pœnitens, postea cessante dubio redeat reseruatatio, & iam nõ possit absolui ab inferiore. Nam reseruatatio non est sicut excommunicatio, quæ non redit sine noua culpa, sed est ablatio potestatis, quæ potestas dari potest pro aliquo tempore vel circumstantia, & auferri potest, vt fit tempore Iubilæi, quo cessat reseruatatio, & transacto illo tempore redit pro iis, qui noluerunt lucrari Iubilæum. Sic enim aufertur quandiu durat dubium, atque ideò tunc censura & peccatum possunt auferri ab inferiore, cessante autem dubio redit reseruatatio, si non

Q fuit

fuit data absolutio tempore præcedenti. Et hæc omnia docet Lugo loco citato, quæ secundum ipsius mentem dicta esse volo.

An mortuo Episcopo quilibet Confessarius possit absolvere à casibus ipsi reservatis?

RESOL. XLII.

AD hanc dubitationem Præpositus in 3. part. quæst. 9. de reservat. cas. dub. 1. num. 6. sic respondet. Sæpe verb. absolutio num. 21. censet mortuo Episcopo quemlibet Confessarium posse absolvere à casibus ipsi reservatis, quod non videtur solidum. Et primum id non videtur posse dici de reservatis per statutum; cum etiam mortuo Episcopo illud vim suam retinere soleat. Secundò neque de reservatis ab homine, quia per reservationem inferiori, sublata est iurisdictio necessaria ad valorem huius Sacramenti: non potest autem ex iure, vel alio solido fundamento colligi, quòd ea per mortem Episcopi restituatur. Ita Præpositus.

Cui quoad primum libenter adhæreo, non autem quoad secundum: nam omnes Doctores asserunt reservationem factam per legem, aut statutum Synodale differre à reservatione personali: quia reservatio facta per legem non expirat morte reservantis; quia lex semper loquitur, & de se est perpetua, nisi abeat in desuetudinem: reservatio verò personalis expirat morte reservantis; ergo mortuo Episcopo quilibet Sacerdos poterit absolvere casus reservatos reservatione personali, quia expiravit dicta reservatio; ergo in illos habet iurisditionem. Et ita hanc sententiam docet Fagundez part. 2. lib. 8. cap. 1. num. 30. Sanchez de Matrimonio lib. 8. disp. 28. num. 63. & alij.

Notandum est etiam ex his obiter, quòd si in mandatis visitationum Episcopi referunt sibi aliqua peccata siue cum excommunicatione, siue sine illa; expirat tamen reservatio mortuo Episcopo; quod intelligendum est, quoad illos, qui in vita condentis Episcopi prædictam censuram, v. g. non incurserunt: nam si adhuc vivente ipso incurserunt, tunc quidem reservatio adhuc durat. Et idem dicendum est de visitationibus Provincialium Religionum, quia hæc non durant, nisi quandiu ipsi Provinciales durant in officio. Ita ex Nauarro Fagundez ubi supra. Et ratio huius sententiæ est, quia ordinationes lætæ in mandatis visitationum sunt mandata generalia aut specialia hominum, & sic expirant mortuo latore.

An qui ignorat reservationem alicuius casus, incurrat in illam?

RESOL. XLIII.

CASUS frequenter in praxi potest accideret: & ad illum respondet nouissimè Pater Lugo de Sacrament. penitent. disputat. 20. sect. 2. num. 11 vbi sic ait. Secundò dubitari potest de ignorantibus reservationem pœnalem, an illam incurrant: de quo latè Thomas Sanchez lib. 9. de Matrim. disput. 52. à num. 15. vbi refert plures docentes ad incurrendam pœnam Ecclesiasticam non requiri scientiam prohibitionis iuris positivi. Alij dicunt eam scientiam requiri, quam sententiam ipse sequitur, & num. 18. dicit in terminis reservationem, quæ imponitur in pœnam delicti, quod prohibetur aliqua Bulla Pontificia non incurri ab ignorante inuincibiliter illam Ecclesiæ prohibitionem. Denique alij dicunt requiri non solum scientiam prohibitionis, sed etiam talis pœnæ impositionem: quare ignorans inuincibiliter reservationem peccati impositionem non illam incurret; quam sententiam ipse Sanchez existimat probabilem, licet contrariam teneat ut probabilior. Cæterum quia quæstio hæc generalis est ad omnes pœnas Ecclesiasticas, sufficiat indicasse sententias probabiles; quæ in hoc puncto sunt; ut vnusquisque in facti occurrentia possit eam doctrinam probabilem ad praxim applicare. Hæc Lugo, in quibus videtur apertè sentire ignorantem reservationem alicuius casus secundum opinionem probabilem non incurtere in dictam reservationem.

Sed dices auctoritatem Patris Lugo, ut patet, & omnia supradicta procedere in reservatione, quæ imponitur in pœnam non de ea quæ non statuitur ut pœna, sed ut medicina; & idè subdit Lugo certum esse talem reservationem afficere etiam ignorantes, ut patet ex praxi omnium Religionum, in quibus ignorantia reservationis non tribuit facultatem absolventi pœnitentem, qui reservationem ignoravit. Et ita etiam docet in terminis Sanchez ubi supra lib. 9. disput. 32. num. 18. ut visum est.

Verum posset aliquis dicere, quòd reservatio casuum semper refertur ad bonam Ecclesiæ gubernationem, ut grauiora delicta Superioribus referentur, & tamen hoc non obstante asserunt aliqui Doctores talem reservationem esse pœnalem & odiosam ad instar statuti. Ita Coriolanus de casib. reservat. part. 1. sect. 1. art. 5. num. 4. Bonacina de Sacrament. disput. 5. quæst. 7. punct. 1. §. 4. num. 1. Chappéa- uilla de casib. reservat. cap. 6. quæst. 1. Naldus in summa ver. casus reservatus, num. 3. Reginaldus

tom. 1.

tom. 1. lib. 1. cap. 11. numer. 137. Bresserus de Conscient. lib. 4. cap. 18. num. 198. Homobonus de casib. reservat. part. 1. cap. 2. Ergo simpliciter dicendum est reservationem casuum induere rationem pœnæ, & per consequens qui ignorat dictam reservationem non incurtere in illam.

His tamen non obstantibus, quia affirmatiua sententia est communis, non audeo ab illa recedere: & idè sententiam Sanchez & Patris Lugo tenet nouissimè Hurtadus de Mendoza in 2. 2. Diui Thomæ vol. 1. disput. 84. sect. 1. §. 8. vbi sic ait. Obserua Auctores nonnullos opinari non reservari peccatum illius, qui reservationem ignorat. At improbabilis est ea opinio, quando reservatio non est in odium delinquentis; sed ob prudentem administrationem Ecclesiæ. Cùm ergo reservatio non tam sit in hæreticum pœna; quam limitatio iurisditionis Prælatorum inferiorum per se utilis & moraliter necessaria ad prudens Ecclesiæ moderamen, non potest ob solam ignorantiam reservationis hæreticus excusari à reservatione. Ita ille. Igitur cùm per reservationem tollatur iurisdictio absolventi, ignorantia non potest officere, ut absolutio sit valida, sicut si bona fide quis simpliciter Sacerdoti confiteretur.

Quis fecit pœnitentiam impositionem à Confessario absque intentione illam adimplendi, imò cum intentione contraria: Queritur an teneatur illam denuò facere?

RESOL. XLIII.

IEIUNAVIT v. g. quis, vel Rosarium B. Virginis recitavit ex deuotione volens ieiunium & Rosarium pro pœnitentia à Confessario impositionem postea adimplere. Queritur an possit hoc non obstante nec ieiunare, nec Rosarium dicere. Et negatiuè respondet Vasquez opusc. de Beneficiis cap. 4. §. 1. art. 3. dub. 7. num. 117. quia licet ad satisfaciendum præceptis & legibus sufficiat ponere opus præceptum, licet non adit intentio obseruandi legem: in hac tamen materia satisfactio Sacramentalis videtur ex alio capite requiri intentio: est enim satisfactio pars Sacramenti. Sed omnia Sacramenta exigunt in adulto, ut validè recipiantur, intentionem & voluntatem recipiendi: ergo cùm satisfactio sit pars Sacramenti, non potest habere valorem in subiecto non solum non consentiente, sed dissentiente & resistenti positiuè per voluntatem contrariam, qua vult non recipere Sacramentum in illa actione.

Sed libenter ego contrariæ sententiæ adhæreo, quam tueretur Sanchez in summa tom. 1.

lib. 1. cap. 13. num. 17. & Lugo de Sacrament. penitent. disput. 25. sect. 3. num. 37. Quia non semper requiritur intentio in suscipiente Sacramentum eo tempore quo fiunt omnia, quæ componunt Sacramentum: vnde dolor, qui est pars Sacramenti, potest haberi absque memoria præcedente recipiendi Sacramentum. Sic etiam dici potest de satisfactione: nam illa postea non fit à pœnitente tanquam à Ministro operante nomine Christi; sed solum fit ex obligatione & debito propter sententiam & præceptum præcedens Confessarij: ad hoc autem ut fiat aliquid ex debito & obligatione, non requiritur, ut fiat ex animo satisfaciendi illi debito. Ergo, &c.

Hinc infert Lugo, quòd licet pœnitens in ieiunio non recordetur pœnitentiæ impositionem, adhuc satisfaciet ieiunando ex deuotione. Et si alicui Confessarius imposuit pro pœnitentia ieiunium, vel eleemosynam disiunctim, & ipse dederit eleemosynam cum intentione non adimplendi pœnitentiam per illam partem, sed ieiunandi postea: posset adhuc postea pœnitens non ieiunare, quia reuera impleuit disiunctim, quòd à Confessario impositionem fuit ieiunare vel dare eleemosynam.

Quidam Confessarius voluntariè omisit imponere pœnitentiam in Confessione peccatorum tantum venialium; quæsiuit an peccatum mortale commiserit?

RESOL. XLIV.

AFFIRMATIVAM sententiam videtur indicare Suarez in 3. part. tom. 4. disput. 38. sect. 3. in principio, & Valerius Reginaldus in praxi tom. 1. lib. 7. cap. 2. num. 12. vbi asserit, quòd non est dubium, quin Confessarius sub graui peccato teneatur aliquid semper in satisfactionem imponere debenti ac valenti eam adimplere: nam alioquin redderet Sacramentum mutilum, truncata vna ipsius parte, quæ est satisfactio.

Sed licet obligatio imponendi pœnitentiam sit ex genere suo grauis; potest tamen aliquando ex paruitate materiæ in eius omissione adesse tantum peccatum veniale; ut si pœnitentia leuis deberet imponi ob peccata aliqua venialia, vel sæpè iam confessa: tunc enim Sacerdos non peccaret mortaliter, si secluso contemptu non imponeret vllam pœnitentiam. Et ita docet Lugo de penitent. disp. 25. sect. 4. num. 4.

Notandum est etiam hic obiter pœnitentem, qui relinquit facere pœnitentiam leuem, ut si vnus Psalmus, vel Misereere impositionem fuit: & hoc quidem etiam si ob peccata grauiora fuerit

Q 2 fuerit

fuerit impositus, non peccare mortaliter: imò Suarez *tom. 4. disp. 38. sect. 7. n. 5.* & alij putant omissionem poenitentiae grauis impositae propter sola venialia vel mortalia prius confessi non esse culpam mortalem, licet contrarium asserat Ioannes Praepositus in *3. part. quest. 12. de satisfactione dub. 8. num. 108.* Sed de his alibi dictum est; & de illis nouissime tractat Auctor Casuum Conscientiae Bononiae discussorum anno 1634. mense Decembri *cas. 2. & nobiscum sentit.*

An adimplere poenitentiam in statu peccati mortalis, sit saltem peccatum veniale?

RESOL. XLV.

Affirmatiuam sententiam tenet Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 15. numer. 15.* vbi sic ait. Sequitur esse quandam irreuerentiam saltem venialem, si quis poenitentiam impleat in statu peccati mortalis; quia Sacramenti aliquam partem suscipit indignè, & ponit obicem consequendi eius effectum, qui est remissio poenae. Ita ille, & ante illum Suarez *tom. 4. disput. 3. sect. 8. numer. 7.*

Sed ad hanc opinionem tenendam Lugo de *Sacrament. Poenitent. disput. 25. sect. 3. numer. 32.* asserit non inuenire sufficiens fundamentum: nam dicta pars Sacramenti non est collatiua gratiae; ponere autem obicem effectui remissionis poenae non arguit culpam venialem; alioquin etiam effet peccatum veniale audire Missam in statu peccati, aut adesse in peccato benedictioni Pontificis, quando conceduntur indulgentiae, quia ponitur obex simili effectui, quod tamen nemo concedet. Multò ergo minus debet hoc dici in nostro casu, in quo illud detrimentum postea refarcitur, cum sublato obice habeatur totus ille effectus, quod in auditione Missae & indulgentiis non contingit. Praxis etiam fidelium hæc est: nam si alicui pro poenitentia detur recitare singulis diebus Coronam, aut dicere orationem breuem, quoties iurat, nemo dicet peccatum esse veniale non constituere se in statu gratiae quoties dicit Coronam, aut orationem illam breuem, Ita Pater Lugo. Tamen, vt verum fatear, affirmatiua sententia est communis, teste Magno in *Addition. ad 3. part. quest. 14. art. 2. verb. nihilominus*: & præter Layman & Suarez tenet illam Henriquez *lib. 5. cap. 18. numer. 3. & cap. 20. numer. 7.* Fillicius *tom. 1. tract. 8. cap. 2. numer. 57.* Reginaldus in *Praxi tom. 1. lib. 7. numer. 84.* Bonacina de *Sacramentis disput. 5. quest. 5. sectione 3. punct. 4. numer. 15.* & alij.

An idem Confessarius possit extra Confessionem poenitentiam à se impositam commutare?

RESOL. XLVI.

Casus est frequentissimus; & ad illum sic respondet Ioannes Praepositus in *3. part. quest. 12. de satisfactione dub. 9. num. 117.* Confessarius extra Sacramentum non potest actum iudiciale exercere; idem tamen potest mutare, quando moraliter censetur in eodem actu iudicij perseuerare, vt si poenitens petat paulò post absolutionem suam poenitentiam mutari. Sic ille.

Sed magis amplè loquitur Cœlestinus in *Compend. Theolog. Moral. tract. 1. cap. 24. num. 7.* quando alius (ait) Confessarius poenalem mutat poenitentiam à priore Sacerdote impositam, id debet facere in Confessione Sacramentali, & non extra: si verò hæc eadem commutatio fiat ab eodem Confessario, qui eam imposuit, potest facere commutationem extra Sacramentum etiam sine causa, modò poenitens ad illum redeat ad summum infra hebdomadam. Sic Cœlestinus, cui adde alios, quos ego citavi in *3. part. tract. 4. resolut. 53.*

Sed non desinam hinc in gratiam curiosorum adnotare, quòd nouissime post me ipsum citatum, & alios, quos vbi supra, adduxi, Pater Ioannes de Lugo de *Sacrament. Poenitent. disput. 25. sect. 6. num. 112.* docet ampliorem & benigniorem sententiam circa præsentem quaestionem. Sic ita asserit. Ego in primis existimo non posse eundem Confessarium mutare poenitentiam, nisi actu recordetur peccatorum, pro quibus illam imposuit, saltem aliqua memoria confusa, qualis sufficit ad imponendam satisfactionem: nam est ille actus iurisdictionis qui fit à iudice, vt iudex est, ergo debet procedere cum notitia causae. Deinde existimo non requiri nouam Confessionem, sed quòd actio referatur ad Confessionem & absolutionem præteritam, & cum illa componat vnum integrum iudicium: certum enim est in hoc Sacramento partes tempore distantes posse vniri moraliter ad integrandum vnum Sacramentum: nam absolutio hodierna potest vniri cum confessione facta ante octo dies: ergo similiter additio, vel limitatio sententiae poterit vniri cum confessione & sententia præterita. Denique addo me non inuenisse sufficientem rationem, cui additio, vel limitatio illa post longum tempus facta non possit vniri moraliter sufficienter cum præcedentibus partibus ad faciendum vnum integrum iudicium: nam ipsa satisfactio impleta post

post longum tempus integrat vnum iudicium cum partibus præcedentibus: Ergo quandiu satisfactio non est posita, adhuc intelligitur iudicium illud incompletum & quasi suspensum; & adhuc iudex habet ius ad vrgendum pro executione sententiae: ergo adhuc poterit ex consensu poenitentis mutare vel diminuire primam sententiam, vt melius possit executioni demandari. Huc vsque Lugo. Qui, vt vides, docet posse eundem Confessarium mutare poenitentiam post quodlibet tempus, & tunc pertinere ad idem Sacramentum.

Quidam fuit in Ecclesia vulneratus, & persequens inimicum fugientem magnam copiam sanguinis extra Ecclesiam vulnus effudit: Queritur an Ecclesia remanserit polluta?

RESOL. XLVII.

Affirmatiuam sententiam docent communiter Doctores, vt Emmanuel Sà *ver. Ecclesia numer. 13.* Auila de *cenfuris part. 5. disput. 7. dub. 1. conclus. 1. casu 1.* Ioannes VViggers de *Sacram. in 3. part. D. Thome quest. 83. dub. 15. num. 68.* Azorius *part. 1. lib. 10. cap. 29. quest. 13. §. quares. & part. 2. lib. 9. cap. 5. quest. 1. cas. 2.* Suarez in *3. part. tom. 3. disput. 81. sectione 4. cas. 2.* Reginaldus *tom. 2. lib. 29. num. 181.* Toletus *lib. 5. cap. 8. num. 6.* Lugo de *Sacrament. Eucharist. disp. 20. sect. 1.* Sayrus de *cenfur. lib. 5. cap. 16. num. 5. & 8.* Victoria in *summa de Eucharistia quest. 99.* Graffius in *decision. part. 1. lib. 2. cap. 48. num. 23.* Nauarrus ex *Manuali cap. 37. num. 256.* & Fagundez *part. 1. lib. 4. cap. 14. num. 16.* vbi sic ait. Si vulnus mortiferum sit & graue, & intra Ecclesiam contingat, aut cœmeterium illius, locus sacer violabitur, etiam si sanguis intra eum non effluat, veluti si homo prius egrediarur. Ita ille. Putant igitur hi Doctores, non esse de essentia pollutionis Ecclesiae, vt in ea sanguis effundatur; sed satis esse, si percussio sit facta in Ecclesia, & de per se sit sanguinis effusiva. Igitur si prius homo egrediarur, & sanguis non cadit in terram; sed extra Ecclesiam postea effundatur; sufficit, vt illa remaneat polluta: quia per accidens est, vt in Ecclesia sanguis non effundatur, & ipsa effusio, quantum est ex parte actionis iniurius, grauis facta est. Ergo, &c.

Sed pro contraria sententia adest, ni fallor, non infirmum argumentum, pro quo suppono, Primò violariionem Ecclesiae esse poenam: & idèd strictè interpretandam, vt obseruat Persicus de *offic. Sacerd. lib. 1. cap. 7. dub. 1. num. 23.* Vnde Fagundez *loco citato num. 13.* asseruit,

quòd in huiusmodi casibus fauere Ecclesiis debeamus, vt potius non sint pollutae nec violatae, quàm pollutae & violatae sint. Suppono secundo Canones imponentes hanc poenam asserere Ecclesias pollui per sanguinis effusionem. Et idèd in *cap. Ecclesius 68 dist. & de consecrat. dist. 1.* dicitur non esse Ecclesias reconciliandas, nisi sanguinis effusione pollutae fuerint. Et in *cap. si Ecclesia, de consecrat. Eccles.* dicitur, Ecclesiam non consecratam, sed solùm benedictam etiam sanguinis effusione pollui. Et in *cap. unico, de consecrat. Eccles. in 6.* habetur. Si Ecclesiam pollui sanguinis effusione contingat, esse reconciliandam. Et Innocentius I I I. in *cap. tuarum, de priuilegiis,* praepositae sibi quaestioni, videlicet, cum quidam percutiens Vicarium Sacerdotem ipsam Ecclesiam sanguinis effusione foedasset, sic respondet: In ea, donec reconciliata fuerit, officia non permittas celebrari diuina.

His suppositis sic argumentor. Ecclesia non violatur nisi per sanguinis effusionem: ergo violatio, vt poena, non est extendenda ad nostrum casum, in quo nullus in Ecclesia effusus est sanguis. Confirmatur probabilitas supradictae opinionis ex sententia superius relata, nempe Ecclesiam non remanere violatam propter homicidium, si mors extra illam sequatur & idèd hic apponam verba Ioannis Praepositi in *3. part. quest. 83. art. 3. dub. 2. num. 152.* sic asserentis Non violatur Ecclesia, si causa quidem data sit in ea, mors tamen extra illam sequatur: cum eo casu neque homicidium sit dicendum in Ecclesia contingere; quare requiritur, vt & causa mortis sit in dicta Ecclesia data, & mors in ea sequatur: cum vtrumque requiratur vt homicidium dicatur in Ecclesia contingere. Ita ille, & alij. Si ergo Canones asserentes Ecclesiam pollui propter homicidium, intelligendi sunt secundum Praepositum & alios, non solùm si causa homicidij fuerit data in Ecclesia, sed etiam si mors sequuta fuerit in Ecclesia. Ita dicendum est in casu nostro Canones asserentes Ecclesiam pollui propter sanguinis effusionem, intelligendos esse non solùm si causa v.g. vulneratio de per se sanguinis effusiva sit facta in Ecclesia; sed etiam si ipsa sanguinis effusio sequuta fuerit in Ecclesia: nam sicut & in primo casu si homicidium, cuius tamen causa data fuit in Ecclesia, extra Ecclesiam sequatur, non potest dici in Ecclesia contingere, ita & in nostro casu, si sanguis extra Ecclesiam effluere contigerit, idem dicendum erit. Vnde nescio qua ratione Praepositus tenuerit, vt supra visum est, ad pollucendam Ecclesiam requiri, vt & causa mortis data sit in Ecclesia, & mors in ea sequatur: & postea contra id quod supra diximus, teneat Ecclesiam violari; si quis intra eam graue vulnus

accipiat, quamvis extra Ecclesiam cruorem emittat. Sed his non obstantibus, quia video affirmaciam sententiam circa quæstionem propositam esse inter Doctores communem, non audeo ab ea recedere.

An licentia excipiendi Confessiones, præsertim Regularibus concessa ad beneplacitum, expiret mortuo Episcopo?

RESOL. XLVIII.

Affirmatiuè respondendum videtur; quia voluntas morte finitur, vt patet ex leg. 4. ff. locari, leg. centesimus, §. fin. ff. de verb. oblig. leg. vxor, §. Scævola, ff. de legat. 3. & ex cap. si gratiosè, de rescript. in 6 vbi sic habetur. Si gratiosè tibi à Romano Pontifice concedatur, vt beneficia, quæ tempore promotionis obtinebas, possis vsque ad suæ voluntatis beneplacitum retinere, huiusmodi gratia per obitum, per quem ipsius beneplacitum omninò extinguitur, eo ipso expirat. Ita ibi, & Ancharanus numer. 6. Geminianus numer. 3. Francus numer. 9. Gloss. in cap. à nobis, verb. non nisi, de sentent. excommunic. Gutierrez in pract. quæst. lib. 3. quæst. 11. numer. 9. Valascus de iur. emphyt. quæst. 34. numer. 7. Gonzales ad Regul. 8. Cancellaria, §. 1. in proæmio numer. 9. Sacra Rota in vna Bononiensi Parochialis die 18. Martij 1613. coram Verospio apud Farinacium decisione 489. numer. 4. Couarruuias lib. 3. var. cap. 15. numer. 2. Felinus in cap. ex litteris num. 10. de constitut. & alij. Hinc suspensio Banni ad beneplacitum Principis, vel iudicis cessat per mortem illius, vt docet Angelus cons. 217. num. 7. Decius consil. 108. num. 2. Mascardus de probation. conclus. 188. num. 29. & 30. Gozzadinus consil. 22. num. 10. Gratus consilio 92. num. 1. Socinus iunior consil. 63. num. 12. lib. 2. & alij penes ipsos: quibus adde Præpositum in part. 2. Diui Thomæ quæst. 97. dub. 4. numer. 42. Suarez de legibus lib. 8. cap. 32. num. 3. Pontium de matrimonio lib. 8. cap. 19. §. 1. num. 9. & 10. & Sanchez lib. 8. disput. 28. num. 52.

Nec valet dicere. Ergo si in dicta concessione non adderentur illa verba, Ad beneplacitum, etiam periret gratia & licentia; si quidem petir voluntas concedentis ex eius morte, ex qua voluntate gratia habet efficaciam: vnde ex his non apparet differentia inter licentiam absolutam & ad beneplacitum. Respondeo ex voluntate positua concedentis habere gratiam efficacem vt sit; non tamen vt conferretur; non enim indiget ad sui conseruationem positua voluntate

concedentis; solùm enim requirit, ne adfit contraria voluntas, scilicet reuocatio. At quando conceditur ad beneplacitum, tunc indiget positua voluntate conseruante, quia sub illa conditione conceditur. Quare si hæc absolutè cesset, cessat & gratia.

Verùm licet supradicta in rigore iuris essent tenenda; tamen contrariam sententiam in casu proposito probabilem putat Castrus Palaus iom. 1. tract. 3. disputatione 4. punct. 16. §. 5. numer. 5. vbi sic ait. Addendum existimo non carere probabilitate ex dictis verbis non limitari gratiam ad vitam concedentis; sed prorogari post illam, quousque reuocetur: quia videntur in communi loquendi modo æquiualeere illa verba ad beneplacitum meum, illis verbis, donec reuocauero, seu aliter ordinauero, quia dum aliter non ordinatur, semper videtur esse, & perseverare eadem voluntas: & confirmari potest ex vsu, & consuetudine Ordinariorum, cum facultatem Religiosis & aliis personis concedunt administrandi; subiungunt ferè semper se velle, vt illa licentia efficaciam habeat, dum fuerit nostra voluntas; at ex his verbis non censentur, neque reputantur licentia cessare, quousque reuocentur. Ita Palaus & aliqui innominati apud Præpositum in part. 2. quæst. 97. dub. 4. num. 42. Quorum opinio confirmari potest ex Molina Iuriconsulto de Primog. Hispan. lib. 1. cap. 15. numer. 14. atque Vantio de nullitate ex defectu iuris de leg. num. 104. asserentibus, quòd si Princeps creat aliquem iudicem ad suum beneplacitum, per mortem Principis non admittit officium: & ratio est, quia hi Doctores putant tunc gratiam ad beneplacitum cessare morte concedentis, quando concederetur in fauorem, & vtilitatem alicuius personæ priuatæ, secus si concedatur in fauorem publicum, sed licentiæ excipiendi confessiones potiùs respiciunt fauorem publicum, quàm priuatum. Ergo, &c.

Non desinam tamen hinc in gratiam curiosorum apponere aliud principium pro stabienda supradicta sententia; quod tamen tenet Doctissimus Alphonsus Carrança in alleg. pro Ordibus Mendicantibus ad Regem part. 2. vbi sic asserit. [El Confessor idoneo aprouado con limitacion, in omnem euentum poterit se habere tanquam simpliciter approbatum: y esta es la causa, por que las licencias que comunemente se dan en este Arçobispado mientras fuere la voluntad del concedente siempre se han reparado y obrado como perpetuas y absolutas, y en virtud dellas han continuado en confessar, despues de la muerte de los Prelados, que las conceden, lo que non hizieran, ni pudieran, si tuuieran la natura-

ralcaza

An quis possit legere libros prohibitos securus, quòd nocumentum non accipiet ex eorum lectura?

RESOL. XLIX.

Olim Romæ à quibusdam, & Panormi à viro ingenuo & docto de hoc casu interrogatus fui, & cum negatiuè responderem, instabant tunc vehementer asserendo ex doctrina, quam ego adduxi in part. 1. tract. 10. resolut. 28. probabiliter posse affirmatiuam sententiam defendi: nam non ignobiles Auctores tenent, vt ibi patet, legem non obligare eius sine deficiente: quod etiam inuenio docere Andreæ ab Axca in tit. de constit. cap. 1. num. 201. Sed in nostro casu finis legis deficiebat, nam ipsos legentes tales libros certum erat ex eorum falsa & damnata doctrina nullum posse nocumentum accipere; erant enim viri docti & piissimi. Ergo, &c.

Sed his non obstantibus respondi supradictam doctrinam non valere in casu nostro: nam procedit, quando lex vnum solum finem habet, ex quo Legislatores mouetur ad prohibendum aliquid: secus verò si lex habet plures fines; nam deficiente vno, obligatio legis non deficit, sed talis est lex libros danatos prohibens, ergo, &c. Vnde sciendum est Ecclesiam in prohibitione librorum damnatorum plures fines habere: nam prohibet illos, vt hoc modo quasi medicina quadam præferuet fideles ab hæreticorum cõtagio, & ne damnatorum librorum lectione, veluti veneno quodam pestifero Catholici inficiantur: & ideo ob hanc causã olim in primitiua Ecclesia prohibebatur fidelibus ne Gentilium libros legerent, teste Clemente lib. 1. constit. Apostol. cap. 6. & ideo in Concilio Carthaginensi IV. cap. 16. Ecclesia præcipit, ne fideles communicent verbis cum hæreticis: ergo multò magis potuit & debuit præcipere, ne cum ipsis cõmunicent libris & scriptis, cum hæc communicatio magis soleat nocere, quàm quæ fit solis verbis: libri enim scribuntur maiori cū cõsideratione, eloquẽtia & eruditione, ac propterea magis permouere solent Lectores ad illorum falsam doctrinam amplectendam.

Verùm Ecclesia in prohibitione dictorum librorum non habuit hunc solum finem, nempe ne Catholici falsa doctrina ex dictis libris inficiantur; sed etiam legem illam statuit in pœnam Authorum damnatorum: non enim leuis est pœna in eorum libros nigrum præfigere Theta, & sub censura prohiberi ne legantur, ad obscurandum & abolendum eorum nomen, & ne hoc afficiantur honore, vt inter manus doctorum hominum voluantur. Igitur lex prohibens sub censura le-

Q 4 tionem

raleza de concessiones ad placitum, vel ad libitum, que conforme à derecho sabido, cessan con la muerte del concedente.] Hæc Carança, in quibus verbis, vt etiam antea dixerat, ipse mordicus tenet Episcopos non solùm illicitè, sed inualidè apponere in dictis licentiis limitationes quasdam; quando eis constat Confessarium, & præsertim Regularem esse idoneum. Vnde Lugo de Sacrament. penitent. disput. 11. sect. 3. §. 1. num. 60. docet, quòd si constaret Regularem, v. g. esse satis idoneum & probatum, non posse Episcopum limitare ei licentiam pro excipiendis Confessionibus ad annum, ad beneplacitum, ad personas, &c. quia ille habet ius, vt petat approbationem simpliciter & absolutam præuio examine, cui se offert. Ergo supposita plena notitia, quæ de ipso habetur, non potest Episcopus pro solo libito, negare approbationem simpliciter, & dare solùm semper approbationem. Vnde quando sit iusta causa ad apponendas eiusmodi limitationes, conscientia Episcopi relinquendum est, qui tamen si sine iusta causa dictas limitationes apponeret, puto ei parendum esse, vt me citato tenet idem Lugo vbi supra.

Nota tamen hinc, amice Lector, Cœlestinum in Compend. Theolog. Moral. tract. 8. cap. 9. quæst. 3. obseruasse me docere approbationem semel datam ab Episcopo non posse reuocari ab eodem Episcopo etiam si dederit illam ad libitum, seu beneplacitum. Sed ego, vt legentibus patebit, in 3. part. tract. 2. resol. 26. assero dictam sententiam docere Peyrinum, & contrarium communiter asserere alios Doctores, non bene igitur Cœlestinus dixit me dictam sententiam docere.

Dico igitur cum Lugo vbi supra §. 2. numero 63. quòd si approbatio data fuit ad beneplacitum, posse reuocari licitè ex causa; & valide etiam absque causa: rationes videbis penes ipsum; qui tamen docet num. 65. satis probabile esse, reuocationem sine causa alicuius licentiæ iam priùs sine limitatione ab Episcopo concessæ non esse validam: quia cum sit sententia iudicis iniusta, non videretur posse auferre ius, quod iam Confessarius habebat ex approbatione priùs posita, & per consequens nullum sortitur effectum. Sed magis amplè loquitur Carança loco citato, vbi sic ait. [Que si la limitacion sin causa de las licencias para confessar es nula y peca el Obispo en su concession estriçta, y no absoluta: con quanta mas razon sera nula, y pecara en la reuocacion sin causa del derecho adquirido; en que milita mayor razon.] Ita ille.

tionem librorum damnatorum semper obligabit: nam licet deficiat in aliquo casu particulari finis dictæ prohibitionis, nempe periculum & nocumentum, quod ex lectura dictorum librorum prohibitorum contingere potest: adhuc tamen semper remanet alius finis prohibitionis, nempe pœna auctoribus damnatis imposita ad eorum dedecus, ne eorum libri legantur.

Vnde ex hoc apparet, quod non solum libri Hæreticorum damnantur, qui continent falsam doctrinam contra fidem; sed etiam minime de Religione tractantes, ut sunt Dialectici, Rhetorici, Grammatici, &c. In quibus libris nullum est periculum, ut lectores eorum lectione ad hæresim pertrahantur. Et ideo Sanctarellus tract. de Hæresi, cap. 14. dub. unico numer. 4. merito asseruit omnes libros hæreticorum prohiberi in pœnam illorum Auctorum, quamvis hæresim non contineant, ut etiam habetur in Regul. 2. Indicis. & Sousa in Bull. Cœn. cap. 2. disput. 13. num. 11. rectè obseruat lectionem librorum prohibitorum in odium Auctoris interdici. Igitur de hoc non est dubitandum, & aliter iuuenientes in nostro Sacræ Inquisitionis Tribunali seuerè puniendos esse existimo. Adde quod aliqui viri docti asserunt lectionem librorum hæreticorum esse de se inductiuam ad inficiendos animos legentium. Ergo semper eorum prohibitio obligabit.

An Regulares vigore priuilegiorum possint dispensare ratione alicuius urgentis necessitatis in voto castitatis absoluta, in quo casu potest Episcopus dispensare?

R E S O L. L.

Certum est dubium: pro quo suppono certum esse vota reseruata, siue sint vota castitatis, siue Religionis, non ita amarè ac rigidè accipienda esse, ut nunquam liceat Episcopis in illis dispensare; licet enim illis in his votis castitatis perpetuè, ac religionis (& idem de cæteris reseruatis) dispensare etiam cum solutis, & non coniugatis, ut ineant matrimonium, quando magnum periculum incontinentiæ imminet, & non est facilis aditus ad Summum Pontificem præ paupertate, aut alia causa; quia non est credendum esse mentem Summi Pontificis velle in tali casu reseruare sibi hæc vota: neque est verisimile velle eum, ut animæ laqueis voluntariis irretitæ in eo periculo sine remedio relinquatur. Et ita docent expressè Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 9. num. 2. Syluester verb. votum 4. quest. 4. Nauarrus in Summa Latin. cap. 12. num. 76. Pala-

tios in 4. distinct. 38. disput. 2. col. 9. vers. & quidem Episcopus. Henriquez lib. 6. de penitentia, cap. 14. num. 7. in commento littera P. & lib. 7. de Indulgentiis, cap. 90. num. 6. in commento littera B. Sà in Summa verb. votum, ubi de voti irratione num. 11. Valentia 2. 2. disput. 22. quest. 6. punct. 7. col. 10. vers. ex quo sequitur. Aragonius 2. 2. quest. 88. art. 12. & alij communiter.

Nec solum quando imminet periculum solius incontinentiæ ex mora, & Summus Pontifex non potest commodè adiri, potest Episcopus in voto castitatis, aut religionis dispensare; sed etiam si aliud quodcumque graue periculum imminet, ut grauis scandali, vel magni detrimenti tertiæ personæ: qua ratione asserit Sanchez lib. 8. de Matrim. disput. 9. num. 22. post medium, se hac de re consultum censuisse, potuisse Episcopum dispensare cum iuvene, qui voto Religionis adstrictus virginem deflorauerat, ac grauidam effecerat, volebatque eius famæ consulere eam ducens, eratque periculum in mora; quia si dispensatio Pontificia expectaretur, impediretur matrimonium à consanguineis iuuenis, qui illi repugnabant, ac mutaretur iuuenis voluntas, quæ non tam firma erat, quin facilè mutari posset, ac de facto dispensasse Episcopum: & ita docet idem Sanchez allegatus, & fauent Syluester verb. votum 4. quest. 4. & Henriquez lib. 6. de penitentia, cap. 14. num. 7. in commento littera P. & lib. 6. de Indulgentiis, cap. 90. n. 6. in commento littera B. qui non limitantur periculum ad incontinentiam; sed generaliter dixerunt posse Episcopum dispensare, quando nequit adiri Papa, nisi periculum interueniat in mora; & idem sentiunt omnes Doctores, qui generaliter hac de re loquentes affirmant ob incontinentiæ periculum, vel aliam grauem causam occurrentem posse Episcopum dispensare, si Summus Pontifex facilè adiri non potest. Ita Doctores locis citatis.

Hoc supposito ad dubium propositum affirmatiuè responderi Croufers in Regulam S. Francisci, cap. 7. lect. 29. fol. 785. vbi sic ait. Dubitare tamen hoc loco aliquis potest, quod cum Mendicantes dispensare possint in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi: vtrum sicut Episcopi dispensant in voto absoluto castitatis, & Religionis, quando vouens taliter est constitutus, ut propter incontinentiam votum eiusmodi sit ipsi maximè periculosum, nec est facilis votum habenti accessus ad Pontificem, vel propter paupertatem, vel propter distantiam: & interim vrget, ut dictum est, periculum incontinentiæ: vtrum, inquam, in tali casu non possint Mendicantes dispensare, vel commutare per priuilegia sua? Negat Sanchez lib. 4. oper. Moral. cap. 43. numer. 7. Ratio eius est, quia in tali casu votum eiusmodi est verè reserua-

reseruatum, ac dispensatio verè cadit in materiam reseruatum; & ideo casus illi non censentur Episcopales, nec Episcoporum iuri ordinario subiecti: sed per accidens potest Episcopus in illis dispensare, ex quadam benigna voluntate reseruatis interpretatione. Verùm ego non video, quomodo per accidens tantum hoc possit Episcopus: quandoquidem ipsemet Sanchez cap. 40. numer. 25. doceat, quod seclusa reseruatione, sit integrum Episcopis dispensare in suis Diocæsis in omnibus votis, sicut Pontifici in toto orbe: quod cum ita sit, vel Episcopi in dicto casu dispensare possunt ex priuilegio ipsis concessio post reseruationem vniuersalem hunc etiam casum includentem: & hoc nullus admittit; quia de tam vniuersali reseruatione, nec vllto iure, nec cõsuetudine constat, sicut nec de priuilegio. Restat ergo, ut dicamus id posse Episcopos: quia ex modo reseruationis rationi congruo constat, id Episcopis mansisse residuum ex antiquo iure, quod habebant, dispensandi in omnibus votis per suas Diocæses, sicut Pontifex: ac proinde potius per accidens esse, quod tam ampla potestate non amplius gaudeant, quàm quod hæc tantilla ipsis adhuc conueniat. Quod autem dicit, quod votum eiusmodi sit verè reseruatum, non video, qua ratione id intelligat: vel enim vult reseruatum esse secundum speciem, & hoc non potest dici: quia sic votum eiusdem materiæ factum ex metu leui per iniuriam inculso esset reseruatum, quia est eiusdem speciei, & tamen non est reseruatum: vel intelligit esse verè reseruatum in indiuiduo, & secundum indiuiduum, & hoc manifestè falsum est; quia si sic reseruatum esset, in eo non dispenseret Episcopus. Dispensat autem non potestate delegata, sed quam delegare possit, ac proinde ordinaria, cum sit perpetuè annexa dignitati Episcopali, idque non ex priuilegio, iuri etiam incluso, per quod scilicet id ipsis concederetur, quod iure non poterant: sed iure ordinario, per quod ipsis manet dicta potestas, quamdiu non fuerit ipsis legitime sublata, circa similes casus. Quæ cum ita se habeant, non video, quare Ordines mendicantes per sua priuilegia valentes dispensare in votis sicut Diocæsanus, in hoc vel simili casu id non possint. Huc vsque Croufers.

Sed ut verum fatear, sententia negatiua Sanchez quam ipse impugnat, est communis inter Doctores, & ita docet Henriquez lib. 9. de penitent. cap. 14. numer. 7. littera P. Rodriguez in Bull. Cruciatæ, §. 9. numer. 118. & de Questionibus Regular. tom. 1. quest. 41. art. 9. & quest. 63. art. 6. & Suarez tom. 2. de Relig. tract. de voto, cap. 16. numer. 18. & 19. Et ratio est, quia Religiosi habentes priuilegium dispensandi in casibus Episcopalibus minimè possunt

dispensare in casibus, qui non iure ordinario, sed ratione urgentis necessitatis comperunt Episcopis: quia hi non dicuntur simpliciter casus Episcopales, sed verè ad Pontificem pertinent; & solum ex quadam iuris interpretatione Episcopis censentur permitti. Et hanc sententiam nouissimè docet etiam Fagundez in Præcepta Decalogi tom. 1. lib. 2. cap. 45. numer. 15.

An Hæreticus externus, per accidens occultissimus, incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ. Et an irregularitas, quam nemo scit nisi ipse homicida, sit ab Episcopo dispensabilis?

R E S O L. L I.

Quoad primum: Negatiuam sententiam probabilem esse docet Croufers in Regulam S. Francisci, cap. 7. lect. 4. fol. 518. vbi sic asserit. Hactenus dictum est Hæreticum internum esse excommunicatum: an verò omnis externus, etiam occultissimus, sit excommunicatus, cultus scilicet hæresis externa nullo modo probari potest, in foro externo dubitari possit. Sanchez confundens hæc duo externum & manifestum, accipit pro eodem externum & manifestum: vultque omne externum censeri manifestum, saltem per se, & suapte natura: sicut è contrario confundens internum & occultum, vult sola interna esse occulta. Verùm non videtur mihi in tanta amplitudine accipi debere manifestum; aut sub tanta restrictione occultum; quod hæc acceptio sit contra communem usum. Cum enim dicitur, quod Ecclesia non iudicat de occultis, & quod propterea electio criminosa omnino occulti sit valida, non est fermo de peccatis mentalibus. Vnde etiam probabile censere, hæreticum externum, qui saltem denunciari non potest, non esse excommunicatum: neque in re morali de occulto censendum metaphysicè, sed moraliter. Ita Croufers.

Sed hanc sententiam refellendam esse patet: & ideo illam reiicit Fagundez de Præcept. Eccles. tom. 1. lib. 1. cap. 11. numer. 7. & sequent. Hurtadus de Mendoza de fide vol. 1. disput. 83. sect. 4. §. 36. Suarez disput. 81. sect. 2. numer. 6. Azorius tom. 1. lib. 2. cap. 8. numer. 6. & alij conamuniter. Et ratio est, quia Ecclesia habet iurisdictionem ad puniendos suos ob crimina occulta pœnis, quibus possunt frenari ab eis admittendis; sed id hac in parte eam fecisse constat, quia excommunicatio lata est in omnes hæreticos, excepto nullo, qui sit in iurisdictione fori externi; ergo, &c. Maior probatur: quia illa delicta sunt verè sensilia, & externa; contingere que

que potuit, ut aliquis adesset. Secundò, quia aliàs nec occultus percussor Clerici ignorus ipsi Clerico, vel etiam notus, excommunicatione teneretur: immò & occultus homicida non esset irregularis; aliaque id genus sequuntur absurda.

Dices primò hæresim mentalem esse tam per accidens occultam, quàm externam; & tamen, quia est occulta, non meretur excommunicationem: ergo nec occulta per accidens. Probo maiorem: quia hæresis mentalis est per se cognoscibilis à iudice; quia per se potest hæreticus eam asserere: & potuit adesse testis hæresis externæ. Nego maiorem. Ad probationem respondeo, hæresim mentalem per se nec posse percipi à iudice: nec hæreticus potest eam per se ostendere; sed per signum exterius, quod per se est obiectum sensus, ex cuius sensu mens percipit hæresim: à nullo autem signum esse perceptum, est, non ob defectum signi, sed audientium: mentalem verò hæresim non percipi, non est ob testium absentiam; sed ex defectu ipsius hæresis, quæ non est obiectum sensus: est ergo discrimen apertum.

Dices secundò hæresim occultam esse physicè cognoscibilem; non tamen civiliter & more forensi: in foro enim, quæ testibus carent, perinde sunt, ac si non essent externa. Quid enim interest eorum exterioritas, nisi possint in iudicio aut probari, aut saltem iudicari? Respondeo, eo argumento probari non posse in foro pœnam vllam infligi ob testium defectum: omnis enim iudex pœnam infligit in iudicio per sententiam, quæ ferri debet secundum allegata & probata. At verò excommunicatio lata à iure vel homine ob delictum futurum, non seruat omnes leges fori; non est more iudiciario: sed præcauet ius, ne peccata patrentur. Ac propterea mitius agitur cum hæretico occulto, quàm cum manifesto. Medicina autem illa æquè curat vtrumque Non est igitur sententia affirmatiua, ut voluit Croufers, probabilis; immò falsa, & nullo modo in praxi secura.

Dicendum est igitur, quòd Ecclesia per leges imponit censuras, & alias pœnas ipso facto pro omni peccato hæresis sub sua iurisdictione comprehenso: siquidem loquitur in talibus legibus generaliter & sine vlla limitatione: atqui omne peccatum hæresis externum etiam per accidens occultum est sub iurisdictione Ecclesiæ; ergo omne etiam per accidens occultum punitur ab Ecclesia. Quòd autem Ecclesia possit punire hæresim externam quantumcumque occultissimam, probatur: quia hæresis, eo ipso quòd externa & sensibilis est, cadit sub iurisdictionem Ecclesiæ; neque enim iurisdictione, siue potestas puniendi

pendet à cognitione, quamvis aliquando pendat effectus, siue actus puniendi: ergo bene poterit Ecclesia punire talem hæresim externam per sententiam generalem, & per legem: quia hic modus puniendi non requirit cognitionem publicam actualem in iudice, vel legiflatore; sed satis est, quòd sit notum ipsi hæretico, quòd pœna inflicta hoc modo infligitur quasi sub conditione, si hoc feceris; ac proinde nullum periculum est, quòd possit iniuste infligi, si aliunde iusta sit ex defectu cognitionis: quòd periculum vnica ratio est, cur cognitio ad sententiam particularem requiratur, cum hoc non inferat pœnam quasi sub conditione, sed absolutè, ut mos est. Ergo, &c.

Quoad secundum dubium affirmatiuam sententiam docet nouissimè Texeda tom. 2. lib. 3. tract. 3. num. 188. vbi sic ait. Potest Episcopus dispensare in irregularitate ex homicidio occulto orta, dummodo ita sit occultum, ut nullus alius sciat id delictum fuisse commissum à tali persona, nisi solus ipse homicida. Vnde subdunt, quòd cum huiusmodi irregulari potest Episcopus dispensare, ut ministrare possit in Ordinibus susceptis, & illos exerceat, licet non ut ascendere possit ad altiores gradus Ordinis. Immò Couarruias ipse admittit opinionem eorum tanquam probabilem, qui fatentur posse Episcopum dispensare cum huiusmodi homicida voluntario omnino occulto, ut ascendere possit ad Superiores ordines. Probatur tamen ista sententia, quia Concilium Tridentinum non aufert ab Episcopis facultatem dispensandi in irregularitate contracta ex homicidio omnino occulto, cuius conficius nemo sit, nisi ipse homicida: ergo sicut Episcopi ante Concilium poterant dispensare in prædicta irregularitate, id etiam possunt post Concilium attento iure communi. Probo consequentiam: quia in casu dubio melior est conditio possidentis: ergo cum lex noua in casu dubij interpretari debeat, ut in minimo ius commune lædatur, necessariò iuxta illud lex noua Concilij est interpretanda, dum non constet expressè de abrogatione priuilegij: abrogatio enim legis antiquioris vitanda est: vnde eum Episcopi attento iure communi dispensare poterant in prædicta irregularitate, attento iure communi etiam id possunt post Concilium: additur etiam, quòd Episcopi possunt dispensare in irregularitate ex homicidio omnino occulto, est res valde fauorabilis: & ideo clausula illa Concilij interpretari debet, si fieri potest, in fauorem Episcoporum.

Obiicies: Concilium Tridentinum in prædicta sess. cap. 7. expressè asserit, quòd in homicidio voluntario, (etiã si fuerit occultum) non liceat

liceat dispensari. Respondeo Concilium non loqui de homicidio omnino occulto, sed aliquo modo; scilicet de illo, quòd in iudicio probari non potest. Ita respondet Couarruias: quibus ego addo, quamvis aliàs sciatur aliunde, etsi in iudicio probari non possit. Respondeo secundò, quòd Concilium in illo Decreto solùm intendit ostendere difficultatem maximam, quæ erga dispensationem in irregularitate, quæ oritur ex homicidio voluntario, fieri debet; non autem intendit limitare auctoritatem Episcoporum: & ideo ait, non licet, id est, non conuenit ut in huiusmodi irregularitate fiat communiter, & absque grauissima difficultate dispensatio, & pateat aliquo modo de homicidio. Huc vsque Texeda. Sed communis opinio Doctorum aduersatur huic Texedæ licet viri docti sententiæ: sicut & stylus, & Praxis Curie Romanæ, ut ego alibi do cui.

An Confessio facta simplici Sacerdoti non approbata ab Episcopo sit nulla?

RESOL. LII.

Affirmatiuam sententiam tenet Suarez tom. 4. disput. 24. sect. 2. Sed aduersus illum insurgit Croufers in Regulam S. Francisci, cap. 7. lect. 3. fol. 498. Primò, quia ex multis Canonibus antiquis constat, quòd statim ac aliquis Presbyter fiebat, sola populi, vel alicuius pœnitentis electione poterat pœnitentibus ministrare Sacramentum pœnitentiæ. Ex quo inferri potest; vel quòd ex vi ordinationis Sacerdotes omnes acciperent potestatem iurisdictionis; vel quòd simul cum Sacramento Ordinis ab Ecclesia omnibus daretur dicta potestas, tanquam aliquid communi consuetudine annexum Ordini Sacerdotali. Cum ergo constet oïum omnibus Sacerdotibus etiam simplicibus licitum fuisse Confessiones etiam peccatorum mortalium nunquam Confessorum audire & absolueri: nec aliquo canone ostendi possit postea fuisse prohibitum, saltem in tanto rigore, quòd absolutio per ipsos data nulla esset ipso facto: quia non statim, quicquid prohibitum est, ipso iure nullum est, neque etiam videatur expediens, aut necessarium tanto rigore id interdiceri (ad quid enim nisi ad illaqueandas animas tantus rigor?) meritò nobis non probatur sententia Suarez, & aliorum quorundam: dicimusque, quòd quamvis Sacerdotibus quibusdam prohibitum sit à mortalibus absolueri, quæ aliàs Papæ, Episcopis, vel Prælatibus Regularibus non sunt referuata, non propterea tamen eorum absolutionem esse nullam ipso facto, sed manere validam: quoniam, ut inquit Suarez in

casu non multum ab simili, prohibitiones quæ allegantur, non habent verba irritantia, sed prohibentia tantum; & in rebus, quæ pertinent ad augendum rigorem, sufficiens argumentum, ut non admittantur, est, si non satis probentur: ita Suarez tom. 5. disput. 10. sect. 3. num. 10. & 11. Illud autem probamus; quia si illorum absolutio esset nulla, verè tunc omnia peccata mortalia essent referuata; sed non omnia mortalia sunt referuata: immò nec referuari possunt, nec debent, ut ostendimus ex Concilio Tridentino, quòd atrociora tantum & grauiora quædam referuari oportere censet: ergo absolutio simplicibus Sacerdotibus quorumlibet mortalium non est ita prohibita, ut etiam sit nulla. Et contrarium docere, est contra Concilium Tridentinum, quòd non vult admitti hunc referuationis rigorem circa quælibet peccata mortalia.

Dicit Suarez, quòd non omnia mortalia propterea dici debent referuata, quia multi infra Prælatos ius referuandi habentes, possunt etiam potestate ordinaria absolueri à mortalibus communioribus. Respondeo hanc responsionem non euacuare difficultatem ex Tridentino propositam; quia multi potestate ordinaria possunt absolueri à casibus Papæ referuatis, ut Episcopi, & Prælati Regulares, qui tamen casus propterea non censentur esse non referuati. Tandem probari potest sententia nostra, quia ex Concilio Tridentino sola absolutio eorum, quæ Prælatibus referuantur, decernitur ipso iure nulla: ergo reliquorum absolutio, quantumuis prohibita, non est ipso iure nulla; si bona fide recipiatur à pœnitente, quamvis etiam mala fide detur: ratio est, quia exceptio firmat regulam in contrarium.

Ut verò doctrina superius tradita magis confirmetur; operæpretium erit, examinare aliquos Canones, vel Decreta, quibus prohibentur aliqui Sacerdotes, ne ministrent pœnitentiæ Sacramentum, & videre, vtrum talis prohibitio inducat nullitatem Sacramenti pœnitentiæ contra eam ministrati.

Habemus autem 2. quæst. 3. dist. 7. in cap. placuit. quòd nulli Sacerdotum liceat alteri Sacerdoti commissum ad pœnitentiam suscipere, sine eius consensu, qui contra fecerit, gradus sui periculo subiacet.

Habemus etiam cap. omnis vtriusque sexus, de pœnitent. & remiss. alienum Sacerdotem non posse aliter, quàm de licentia proprii Sacerdotis obtenta pœnitentem soluere vel ligare.

Habemus insuper cap. si Episcopus, de pœnit. & remiss. in 6. nulla posse consuetudine introduci: quòd aliquis præter Superioris sui licentiam confessorum sibi eligere valeat, qui cum possit absolueri, vel ligare.

Habemus

Habemus tandem in Concilio Tridentino *sess. 23. cap. 11.* quòd quamuis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absoluendi potestatem accipiant; decernit tamen Sancta Synodus nullum etiam Regularium posse confessiones secularium. Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si eis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem quæ gratis detur, obtineat, priuilegiis & consuetudine etiam immemorabili non obstantibus.

Hi sunt Canones, quibus prohibetur, ne passim quilibet Sacerdos quemlibet poenitentem absoluat: vel ne passim quivis poenitens quemuis Sacerdotem in confessorem eligat. Oportet ergo nunc videre, utrum per has prohibitiones, vel per aliquam illarum nullitas actus prohibiti inducatur. Hoc autem aliter facilius constare non potest, quam ostendendo, quod per huiusmodi prohibitionem aliquid effectum sit vel circa Sacerdotem, vel circa poenitentem; quo posito actus absolutionis necessariò est nullus: cum enim validitas huius actus ex his duobus tantum pendeat, inualiditas eiusmodi actus prouenire non potest nisi ex aliquo defectu, qui sit in altero horum duorum, inducto scilicet ob præfatas prohibitiones. Quod si ostendi non potest per illas prohibitiones aliquid effectum, vel circa Sacerdotem quemlibet, vel quemuis poenitentem, quo posito actus sit inualidus: profecto sine vlla ratione ex eiusmodi prohibitionibus iudicatur inualidus.

Quod autem id non possit ostendi. Probatur primò ex parte Sacerdotis cuiuslibet, à quo certum est auferri non posse potestatem soluendi & ligandi per vllam prohibitionem humanam: quandoquidem ut definitur in Tridentino, in ordinatione illam recipiat. Hæc autem potestas cum sola sit totum principium actuum absolutionis & remissionis peccatorum, ut supra fusissimè probauimus, & tolli omnino non possit, sequitur necessariò, quòd nulla prohibitionem humana circa Sacerdotem aliquid effici possit, quo posito actus absolutionis redditur inualidus: immò etiam si per Canones aliquid potestatis huius actus effectricis posset à Sacerdote tolli, non potest tamen ostendi re ipsa sublatum esse: nam quòd Canones prohibendo dicant (non possit absolueri, vel non valeat aliquis eligere) verba sunt simplicem prohibitionem importantia; ratione cuius, qui prohibitus est, eò quòd non potest licitè facere contrarium, simpliciter dicitur nec posse, nec valere facere quod est prohibitum; non autem sunt verba decernentia nullitatem actus: tum quia non statim actus prohibitus eo ipso est nullus; tum etiam quia con-

stat pleræque prohibitiones, quas certum est nullitatem actus prohibiti omnino non inducere, eisdem verbis esse factas. Quòd si per huiusmodi prohibitionem aliqua potestas tollitur à Sacerdote, illa non est, nisi potestas executionis, de qua supra, sine qua tamen actus potest esse validus.

Probatur secundò ex parte poenitentis cuiuslibet, cui saltem secundum omnes ferè Doctores licitum fuit olim se submittere cuilibet in foro secreto poenitentia. Quòd autem hæc libertas restricta videri possit alicui per *cap. si Episcopus*, in quo decernitur à Bonifacio VIII. nulla consuetudine introduci posse, quòd aliquis præter sui Superioris licentiam confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit soluere & ligare.

Respondeo primò in *cap. si Episcopus*. Non restringi prædictam libertatem, aut prohibitionem aliquam fieri; sed declarari talem libertatem introduci non posse aliqua consuetudine, scientibus & contradicentibus Superioribus, ut constat ipsos contradicere absolutionibus casuum referuatorum factis sine sua licentia, sine qua in eo capite probatur non licere referuatorum absolutionem.

Respondeo secundò. Etiam si esset aliqua prohibitio in prædicta Bonifacii Constitutione, circa Confessarii electionem absque licentia Superioris faciendam, huiusmodi tamen prohibitionem non potest censi annullata, aut irrita electio Confessarii contra eam facta: nam etiam si absoluitur & vniuersaliter ibidem diceretur, nullus valeat eligere (quod tamen non fit) his verbis tamen non esset sufficienter expressa lex prohibens actum, & eundem annullans. Probatur primò. Quia commodè, & absque torsione aliqua dici potest, neminem sine licentia valere eligere Confessarium, qui eum licitè possit absolueri; ita quòd eiusmodi electio non quidem absoluitur, & respectu cuiuslibet effectus ad eam consequentis esset inualida; sed respectu eius tantum, quod est Sacerdotem ex ea licitè absolueri: quia in dicta prohibitionem dicitur; non valeat eligere Confessarium, qui possit, videlicet licitè.

Probatur secundò. Quia cum huiusmodi actuum irritationes, & annullationes sint maxime odiosæ, non debent censi aliqua lege contineri, vel induci nisi verbis clarissimis. Probatur à simili de matrimoniis clandestinis, quæ etiam si prohibeantur *30. quest. 5.* immò ibidem in *cap. aliter legitimum*, declarentur non esse coniugia; sed adulteria, vel contubernia, vel stupra, vel fornicationes, inquit, potius quam legitima coniugia esse non dubitatur. Ex huiusmodi tamen verbis nullus vnquam matrimonia clandestina irrita esse pronunciauit, quousque

quousque id statutum expressè fuerit per Concilium Tridentinum: Ergo multò minus nullitas absolutionis inducta censi debet per constitutionem Bonifacii VIII. Probatur tandem ex Concilio Tridentino *suprà*, vbi nihil præterea requiritur in Sacerdote in confessorem eligendo, nisi quòd sit approbatus: quæ tamen conditio si desit illi, quamuis prohibeatur absolueri, non tamen irritatur factum, si absolueri non approbatus tentauerit. Hucusque Croulers. Et idem docet *lect. 24. fol. 724. & lect. 21. fol. 702.* Vnde eius sententia sequeretur, quòd si quis bona fide confiteretur cum Sacerdote non approbato ab Ordinatione, confessio esset valida, & non iteranda. Et hanc sententiam Durandus in *4. sentent. dist. 19. quest. 2.* putat non improbabilem; & tribuitur etiam Armacano *lib. 10. de questionibus Armenorum in principio.*

Sed hæc opinio nec tuta, nec probabilis dici potest; immò seueriori censura dignam esse puto, cum certissimum sit ad valorem Sacramenti non sufficere solum id, quod accipitur in ordinatione. Ita habetur in *Tridentino sess. 14. cap. 7.* vbi dicitur nullius momenti esse absolutionem, quam Sacerdos profert in eum, in quem ordinariam, aut subdelegatam iurisdictionem non habet: & *can. 11.* damnat eum, qui dixerit, Sacerdotem sine licentia Prælati Superioris verè absolueri à casibus referuatis, vbi apertè negatur valor absolutionis, quando deest facultas Superioris. Idem magis implicite definitum fuerat in Concilio Florentino ab Eugenio in suo Decreto, vbi dicitur, ministerium huius Sacramenti esse Sacerdotem habentem, vel ordinariam vel delegatam potestatem, in quo tanquam in re ad dogmata pertinente conueniunt omnes Theologi.

Nec valet dicere supradictis obstare verba Christi. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* &c. quæ cum singulis Presbyteris in sua ordinatione dicantur, videntur vniuersaliter intelligenda, ut sonant: ergo absque vilo alio habet Sacerdos ex sua ordinatione potestatem absoluendi omnes à suis peccatis. Secunda difficultas desumitur ab exemplo aliorum Sacramentorum: quia enim Episcopus habet potestatem confirmandi, & conferendi ordines, & Sacerdos habet potestatem vngendi infirmum: licet nec Episcopus possit licitè confirmare, aut ordinare non subditum, nec simplex Sacerdos possit licitè vngere absque licentia Parochi: confirmatio tamen, ordinatio, & vinctio validæ erunt, quia adest materia, forma, & minister cum facultate, in ordinatione, aut consecratione accepta: ergo absolutio etiam licet feratur in non subditum, valida erit propter eandem rationem, licet non sit licita.

Nam respondeo difficultates supradictorum argumentorum pendere ex ratione peculiari, quæ est in hoc Sacramento: quam rationem ponderauit Concilium Tridentinum *illo cap. 7.* ad probandam hanc doctrinam his verbis. Quoniam igitur natura, & ratio iudicij illud exposcit ut sententia in subditos dumtaxat feratur: persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem, &c. In quibus verbis totum hoc reducitur ad rationem iudicij, quæ propria est huius Sacramenti, ac non aliorum. Quare sicut ex eo quòd Sacramentum matrimonij includat contractum humanum, subit conditiones contractuum, atque ad eò eius valor requiritur habitatem contrahentium, quæ tolli aut poni potest ab Ecclesia: sic hoc Sacramentum, quia iudicium quoddam est, requirit Superioritatem & subditos, qui ab Ecclesia dari vel auferri possunt. Vnde verba Christi, licet vniuersaliter videantur sonare potestatem, eo tamen ipso, quòd datur potestas ad absoluedos subditos per modum iudicij, intelligitur data respectu subditorum, qui legitimi subditi sint. In aliis verò Sacramentis quæ non exercentur per modum iudicij non pendet eorum valor à prohibitionem, vel permissionem Ecclesiæ, quia validè exercentur etiam circa non subditos.

Petes tamen: quomodo ex verbis Christi colligat Ecclesia, Sacerdotes non accipere totam potestatem iudicariam expeditam in sua ordinatione: possent enim tunc fieri iudices absque vlla dependentia ab Ecclesia in vsu valido suæ iurisdictionis; sicut sunt medici ad curandos infirmos per vinctioem absque tali dependentia ab Ecclesia. Respondetur id totum colligi ex ratione iudicij: nam iudex, qui non est merus arbiter, cuius sententia non obligat propter auctoritatem iudicis, sed propter pactum litigantium, qui promiserunt illam obseruare, debet habere potestatem obligandi, atque ad eò debet esse Superior eorum, quibus ius dicit, ut possit eos ligare: vnde optimè inferitur non posse profertur sententiam nisi in subditos. Aliunde autem pro certo supponitur, non esse omnes & singulos Christianos subditos singulorum Sacerdotum ex Christi institutione: hoc enim peruerteret Hierarchicum ordinem, quem Christus in sua Ecclesia reliquit: in qua voluit alios esse Superiores, alios inferiores: si autem omnes Sacerdotes ex sua ordinatione haberent omnes Christianos si subditos, iam omnes Sacerdotes essent iudices supremi, & Principes æquales absque vlla

subordinatione, quod esset omninò contra totum Ecclesiasticum ordinem.

Et hæc omnia supradicta docet doctus Pater Ioannes de Lugo de *Sacrament. Penitent. disput. 5. sect. 2. numer. 16. & sequent.* Ioannes Molanus in *Compend. Theolog. pract. 1. cap. 11. conclus. 1. numer. 2.* & communiter omnes Theologi & Casuista. Et idèd cauendum est à supradicta sententia Croufers. Vnde Gregorius XV. in Declaratione 12. super Bullam latam nonis Februarij 1622. quæ incipit *Inscrutabili*, statuit Confessariis non approbatis confessiones factas esse nullas, vt rectè obseruat nouissimè Zambellus in *Reper. Moral. ver. Confessor quoad auctoritatem. numer. 5.* & docet etiam nouissimè Franciscus Zipæus in *consultationibus Canonis, lib. 5. tit. de Penit. & Remiss. consul. 2.*

Vnde pro Coronide huius resolutionis non desinam hîc apponere verba P. Thefauri in *pract. de penis, part. 2. ver. absolutio Sacramentalis cap. 2.* vbi sic ait. Amplia hanc conclusionem, vt procedat, etiam si pœnitens bona fide confiteatur non approbato, seu alieno Sacerdoti sine licentia competente; vel Sacerdos etiam bona fide illum aûdiat & absoluat: nam etiam tunc non perficitur Sacramentum; quia hæc irritatio actus non est pœnalis, sed diffinitiva, & ex natura rei, ob defectum iurisdictionis, sine qua non potest perfici hoc Sacramentum: vt Tridentinum *cap. 7. sess. 14. de Sacram. penitent. text. in cap. dudum 54. de elect. & ibi Glossa, & Doctores communiter in verb. decepta.* Vnde talis confessio iteranda est habenti iurisdictionem circa illam. Ioannes Andraas in dicto *cap. dudum.* Abbas *ibi numer. 20.* Nauarrus in *cap. placuit de penitent. distinct. 6. numer. 180.* qui ponunt exemplum, si quis confiteatur Parocho intruso. Hucusque Thefaurus: qui tamen optimè obseruat Sacerdotè sine approbatione absoluentem non incurere aliquam censuram, vel irregularitatem.

Vtrum ministrans Sacramenta scienter in peccato mortali, peccet mortaliter?

R E S O L. LIII.

Negatiuam sententiam probabilem esse putat & docet Croufers in *Regulam Sancti Francisci cap. 7. lect. 21. fol. 680.* vbi postquam hanc difficultatem proposuisset sic asserit. Ad quæstionem communiter responderetur affirmatiuè ex *cap. si iustus, & cap. Remissionem:* nihil tamen in dictis Capitulis deprehendere potui, quod faueret opinioni affirmanti: nam quod ipse Gratianus ex Augustino in Can.

relato infert, ex *cap. Remissionem*, Simoniacos non tantum inutiliter: sed perniciosè vnctionis Sacramentum habere, potius de receptione Sacramenti (ordinis scilicet) intelligendum videtur, quam de cuiusvis Sacramenti administratione actiua. Probatur etiam ratione D. Thomæ 3. *part. quest. 64. art. 6.* videlicet Minister in mortali ministrans Sacramentum non exercet huiusmodi functionem, vt oportet: ergo peccat sic ministrando. Antecedens probatur: quia Sacramenta à sanctis tractari conuenit. Probatur secundò, quia ministrum oportet se conformare principali agenti, Deo scilicet, qui dicit. *Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum. Leuit. 19.* Probatur tertio, quia rem sacram tractat, sicut prophanam, contra id, quod scriptum est *Isaia 52. Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Hæc autem sunt potissimè rationes pro sententia affirmante: quæ etiam si probent aliquam inferrirreuerentiam Sacramento, dum ab existente in peccato mortali ministratur: non videntur tamen mihi probare, quòd eiusmodi irreuerentia sit semper ita grauis, quòd debeat censeri mortalis. Quod enim vterius allegatur, quòd irreuerentia hæc sit in genere sacrilegij, ac consequenter mortalis: cum hoc genus peccati sit mortale. Respondeo primò, necdum mihi videri satis probatum, quòd hæc irreuerentia rationem habeat sacrilegij: quòd autem id necdum satis probatum sit, sic ostendo: quia certum est, non omnem irreuerentiam circa res sacras habere rationem sacrilegij: alioquin qui in templo scurrilitatem, aut turpiloquium admitteret, sacrilegus esset, quod nullus vnquam asserit. Quod verò hæc irreuerentia, de qua est quæstio, sacrilegium non sit, ex definitione ipsius sacrilegij constare potest: sacrilegium enim est violatio rei sacræ, non qualiscumque; sed qua ratione sacræ est. Vnde ad sacrilegium constituendum oportet violatione ipsa lædi, vel temerari non solum rem ipsam simpliciter, quæ sacræ est; sed in eo, quo sacræ est, vt Diuus Thomas 2. 2. *quest. 99. art. 3.* & Caietanus *ibidem.* Ex quo fit, quòd qui percussit virginem, quam scit votum simplex castitatis emisisse, & hac ratione Deo esse sacram non committit sacrilegium, nisi etiam cum illa peccet peccato carnali. Sed definitio sacrilegij non competit ministratiõni Sacramentorum factæ cum conscientia peccati mortalis. Ergo, &c. Quod autem non competat, probatur: quia actio Sacramentalis idèd tantum est sacræ, quia recipientem Deo consecrat: sed huiusmodi consecratio non læditur, aut violatur per malam Ministri conscientiam (occultam saltem) modò alias actionem Sacramentalem ritè peragat, iuxta institutum Christi. Vnde & D. Thom. 3. *part. quest. 64. art. 5. ad 3.* docet,

docet, quòd bona conscientia Ministri non sit debita adesse Sacramento, nisi secundum quandam decentiam; & *art. 6. in corpore* docet conueniens esse vt Ministri Sacramento rum sint iusti, quia Ministri debent se Domino conformare. Hæc verba S. Thomæ satis ostendunt Sacramentalem actionem, qua ratione est sacræ, non violari per malam conscientiam Ministri: quandoquidem ad Sacramentum ministrandum non requirit bonam conscientiam, nisi ex quadam decentia, & conuenientia, & consequenter non potest eiusmodi ministratio constitui in sacrilegij genere, quamuis id supponat D. Thomas.

Dicit Caietanus in *art. 6.* Conscientia bona in Ministro debita quidem est ex decentia actioni Sacramentali, quatenus est opus operatum: quatenus verò est opus operantis, debita eidem est ex necessitate: Et propterea non est mirum, si Minister peccat mortaliter eam non adhibendo. Respondeo hæc omnia gratis, & sine vlla probatione dici à Caietano: qua enim consequentia inferri potest: bona conscientia Ministri ex decentia tantum requiritur in actione Sacramentali, quatenus est opus operatum: ergo requiritur ex necessitate (tali inquam necessitate, quæ inducere possit peccatum mortale) in eadem actione Sacramentali, quatenus est opus operantis. Quare inquam, magis erit necessaria bona conscientia illi actioni, quatenus est opus operantis, quam quatenus est opus operatum: cum certum sit illam actionem, quatenus est opus operantis, non esse magis sacram, quam reliqua bona opera virtutum, quibus Deo ministratur: quæ si fiant cum conscientia peccati mortalis, non tamen propterea sacrilegium committitur.

Dices: non potest negari, quòd qui cum conscientia peccati mortalis ministrat Sacramentum, tractet rem sacram, sicut rem prophanam. Respondeo non posse absolute dici Ministrum tractare hanc actionem, quæ sacræ est, vt prophanam, ex eo solum, quòd dum eandem ministrat, habet conscientiam peccati mortalis: quam etiam habet, dum actiones non sacras exercet: quia cum hac mala conscientia potest habere debitam existimationem de actione illa sacræ, quam non habet de profana: potest etiam illam exercere cum timore reuerentiali interno, & debita aliqua reuerentia externa: prophanam autem non sic exercet; & sic sufficienter discernet hanc actionem sacram à profana saltem ad euitandum peccatum mortale: nec poterit dici tractare rem sacram sicut prophanam, nisi secundum aliquid quod tamen ex decentia requiratur ad exercendam illam actionem sacram.

Et certè quòd actio ipsa Sacramentalis ex dignitate sua non exigat in ministro (saltem sub obligatione peccati mortalis) conscientiam nullius peccati mortalis consciam, satis probari potest ex ipso Caietano, quem etiam sequitur Gregorius à Valentia *t. 4. dist. 3. quest. 5. part. 3.* Sotus & alij communiter, qui docent duabus conditionibus opus esse, vt administratio Sacramenti in mortali sit mortale: Vna est, vt qui ministrat, sit minister ex officio; id est, ad id consecratus, & deputatus à Christo & ab Ecclesia. Altera est, vt administratio talis sit solemnitas: in quo autem consistat solemnitas administrationis, respondet Valentia consistere in hoc, quòd administratio fiat ex tali consecratione, & officio. Verum hæc responsio mihi non placet, quia ad dictam solemnitatem aliud adhuc requiritur præter Ministrum ex officio, vt satis constat ex iis, quæ traduntur communiter à Doctoribus de solemnizatione baptismi, matrimonij, & aliorum Sacramentorum.

Quòd autem neque oriri possit hæc obligatio ex eo, quòd vel ex officio, vel ex eo quòd cum solemnitate ministratur; probatur quia ex his duabus conditionibus non accedit maior dignitas Sacramentali actioni: ergo irreuerentia malæ conscientie ministrantis, quæ aliàs mortalis non est non potest esse mortalis, etiam si vtraque conditio concurrat.

Si dicas has condiciones non quidem maiorem dignitatem conferre actioni Sacramentali; sed maiorem dignitatem conferre ministranti: ratione cuius tanquam ex circumstantia personæ, mortale ipsi est, quòd aliàs esset veniale eidem. Respondeo negari non posse circumstantiam personæ peccantis aliquando transmutare actionem, quæ aliàs venialis est, in peccatum mortale: verum id nunquam fieri arbitror, nisi illa actio transferatur per circumstantiam personæ in aliam peccati speciem, scandali scilicet, vel sacrilegij, vel etiam alterius.

Dices ministratiõnem Sacramenti cum mala conscientia factam transferri in aliam speciem, concurrentibus iam dictis conditionibus: quia scilicet illis non concurrentibus non est sacrilega; concurrentibus autem sacrilega est. Respondeo hac in responsione peti principium; hoc enim est, quòd probari petimus, quòd scilicet mala conscientia ministrantis sacrilegam reddat eius ministratiõnem concurrentibus duabus conditionibus iam dictis. Hoc verò probamus, quòd non reddat: quia per eiusmodi condiciones nulla accedit noua sanctitas actioni Sacramentali, quæ proinde per conscientiam malam violari censenda magis sit ministrantis ex officio & cum solemnitate, quam ministrantis non ex officio,

aut non cum solemnitate : per eiusmodi etiam conditiones dicimus insuper nullam nouam consecrationem ipsi Ministro aduenire , quæ violari censenda sit ex eo , quòd cum mala conscientia ministret , vt ipsemet Caietanus & alij docent : dum dicunt hanc irreuerentiam esse contaminationem Sacramentorum , quæ scilicet ministrantur : non dicunt autem esse contaminationem Sacramenti Ordinis , quem dignè potuit minister suscepisse : nullum ergo video admitti sacrilegium per eum , qui ministrat cum conscientia mortalis peccati reâ.

Immò dato , quòd talis irreuerentia esset sacrilegium , & consequenter ex genere esset mortalis , vt dicit Diuus Thomas : adhuc tamen facile potest intelligi , quòd huiusmodi irreuerentia circa Sacramenta secundum suam speciem esset tantum venialis : quia potest imperfectè participare naturam genericam , & non ita lædere , vel violare sanctitatem Sacramentorum , quòd censeretur peccatum mortale . Et quamuis inter res sacras , Sacramenta maximè sint sacra , eorum , tamè sanctitas non videtur grauiter violari per Ministrum , nisi peccantem contra substantiam Sacramentorum , aut Sacramento abutentem ad finem , qui sit peccatum mortale , sicut qui ministraret mulieri Sacramentum poenitentiae , vt ipsam ad libidinem prouocaret .

Ex his , quæ dicta sunt , satis constat , sententiam negantem satis esse probabilem , quoad ministracionem Sacramentorum ; excepta ministracione passiuâ Eucharistiae . Huc vsque Croufers .

Sed hæc sententia est contra communem ; & idèd reicienda : vt optimè obseruat Covich de Sacrament. quæst. 64. art. 6. dub. 1. & omnes Expositores Angelici Magistri in 3. part. quæst. 64. art. 6. Et obligationem ministrandi Sacramentum in gratia , certum est primariò oriri ex sanctitate & dignitate ipsius Sacramenti , ipsiusque actionis , qua administratur . Quia Sacramenta continent in se moraliter merita & sanguinem Christi ; & eorum Minister merita ac sanguinem Christi dispensat , idque in persona Christi , quam immediatè sustinet . Vnde sequitur esse contra dignitatem Christi & Sacramentorum peccatorem , qui est hostis Christi , & mancipium Diaboli ea administrare , quia omninò dedecet talem in munere tantæ dignitatis ac sanctitatis tam immediatè personam Christi sustinere , ita vt sit vnum agens cum Christo , sicut esset contra dignitatem Regis , si aliquis in eius mensa manibus luto planè infectis conuiuis pretiosissima vina funderet . Secundariò hæc obligatio oritur multumque augetur ex eo , quòd Minister ad tale munus sit singulariter per Sacra-

mentum aliquod consecratus . Quia hoc ipso quo aliquis se per Sacramenti susceptionem dedicat ad aliquod certum munus , suscipit particularem obligationem illud decenter obeundi : præsertim si ad hoc singularem gratiam , quasi quoddam congiarium , aut honorarium munus recipiat , quæ simul ad legitimam functionem excitet , eamque faciliat . Sicut & si instante periculo omnes quidem subditi tenentur Principis sui statum defendere : maximè tamen tenentur ad hoc eius feudatarij , ac publici Magistratus : quare negligentia quæ in aliis mediocris , in his valdè grauis est .

Hinc sequitur : semper Sacerdotem quacumque ratione conferentem in peccato mortali aliquod Sacramentum , præter ipsum baptismum , aut baptizantem solemniter , peccare mortaliter : nisi excusetur ignorantia ; aut quia id aliter facere non potest ob vrgentem necessitatem . Non est igitur admittenda sententia Croufers , nisi in administratione Eucharistiae extra Missam , vt nos probabiliter alibi satis probauimus .

An Regulares possint absoluere seculares ab hæresi occulta ?

R E S O L. LIV.

Affirmatiuam sententiam docet Croufers in Regulam Sancti Francisci , cap. 7. lect. 28. fol. 771. vbi ita asserit . Dico secundò eosdem Confessarios posse etiam absoluere seculares à Casibus Bullæ Cœnæ , & etiam ab hæresi : probatur ex concessione Urbani IV. supra posita in qua concedit dictos Regulares posse absoluere seculares ab omnibus , nisi talia essent , propter quæ Sedes Apostolica esset meritò consulenda : sed pro hæresi , nisi illius sit , qui in hæresim coram iudice competenti abiuratum relapsus est , non est meritò consulenda Sedes Apostolica , vt superius ostensum est : ergo ab hæresi possunt præfati absoluere . Probatur secundò ex concessione Sixti IV. superius allegata , per quam dicti Confessarij possunt absoluere ab omnibus casibus excommunicationis , Ordinario tam à iure , quam ab homine reseruatis , toties quoties opus fuerit , sicut potest Diocesanus . Sed hæresis saltem occulta , seu in iudicium nondum deducta , tam iure antiquo quam nouo Tridentini , reseruatur Ordinariis ; ergo sicut hi possunt ab illa absoluere , ita & Confessarij supradicti , & consequenter à reliquis Bullæ Cœnæ casibus .

Rodericus nullius momenti existimat esse hanc rationem , dicendo : hos casus occultos non esse propriè reseruatos Episcopis , sed eisdem potius concessos iure communi speciali :

&

& propter hanc rationem negat mendicantes id posse , confirmatque sententiam suam , quòd in dicta concessione per Tridentinum Episcopis facta , existimet industriam personæ Episcopi ad absoluendum ab huiusmodi casibus electam : ex quo infert , non oportere mendicantibus tribuere similem facultatem , eo titulo , quòd à reseruatis Episcopo possint absoluere . Sed fallitur : nam verum non est Episcopis concessos casus occultos , de quibus in Tridentino sess. 24. cap. 6. Sed potius relictos iuri suo antiquo , vel eidem restitutos , secundum quod cum dicti casus fuerint propriè reseruati Episcopis , meritò asserimus , mendicantes eiusmodi facultatem habere : neque in concessione per Tridentinum facta potest dici personæ industria electa . Cum enim Patribus Concilij Tridentini incogniti fuerint Episcopi : & per illud hæc facultas annexa sit officio , industria personæ non potest censeretur electa . Si dicas , ratione dignitatis concessam esse Episcopis dictam facultatem , fateor : non tamen , quia mendicantibus deest talis dignitas , necesse est deesse etiam facultatem ; cum ex priuilegio Apostolico illam possint habere , & de facto habeant , vt clarum est ex priuilegiis supra positis .

Quæ certè non possunt censeretur derogata ; neque per Bullam Cœnæ , quoad casus in ea contentos : quia si per dictam Bullam casus non efficiuntur tales , quòd pro eis meritò consulenda sit Sedes Apostolica , & quòd ab eis non possint absoluere Diocesanus , semper manent absolubiles virtute priuilegij Urbani IV. & Sixti IV. & hæc quidem secundum antiquiora Regularium priuilegia : nam secundum recentiora , luce clarius est , quòd possunt dicti Confessarij absoluere seculares ab hæresi , & reliquis Papæ reseruatis , & consequenter ab Episcopalibus . Huc vsque Croufers .

Sed si aliquis hanc sententiam in praxi deduceret , puto in nostro Sacro Tribunali seuerè puniendum esse : nam non solum virtute priuilegiorum Religiosi non possunt absoluere ab hæresi occulta seculares , sed nec ipsos Regulares . Et ratio est , quia in nullo priuilegio , seu concessione censetur data potestas absoluendi ab hæresi , nisi de illa specialis efficiatur mentio , vt obseruat Sanchez in summa tom. 1. lib. 2. cap. 11. numer. 7. Sanctarellus tract. de hæresi cap. 5. dub. 1. numer. 8. Auila de censur. part. 7. disput. 10. dub. 6. Rodriguez in Quæstionib. Regular. tom. 1. quæst. 30. art. 10. & alij ; vnde patet responsio ad priuilegium adductum Sixti IV. .

Et licet Hurtadus de Mendoza de fide volum. 1. disput. 84. sect. 2. §. 45. putet extra Hispaniensis Inquisitionis ditionem posse Præpositum Generalem Societatis Iesv per se,

vel per alium absoluere quoscumque ab hæresi in foro conscientiae vigore cuiusdam priuilegij à Sede Romana obtenti ; sed hoc non procedit in Hispania : in qua , vt testatur ipsemet Hurtadus nulla religio eo priuilegio gaudet . Verum hodie omnia supradicta corruunt ex decreto Sacræ Congregationis Episcoporum & Regularium præpositæ de mandato Sanctissimi Urbani VII. vbi habetur , absoluere quempiam à casibus in Bulla Cœnæ , aut ordinario loci reseruatis non posse Regulares cuiusvis ordinis , Congregationis , Societatis & instituti , etiam necessariò exprimiendi tam citra quam extra Italiam in vim priuilegiorum , aut confirmationem huiusmodi , quæ vel hætenus obtinuerunt , vel deinceps fortè obtinebunt : Et si secus egerint , absolutiones nullæ ac irritæ erunt . Ita in supradicto Decreto . Vnde non est admittendum id , quod conatur probare Croufers cap. 7. lect. 12. fol. 598. videlicet Prælatos Regulares posse absoluere ab hæresi suos subditos ; quod nouissimè docet Stephanus Bauny in Theolog. Moral. tract. 4. quæst. 32. aduersus quos vide Doctores penes me ipsum in 3. part. tract. 2. resol. 122. nec aliter sentiendum .

An qui legit librum Hæretici de Religione tractantem ; hæresim tamen non continentem , incidat in censuram Bullæ Cœnæ ?

R E S O L. LV.

Negatiuè respondet Croufers in Regulam S. Francisci cap. 7. lect. 5. fol. 522. vbi sic ait . Vtrum libri Hæreticorum de Religione tractantes , si nullam hæresim contineant , sint hoc loco prohibiti ? aliqui affirmant , quòd videantur absolute , & sine conditione prohibiti : mihi verò sententia negans magis placet : tum quia prohibitio hæc fertur in hæresim primariò , & ratione hæresis , & hæreticorum , vt sic , extenditur ad eorum omnes libros hæresim continentes ; tum quia hæc conditio satis expressè habetur paulò antè ; ita quòd non fuerit necesse illam repetere ; sed facile subintelligi posse , non de quacunque Religione , sed hæretica , tractantes libros prohiberi . Ita Croufers .

Sed hæc opinio est contra textum Bullæ Cœnæ , vt optimè obseruat Sanchez in summa tom. 1. lib. 2. cap. 1. numer. 33. Suarez de fide disput. 20. sect. 2. numer. 10. Sanctarellus tract. de hæresi cap. 13. dub. unico numer. 10. & Fagundes in præcepta Decalogi , tom. 1. lib. 1. cap. 14. num. 13. vbi ita asserit . Secunda conditio est , vt libri contineant hæresim , vel de religione

R 3 tractans

tractent: itaque non sufficit, quod libri sint hominis hæretici: sed opus est ad incurrendam hanc censuram, quod etiam contineant hæresim, vel de religione tractent: quare si nec hæresim contineant, nec de religione tractent, quamvis legantur, retineantur, imprimantur, vel defendantur, non propterea legens, retinens, imprimens, vel defendens excommunicationem incurret Bullæ Cœnæ: sufficit tamen, quod alterum horum contineant, vel hæresim, vel de religione ex instituto tractent: quia Bulla Cœnæ aperte loquitur disunctiue, & alterutrum tantum petit. Ita ille. Vnde non sunt audiendi Sayrus *de censur. lib. 3. cap. 5. numer. 12.* & Graffius *Decis. Aur. lib. 4. cap. 18. numer. 40. & 42.* qui pro sententia Croufers faciunt.

Notandum est etiam hic, quod idem Croufers *vbi supra fol. 524.* petens. Quanta pars libri hæretici requiratur ad incurrendam censuram Bullæ Cœnæ, ita respondet. Arbitraret tantam partem libri legi oportere, quæ per se sumpta verè possit libri nomine censeri: quia sicut Epistola hæretica deficit à ratione libri ad effectum incurrendæ huius censuræ; ita etiam similis quantitas libri lecti, vel retenti, si fortè liber esset mutilus, deficit à ratione quantitatis sufficientis ad eandem censuram. Sic ille.

Sed hæc opinio tanquam nimis laxa prorsus non est admittenda: & ad plurimum, vt à nobis obseruatum est, & docet nouissimè Fagundez *in præcepta Decalogi, tom. 1. lib. 1. cap. 14. num. 4.* vnâ solam paginam ex magnis voluminibus dicendum est esse paruitatem materiæ.

Cauendum est etiam ab alia opinione Croufers *vbi supra fol. 522.* afferentis: si libri hæreticorum vnus, atque alterum contineant errorem; illèque omnino deleatur, posse sine incurfione excommunicationis legi: sed hoc, vt dixi, non est admittendum; nisi illa deletio efficeretur auctoritate publica, vt patet ex Regula 8. Indicis. Et idè Fagundez *loco citato* sic ait. Animaduertendum est, quod vbi liber hæresim continet, totus est prohibitus; & idè si quis legat partem non continentem hæresim, innodabitur hac censura, quia reuera legit librum hæretici hæresim continentem, quod solum requirit Bulla: voluit enim Summus Pontifex aditum his libris legendis occludere, vt docent Suarez & Sanchez allegati, & Vgolinus etiam *de cens. Papæ reseruat. 2. part. c. 1. verb. ac eorumdem libros, initio numer. 1. vers. 7.* Imò idem quoque dicendum est, etsi illa hæresis in libro deleatur iuxta Sanchez & Suarez allegatos; quia militat eadem ratio. Intelligendum id tamen est, nisi ea deletio fiat auctoritate publica, quæ relinquat totum reliquum

librum liberum ad legendum, retinendum, & imprimendum.

Si tamen sint diuersi tomi eiusdem auctoris hæretici tractantes eandem materiam non prohibitam, & vnus tantum hæresim contineat, reliqui verò non contineant, nec de religione tractent ex instituto, solum ille, qui hæresim continet, erit prohibitus sub censura Bullæ Cœnæ, si nimis molis vitandæ gratia diuidantur: at reliqui separati non erunt prohibiti; secus si omnes tomi in vnum coeant librum: aut vnus liber ex diuersis tomis, ac voluminibus componatur, vt plerumque fit: quia tunc vnusquisque tomus pars est totius libri prohibiti. Hucvique Fagundez: cui omnino adhærendum esse puto.

An si Prælati Regularis neget pro Confessario licentiam absoluedi subditum à reseruat. possit adhuc Confessarius illum absoluerè?

R E S O L. LVI.

A Libi affirmatiuam sententiam aliquos ad docere adnotaui: sed nouissimè Fagundez *de Præceptis Decalogi, tom. 1. lib. 1. cap. 45. numer. 15.* retractans se, quod asseruerit *in lib. 3. de præceptis Ecclesie, cap. 9. numer. 17.* affirmatiuam sententiam esse probabilem, prorsus negatiuæ sententiæ adhæret, asserens affirmatiuam sententiam periculosam & improbabilem esse: sed quomodò id possit dicere nescio, cum Pontifex Paulus V. declarauerit, vt si Regularium Confessariis casus alicuius reseruatæ facultatem petentibus Superior dare noluerit: possint nihilominus Confessarij illa vice penitentes etiam non obtenta facultate à Superiore absoluerè. Et ita præter Coriolanum, Henriquez, & Rodriguez à Fagundez citatos, & alios à me adductos *in 3. part. tract. 2. resolutione 126.* tenet etiam hanc sententiam Texeda *tom. 2. lib. 3. tract. 3. §. 4. controu. 20. num. 129.* Ioannes Maria Nouarius *in summa Bullarum tit. de casib. reseruat. numer. 1.* & Croufers *in Regulam Sancti Francisci, cap. 7. lect. 17. fol. 644.* vbi sic asserit. Quicquid autem sit de obligatione Superioris ad dandam, vel negandam talem facultatem: arbitror hoc remittendum arbitrio prudentis Confessarij, sicut etiam remittit Papa Clemens VIII. *in Bull. de reseruat.* Imò Paulus V. in Capitulo Generali Fratrum Capuccinorum Romæ congregato anno 1608. declarauit & declarat deinceps, vt si eiusmodi Regularium Confessariis, petentibus facultatem alicuius casus reseruatæ, Superior eandem dare noluerit, possint nihilominus Confessarij illa vice penitentes Regulares absoluerè

absoluerè: etiam non obtenta facultate à Superiore. Vt autem Confessarius iudicet prudenter facultatem concedendam, fati est, inquit Suarez, quod nulla specialis ratio ad eam negandam occurrat: vt autem iudicet negandam, semper interuenire debet aliqua ratio, quæ id requirat: quia minus periculi est in concedenda, quàm in neganda. Imò etiam si interueniret sufficiens ratio ad negandam, si tamen constat subditum nullo modo velle Superiorem adire, nec ad id posse induci: tunc Superior nunquam debet negare facultatem: nec potest licitè: cum enim reseruatio sit quædam medicina subditi, si cum rigore applicata cedat in perniciem subditi, temperanda est. Ita Croufers.

Et si circa hoc vltimum dictum Croufers asseras oriri dubium: Quomodò Prælati debeant descendere, & dare licentiam subdito, qui obfirmato animo non vult Superiorem adire: tunc enim licentia illa non videtur utilis subdito, qui certè non est dispositus ad Confessionis Sacramentum, dum habet propositum non ad eundem Superiorem, quem adire deberet, vt impleter Christi præceptum præmittendi Confessionem ante susceptionem Eucharistiæ: suppono enim non adesse causam iustam ex timore alicuius mali extrinseci, ob quam possit peccatum illud non confiteri. Non ergo subuenitur subdito concessa facultate, cum non detur illi debita dispositio ad Sacramentum, quæ illi deerat: cum non habeat propositum seruandi illud præceptum Christi, casu quo Superior licentiam negasset.

Respondeo cum P. Ioanne de Lugo *de Sacramento penitent. disput. 20. sect. 10. §. 4. numero 239.* Si hoc argumentum esset admittendum, reprobarer quidem Praxim Prælatorum, & ipsius Summi Pontificis, qui ad subueniendum eiusmodi infirmitati subditorum, qui nolunt proprio Sacerdoti integrè confiteri: & ea de causa confessionem sacrilegam sæpè faciunt, & in statu peccati per longum tempus miserè iacent, mittere solent aliquando Confessarios extraordinarios cum plena potestate absoluedi, vel per Iubileum, aut Bullam, vel alio modo subditis facultatem concedunt eligendi Confessarium cum potestate absoluedi à reseruat. in quibus procedit eadem difficultas: nam illi subditi non videntur posse tunc facere confessionem validam ex vi talis facultatis: cum eis desit dispositio debita, nempe propositum seruandi illud Christi præceptum, quod de facto non seruauerunt, nec seruassent, nisi hanc facultatem habuissent.

Debemus ergo respondere facultatem illam multum posse prodesse subdito. Primò quia plerumque nondum decreuit Christi

præceptum violare; sed ob difficultatem vacillat; & instat iterum atque iterum pro licentia obrinenda: & tunc eius Pastor debet manum vacillanti porrigere, & præcauere ruinam, cuius periculum videt, concedendo licentiam, ne Christi præceptum violet. Secundò licet iam subditus decreuerit obfirmato animo Superiori non confiteri, adhuc prodest facultas concessa: quia sublata difficultate, animo quieto & tranquillo, faciliùs concipitur postea dolor, & propositum necessarium ad valorem Sacramenti: faciliùs enim proponit penitens propositum in genere, & circa difficultatem non præsentem, nec explicitè propositam, quàm distinctè circa obiectum præsens arduum & difficile. Fateor tamen periculum plerumque esse, ne penitens careat dispositione debita, qui proximè antea volebat obseruare Christi præceptum de confessione præmittenda, & data licentia confitetur alteri: quare accuratè & suauiter disponendus esse priùs à Confessario ad verum dolorem & propositum concipiendum: negare enim non possumus deesse illi debitam dispositionem, nisi ex animo doleat efficaciter, quod Christi præceptum spreuerit, & confessus non fuerit, prout ex præcepto debebat. Sufficiet tamen, vt dixi, dolor generalis (si verus dolor sit) de omnibus peccatis commissis. Hæc omnia Pater Lugo. Cum quo etiam notandum est contra Suarez *tom. 4. disput. 30. sect. 4. num. 7. & 8.* quod quando ex licentia negata timetur graue subditi detrimentum; licet id totum ex sua fragilitate vel duritia oriatur, peccare Prælatum, si licentiam neget non solum contra charitatem; sed etiam contra iustitiam.

An absolutio casuum reseruatorum ex presumptione ratihabitionis sit valida?

R E S O L. LVII.

Multa circa resolutionem præsentis dubij asserit Croufers *in Regulam S. Francisci cap. 7. lect. 22. fol. 697.* vbi sic ait. Dico primò: quod quantum ad effectum tollendi excommunicationem, & onus reseruationis; absolutionem eiusmodi validam per ratificationem subsequenter: neque de hoc puto Controuersiam esse posse.

Dico secundò si eiusmodi absolutioni nulla fuit materia, in quam directè caderet, non puto validam posse per ratificationem subsequenter probabiliter præsumptam; neque quantum ad effectum conferendi gratiam: quia cum talis absolutio fuerit nulla ex omnimoda carentia materiæ necessariæ, simpliciter non fuit

Sacramentalis: cum verò subsequens ratihabitio non possit illam de non Sacramentali facere Sacramentalem, non video, quomodo per ratificationem, ad illos effectus, quos obtinere non potest nisi sit Sacramentalis, validari possit. Si tamen simpliciter fuit Sacramentalis, quia fuit valida, quoad aliquam Confessionis, partem, in quam directè cecidit: certum est eo ipso validam fuisse, quantum ad effectum conferendi gratiam, nec ut valida sit, egere ratihabitioe subsequente. An verò quantum ad effectum tollendi obligationem iterum confitendi mortalia, quæ iam facta sunt non reservata per ratihabitioem subsequentem, valida etiam esse possit; non videtur cur non possit validari ad hunc effectum per sequentem ratihabitioem: si enim non possit, id esset, quia talis absolutio non esset simpliciter Sacramentalis; & hoc, non quia supponitur simpliciter esse talis, vel quia secundum quid non est Sacramentalis: sed quòd non feratur directè in reservata: sed neque hoc dici potest: quia quòd absolutio non feratur directè in reservata, hoc non obstat, quòd minùs aliquo modo etiam respectu reservatorum sit Sacramentalis, dum tollit maculam peccati inductam per eiusmodi reservata, à quibus tantum forte inducta est: supposito quòd penitens non habeat aliud mortale, nisi reservatum. Rursus quòd huiusmodi absolutio sit Sacramentalis patet, quia verè significat sublationem maculæ inductæ per peccata, verèque illam efficit: cur ergo non poterit, accedente ratihabitioe: tollere obligationem iterum confitendi? præsertim cum talis sit, ut ei nihil substantiale desit: sed solum irritari possit ex defectu alicuius conditionis, videlicet sufficientis applicationis alicuius partis materiæ: nam supponimus potestatem iurisdictionis huic absolutioe non deesse etiam ad absolutioem reservatorum, modò ipsi subiiciantur directè.

Si dicas, quòd veritas formæ exigit, ut obligatio illa peccata iterum subiiciendi clauibus tollatur hic & nunc per absolutioem verba: hoc gratis omninò dicitur: quia cum per primam absolutioem legitimam mortalium tollatur eiusmodi obligatio, sequeretur, quòd iterata absolutio eorumdem veritatem non haberet: & quòd venialia non possent verè Sacramentaliter absolui; cum nulla sit de illis confitendis obligatio, quæ tolli possit: non requirit ergo veritas formæ, quòd hic & nunc tollatur talis obligatio: imò simpliciter non requirit, quòd omninò tollatur: poterit ergo tollere dictam obligationem accedente ratihabitioe.

Si dicas, quòd non est, operari non potest. Respondeo id verum esse de reali effectum, & de reali operatione: sublatio autem dictæ obligationis est quid morale, non reale.

Obiicit Suarez. Talis absolutio vel est à principio nulla, vel valida: si valida, ergo non per ratihabitioem; ergo sine consensu Superioris poterit quis absolui validè à reservatis: quòd est falsum, exceptis quibusdam casibus: si nulla, saltem quoad effectum tollendæ obligationis iterum confitendi: ergo talis obligatio tolli non potest, nisi iterum confitendo. Respondeo, quòd talis absolutio, quoad hunc effectum, nec est nulla, nec valida simpliciter, quousque accedat, vel dissensus, vel assensus probabiliter præsumptus; qui si accedat, tollitur obligatio confitendi per confessionem & absolutioem legitimè prius factas: quia scilicet, cum ex probabili præsumptione factæ sint, nulla etiam in eis interuenit fraus, quæ obstat, ne postmodum ratificari possint. Si verò non accedat consensus, manebit obligatio ad iterum confitendum, non ex pacto, ut putat Suarez, sed quia deficiente ratihabitioe talis obligatio non fuit sublata: manebit, inquam, non quia in absolute nulla fuit iurisdictione: sed quia deficiente consensu, seu ratihabitioe, sufficiens esse non potest ad tollendum onus confitendi iterum.

Si dicas hunc effectum non posse pendere à futuro euentu. Respondeo negando: & ratio est, quia cum absolutio Sacramentalis sit etiam actus iudicialis, cui non repugnat hoc modo validitatem obtinere: potest etiam quantum ad hunc effectum, pendere à futuro euentu. Hic enim effectus vel non est Sacramentum; vel si est, non est necesse, ut ad veritatem formæ absolutioem hic & nunc, cum pronunciat, fiat. Deinde videtur absolutio ita validari per ratificationem posse, sicut dum dicitur *Matth. 16. Quodcumque solueris, erit solutum*. Et hæc omnia docet Croufers, vbi supra.

Sed sententiam Suarez negatiuam prorsus tenendam esse existimo, quam tuentur etiam Vasquez *tom. 4. q. 93. art. 2. dub. 2.* Lugo de *Sacram. penit. disp. 19. sect. 2. num. 21.* & communiter Doctores. Et quidem si sermo sit de propria ratihabitioe, quæ ex se est voluntas consequens, ac supponens actum factum, non potest esse dubium, cum Sacramentum non possit esse suspensum, & dependens à consensu futuro Superioris: nam si à principio non fuit validum; nec fiet etiam validum postea, licet Superior ratum habeat. Si verò fuit validum, non indiget ratihabitioe: nam validum erit, licet postea ratum non habeat Superior. Neque hic locum habet Regula Iuris, ratihabitioem retrahit, & mandato non est dubium comparari. Illa enim intelligitur ad summum de ratihabitioe in ordine ad actus, qui licet à principio non fuerint validi, possunt tamen postea validi fieri, & eorum valor per iuris fictionem retrahi, quales non sunt actiones Sacramentales, ut constat: quæ si verè ab initio

non

non valent, non possunt postea accipere valorem quando iam non sunt: vnde in illis magis habet locum illa alia iuris regula. Quòd ab initio non valet, tractu temporis non conualescit.

Et idè ad omnimodam intelligentiam huius materiæ non desinam hic apponere ea omnia, quæ docet Coninch de *Sacram. disput. 8. dub. 4. num. 34. & sequent.* vbi nostram sententiam docens sic asserit. Hinc sequitur primò, ut is, qui caret iurisdictione aliquem validè absoluat, nullo modo sufficere, ut Pastor ipsius actum postea ratum habeat. Quia hoc Sacramentum omninò inualidè confertur ab eo, qui non habet iurisdictionem. Ratihabitio autè subsequens nullo modo potest efficere, aut ut absoluens ià antè verè habuerit iurisdictionem; aut ut Sacramentum inualidè collatum conualescat: præsertim cum hoc Sacramentum nullo modo possit pendere à conditione futura: ut ostendi *tom. 1. quest. 64. art. 8. dub. 2.* Et ad illam Regulam iuris citatam. Respondeo illam solum intelligendam de iis actibus qui in sui valore immediatè pendunt à ratihabitioe alterius: ut sit in contractibus & similibus. Adde cum absolutio non possit dari nomine alicuius alterius hominis: sed immediatè nomine & auctoritate Dei, nullum eam posse ratam habere: quia ut dicitur *ibid. Reg. iuris 9.* Ratum habere quis non potest, quòd ipsius nomine non est gestum.

Sequitur secundò, ut quis validè absoluat non sufficere, ut omninò præsumat Parochus gratum esse, ut ipsius subditi confessionem audiat: nec etiam quòd Parochus sciens hoc fieri, id de facto interiùs in animo suo approbet. Nam nec illa præsumptio, nec interior illa approbatio alteri de facto dant iurisdictionem, sine qua inualidè confessionem audit. Quare necesse est, ut Parochus internum illum consensum aliquo signo externo exprimat, quo eum audienti sufficienter explicet: ita ut hic determinatè sciat illum consentire.

Vnde sequitur tertio; Non semper sufficere, quòd Parochus videat me, verbi gratia, audire suum subditum, & non contradicat: quia inde non possum certò colligere eum in hoc consentire. Nam potest fieri, ut non contradicat: quia putat me ex priuilegio, aut alia ratione habere iurisdictionem, quia nimirum falsò putat penitentem solum confiteri venialia: aut quia non audet cōtradicere, ne lites aut iurgia excitentur, aut aliquod scandalum fiat. Quare ut eius non prohibitio habeat rationem concessioem veræ, necesse est primò, ut constet mihi ipsum scire, vel saltem credere me carere omni iurisdictione; eumque esse talem, qui liberrimè contradiceret, si factum meum non approbaret: aut qui me ita amet, ut libenter

habeat mei ipsius consensum in similibus rebus præsumere.

Sequitur quartò, etiam in hoc casu si Parochus non videat me dum me accingo ad audiendam confessionem, sed tantum superueniat, dum confessionem audire cœpi, & dicto modo factum meum approbet, me initio quousque talis approbatio sufficienter fiat, omnia inualidè agere: quia sine vlla iurisdictione: quare necessarium erit, ut penitens secundò confiteatur omnia peccata, quæ priùs fuerat confessus: quia illa confessio cum non sit facta legitimo iudici, non potuit esse sacramentalis. Poterit tamen hoc breuiter facere, dicendo se confiteri omnia peccata, quæ ante fuerat confessus.

Sequitur quintò: Eum grauitè peccare, qui ita confessionem audire incipit, etsi speret Pastorem mox superuenturum & ita approbatum ipsius factum. Tum quia initio inualidè confessionem audio cum iniuria penitentis, & ipsius Sacramenti, ac vsurpatione alienæ iurisdictionis: tum etiam quia exponit se periculo inualidè absoluendi: si Pastor verè interiùs factum non approbet, aut non sufficienter exteriùs id exprimat. Et similiter grauitè peccat, qui tali sciens confitetur: quamuis hic faciliùs ex ignorantia excusari possit. Quare quando grauiissima necessitas non postulat, nunquam simile quid, nisi expressa venia priùs petita, faciendum est.

Dicendum est igitur cōtra Croufers, quòd cum agitur de iurisdictione ad valorem Sacramenti penitentis, requiritur verè actualis voluntas expressa, vel tacita: quæ ratihabitio de præsentis, vel de præterito appellatur.

An licentia præsumpta liberet Regulares à vicio proprietatis: etiam si Superior adiri facile possit, vel res differri?

R E S O L. LVIII.

Negatiuè respondet Croufers in *Regulam S. Francisci cap. 7. lect. 14. fol. 613.* vbi sic asserit. Circa prædicta de voluntate præsumpta: nota non censeri adesse voluntatem talem; siue malè præsumi; quando res facilè differri potest, vel Superior adiri.

Dices, si peterem à Superiore consentire: Ergo possum præsumere, nec expressam veniam teneor procurare. Respondeo id fieri non posse: quia hac ratione euerteretur omnis obedientia regularis; vnde sicut non ex eo res aliqua fit tua, quia Dominus eius eam tibi probabiliter daturus esset, si eam peteres: ita nec censetur ad vsum tuum concessa, quia

eam

eam tibi Superior probabiliter esset concessurus, si peteres: sed teneris petere si possis: non tamen puto fore peccatum mortale, si bona fide inferior sic præsumentis de Superioris voluntate, aliquid habeat, aut aliquo utatur, licentia non petita; modò aliunde non sit mortale. Itaille.

Sed opinio affirmatiua aliquibus magis placeat: & ideò Tamburinus *de iure Abbatum tom. 2. disput. 22. quest. 8. numer. 1.* sic ait: Videndum est primò, an sit necessaria licentia expressa, an verò sufficiat tacita, seu præsumpta, vel interpretatiua. In quo dicendum est, quamuis longè melius & securius sit operari in hac materia cum expressa Superioris licentia: sufficere tamen licentiam tacitam, seu probabiliter præsumptam, non solum quando commodè postulari non potest; nempe quia Superior distat, vel est occupatus, & vrget necessitas, vel moralis commoditas accipiendi vel expendendi: quo casu satis est probabiliter credere Superiorem non fuisse denegaturum licentiam, si conueniri posset, vt asserunt Doctores statim citandi; verum etiam in casu, quo posset expressa licentia postulari; sed ob aliquem humanum respectum, vel pudorem, aut aliquam difficultatem adeundi Superiorem non postulatur: quia quando rationabiliter præsimitur Superiorem id velle, etsi expressus illius consensus non habeatur, tamen non dicitur res fieri absque eius licentia; tum etiam quia tacitum & expressum regulariter æquiparantur. Hæc Tamburinus, & alij penes ipsum, quibus ego libenter adhæreo. Et ad confirmationem suæ doctrinæ, quam affert Croufers, Respondeo negando illam: & ideò quotiescunque ob præsumptiuam voluntatem Domini possumus colligere illum non esse inuitum; aut esse tantum inuitum, quoad modum: quia daret, si peteretur ab eo, aut non ægrè ferret, censendi non sunt peccare mortaliter fures: hæc autem voluntas præsumptiuam Domini latenter residet & cernitur in marito respectu uxoris; in patre respectu filiorum, in hero respectu famulorum circa comestibilia tantum; & regulariter loquendo in amicissimo homine, & familiarissimo respectu amici & familiaris. Et ita docet Fagundez *in præcepta Decalogi, tom. 2. lib. 7. cap. 2. numer. 13.* Et probatur hæc opinio *ex leg. Inter omnes 47. § rectè ff. de furtis. ibi.* Rectè dictum est, qui putauit se Domini voluntate rem attingere, non esse furem; quid enim dolo fecit, qui putat Dominum consensurum fuisse? vbi apertè dicitur non esse reum furti illum, qui credens Dominum rei consensurum rem clam accepit: quod idem in furto tenent Diuus Antoninus *2. part. tit. 1. cap. 1. §. initio.* Rosella *verb. furtum, initio, & ibi Angelus numer. 7.* Syluester *ant*

questionem 1. numer. 1. Tabiena *numer. 1.* Aragonius *2. 2. quest. 66. art. 3. paulo post initium.* Sayrus *in clauis Regia lib. 9. cap. 1. 2. num. 2. vers. dicitur inuito:* nam similiter furtum, quod quis credit probabiliter Dominum consensurum, non erit mortale, sed veniale; quia ad summum censebitur Dominus inuitus quoad modum; non quoad rem vt tenet Armilla *verb. furtum numer. 2.* Caietanus *in summa Lat. cap. 17. numer. 15. vers. 4. & num. 138.* Hispana *num. 4. & 139.* Sà *verb. furtum numer. 3.* Graphis *1. part. decisionum lib. 3. cap. 1. numer. 54.* Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 1. 2. dub. 8. numer. 49.* Sanchez *lib. 7. de Relig. cap. 19. & numer. 13.* & ex hoc principio excusantur à mortali, & à transgressione voti paupertatis multa furta Religiosorum.

Non desinam hic obiter etiam adnotare aliquos reprobare opinionem Petri Ledesma, & Hieronymi de Cenedo, quam ego adduxi *in part. 1. tract. 6. resolut. 38.* asserentium Religiosos non peccare mortaliter, si furentur ex bonis Conuentus octo vel nouem reales: sed ego nolo hac de re iudicium meum ferre sicut & de alia opinione, quam nouissimè docet Ioannes Vvigers *in 2. 2. D. Thoma de iustit. & iur. tract. 3. cap. 1. dub. 2. numer. 15.* vbi docet, ad notabilem quantitatem in furto requiri ad minus vnum aureum in Regionibus, vbi est ea pecuniarum abundantia: sicut modò in his, & multis aliis. Itaille: Vide me ipsum, vbi supra.

An electores ad Maioratum, ad Cathedram, Capellam, &c. Et qui debent eligere pauperes pro diuidenda eleemosyna, possint sine onere restitutionis pro his actibus aliqua munera recipere?

R E S O L. LIX.

Negatiuæ sententiæ tanquam probabiliori adhæreo per ea, quæ adducit Sayrus *in Clauis Regia lib. 10. tract. 5. cap. 3. numer. 8.* Turrianus *in 2. 2. disput. 4. dub. 3.* Rebellius *part. 2. lib. 18. quest. 20. numer. 1.* Lessius *lib. 2. cap. 14. numer. 67.* & alij. Et ratio est, quia omnia supradicta non conceduntur ab Electoribus, sed à fundatoribus, testatoribusque, & institutoribus Emphyteusis: quare posito quòd quis sit Dominus directus, & quòd alij munus electorum, aut testamentariorum spontè & voluntariè, minimèque coactè acceptarint, tenentur ex officio, & veluti ex contractu ad hanc electionem, quæ est intrinseca muneri, quod spontè & liberè acceptarunt: & per hanc acceptationem se ad id sponte obligarunt: quare non possunt postea aliquid pro ea electione accipere, & tenentur ad restitutionem pretij, si quod

si quod fortè ob eam rem acceptarunt. Et ita etiam docet Fagundez *in præcepta Decalogi, tom. 2. lib. 8. cap. 26. num. 41.*

Sed non desinam hic adnotare affirmatiuam sententiam probabilem existimare Fagundez *vbi supra num. 40.* pro qua *numer. 39.* adducit Rodriguez, Lopez, & Bannez: quia in prædictis casibus datur locus fauori, seu gratificationi, vt aiunt, possessor enim Maioratus ex consanguineis potest præferre vnum quem maluerit in æquali gradu. Item Administrator Capella potest eligere hoc monasterium præ illo, vt in eo ædificet, ac constituat Capellam cum suis emolumentis: & cæteris paribus potest eligere hunc pauperem præ illo, & idem ex suffragantibus ad Cathedras, quando oppositores sunt æquales: atqui illa prælatio pendet ex voluntate, libertate, & fauore eligentis: quia non est debita huic determinatæ personæ; poterat enim alter sine illius iniuria præferri: ergo videtur pretio æstimabilis, quia est valde utilis eamenti, & consequenter vendi potest.

Vnde ex his posset aliquis inferre, seclusa prohibitione iuris positiuæ verantis & prohibentis munera receptiones, quando dantur duo vota æqualia, posse iudicem licitè aliquid accipere pro electione partis, pro qua ferat sententiam. Et hanc opinionem præter Lessium à me *in 3. part. tract. 5. resolut. 55.* citatum probabilem esse putat nouissimè Fagundez *loco citato num. 34.* & alter Lusitanus Fragofo *in Regim. Christ. Reip. tom. 1. lib. 4. disput. 9. m. 42.* quibus etiam adde Trullench *in Decal. tom. 2. lib. 8. cap. 1. dub. 6. numer. 10.* Neque hæc opinio videtur leui inuiti fundamento: quia illa sententia iusta non est debita huic parti determinatæ: potest enim iuste iudex sine iniuria illius pro alia parte ferre sententiam & electio illius partis, pro qua est ferenda sententia, est in manu & arbitrio iudicis: sed eligere & determinare hanc partem litigantem, pro qua feratur sententia, est fauor pendens ex voluntate iudicis, & est pretio æstimabilis, quia est valde utilis litiganti, & simul est coniuncta cum aliquo incommodo iudicis, quia perdit gratiam & amicitiam alterius partis: ergo iuste potest iudex pro eo fauore pretium accipere. Secundò, quia hic non datur acceptio personarum, quæ iustitiæ distributiue opponatur: hic enim iudex videtur esse liber ad faciendum quod voluerit: vnde illi parti, à qua pretium petitur, & accipitur, nulla fit iniuria in eo petendo, quia petitur pro re, quæ non est ei debita: vel alioquin est valde ei utilis: ergo talis donator voluntariè donat: ergo res accepta à iudice ex duplici titulo ab eo retineri potest: primò, titulo pretij iusti; secundò titulo liberalis donationis.

Sed re melius considerata ego nunc sententiæ negatiuæ adhæreo quia actus iustitiæ est inuendibilis, & vt iudex non potest manere suspensus: sed tenetur ex iustitia pro aliquo sententiam ferre, imò tenetur ex officio se determinare ad vnam partem: ergo gratis, nam in ea determinatione consistit exercitium sui muneris. Sed si aliquis vellet stare in supradicta Lessij sententia cum, vt dictum est, adfit prohibitio iuris positiuæ verantis munerum acceptiones. Queritur an iudex munera recipiens in casu, de quo loquimur, tenetur restituere ante sententiam condemnatoriam iudicis. Respondeo negatiuè cum Fagundez *vbi supra num. 32. iuncto numer. 33. in fine.* Sed vt ego vt dixi, Lessij sententiam modò non admitto. Verum ex his nota hic obiter iudices, & Ministros publicos accipientes munera, sola lege positiuæ sibi prohibita non esse obnoxios restitutioni in foro conscientie nulla expectata sententia, quando data fuerunt ex mera liberalitate & amicitia, aut ex gaudio & gratitudine. Ita docet Molina *de iust. tom. 1. disp. 88.* Fagundez *loco citato cap. 27. num. 9.* & alij: quicquid in contrarium asserat Sorus *de iust. lib. 4. quest. 7. art. 1. ad 2.* Syluester *verb. iudex 1. m. 3. quest. 8.* & alij. Quia hæc donationes seclusa lege humana positiuæ illas prohibente, stando in solo iure naturæ, validæ sunt: sed leges positiuæ tam iuris communis, quàm aliquorum Regnorum, licet illas prohibeant, non illas inuolidant. Ergo non tenentur iudices illas antelatum sententiam restituere.

An secreta Principum seu exercitus licitum sit reuelare ad euitanda tormenta, & salutem vite?

R E S O L. LX.

Respondeo negatiuè. Et ideo assero, quòd si aliquis sciat secretum Regis, seu Exercitus, vel Reipublicæ; ex cuius reuelatione vel vita, vel fama Regis, vel magnum aliquod bonum publicum pender: non licebit illud reuelare: quia præeunte naturæ lumine docemur bonum commune antefendum esse priuato. Vnde sequitur militem Hispanum à Gallo in bello captum, quamuis tormentorum vi torqueatur, aut occidatur, nõ posse tuta conscientia secreta iusta sui exercitus aperire: nec e contra Gallum militem secreta exercitus Gallie, quando ea secreta conducunt ad conseruationem totius exercitus. Et ita docet Nauarra *de restitut. lib. 2. cap. 4. num. 130.* Malderus *de iustitia tract. 7. cap. 1. dub. 10. & 11.* & alij quos citat & sequitur Fagundez *in præcepta Decalogi tom. 2. lib. 8. cap. 6. num. 11.*

Notandum

Notandum est tamen secluso supradicto casu ad vitandum graue damnum, verbi gratia, torturam, poteris licitè alterius crimen occultum & peccatum tibi sub secreto reuelatum manifestare: etiam si inde mors illi imminet, aut infamia sequatur: modò illud secretum sine vi & fraude ab eo acceperis. Probat: quia si illud non teneor seruare, quando vergit in damnum proximi; multò, minùs teneor, quando vergit in meum damnum: nemo enim magis proximus est, quàm quisque sibi. Secundò; quia non teneor cum tanto meo incommodo seruare vitam, aut famam proximi. Tertio; quia illud secretum est quoddam veluti depositum apud me occultatum: quod non teneor cum tanto damno meo seruare occultum; si tamen sine causa proderem, inferrem iniuriam deponenti, & tenerer ad restitutionem, si pro deposito aliquid accepi, quia voluntariè essem causa damni proximo illati. Ita Nauarra & Fagundez *locis citatis*; quibus adde Lessium *lib. 2. cap. 11. dub. 8. num. 54. & sequent.*

An votum, vel iuramentum factum alicui Ecclesie, vel pauperi post eorum acceptationem possit auctoritate Episcopi, vel propria in melius commutari?

R E S O L. L X I.

Negatiuè respondet Sanchez *in Summa tom. 1. lib. 4. cap. 41. num. 13.* firmans post acceptationem Rectoris Ecclesie, aut pauperis, cui verba voti & iuramenti diriguntur, non posse huiusmodi vota & iuramenta in melius commutari: quia tunc votum transit in contractum, & acquiritur ius illi tertio acceptanti, quod ipso inuito remitti nequit. Et hanc opinionem ego etiam teneo.

Non desinam tamen adnotare affirmatiuam sententiam tanquam probabilem admittere Fagundez *in Præcepta Decalogi, tom. 1. lib. 2. cap. 49. n. 11.* quia vota & iuramenta promissoria propter Deum facta, et si dirigantur ad peculiarem Ecclesiam, & pauperem; & à Rectore Ecclesie, vel ab ipso paupere acceptentur, vltimatè in Deum, propter quem fiunt, diriguntur. In quolibet enim iuramento & voto huius qualitatis duplex finis inuenitur: alter est finis cuius, id est, cuius gratia fiunt; alter finis cui; id est, cui aliquid consequitur. Cùm autem finis cuius, semper sit in omnibus promissionibus principalis finis, & finis cui sit minùs principalis; sequitur vt in commutationibus ratio præcipuè illius, & non istius habeatur; nam accessorium sequitur principale: & finis cuius est principalis, finis cui accessorius. Secundò; quia quando vouentes, aut iura-

mento promittentes aliquid Ecclesie, vel pauperi particulari, propter Deum voto, vel iuramento promittunt, dirigunt suam specialem intentionem ad hunc determinatum pauperem, & ad hanc specialem Ecclesiam; dirigunt illam propter Deum: & sic tota ratio ipsius promissionis & directionis est Deus, vel Sanctus, propter quem promissio fit; & per accidens est, quòd Prælatus, vel Curatus loci pij, vel hic numero pauper, scilicet Antonius, ad quem promissio fit, & vtilitas promissionis spectat, ius aliquod post acceptationem acquirant: quia acquisitio huius iuris semper fit dependenter à beneplacito Dei, propter quem, tanquam propter finem principalem promissio voti & iuramenti fit. Vnde cùm Deus suum maius obsequium semper habeat gratius, clarum manet posse vouentes & iurantes hæc vota & iuramenta etiam post acceptationem sua propria auctoritate in melius commutare: & facta hac commutatione non poterunt illi, ad quos vtilitas voti, & iuramenti spectabat, officium iudicis implorare, vt vouentes & iurantes ad exonerandam conscientiam suam cogat; & si implorent, & constet iudici vota & iuramenta in melius reuera fuisse commutata, ad nihilum poterit iudex ipsos vouentes & iurantes obligare, quia iam obligationi suæ satisfecerunt.

Notandum est etiam hic obiter contra Azorium *tom. 1. lib. 11. cap. 19. quest. 12.* & alios penes ipsum; non solum Episcopum, sed etiam vouentem ac iurantem sua propria auctoritate sua vota & iuramenta non solum incertæ Ecclesie, & indeterminato pauperi facta; sed etiam certæ aut determinatæ, in melius commutare, & rem promissam dare alteri Ecclesie pauperiori, aut pauperi egentiori ante acceptationem Rectoris Ecclesie, aut ipsius pauperis absentis. Ita Ioannes Vigiers *de iustit. & iur. tract. 8. cap. 4. dub. 20. numer. 123.* & alij penes ipsum. Et ratio est, quia multò probabilius est non acquiri ius pauperibus Ecclesiis, & locis pijs ad promissiones & donationes ipsis factas, donec acceptent, vt latissimè & doctissimè probat Sanchez *lib. 1. de matrim. disput. 6. num. 16.* debet enim hæc acceptatio fieri modo humano, vt fiat accommodatè ad vsum hominum. Deinde; quia cùm huiusmodi vota fiant principaliter Deo, & in eius honorem obligatio ipsi acquiritur; & ipse est propriè loquendo creditor; & Ecclesia, pauperve tantum designantur, vt materia, & obiectum, circa quam Religionis cultus est Deo exhibendus: Deus autem semper gratius habet id, quod euidenter est melius: Et ex his responsum manet ad fundamenta contrariæ opinionis. Vide Doctores, quos ego ipse citavi *in part. 1. tract. 11. resolut. 47.*

An

An votum ingrediendi Religionem possit quis propria auctoritate commutare in susceptionem Episcopatus?

R E S O L. L X I I.

Negatiuè respondeo cum Lessio *lib. 2. cap. 40. dub. 7. numer. 103.* & Fagundez *de præceptis Decalogi tom. 1. lib. 2. cap. 49. numer. 21.* Et ratio est, quia status Episcopalis dicitur perfectus, non quia hominem perfectionem, Deoque gratiorem efficiat, quàm status religionis; sed quia secundum rectum ordinem perfectionem supponit: Est enim status postulans perfectam charitatem, qua Episcopi, vt veri Pastores ad imitationem Christi Domini veri animarum nostrarum Episcopi ac Pastoris, animam suam ponere debent pro ouibus suis. Vnde licet absolute loquendo status Episcopalis sit melior & perfectior, quàm status Religionis: quia supponit perfectionem acquisitam: tamen hic & nunc, & in hac suppositione potest hæc perfectio deficere in persona Episcopi. Vnde hic & nunc non est Deo gratius, vt illum amplectaris; immò gratius erit Deo, si religiosus fias, quàm si fias Episcopus: quia, vt dixi, status Religionis est via ad perfectionem. Et hanc sententiam tenendam esse videtur ex determinatione. *cap. penult. de voto.*

Sed Alphonsus Viualdus *in Candelabro aureo part. 1. de matrimonio, titul. de impedimento*

voti num. 89. & sequent. affirmatiuam sententiam tenet; quia Episcopalis status secundum omnes religione perfectior est: vnde Episcopus non potest sine licentia Papæ transire ad Religionem, vt patet *ex cap. licet de Regularib. & cap. scias 7. quest. 1.* Et ad textum superiùs adductum *cap. penult. de voto*, respondet Viualdus, illum esse casum particularem dicti Capituli: Nec mirum, quia ille Episcopus se Deo vouerat solemniter, id est, publicè, in fauorem illius Religionis, cuius votum Superior acceperat stipulando. Et ideo cùm ab illis Religiosis fuisset requisitus de primo voto, quod coram eis emiserat; postea secundum emisit votum intra duos menses ingrediendi. Quod probatur ex eo quòd supra diximus de voto facto in fauorem alicuius pij loci. Secundò probatur clarè ex ratione, quam adducit Gloss. *1. ibi.* Scilicet, quòd ideo illi Religiosi tenebantur illum recipere, quia ille tenebatur ingredi, &c. hic mihi videtur verus sensus. Hucusque Viualdus cui adde Emmanuelem Sà *ver. Episcopus num. 2.* vbi ita ait. Qui ante Episcopatum fecit votum Religionis teneri prius ingredi indicatur *cap. 10. de voto.* Quidam tamen dicunt casum illius cap. fuisse particularem, nec ceteros obligari, quod mihi probatur. Ita ille, & Rodriguez *in Summa tom. 2. cap. 6. numer. 6.* & hanc sententiam probabilem censet Henriquez *lib. 10. cap. 321. in fine.* Verùm post hæc scripta inueni primam sententiam mordicus sustinere Castrum Palaum *tom. 3. tractat. 16. disput. 1. punct. 6. num. 2.*





TRACTATUS SEPTIMVS, MISCELLANEVS.

N. Ex Genere Mahometano, sed infans baptizatus; & postea in Religionem ingressus: queritur, an possit sine ulla dispensatione ad Prælaturas assumi?

R E S O L. I.

RESPONDEO affirmatiuè. Quia licet de iure communi Neophytus non possit eligi in Prælatum ex cap. quoniam multa, & cap. si Neophytus, dist. 48. vt obseruat Auila de censur. part. 7. disput. 4. dub. 4. concl. 1. Azorius tom. 2. lib. 6. cap. 2. q. 2. Castellinus de elect. cap. 11. numer. 34. & alij. Attamen qui ab infantia baptismum suscepit, non dicitur Neophytus, sicut nec ille, qui abhinc decem annis baptismi Sacramento insignitus est; & ideo tales non sunt excludendi à Sacris Ordinibus, neque à dignitatibus Ecclesiasticis; vt ego ipse firmaui in part. 4. tract. 2. resol. 50. cum aliquibus Doctoribus; quibus nunc addo Villalobos in summa tom. 1. tract. 21. diff. 16. numer. 3. Ioannem Præpositum in 3. part. D. Thomæ quest. 5. de irregul. dub. 15. numer. 122. Salzedum in Praxi cap. 22. num. 11. Campanili in diuers. iur. Canon. rub. 11. cap. 7. numer. 6. Et magis in terminis casus nostri Peyrinum de Prælat. Relig. tom. 2. quest. 2. cap. 5. §. 6. numer. 83. & Tamburinium de iur. Abbat. tom. 4. disputat. 5. quest. 21. num. 66. cum aliis penes ipsos. Probat hęc opinio: quia vt patet ex Gratiano in princip. dist. 48. ideo Sacri Canones Neophytos excludunt à Prælaturis, quia tanquam inexperti non poterant obseruare ea, quæ ratione personarum, locorum, & temporum sunt Prælati obseruanda: sed hęc inconuenientia cessant in baptizatis ab infantia, vel ante decem annos: ergo posse supradictos sine vlla dispensatione ad Prælaturas admitti de iure communi dicendum est.

Nec valet dicere, quòd licet consulenti non obster, vt probatum est, ius commune; obstat tamen ius particulare Pauli IV. prohibentis in quadam Bulla, vt descendentes ab infidelibus possint in Ordine Minorum ad Prælaturas assumi. Non inquam hoc ob-

stat: nam respondeo primò aliquos docere dictam Bullam in desuetudinem abiisse. Ita Auila de censur. part. 7. disputatione 4. dub. 3. & ex illo Sanchez in summa tom. 1. lib. 2. cap. 27. numer. 3. Respondeo secundò quòd dicta Bulla de solo Ordine Diui Francisci loquitur; & ideo non est extendenda per communicationem ad alios Ordines quia similes Pontificum Constitutiones non dicuntur priuilegia, sed potius statuta, seu prohibitiones: Ergo non includuntur in communicatione priuilegiorum. Vnde Laurentius Portel in dubiis Regularibus verb. Communicatio priuilegiorum, numer. 20. rectè sic asseruit. Religiosi communicantes in priuilegiis non proinde communicant in pœnis, & prohibitionibus alterius Ordinis. Ita ille; cui adde Lezzanam in summa Question. Regular. tom. 3. cap. 1. numer. 52. & Tamburinium de iure Abbatum tom. 1. disputat. 17. questione 6. Hinc Miranda in Manual. Prælat. tom. 2. quest. 46. art. 6. Sanchez, vbi supra, & Rodriquez in Questionib. Regularibus tom. 1. quest. 55. art. 17. asserunt individualiter dictam Bullam Pauli IV. pro Minoribus emanatam non esse extendendam ad alias Religiones. Et tandem Respondeo tertio dato, & non concessio, quòd communicatio dictæ Bullæ Pauli IV. cum aliis Religionibus faciendâ esset, adhuc dicendum est nihil obstare: nam postea per aliam Bullam Pij V. publicatam in Capitulo Generali Romæ anno 1575. concessum fuit iisdem Patribus Minoribus, vt possint recipere in Religionem filios Infidelium, & ad Prælaturas admittere, vt ex Sorbo obseruat Laurentius de Peyrinis de Relig. Prælat. tom. 2. quest. 2. cap. 5. §. 5. numer. 85. vbi etiam notat id à Gregorio XIII. etiam concessum fuisse Ordini Minimorum & eius verba per extensum apponit. Ergo, vt dixi, non obstat Bulla Pauli IV. nam quare illa attendi debet, & non potius Bullæ posteriores Pij V. & Gregorij XIII. si pœna imposita per Bullam Pauli IV. aliquibus videbatur per priuilegium communicationis ad alios Ordines extendenda: à fortiori fauore Pij V. & Gregorij XII. postea emanatum, extendendum, & communicandum esse aliis Religionibus dicendum erit. Remanet igitur satis probatum

tum N. Consulenti nulla indigere dispensatione, vt possit ad Prælaturas suæ Religionis assumi.

An aliquando Confessarius possit obligare pœnitentem ad declarandum complicem?

R E S O L. II.

RESPONDEO quòd non repugnat dari casum, in quo possit Confessarius pœnitentem obligare ad manifestandum sibi Complicis nomen: non quidem quasi Confessarius eam obligationem imponat, sed quia reuera pœnitens eam habebat: & Confessarius, qui ex eius confessione hoc agnoscit, admonet illum de sua obligatione, cui si non vult satisfacere, iam meritò ei absolutionem negat, quem non inuenit ad absolutionem dispositum. Porro posse illum casum contingere, constat aperte: quia potest Confessarius videre ex occultatione Complicis grauissima damna imminere, ad quæ impedienda pœnitens omninò tenetur: rursus videt, pœnitentem se ipso immediatè id non posse exequi, nec habere alium, per quem id possit præter ipsum Confessarium: quo casu certum est teneri pœnitentem ad illud medium vnicum eligendum: quòd si eligere nolit, iam non est aptus ad absolutionem recipiendam. Et hęc omnia docet Lugo de Sacrament. pœnitent. disp. 16. sect. 8. n. 432. qui rectè obseruat num. 434. posse contingere, vt licet pœnitens dicat se velle per se ipsum immediatè, vel per alium dare notitiam Complicis ad impedienda mala iuxta suam obligationem, adhuc Confessarius possit differre illi absolutionem, donec de facto suæ obligationi satisfecerit. Nam sicut debitori qui sæpè proposuit restituere, & non restituit, prudenter differtur postea absolutio, donec prius cum effectu restituat, quia prudenter timemus, quòd post Confessionem non restituat: sic in nostro casu, quando Confessarius prudenter timeret, pœnitentem non satisfacturum postea suæ obligationi, prudenter faceret differendo absolutionem, donec prius rem exequatur: immò addunt aliqui, quòd debet cogere pœnitentem, vt afferat sibi testimonium denunciationis, vel manifestationis factæ: ita Bartholomæus Medina 2. summ. cap. 4. §. 1. hoc tamen videtur nimium: nam in illo foro debemus, & possumus credere pœnitenti circa præterita tam pro se, quam contra se: & quidem debitorem & furem absque alio testimonio absoluiumus, quando dicit se iam restituisse. Et hanc doctrinam antequàm typis excuderet Pater Lugo, ego mordicus tenui, & consului in Sici-

lia tempore quo pessima illa mulier vocata Tophania præbebat aquam suam venenosam, ex qua tot neces in Regno miserabiliter subsequutæ sunt, ex ignorantia aliquorum Confessariorum, qui pœnitentes absoluebant.

An Papa teneatur sub mortali ad confessionem peccatorum semel in anno. Et quid de Floris Canonicis, & de ieiunio?

R E S O L. III.

AFFIRMATIUE respondent Doctores, quòs citat & sequitur Bonacina de Sacrament. disput. 5. q. 5. sect. 2. punct. 4. num. 4. quibus addit Fagundez in præcept. 2. Ecclesia lib. 4. cap. 3. numer. 18. & Trullench in Decalogum tom. 1. lib. 3. cap. 5. dub. 2. num. 20. quia Papa sicut alij Principes, si non vi coactiua, saltem vi directiua tenentur seruare suas leges. Sed hęc ratio apud aliquos parum vrget, saltem ad inducendam obligationem grauem: nam licet supremus Princeps iuxta probabiliorum sententiam non possit absque rationabili causa secum dispensare in propria lege: hoc tamen peccatum dispensationis absque causa sufficienti, existimatur à multis solum veniale, quos refert & sequitur Thomas Sanchez lib. 8. de matrimon. disput. 18. num. 7. & nouissimè Cæstrus Palauis tom. 1. tract. 3. disp. 6. punct. 8. §. 1. num. 5. quando non adest scandalum, aut notabile aliorum damnum: licet ipse Sanchez postea lib. 5. consil. cap. 1. dub. 5. hanc sententiam reuocet: si ergo potest absque culpa graui Pontifex dispensare cum aliquo in sua lege, cur non possit absque graui culpa secum dispensare: Quòd si potest dispensare, iam obligatio tota illius legis respectu Pontificis erit solum sub veniali, cum possit quoties voluerit, dispensare secum, & auferre sibi obligationem sub mortali. Et ideo Summum Pontificem non peccare mortaliter, si annuatim confessionem non faciat tenet Nauarrus de pœnitentia, distinct. 5. num. 32. qui citat Ioan. Andræam & Felinum: vnde Richardus in 4. dist. 17. q. 4. art. 2. ad 5. & Scotus ibid. quest. 1. art. 1. quos citat Fagundez vbi supra num. 19. dixerunt non teneri Pontificem sub mortali ad legem & præceptum confessionis, sed tantum sub congruitate quadam morali ac proinde sub veniali.

Verum ego affirmatiuæ sententiæ libenter adhæreo: concedo tamen cum Patre Lugo de Sacrament. pœnitent. disput. 15. sect. 7. num. 43. tanquam probabile, quòd si Papa hoc præceptum Ecclesiasticum quoad se non omninò tolleretur, sed alteraret quoad tempus, volendo, quòd determinatio temporis quoad se esset

pro hac vice annus cum dimidio, non peccaret grauior: iam enim relinqueret aliquam temporis determinationem etiam pro se, & aliunde non videretur culpa grauis non conformare se in omnibus cum suis subditis. Non desinam tamen hinc adnotare Ioannem Præpositum in part. 2. D. Thomæ quest. 95. disp. 4. dub. 1. numer. 4. docere, seposito scandalo Summum Pontificem non legentem horas Canonicas, nec ieiunantem non peccare mortaliter; licet Malderus in part. 1. quest. 96. art. 5. S. ut verò asserat sub mortali teneri.

An quis ob amissionem vnius rei teneatur aliquando ad duplicem restitutionem?

R E S O L. IV.

CVriosum est dubium: & affirmatiuè respondendum est cum Molina de iustit. tom. 2. tract. 2. disput. 263. numer. 7. vbi sic ait. Iuxta hæc tenus dicta arbitror esse dicendam, si quis famulo, aut cuidam alij aliquid dedit, vt dono alteri traderet, isque iniuste id sibi vsurpauit, aut traditionem, vel manifestationem donationis ei, cui facta fuerat, iniuste distulit, vt acceptare eam posset, contingatque eum, qui dono misit, interim è vita discedere, teneri tunc eiusmodi famulum, aut internuncium ad duplicem rei illius restitutionem, quando donatio non fuit ad pias causas. Vnam hæredibus eius, qui donabat, eò quòd mandatum non fuerit impletum, mortèque mandantis expirauerit, ac proinde res illa pertineat iam non ad donatarium, sed ad hæredes donantis iuxta ea, quæ hæc tenus dicta sunt. Alteram verò donatario, quem vsurpatione, aut determinatione illa iniuste priuauit emolumento illo, quod alioquin erat consequuturus. Est verò hic euentus satis frequens in confessionibus, & à nemine explicatus. Hucusque P. Molina, & post illum Sanchez de matrimon. tom. 1. lib. 1. disp. 6. num. 8. Lessius lib. 2. cap. 18. dub. 6. n. 46. & Bonacina tom. 2. disput. 3. de contractib. q. 12. punct. 4. num. 3.

Non deseram tamen adnotare Layman lib. 3. tract. 4. cap. 1. n. 6. in fine, docere ad restitutionem faciendam hæredibus donatoris nuncium non obligari, nisi post iudicis condemnationem. Immo plus addit Auctor casuum conscientie Bononiæ discussorum iussu Eminentissimi Principis, & Domini mei Cardinalis Columnæ anno 1634. mense Septembris casu 2. fol. 42. nempe probabiliter in tali casu nuncium eximi ab obligatione restituendi hæredibus donantis, atque ad eò teneri solum ad restitutionem faciendam donatario, cui

damnum culpabiliter intulit: nimis enim durum videretur obligare aliquem ad duplicem restitutionem ob amissionem vnius rei: quod multis probat rationibus, ex quibus, vt dixi, infert probabiliter rem illam destinatam non ad hæredes donantis, sed ad Donatarium pertinere. Scias tamen sententiam Molinæ, & aliorum nouissimè docere etiam Ægidium Trullench in Decalog. tom. 2. lib. 7. c. 17. dub. 4. n. 6. & 7. vbi asserit, quòd si culpa nuncij aliqua donatio non fuerit ante mortem donantis facta, teneri nuncium ad duplicem restitutionem: nam hæredibus defuncti teneretur ratione rei, quæ est illorum: donatario verò ratione damni quod eius culpa contraxit: posito enim tali mandato tenebatur nuncius lege iustitiæ adhibere diligentiam, & mandatum ex mente mandantis in commodum donatarij implere. Vnde ego huic sententiæ libenter adhæreo: non damnarem tamen tanquam improbabilem opinionem contrariam, quàm, vt supra dixi tuetur decisio illa Bononiensis, si Nuncius vellent tantum donatario restitutionem facere. Pro quo etiam facit Emmanuel Sà verb. donatio numer. 21. vbi sic ait. Mandatum donandi expirare morte mandantis, ait Couarruias, ego nonnihil dubito: est enim res fauorabilis & gratia quædam: ita ille Et magis clarè verb. mandatum num. 2. cuius quidem sententiam probabilem putat Lessius vbi supra lib. 2. cap. 18. dub. 6. n. 46. Et idè infert & docet iuxta illam nuncium, in casu de quo loquimur, non teneri hæredibus, sed soli Donatario restitutionem facere: vnde si Nuncius mihi confiteretur, & nollet stante supradicta opinione nisi Donatario restituere, ego illi absolutionem non denegarem.

An Confessarius excusetur à culpa si imponat leues pœnitentias propter illa verba, quæ in absolutione semper adduntur? Quidquid boni feceris, aut mali sustinueris, &c. maxime si hoc pœnitenti explicet?

R E S O L. V.

Solutio huius dubij pender ex illa questione: an possit imponi pœnitentia sine obligatione. Et quia Pater Lugo negatiuam sententiam tenet, negatiuè etiam respondet ad dubium propositum. Sic igitur asserit de Sacramento pœnitent. disp. 25. sect. 4. num. 58. Obiiciunt verba illa Sacerdotis, quæ post absolutionem adiungit: *Quicquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, &c.* Quibus verbis videtur eleuare omnia opera pœnitentis ad fructum ex opere operato.

operato. Respondeo, si hoc esset, eleuarentur etiam ad eum effectum merita Beatæ Virginis, & omnium Sanctorum, & Sanctarum, quorum ibi etiam fit mentio. Quare debemus fateri illam esse meram deprecationem, sicut & verba præcedentia. *Misereatur tui, &c.* Et quidem ex se videtur esse parum credibile, quòd per illa verba generalia, omnia opera pœnitentis maneat Sacramento. Quam absurditatem vt vitaret Suarez, sect. 6. in fine, aduertit illam virtutem extendi solum ad satisfaciendum pro peccatis in illa confessione confessis: quia de illis tantum fertur iudicium, atque ad eò, postquam illa fuerint plenè remissa ille cessabit effectus. Sed hæc limitatio adhuc non tollit omnino difficultatem: quia licet postea ex defectu indigentia illa opera vteriora non causent remissionem pœnæ, adhuc verè sunt pars Sacramenti: sicut si alicui, qui nullam pœnam debet, imponatur vnum ieiunium, verè illud erit pars Sacramenti pœnitentiæ. Vnde non videretur probabilis doctrina aliquorum, quos affert Diana tom. 2. tract. 4. de Sacramento. resolut. 97. qui excusant à peccato Confessarios, leues pœnitentias imponentes pro grauius peccatis, quando addunt in fine verba illa *Quidquid boni feceris, &c.* Certè si hæc doctrina vera esset, frustra Tridentinum verba illa grauius vsurpasset sess. 14. cap. 8 ad deterrendos Confessarios: Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggererit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutare & conuenientes satisfationes iniungere: ne si fortè peccatis conuicent, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leuissima quædam opera pro grauius delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Certè hoc ingens periculum vno verbo addito vitatur dicendo: *Quidquid boni feceris, &c.* Quem Sacerdotum vsu proferendi illa verba Concilium non ignorabat: non ergo videtur in praxi vllò modo admittenda illatio illa. Hucusque Pater Lugo.

Non desinam tamen hinc adnotare nouissimè affirmatiuam sententiam docere ex eadè Societate Stephanum Bauny in Theolog. Moral. part. 1. tract. 4. quest. 111. vbi sic ait. Sunt multæ causæ, ob quas leuior pœnitentia, quàm deceret, iniungi possit, vt iniunctio bonorum omnium, quæ per se aut alium pœnitens facturus creditur, quæ quoniam multa sunt, & copiosa, sicut & mala, quæ quis sustinet, ob eam causam Confessarios excusari à peccato, cum pœnitentias iusto minores imperant. Dices opera bona pœnitentiæ iniunctæ vicem habere non posse, nisi fuerint imperata in eam rem à Confessario: at talis imperij nulla fit hic mentio. Respondendum iniunctionem esse

duplicem: puram vnam & absolutam; hypotheticam aliam: sit illa, dum diserte ac clarè præcipitur, vt pars Sacramentalis: altera, quæ est conditionata, sit cum Sacerdos ad nullum quidem speciale opus pœnitentem obligat, generatim tamen per potestatem clauis applicat satisfationi peccatorum omne opus benè factum, & faciendum à pœnitente qua applicatione Sacramentali, habent illa bona sic generatim sumpta, vt sint magis satisfactoria, quàm quæ spontè sunt suscepta: illa enim sunt Sacramentalia ex applicatione Confessarij vim habentia Sacramentalis satisfationis: ista, id est, voluntate propria, ac ex deuotione facta aut facienda, nequaquam: quare facile culpæ non est vllius arguendus Confessarius, cum pauca quædam, eaque toleratu facilia ad expiationem pœnæ pro peccatis committentis pœnitenti præscribit. Enimverò quòd ad æqualitatem deest inter vtrumque videtur suppleri posse per ea bona, quæ vt plurimum fiunt à singulis, vel mala quæ iidem subeunt, maxime si sunt in satisfationem imposita: quæ etsi sint vera, seque Sacerdos cupere indicet, vt bona pœnitentis omnia sint ei loco pœnitentiæ his verbis: *Passio Domini nostri Iesu Christi, & merita Sanctorum omnium, quidquid boni feceris & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, & augmentum gratiæ, Amen.* Tamen vt ei benè vertat, quidquid vnquam egit, aut pertulit, expedit ad eius spirituale commodum, exaggeratiùs hæc illi, ac clariùs à Confessario pœnitentiæ nomine indici. Et hæc omnia docet Bauny, vbi supra. Alij verò magis adhærendum esse negatiuè sententiæ existimant: licet ego affirmatiuè cum aliquibus Doctoribus probabiliter adhæserim in 3. part. tract. 3. resolut. 47. quidquid aliqui garriant, fateor tamen negatiuam sententiam esse probabilior.

An iniungenda sit pœnitentia scrupuloso frequenter intra eandem horam accedenti ad Confessarium?

R E S O L. VI.

Affirmatiuam sententiam docet Stephanus Bauny in Theolog. Moral. part. 1. tract. 4. questione 25. vbi sic ait. Quæ pœnitenti cum primò est confessus, imperata est à Confessario pœnitentia in satisfationem culpæ, hanc secundò eidem intra horam, aut breue aliquod tempus, iterum confitenti iniungi non posse. Ratio est, quòd diuersa Sacramenta, partes quoque distinctas habere debeant, alioquin diuersa non essent, nisi secundum quid: at Sacramenta hinc non sunt eadem:

nam peccata noua sunt ad Sacerdotem allata, noua item contritio ad eorum curationem adhibita, diuersa item absolutione sunt remissa: quæ omnia indicant horum Sacramentorum distinctas esse materias numero, formas item differentes, nec easdem absoluendi intentiones: oportet ergo satisfactionem, quæ est pars ad eorum integritatem necessaria, eandem non esse. Probat, cuiusque Sacramenti propriæ sunt partes: ergo & satisfactio: non potest ergo vna eademque pluribus Sacramentis aptari: danda est ergo toties pœnitentia, quoties à pœnitente Sacramentum pœnitentiæ iteratur. Et hanc sententiam videtur docere Suarez tom. 4. disput. 38. sect. 4. & clarius Reginaldus tom. 1. lib. 7. numer. 12.

Verùm negatiuam sententiam docet Bonacina tom. 1. disput. 5. quæst. 5. sect. 3. punct. 2. numer. 3. vbi ita asserit. Secundus casus, quando scrupulosus intra eandem horam frequenter accedit ad Cōfessarium, aliquid noui semper confitens: in quo casu Sacerdos potest iniungere pœnitentiam iam aliàs iniunctam: nam opus aliàs debitum potest in Sacramentali satisfactionem iniungi, vt inferiùs explicabo. Hic tamen casus non est propriè exceptio à regula generaliter tradita de obligatione pœnitentiæ iniungendæ, cum aliqua pœnitentia imponatur. Ita ille. Cui etiam adde Henriquez lib. 5. cap. 20. numer. 6. quem sequitur nouissimè Pater Lugo de Sacram. pœnitent. disput. 25. sect. 4. numer. 50. Et ratio est, ait ipse, quia Bonifacius VIII. vt refert Gloss. in Extranaq. Antiquorum. de pœnitent. & remissionib. reprehendebat Confessarios, qui anno Iubilæi imponebant alias pœnitentias: ergo non curabat, quòd Sacramento deesset illa pars integralis. Eodem modo si infirmo moribundo imponatur pœnitentia solùm implenda, si conuauerit, non videtur Sacerdos peccare mortaliter: & tamen tunc exponitur periculo euidenti Sacramentum ne compleatur: nam per pœnitentiam solùm impostã, & non exhibitam, non completur Sacramentum: ergo deberet sub mortali imponere aliquam pœnitentiam præsentem propter integritatem Sacramenti. Ratio denique à priori est: quia hæc pars solùm requiritur ad integritatem Sacramenti: eo modo, quo punitio requiritur ad complementum iudicij humani: hinc enim fit, quod sicut in iudicio humano non manet iudicium imperfectum ex defectu punitiois, quando reus non iudicatur pœna dignus: sic neque hoc iudicium & Sacramentum manet imperfectum ex defectu punitiois & satisfactionis, quando pœnitens non iudicatur dignus pœna. Ex hoc autem rursus sequitur, quòd sicut in iudicio humano non peccat grauius iudex non imponendo aliquam pœnam parui mo-

menti, quia reus erat dignus: sic nec in hoc Sacramento iudex grauius peccat non imponendo pœnitentiam leuem, quam posset imponere: nam per hoc non deest muneri suo in re graui; sed in complemento quodam leuis momenti, quod deficit Sacramento ob eius culpam. Hucusque Pater Lugo. Et ex dictis patet responsio ad argumenta Patris Bauny.

An peccet mulier reddendo debitum viro, qui saturandæ libidinis causa coitum incipit, sed postea, ne sequatur generatio, subtrahit se, & effundit semen extra vas?

R E S O L. VII.

Peccare mortaliter mulierem in tali casu docet nouissimè Stephanus Bauny in Theol. Moral. part. 1. tract. 12. quæst. 4. Eò quòd materiã alterius noxæ præbere criminofum sit ac turpe, facit id mulier, cū se viro substernit nexum postulanti corporum, ad sceleratam explendam libidinem, ac maritalem thorum sacrilega ac infami feminis effusione maculandum: nam si eum à sinu suo repelleret, si à complexu: non peccaret, materiam ergo ei peccati suppeditat, ergo non sine scelere hoc facit.

Secundò culpam æterna morte dignam contrahit, qui matrimonium aliò refert, quàm cuius causa est à Deo institutum: aut in eius vsu, culpæ se periculo obicit: facit vtrumque mulier, quæ corporis sui copiam connubialis fœderis corruptori, sciens ac volens accommodat.

Age enim, quorsùm mulier in coniugio cum viro conuenit? quorsùm in alienam familiam, paterna relicta domo, amicisque transit? Nempe vt sit mater, nempe vt in prole se, gentemque suam ab interitu vindicet, hanc enim intentionem quidpiam essentialissimum esse in matrimonio scribit D. Thomas in 4. distinct. 31. quæst. 1. art. 3.

Et Richardus distinct. 32. art. 4. quæst. 1. affirmat concubium coniugalem ordinari principalitè ad prolem procreandam, quàm ad remedium. A dictamine enim naturæ est, vt vir cubet cum muliere ad conseruationem ipsius naturæ, & sic est bonum prolis. Bonauent. in 4. distinct. 31. art. 1. quæst. 2. At finem hunc mulier labefacit, cum vsum coniugij, ac sui finit dedecore à viro affici, atque in nihilum feminis effusione extra vas redigi.

Nec abest à peccati discrimine, quàm enim est improbabile, eam cum comprimitur, virique accessum patitur, voluptatis sensum habere nullum? quàm ab omni alienum veri speciei,

speciei, illecebrosæ libidinis motu villo, corpus eius cum pollutionis periculo, non cieri ac tangi: in quam à marito diuisa ne cadat, cum omni qua potest diligentia, curaque contendere debeat, vt (ipse non dicam) vel mediocriter eruditi intelligunt, ei eiusmodi motuum causam exitiabilem virandam esse. Hucusque Bauny.

Non desinam tamen adnotare Basilium Pontium de Matrimonio, lib. 10. cap. 11. num. 8. docere mulierem in tali casu reddentem debitum nulli culpæ lethali obnoxiam esse: sic enim asserit. An si maritus procreandorum liberorum pertæsus, satian dæque libidinis appetens, dum suam vxorem agnoscit, tempore consummandæ copulæ extra vas semen effundat, seseque ab illa separet, possit vxor reddere petenti debitum licitè & sine culpa. Iudicari vt viri doctissimi, vxorem peccare, sociamque esse peccati, atque adeò non posse reddere exigenti debitum. Probabant multis argumentis, quæ nullius momenti sunt, tantum enim probant coniunctionem illam, si fieret vtroque consentiente, esse illicitam. Quare ego existimo peccare quidem grauius virum, & fœminam, si de eius consensu id faciat: at si illa non consentiat, licitè posse reddere, & petere debitum à marito, etiam si ille perperam redditurus sit. Ratio desumpta ex generali doctrina, quam latius tradidi supra lib. 5. Quoties peto actum ab aliquo, quem ille potest bene, vel male præstare, non pecco, neque præbeo causam peccati, alter enim sua maleficia male facit, cum rectè possit efficere. Hac regula vtimur, vt explicemus licere peterè mutuum ab vsurario, quia ille potest sine vsura mutuari: & licitè etiam peti Sacramentum ab excommunicato, qui sua culpa non absoluitur: non verò peti posse ab illo, siue parochus sit, siue non, etiam si paratus sit, si absque sua culpa absolui non potest ab excommunicatione. In eo enim casu non potest rectè actum illum exercere, atque adeò directè cooperor eius peccato. Quæ latius supra lib. 5. prosequuti sumus. Et quidem si vera esset illa prior sententia, non solùm non posset vxor marito ita prauè affecto debitum reddere petenti, sed neque ab eo petere: eadem enim militat ratio. Ita Pontius: sed primæ sententiæ Bauny adhærent aliqui viri docti de hac re aliàs à me consulti.

Quærendum est etiam hinc obiter (ignoscant quæso pudicæ aures: necesse est enim vt hæc sciant Confessarij) an vir immittens pudendam in os coniugis peccet mortaliter, & affirmatiuam sententiam docet Fagundez in Decalogum tom. 2. lib. 6. cap. 3. numer. 19. vbi sic ait. Si membrum virile in os immittatur, committi sine dubio peccatum mortiferum videtur, cum sit inaudita species luxuriæ, & pluf-

quàm contra naturam, si sic dicere fas est: deinde quia est proximū periculum consummandi præposterum, & innaturalem coitum in ore: quare non veniales tantùm huiusmodi tactus esse existimo inter coniuges matrimonio copulatos, sed mortales omnino, horret enim natura similes libidinis modos, etiam inter ipsos coniuges, cum nec inter animantes fiant. Ita ille.

Sed aliquis posset dicere has spurcicias aliud non esse nisi oscula pudendorum, quæ peccata lethalia inter coniuges non esse firmarunt Zarnardus, Filiucius, & alij penes me ipsum in 3. part. tract. 4. resolut. 205. Verùm ego puto hoc non esse simplex osculum pudendorum, sed inceptionem alterius copulæ innaturalis, quam veteres irrumationem vocabant, à ruma, id est, mamma ductum vocabulum, cum mentula tanquàm mamilla ori alterius inferatur. Vide Martialem lib. 2. Epigrammate 47. & Catullum Epigrammate 18. Et ideò ego puto etiam secluso pollutionis periculo virum immittendo membrum in os coniugis mortaliter peccare: nam tunc coniux non osculatur illud simpliciter, sed irrumat: & ideò hanc circumstantiam tanquàm speciem mutantem esse in confessione aperiendam. Vnde ex his referendus venit Sanchez de Matrimonio tom. 3. lib. 9. disput. 17. numer. 5. quem ego citauit in part. 2. tract. 3. Miscellan. resolut. 37. asserens virum immittentem membrum in os vxoris non peccare mortaliter: verùm, vt diximus, à sententia Fagundez non est recedendum.

An Ecclesie Romanae adhuc competat priuilegium præscriptionis centum annorum?

R E S O L. VIII.

Negatiuè respondet Conradus Rittershufius in expositione Nouelle Instumiani part. 11. cap. 1. numer. 3. vbi sic ait. Inter alia verò præscriptionum genera est etiam centenaria siue centum annorum præscriptio, quam Imperator in l. 23. vt inter diuinum (vulgò est l. ultima) C. de sacro sanct. Eccles. concessit Ecclesiis, & locis religiosis, sicut & ciuitatibus. Eandem præscriptionem centenariam (quam & secularem dicere possumus: sicut Horatius Carmen seculare) in honorem Dei concessit Imperator Ecclesiis Catholicis omnibus, tam in occidente, quàm in oriente. Nouell. 9. cuius hæc est inscriptio in vulgata translatione, summam eius complectens vt etiam Ecclesia Romana centum annorum gaudeat præscriptione: tamen in quibusdã Editionibus particula

Etiā omittitur. Ex eius Nouellæ initio obferuetur illustre encomium Romæ, quam Imperator vocat anteriorem, id est, seniore[m] respectu Constantinopolis, quæ noua Roma dicta est, post translata[m] e[st] Imperij sedem, vt & Nouell. 131. cap. 2. vocat enim ipsam patriam legum & fontem Sacerdotij, quæ sicut legum originem sortita est, ita etiam Summi Pontificatus apicem obtinuerit. Quod elogium conferendum est cum plurimis alijs, quæ collegit ex varijs scriptoribus clarissimus Lipsius in admirandis, seu de magnitudine Romana. Sed hanc centum annorum prærogatiuam prius concessam Ecclesijs, alijsque venerabilibus locis, quæ enumerantur tit. Cod. de sacrosanct. Eccles. postea rursus ademit iisdem, substituta in eius locum præscriptione 40. annorum Nouellæ 3. quæ correctoria Nouellæ 9. Ideoque rectè sic inscribitur à veteri interprete: hæc constitutio innouat constitutionem, quæ præscriptionem centum annorum venerabilibus locis dederat. Rationem innouationis ipse reddit Imperator dicta Nouell. 3. quam quidem etiam alia constitutione sua tandem confirmat in Nouell. 131. cap. 6. pro temporabilibus, &c.

Neutro autem loco excipit Ecclesiam Romanam, quasi hæc sola centum annorum præscriptione alijs Ecclesijs denegata adhuc gaudere debeat. Quapropter malè Irnelius in fin. Authent. quas actiones C. de sacrosanct. Eccles. à generali illa constitutione de tempore actionum, siue præscriptione 40. annorum Ecclesijs, alijsque locis sacris competente, exceptit Ecclesiam Romanam, his verbis: Sola Ecclesia Romana gaudente centum annorum spatio, vel priuilegio. Quæ verba, cum neque in fonte Nouell. 3. neque in Nouell. 131. extent, non debuit ipse eam clausulam de suo infarcire. Non enim plus ita debet in transumpto, quàm in originali, neque sine crimine falsi hoc facile fieri potest, vt plus in illo ponatur, quàm in hoc contineatur. Videatur Cuiacius non solum in dicto tract. de diuersis temporum præscriptionibus & terminis cap. 31. Sed etiam l. 5. obs. cap. 5. item in recitationibus ad cap. 13. ad audientiam, & cap. 14. extra de præscriptionib. Item D. Giphanius ad l. vt inter diuinum, & Authent. quas rationes C. de sacrosanct. Eccles. Item Art. Pinellus ad Authent. nisi triennalis numer. 57. C. de bon. matern. Et si autem hæc ita sunt: tamen Andreas Fachinæus lib. 8. controuers. cap. 3. pag. mibi 158. strenuè propugnat pro Ecclesia Romana, eique centum annorum priuilegium adhuc etiam ex Iustiniani mente competere contendit, (quod non credo) & Irnerium defendit: sed ipsius rationes tanti apud me non sunt, vt à Cuiacio, Pinello, & Giphanio, alijs-

que propter eas discedam. Hucusque Rittershusius.

Sed iste Author semper infensus Romanæ Ecclesiæ merito relinquendus est, & idè ad hærendum puto sententiæ affirmatiuæ. Vnde aduersus Rittershusium præter Fachinæum opponam alium doctum Iurifconsultum Petrum Gudelinum de iure nouissimo lib. 6. c. 13. vbi sic ait. An etiam restrictio hæc pertinet ad Ecclesiam Romanam? Sic putauit Cuiacius auctoritate Iuliani, aliorumque quorundam veterum interpretum obseruat. lib. 5. cap. 5. verum id aliter accepit Irnerius dicens Romanam Ecclesiam præ cæteris frui annorum centum præscriptionis priuilegio dicta Authent. quas actiones C. de sacrosanct. Eccles. quasi posteriores constitutiones non sustulerint Nouellam Iustiniani nonam, eaque, vt titulus præfert, præsertim ad Romanam Ecclesiam spectarit. Consentit ius Pontificium aduersus cæteras Ecclesias præscriptionem annorum quadraginta probans cap. de quarta, cap. illud, cap. quia de præscriptionibus. Sed aduersus Romanam non nisi centum cap. ad audientiam, cap. cum nobis, & cap. si diligenti in fine eod. titul. Merito, cum hæc sit caput omnium Ecclesiarum, & in ea apex Summi Pontificatus, dicta Nouell. 9. in princip. Ita Gudelinus.

Dicendum est igitur, quòd cum Iustinianus in Auth. constitutio collat. 8. se ipsum expressè corrigendo admittat generaliter contra Ecclesias 40. annorum præscriptionem, abrogato penitus centenariæ præscriptionis priuilegio, hæc nouior decisio non procedat in Ecclesia Romana, sed solum in alijs Ecclesijs: quasi lex noua loquens generaliter non trahatur ad casum Ecclesiæ Romanæ anteriori lege specialiter prouisum iuxta Gloss. in l. sciendum ff. qui satis dare cogantur. Et idè Irnerius Ordinator Authenticarum hoc ita intelligens post dictam legem finalem C. de sacrosanct. Eccles. adiecit Authenticam, quas actiones, per verba expressè in alijs Ecclesijs quadragenariam præscriptionem admittentia, in Ecclesia verò Romana sola centenariam. Inde etiam emanauit, vt posteriori quoque iure Pontificio eadem retenta opinione expressè & sine vllò dubio referatur contra Ecclesiam Romanam non sufficere, nisi centenariam præscriptionem: contra alias verò quadragenariam præscriptionem sufficere cap. de quarta, cap. ad audientiam de præscriptionibus. Ita vt iure Canonico attento hoc sit penitus indubitatum. Vide præter alios nouissimè Trullench. in Decalogum tom. 2. lib. 7. cap. 4. dub. 7. num. 5.

Notandum est etiam hic obiter contra Supremos Principes & Reges non dari nisi præscriptionem centum annorum. Ita Alexand. consil. 84. num. 2. cum Apostill. lib. 1. & consil. 24. num. 24.

num. 14. ad fin. lib. 5. Olascus decis. 69. num. 13 Crauet. de antiquitat. tempor. part. 4. cap. Absolut. different. quæst. 6. numer. 22. & quæst. 9. præsertim numer. 36. & post Decian. dicto consilio 124. numer. 44 lib. 1. Fachina controuers. iuridic. lib. 8. cap. 3. versiculo quod attinet. Eadem est resolutio ac de Republica non agnoscente Superiorem. Socinus consil. 86. numer. 12. in fine cum sequent. lib. 1. Menoch. consil. 1101. num. 44. Surdus decis. 1. præsertim sub num. 2. num. 7. & num. 8. & num. 9. ex leg. vltima C. de sacro sanct. Eccles. Vvesembec. consilio 5. in initio 5.

An, ne crimen socij manifestetur in confessione, obligetur pœnitens adire alium Confessarium, cui confitendo in cognitionem complicitis venire non possit?

R E S O L. IX.

Etiam stando in opinione, quòd pœnitens possit & debeat explicare in confessione Complicem sui peccati, adhuc ad casum propositum affirmatiuè respondent Doctores. Ita Ioannes Vvigers de Sacram. in suppl. m. ad 3. part. quæst. 9. art. 2. num. 15. Vasquez in 3. part. tom. 4. quæst. 91. art. 2. dub. 3. num. 1. Conich de Sacrament. disput. 7. dub. 9. num. 88. Valboa in cap. omnis de pœnitent. verb. fideliter num. 63. & alij communiter: quia sic confitetur integrè, & Confessarius in suspicionem personæ Complicitis non venit.

His tamen non obstantibus, non desinam hic adnotare Patrem Fagundez in præcept. 2. Ecclesia lib. 5. cap. 1. num. 3. negatiuam sententiam docere: asserit enim in tali casu non esse præceptum, sed consilium, quòd pœnitens alium Confessarium quærat, qui in suspicionem Complicitis venire non possit, quia si aliquod præceptum adesset, esset præceptum diuinum de conseruanda, ac tuenda fama Complicitis, quam putat in casu, de quo loquimur, non periclitari.

Sed merito aduersus illum insurgit nouissimè Pater Lugo de Sacrament. Pœnit. disput. 16. sect. 7. num. 392. quia pœnitens aliter faciendo absque causa infamat proximum, cum possit adire Confessarium cui persona Complicitis ignota sit. Et idè posset aliquis dicere ad restitutionem famæ teneri, cum sine rationabili causa manifestauit Complicem: poterat enim, vt suppono, sine vllò incommodo alium Confessarium petere; & idè non solum peccauit contra charitatem sed etiam contra iustitiam. Erit autem, vt optimè obseruat Lugo vbi supra num. 418. aprior modus restituendi, si extra confessionem dicatur Confessario sub eodem

figillo: Erraui, dum tibi vnum Complicem pro alio dixi, quem errorem si potuerit Confessario apparentibus rationibus persuadere non mentitum; cum reuera errauerit, illum Complicem, quem non debebat manifestando. Et in casu, quòd impossibilis, vel inutilis esset talis famæ restitutio, semper tamen pœnitens tenebitur impedire, vel rescircire omnia damna extrinseca, quæ ex tali manifestatione iniusta Complex patietur. Ita Lugo satis quidem probabiliter: sed vt verum fatear, si opinio illa Caietani esset probabilis, nempe manifestare crimen vni vel alteri, qui pro sua prudentia suppressuri sint silentio, non esse peccatum mortale, probabiliter excusaretur talis pœnitens à famæ restitutione: scio P. Lugo n. 395. dictam Caietani opinionem falsam vocare: tamen probabilem ego puto, & illam me citato tanquam probabilem admittunt hi omnes videlicet, Stephanus Bauny in Theolog. Moral. tract. 4. quæst. 15. dub. 8. Basseus in Floribus Theologia Practica verb. detractio 1. numer. 11. & Zambellus in Repertorio Morali, verb. fama num. 10. præter alios, quos ego alibi adduxi: quibus adde Cælestinum in Compend. Theolog. Moral. tract. 10. cap. 2. Concedo tamen sententiam Patris Lugo contra Caietanum esse probabilioram, quam nouissimè sustinet Ioannes Vvigers de iustit. & iur. tract. 4. cap. 1. dub. 4. num. 16. & Agidius Trullench in Decalogum tom. 2. lib. 7. cap. 10. dub. 11. & Fagundez etiam in Decalogum tom. 2. lib. 8. cap. 2. num. 24.

An qui priuatim recitat diuinum officium, sufficiat vocem formare labia mouendo, etiam si à se ipso audiri non possit?

R E S O L. X.

Affirmatiuam sententiam docet Bonacina de horis Canonicis disput. 1. quæst. 3. punct. 1. §. 1. num. 23. Zambellus in Repertorio Morali verb. officium num. 11. & nouissimè in suis eruditissimis Commentarijs ad Decalogum. Agidius trullench tom. 1. lib. 1. cap. 7. dub. 11. num. 9. vbi sic ait. Quæres, quæ vox sufficiat in eo, qui priuatim recitat; an talis vt ab alijs exaudiri possit. Respondeo satis esse vocem formare labia mouendo, etiam si à nemine, neque ab ipso proferente audiri possit: quod tanquam probabile & tutum admittendum cenfeo, non tantum propter scrupulosos, sed absolutè quoad omnes: quia huiusmodi verè vocaliter orant, vt comprobatur ferè communis fidelium vsus: nullo enim officio, aut iure probatur: quia præceptum non ad audiendum, sed ad dicendum obligat: Et ex alia parte oratio

tradit Rebuff. vbi supra, qui ait huiusmodi pretium redemptionis cedere lucro capientis, vel capientium inter eos diuidendum: dum tamen non excedat millia decem, quia tunc pertinet ad Principem, cuius est liberalitas suam capientibus exhibere, vt per Boer. *decif. Burdegal. quest. 178. incip. an licitum, col. 1.* Et refert ita in suo Senatu in facti contingentia fuisse decretum. Ait enim Rebuff. hoc casu regulandum esse pretium redemptionis ex qualitate & diuitiis personæ captæ. Ex quo satis colligitur milites capientes posse cogi à iudicibus exercitus pro pretio sic regulato captum relaxare, etiam si nolint, nec posse adstringere huiusmodi captos, vt sibi seruitutem seruiant: cum non sint seruifed interim detenti quousque se redimant. Quamuis autem hæc Doctorum traditio, quod Christiani in bello capti à Christianis teneantur se redimere, & possit licitè pretium recipi iure belli, vt ipsi dicunt: Ego nunquam tale ius belli inueni in legibus Cæsareis, nec ipsi allegant. Vnde intelligo de iure consuetudinario in bellis Christianorum id fieri; quæ consuetudo non est improbanda, quia inuenta ad euitandum maius malum; vt milites allekti spe pretij captiuorum, potius eos seruent, quam interficiant. Hucusque Aluarus Valaschus.

Sed aduersus Lusitanum alius Lusitanus insurgit, & is est Benedictus Egidius in *l. ex hoc iure ff. de iust. & iur. part. 1. cap. 1. numer. 7.* vbi sic ait. Secundum aliquos sic capti retineri solent, & præstita pecunia dimitti: quod ius consuetudine defendit Valaschus, vt etiam secundum illud pro promisso redemptionis pretio conueniri possint coram iudice, qui capti fuerunt. Mihi quidem probabile non videtur ex promissione tali actionem oriri, quando captus ob hoc ipsum captus proponeretur, vt redemptionis suæ pretium daret. Etenim secundum prædictam consuetudinem cum communi Doctorum traditione capientis non fit, nec hoc ius capturæ & retentionis ob pretium redemptionis extra seruitutis casum legibus Cæsareis inuenitur, vt idem Valaschus fatetur. Vnde redemptionis promissio tanquam sine iure, & contra bonos mores extorta in prædicto casu non valitura videtur. Si verò captus esset maioris damni & periculi euitandi causa, videlicet vt ab aliorum militum imperu, & strage seruarietur, tunc non vt redemptionis pretium, sed vt custodiæ, ac tutelæ merces pecunia recipi, & exigi poterit, quocasu Valaschi sententiam probō. Ita Benedictus Egidius.

Verum ego sententiæ Valaschi affirmatiuæ libenter adhæreo: & ratio est quia in pœnam iniusti belli, & iniusti periculi, in quod vi-

ctorem iniecit, potest ab eo exigi vis argenti: at dum debitor non soluit, licitè retinetur in vinculis à Creditore auctoritate iudicis. Item poterat licita morte puniri, quam pretio redimendam vult victor. At non propterea Christiani sic capti sunt mancipia; sunt enim sui iuris, & possunt celebrare contractus: parum enim differunt à carceratis propter æs alienum. Et ita ex his rationibus nobis adhæret Hurtadus de Mendoza *de fide volum. 2. disputatione 169. sect. 11. §. 105.* qui testatur de communi ferè sententia, quam nouissimè sequitur etiam Egidius Trullench *in præcept. Decalogi tom. 1. lib. 5. c. 2. numer. 11.*

An si v. g. non inueniatur hostia magna possit Sacerdos Missam celebrare, & consecrare particulam parvam?

R E S O L. XVII.

DE hoc casu his diebus interrogatus fui. Et aliqui negatiuè respondebant, quia est de necessitate præcepti, vt hostia sit rotunda, ac debitæ magnitudinis: nam etsi magnitudo, aut paruitas non obstant, quò minus per se loquendo validè consecratur materia, non licet tamen Sacerdoti in quantalibet magna quantitate, aut modica id facere, ob ingentia incommoda, certaque peccandi pericula, quibus talis actio exposita patet.

Sed hæc omnia admittenda essent, si Sacerdos consecraret hostiam quantitatis modicæ sine aliqua iusta causa; secus autem si hoc faceret ex aliqua necessitate: & ideò non grauior hic apponere verba instructionis ordinandorum pro Archiepiscopatu Hispalensi, quæ nouissimè anno 1640. iussu Inquisitoris Martini Real viri quidem docti & amicissimi edita fuit: vnde *in part. 5. §. 8. numer. 4.* sic habetur. [Es necesario que la ostia de la missa sea mayor que la forma que se da à los seglares. Respondeo. Que si no ay mas que esta forma se puede dezir en secreto missa con ella, y si es dia di fiesta para que cum plan con el precepto otros muchos se puede, y aun se deue, si se los auisera antes si fuere necesario para que no se escandalizen.

Assi lo sientan Varones doctos,
quibus ego libenter
adhæreo.

* * *

De

De quibusdam quaesitis circa aquam naturalem necessariam in Baptismo; & sacrificio Missæ.

R E S O L. XVIII.

VT hæc Resolutio Lectoribus non malè oleat, de aqua rosacea, & aliis aquis ex herbis vel floribus extractis erit non incuriosus sermo.

Quæro igitur primò. An in casu necessitatis baptismus possit conferri sub conditione cum aqua rosacea, vel ex herbis extracta. Respondeo, nouissimè affirmatiuam sententiam tanquam probabilem admittere Stephanū Bauny in *Theolog. Moral. tract. 2. quest. 4.* vbi sic asserit. Inferitur secundò ob contrariam rationem, in sudore corporis, humoribus expressis ab herbis, floribus, aut oculis conferri non posse, quia non sunt vera aqua simpliciter dicta elementaris, & vsualis secundum communem vsu, & conceptionem hominum. Non desunt tamen, qui pro extrema necessitate contrarium sentiant, quia non constat, an tales humores specie differant ab aqua naturali: ergo vt minimum materia sunt dubia Sacramenti: at materiæ dubiæ semper locus est in necessitate ex Reginaldo *loco citato, num. 13.* quia sub pœna peccati mortalis est consulendum proximo periclitanti de anima, cum id fieri potest sine certa Dei offensa: at vtrumque hîc concurrat. Primò, periclitatio de salute, cum eius obtinendæ spes nulla sit ordinariè sine baptismo. Secundò concurrat etiam culpa priuatio, cum in tali casu auctores nullam agnoscant: necessitas enim extrema irreuerentiam excusat, quæ ea cessante in Sacramentum admitteretur, Ministro se sua sponte exponente per vsu talis materiæ periculo nihil faciendi. Hæc sententia non est improbabilis, quam qui sequetur in necessitate extrema spirituali pueri, baptismum non dabit, nisi sub conditione hoc modo. Si aqua, qua vtor, est materia baptismi sufficiens, ego te baptizo: si non est, non te baptizo: sic enim admittendi sacrilegij periculum vitatur, vt ante est probatum. Hucusque Bauny. Cui etiam addè aliquos viros doctos ex eadem Societate I E S V de hac re à me consultos: & publicè hanc sententiam in Collegio Panormitano P. Franciscus Bardi tanquam probabilem docuit.

Sed aduersus hanc sententiam contra Puteanum, Tannerum, Chamerotam & alios recognosce me ipsum *in part. 5. tract. 3. resol. 1.* Et me citato nostrum Patrem Lanfranchum *tom. 2. opuscul. 1. cap. 4. numer. 7. vsque ad numerum 16.*

Quæro secundò. An panis ex aqua rosa-

cea factus sit materia apta Eucharistiæ. Respondeo negatiuè cum Diuo Thoma omnium magistro *in 3. part. quest. 74. art. 7. ad 3.* & aliis, quos citat & sequitur Pericus *de offic. Sacerd. lib. 1. c. 12. dub. 2. n. 19.* & Bonacina *tom. 1. disp. 2. quest. 2. punct. 1. num. 4.* cum Ioanne Vigiers *de Sacrament. in 3. part. quest. 74. art. 3. numer. 17.* Et ratio est, quia tam differt aqua rosacea ab elementari, quam farina non triticea, ab ea quæ est talis. Ergo vt variatio formæ idoneæ consecrationi officit, ita & variatio substantialis liquoris, quo farina in hoc Sacramentum miscetur. Confirmatur, succus herbarum aut florum in fornace expressus vi ignis non est aqua nisi similitudine, & cum addito dicitur enim aqua rosacea, verbi gratia, & non simpliciter aqua. Deinde etsi aqua rosacea specie physica essentiali non differret à naturali: saltem distinguitur forma artificiali, & vsuali, quod in Sacramentis sufficit.

Non desinam tamen hîc adnotare Caietanum non solum sacra purpura, sed etiam literis Eminentissimum *in 3. part. q. 74. art. 7.* in dubium hanc sententiam posuisse. Et ideò sic asserit. Circa aquam, ex qua fit panis pro Sacramentum, vidè rationem literæ in calce articuli, ad probandum, quod oportet esse aquam veram, & naturalem, & suscipere illam, vt rationabilem. An autem sit necessaria, cogitatione opus est, & ratio est eadem cum superius dicta de diuersis speciebus granorum componendum panem, quia enim ad Sacramentum sufficit, quod sit verus panis, si panis verus potest fieri ex aqua artificiali, puta rosacea, consequens est, quod non est de necessitate Sacramenti aqua naturalis. An autem panis consecutus ex farina, & aqua rosacea, esset verus panis, experientia comprobandum esset, videndò in quo differret ab aliis panibus: nam si solo odore rosarum differre appareret, crederem ipsum esse eiusdem speciei cum aliis, cum aqua non sit pars essentialis panis, sed materia transiens eiusdem: non enim permanet aqua secundum se ipsam in pane, sed panis est tertia res resultans ex commistione farinæ & aquæ per pasta decoctionem: non est autem remotum diuersarum specierum res posse esse materiam transeuntem respectu alicuius vnus etiam homogenei, vt patet de his, ex quibus generatur sanguis. Hucusque Caietanus, sed contra illum insurgit nominatim Fagundes *in præcept. Eccles. præcept. 3. lib. 2. cap. 1. numer. 14.* Coninch *de Sacrament. quest. 74. art. 3. n. 46.* Layman *lib. 5. tract. 4. cap. 2. numer. 3.* Et ad argumentum Caietani, quod panis ex aqua rosacea confectus non videatur differre essentialiter ab aliis panibus, quicquid sit de differentia essentiali, respondeo differre saltem forma artificiali, & vsuali, quæ in materia Sacramentali

mentali spectanda est. Nota tamen Valentiam tom. 4. disput. 6. quest. 2. punct. 1. docere sententiam Caietani non esse improbabilem: sed Sorus in 4. dist. 9. quest. 1. art. 7. dicit non esse tutam: ideo tu iudica.

Quæro tertio. An si in sacrificio Missæ infundatur vino parum non aquæ naturalis, sed aquæ rosaceæ, vel ex aliis herbis aut floribus extractæ conficiatur Sacramentum. Respondet cum Ioanne Molano in Compendio Theologiæ Practicæ tractat. 4. cap. 7. conclus. 4. numer. 39. licitum esse non posse aquam rosaceam pro naturali in Missa cum vino misceri: sed si misceretur, valida esset consecratio: & ita in terminis docet Angelicus Doctor in 3. part. quest. 74. artic. 7. ad 3. vbi sic ait. Quia admistio ad vinum non est de necessitate Sacramenti, non refert quantum ad Sacramenti necessitatem, quæcunque aqua misceatur vino, siue naturalis siue artificialis, vt rosacea: quamvis quantum ad conuenientiam Sacramenti peccet, qui aliam aquam miscet, nisi naturalem, & veram: quia de latere Christi pendens in cruce aqua vera profuxit, non humor phlegmaticus, vt quidam dixerunt, ad ostendendum quod corpus Christi erat verè compositum ex quatuor elementis, sicut per sanguinem fluentem ostendebatur, quod erat compositum ex quatuor humoribus. Ita Diuus Thomas. Peccaret igitur mortaliter Sacerdos, si aquam rosaceam, aut artificiosam misceret in Missa: faceret enim contra præceptum, & consuetudinem Ecclesiæ in re graui.

Sed quid dicendum in casu necessitatis, quando non possit alia aqua haberi. Et licere tunc affirmat Paludanus in 4. distinctione 11. quest. 1. artic. 6. conclusione 3. Verùm aduersus illum insurgit Persicus de offic. Sacerdot. lib. 1. cap. 2. dub. 7. numer. 53. vbi numer. 55. etiam quærit pulchrum dubiolum. An sit peccatum mortale miscere in Missa aquam calidam vino, etiam si sit naturalis, & affirmatiuè respondet, quia sic faciens faceret contra consuetudinem Ecclesiæ, & nouum ritum introduceret. Et ita hanc sententiam præter Persicum docet etiam Fagundez in præcept. 2. Ecclesiæ lib. 2. cap. 4. num. 14. aliqui verò de hac re à me consulti putant hoc esse nimis durum, quia non est mutatio grauis ritus. Concedo tamen, quod si in aliqua frigidissima regione esset consuetudo miscere aquam calidam,

ne fortè vinum congeletur,
posse sine vllo peccato
id fieri.

* * *

Quidam ex graui necessitate Parentum egressus Religione non poterat illos iuuare, nisi habitum Religionis dimitteret seruiendo viro nobili in habitu seculari: quæritur, an licitè hoc fieri poterat?

R E S O L. XIX.

Suppono tanquam certum filios Religiosos Professos pro viribus in Religione niti debere, vt huic graui parentum necessitati succurrant salua regulari obseruantia, & prælatorum obedientia: quod si non possunt, tunc quidem petita, & non obtenta licentia, licitè poterunt egredi, quamuis ad id non teneantur. Hoc supposito ad dubium propositum negatiuè videtur respondendum, quia licentia dimittendi habitum, cum sit res grauissima, à solo Papa concedi potest, & est tam aliena à statu Religioso, vt nec Episcopus habitum Religionis possit dimittere.

Non desinam tamen hic adnotare affirmatiuam sententiam docere nouissimè Fagund. in Decalog. tom. 1. lib. 4. c. 2. n. 28. vbi sic ait. Mihi videtur posse huiusmodi Religiosum habitum dimittere, si non aliter, nec alio modo iuuare parentes possit in graui necessitate constitutos, nisi illo dimisso: si enim licitus est ei tunc egressus, cur non licebit etiam medium necessarium ad hunc finem: præsertim cum non habitus, sed virtus Religiosum efficiat? Nec est simile de exemplo Episcopi, quia nulla necessitas cogit Episcopum Religiosum ad mutandum habitum suæ Religionis, vt patet. Iam verò quod Prælati Religionum, qui licentiam dare possunt Religiosis, vt ad tempus religionem egrediantur ad iuuandos parentes, possint etiam eam dare ad mutandum habitum, si sic possint illos iuuare, & aliter non possint, id, vt dixi, clarè supponit Nauarr. Comment. 3. de Regularib. n. 49. ait enim ibi prædictam licentiam non esse concedendam ab ordinario Prælato Religiosorum, nisi quando habitu retento parentes suos commodè iuuare non possunt: ergo ex sententia Nauarri, quando aliter eos iuuare non possunt, poterit eis proprius Prælati licentiam ad mutandum habitum dare.

An filij succedentes Patribus per intermediam personam hereditantes tantum maioratus, vel bona vincularia teneantur soluere debita parentum post eorum obitum: Et quid de vxore mortuo viro?

R E S O L. XX.

Causa est practicabilis & quotidiana: Et affirmatiuam sententiam docet cum multis nouissimè

nouissimè Fagundez in Decalogum tom. 1. lib. 4. cap. 2. num. 36. & cap. 9. num. 10. vbi tener filios, qui nihil aliud bonorum præter maioratum à maioribus institutum à patre acceperunt, teneri soluere debita patris contracta ad familiam alendam, soluendam famulorum mercedem, locationem domus, & ad vestes & cibaria familiæ. Et idem est dicendum de maioratu, quem patres instituerunt siue post, siue ante debita contracta. Fundamenta huius opinionis validissima sunt. Primò, quia ea debita parètur conuersa fuerunt in vtilitatem filiorum primogenitorum, ad quos bona vincularia, & maioratus spectant: vbi autem res aliena in vtilitatem alicuius conuersa est, quamuis ille eam non acceperit, tenetur tamen in defectum accipientis, qui non est soluendo eam soluere. Patet ex l. & qui 7. §. alioquin C. cum eo, & ex l. his solis ff. de condit. indubit. vbi decernitur ius repetendi pecuniam competere solum contra recipientem: quod intelligendum est, quando recipiens est soluendo: nam si non sit soluendo competit etiam iuxta glossam ibi verb. proficit, contra eos, quibus profecit, modò illi rem illam habeant ex causa lucratiua: fecus si ex onerosa: sed quando parentes pecunias mutuas acceperunt, mutuū illud seu pecuniā illā conuersā fuerunt in vtilitatem & commodum filiorum, habentque illas ex causa lucratiua: lucrati enim sunt eam vtilitatem, & illud commodum non ex causa onerosa, ergo patre impotente ad soluendum tenentur filij natu maiores ea debita persoluere. Deinde, quando pater est pauper, & filij sunt diuites, tenentur filij patres alere cum tota familia, ergo filij maiores natu, cum sint diuites tenentur soluere debita facta à Patre ad ipsos, & eorum familiam sustentandam. Deinde quia alienum prorsus à ratione est, vt Creditores amittant pecuniam suam, quam nobilibus gratis accommodarunt, de qua constat fuisse totam conuersam in commodum & vtilitatem filiorum primogenitorum, maiorumque natu: alioquin enim liceret filiis maioribus natu habentibus bona vincularia furari, saluis bonis vincularis ad alendos parentes, & familiam illorum, cum id perinde esset: nisi enim creditores illam pecuniam illis commodarent, bona maioratus minuerentur magis ac magis, ac oppignerarentur: cur ergo non tenebuntur postea ipsi filij ad huius debita? Et ita hanc sententiam in foro conscientie Salonijs tenendam esse existimat tom. 1. in 2. 2. quest. 5. de dominio art. 5. post vlt. conclus.

Verùm his non obstantibus negatiuæ sententiæ adhæret Sanchez de matrimonio, lib. 9. disput. 4. num. 28. & 29. & eam tenet Alciatus l. si eum seruum 27. ff. si cert. petat. Decius ibi num. 1. Additionator ad Decium litera A, lo-

quætes de filiis expressè, loquens verò de vxore & filiis simul idem Sanchez allegatus: loquens autem de vxore tantum Molina Theologus, tom. 2. de iustit. disp. 425. §. tertium est fol. mibi 2195. vbi expressè asserit debita Mariti non teneri soluere vxorem ex dote propria: etiam si facta sint ad ipsam familiam communem sustentandam, modò lucris renuntiet: & pro hac parte ita sæpè fuisse circa vxorem iudicatum in Senatu Lusitano, testatur ipse Molina allegatus, & Gama in decis. 366.

Dicendum est igitur filios, aut vxorem non teneri ad debita mariti ex sua dote, & capitali, etiam si debita contracta sint ad vxorem, & familiam alendam. Ratio est, tum quia vxor, aut filij nihil egerunt cum creditoribus mariti, aut patris: nam ipsi non acceperunt pecuniam, nec alius ipsorum nomine accepit à creditoribus patris, seu mariti: tum quia actio ob mutuum est personalis, & competit Creditori solum aduersus eum, cui data est mutuo pecunia: non verò aduersus eos, quibus mutuatarius pecuniam mutuo acceptam tradidit l. cum cui 13. C. de action. & obligat. vbi sic habetur. Eum cui mutuum dedisti pecuniam, ad solutionem vrgere competenti debes actione: nam aduersus negociatores, quos ex mercibus pecunias abstulisse tuo debitori proponis, nullam habes actionem: ergo creditores nullam habent actionem contra vxorem aut filios: ergo vxor, aut filij non tenentur creditoribus mariti, aut patris pro pecunia ad alendam vxorem vel filios à patre mutuo accepta: tum quia vxor soluto matrimonio potest integram dotem repetere, etiam si maritus aliquid superflue expenderit in ipsa alenda ex Nauarro cap. 17. n. 155. Sanchez loco citato. Rodriguez tom. 1. summa cap. 100. num. 7. contra Barbosam: dos enim habet ius prælationis: ergo vxor non tenetur ad debita mariti: tum quia vxor aut filij nihil alienum acceperunt: nam alimenta receperunt à patre, qui dominus illorum erat, & illorum dominium in alios transferre poterat: qui autem aliquid à vero domino accepit, non tenetur ad restitutionem. Ex quo sequitur vestes, aut alimenta quæ maritus emit ex pecunia mutuo accepta, & vxori tradidit, non esse obnoxia restitutioni, etiam si actu extent apud vxorem: nam creditores nullam habent actionem contra res mutuo emptas, sed solum actionem personalem habent aduersus mutuatarium. Et ideo hanc sententiam probabilem esse admittunt etiam si Aduersarij, vt Fagundez, vbi supra: cui adde Trullench in Decalogum tom. 1. lib. 4. cap. 1. dub. 2. num. 16. & Bonacina tom. 2. disput. 6. quest. unica punct. 7. num. 13. Et post hæc scripta inueni hanc secundam sententiam in fauorem filiorum, & vxorum docere etiam Reginaldum tom. 2. lib. 31.

cap. 40. num. 306. vbi sic ait. An quando soluto matrimonio nulla viri bona superant, vxor teneatur ex bonis dotalibus soluere debita à viro contracta ad prouidendum ipsi & familiæ de necessariis ad vitam; & similiter an filij teneantur soluere mutuum à patre inope acceptum ad eos alendos. Atque in vtramque partem allatis variis legibus ciuilibus negantem iudicat probabiliorem fundatam in hac ratione, quòd maritus, patèrque obligetur vxori & filiis ad alimenta eis præstanda, sicut obligatur creditori mutuo acceptum soluere: quam obligationem sicut inopia non tollit in hoc casu, ita nec in illo; sed tantum suspendit, quandiu ipsa durat, vt argumentum est, quòd si opes augeat, contingat, vt ea ipsa obligatio recurat, quod non fieret, si esset prorsus extincta. Quo supposito licet intelligere viro contrahenti debita ad satisfaciendum obligationi, quam habet familiam alendi perinde vsu veniet, ac contrahendi noua debita ad satisfaciendum antiquis. Vnde sicut creditores, quibus hæc soluta sunt ex pecunia de nouo accepta mutuo, non tenentur illam refundere ei, à quo data est mutuo: ita nec vxor & filij tenentur satisfacere debitum à marito, vel patre contractis ad satisfaciendum obligationi, quam habuit supeditandi eis alimenta, quia tantum acceperunt sibi debitum solutum de eo, cuius habebatur dominium acquisitum per contractum mutui. Huc vsque Reginaldus, & Sceuillez, quibus ego libenter adhæreo. Et idè multos pœnitentes in tali casu ab onere restitutionis liberaui.

Notandum est tamen aliquos de hac re à me consultos docere successorem in maioratu teneri soluere debita contracta ab illo qui maioratum instituit, etiam ante institutionem maioratus; quia illa bona erant hypothecata dictis debitum, & alioquin posset quis instituire maioratum in fraudem creditorum.

An filius peccet mortaliter si non ducat dignam, quam Pater vult: sed aliam ducat æquè dignam?

R E S O L. XXI.

Peccare mortaliter asserit Fagundez in Decalogum tom. 1. lib. 4. cap. 4. numer. 4. vbi sic asserit. Ego illam opinionem sequor, quatenus asserit esse peccatum mortale filium contrahere contra voluntatem, & consensum Patris: quia in re graui ei non obedit; & aliunde Pater æquè dignam, & diuitem ei ducendam proponit, ac illam, quam filius sponte sua elegerat. Ita ille.

Sed ego olim in facti contingentia negatiuæ sententiæ adhæsi, quam tuctur Sanchez de Matrimonio tom. 1. lib. 4. disput. 23. num. 10. cui adde nouissimè Trullench. in Decalog. tom. 1. lib. 4. cap. 1. dub. 2. num. 13. vbi sic ait. Dico filium teneri Patrem consulere, si commodè fieri potest, & non longè abest, aut si non timet malitiosè impedimentum: non tamen tenetur consilium sequi, nisi ducat indignam: at si ducat dignam, non tenetur sequi Patris voluntatem, ita Trullench. Vide etiam Toletum in summa lib. 5. cap. 1. num. 6.

Notandum est etiam hîc obiter, quòd Fagundez vbi supra num. 5. fatetur filium Magnatis, quem Pater non vult alere secundum qualitatem personæ, non peccare mortaliter, si incio, ac inuito parente fœminam diuitem & nobilem ducat, genere aliquantulo inferioriorem.

Impubes ante 14. annum nondum completum vsuet Religionem ingredi, facto pubere moritur Pater, & ei legitimus Curator constituitur: queritur vtrum possit Curator votum illud irritare?

R E S O L. XXII.

Negatiuè respondet Suarez de Religione tom. 2. lib. 6. cap. 6. num. 25. Quia Curator datus est ad gubernationem minoris in bonorum administratione, non in persona. leg. in copulandis 9. Cod. de nupt. ibi. Nec Curatoris: qui solum rei familiaris sustinet administrationem, cuius officium durat vsque ad vigesimum quintum annum completum, quo tempore finitur pubertas: sed irritare vota personalia est actio spectans personam minoris, non eius bona. Ergo Curator hac potestate non gaudet. Item illa vota fuerunt emissa sub conditione, si Patri placuerint, & illo defuncto si placuerint Tutori: non autem emissa fuerunt sub conditione, si Curatori placuerint: quia tempore quo fuerunt emissa non erat dabilis Curator: at tutoris officium cessat obtemperata pubertate. Instit. Quib. mod. tutel. finit. in princip. Ibi, Pupilli, pupillaque cum puberes esse ceperint, à tutela liberantur. Ergo cessat in Tutore potestas ea vota irritandi: neque transit in Curatorem: tum quia sub beneplacito Curatoris non fuerunt emissa. Tum quia Curator non succedit Patri in gubernatione filij tempore impubertatis, sed pubertatis. Confirmatur hæc opinio. Nam Sorus de instit. lib. 7. quest. 3. art. 2. dub. vlt. Aragon. in 2. 2. q. 88. art. 9. Alcocer. in summa cap. 16. conclus. 5. & alij docent nec ipsum Patrem posse irritare vota filiorum impuberum post eorum pubertatem. Ergo à fortiori

fortiori neque Curator talem habebit potestatem.

Verùm his non obstantibus in facti contingentia affirmatiuam sententiam consului, quam tuctur Sanchez in summa tom. 1. lib. 4. cap. 30. num. 5. & post illum nouissimè Fagundez in Decalogum tom. 1. lib. 2. cap. 33. num. 22. Fragofo in Regimen. Reipubl. Christian. tom. 1. lib. 6. disput. 16. num. 76. & Trullench. in Decalog. tom. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 35. num. 7. Et ratio est, quia Pater potest irritare hæc vota, & iuramenta respectu filij post pubertatem, ergo & Curator, dum eius officium durat, id est, vsque ad vigesimum quintum annum minoris completum: nam vsque ad hoc tantummodò tempus durat officium Curatoris: quia vt omnes Authores fatentur, curator respectu sui Minoris, vicem gerit Patris, & Patri succedit, illique æquiparatur in omnibus. Vnde si Pater potest, potest etiam ipse Curator, dum Curator est: nam ea vota semper manent imperfecta, vt prius erant, ratione imperfecti iudicij, & pendentia à conditione: nisi Pater aut succedens Patri in potestate irritauerit. Nec refert, quòd Curator detur primariò ad rem familiarem minoris administrandam; non enim datur solummodò ad solas res minoris administrandas; sed datur primariò & principaliter ipsis rebus sustinendis, & administrandis: secundariò verò datur personæ Minoris, vt illam etiam dirigat, & gubernet, vt latè probauimus n. 20. & hoc sufficit, vt prædicta illius vota, & iuramenta irritare valeat, vt patet. Vnde patet responsio ad argumenta adducta in fauorem Patris Suarez.

Et ita nostram sententiam præter Doctores citatos, tenet etiam Castrus Palauus tom. 1. tract. 15. disp. 2. punct. 5. §. 3. n. 6. qui optimè notat n. 7. idem dicendum esse de Matre, ac de alijs Curatoribus. At si hoc officium non exercet, tametsi nullus sit Curator, vota impuberis post pubertatem non poterit irritare, quia Matris, quæ Mater est, nulla filij puberis gubernatio conceditur, neque in ordine ad personam, neque in ordine ad bona.

Ex his inferitur à fortiori contra Sotum, Aragonium, & alios supra citatos, posse Patrem irritare vota filiorum ante pubertatem emissa; & ita tenet Cassianus in 1. 2. quest. 89. art. 5. Coelestinus in compend. Theolog. Moral. tract. 5. cap. 5. num. 6. Lessius lib. 2. c. 40. dub. 14. num. 83. Valent. tom. 3. disput. 6. quest. 6. punct. 6. Azorius part. 1. lib. 11. cap. 17. quest. 7. & alij penes ipsos. Quod tamen intelligendum est, modò pubes post acquisitam pubertatem non ratificauerit vota tempore impubertatis facta. Et in dubio an ratificatio facta fuerit post pubertatem, vel an filius ratificauerit votum, præsumendum est votum non fuisse ratifica-

tum, vel ratificationem non fuisse factam post pubertatem, & consequenter Patrem posse huiusmodi vota irritare: quia confirmatio est quid facti, factum autem non præsumitur nisi probetur.

An bona fide dispensans in voto existimans adesse causam, cum tamen non sit, valeat dispensatio?

R E S O L. XXIII.

Negatiuè respondet Castrus Palauus tom. 1. tract. 15. disput. 2. punct. 9. num. 4. vbi sic ait. Verus credo ob causam legitimam, sed in re illegitimam, non subsistere dispensationem, esto dispensans, & dispensatus excusentur à culpa. Quia ad sedandos scrupulos, & pacandas conscientias id necessarium non est: sufficit enim quòd præsumatur legitimam esse dispensationem quæ rectè præsumi potest, quoties conceditur ex causa, quæ creditur legitima: immò ex causa, quæ dubia est. Nam stante hac præsumptione tutus est dispensatus, & securè procedit. Quòd verò dispensatio detecta nullitate causæ subsistat, neque ad rectam gubernationem, neque ad scrupulos vitandos, sedandasque conscientias expedit: sed potius expedit contrarium, ne Deus censeatur errori fauere. Adde iura & Doctores clamare ad dispensationis valorem causam legitimam requiri: ergo veram, & non apparentem tantum. Ita ille, cui adde Doctores quos citat & sequitur Bonacina tom. 2. disputatione 1. questione 2. punct. 4. num. 8.

Sed ego affirmatiuæ sententiæ adhæreo: quam tenet Lessius lib. 2. c. 40. dub. 17. n. 119. Sanchez in summa tom. 4. lib. 44. n. 10. quibus adde nouissimè Egidium Trullench. in Decalogum tom. 1. lib. 2. dub. 33. num. 24. vbi ita asserit. Si quaras an prædictis casibus corrumpat dispensatio: detecta postea veritate in contrarium. Respondeo, si dubium erat de sola Superioris potestate, an ille esset legitimus, si reuera habebat titulum coloratum, valebit dispensatio: nam eius acta valent, leg. Barbarius ff. de offic. Prætor. Secus si non habebat titulum. Si autem dubium ortum sit ex alijs causis, vt quia dubitatur, an potestas delegati extendatur ad hunc casum: aut an id votum sit referuatum, aut an causa fuerit sufficiens, tunc dispensatio bona fide concessa non corrumpet, detecta postea veritate in contrarium: quia dispensatio non fuit conditionalis, nec valor pendens à futuro euentu: hoc enim petit reuera Ecclesiæ administratio, nec aliter vitarentur innumeri scrupuli, qui suboriri possent. Demum si dubium fuit ex ratione veritatis

tacitæ, aut falsæ causæ expressæ, aut in illa fuerit finalis, corruet dispensatio, iuxta dictum hoc dubium, Quæres quartò, quia hoc non pertinet ad Superioris potestatem, quæ in bonum Ecclesiæ est latè interpretanda: sed ad solam eius voluntatis veritatem reducitur, quæ est tantum dispensare iuxta propositam sibi veritatem. Hucusque Trullench. Itaque æquitati consonum esse videtur ad sedandos scrupulos, pacandæque conscientias, & Ecclesiæ rectam gubernationem, vt Deus remissionem voti nomine ipsius bona fide factam approbet, & confirmet, nec debet in nostro casu à futuro euentu dependere.

An leuitas in vouendo præstet sufficientem causam dispensationi: etiam si vouens non habeat difficultatem exequendi votum?

R E S O L. XXIV.

Negatiuè respondet Valentia tom. 3. disp. 6. quest. 6. punct. 7. Quia cessante graui difficultate exequendi votum, grauique periculo transgressionis nulla adesset causa obtans executioni voti. At omnes Doctores sentiunt causam legitimam dispensationis illam tantum esse, quæ voti executioni obstat: ergo defectus plenæ libertatis in vouendo, non præstat in supradicto casu legitimam dispensationis causam. Consentit Suarez lib. 6. de voto cap. 17. numer. 14. vbi ait: licet votum fuerit temerè factum, si tamen non nocet, sed potius vtile inuenitur, non erit illa sufficiens causa tollendi votum.

Sed affirmatiuam sententiam tenendam esse puto. Dico igitur: quod si in tenera ætate votum emisisti, vel interueniente metu, vel in tristitia, aliâve passione, vel in errore circa causam impulsuam: vel quia causa, ob quam motus fuisti ad vouendum cessauit: in his casibus iustam habes dispensandi causam in votis: etiam si difficultatem illud exequendi non haberes. Et ita docet Castrus Palaus tom. 3. tract. 15. disp. 2. punct. 9. numer. 6. Sanchez de matrimonio tom. 2. lib. 8. disp. 20. numer. 12. & sequent. & in summa tom. 1. lib. 4. cap. 45. numer. 28.

Nec obstat ratio Valentia adducta in contrarium: nam concedo causam sufficientem ad dispensandum debere executioni voti obflare. Negamus tamen defectum plenæ deliberationis non esse huiusmodi: per se enim obstat, cum votum emittitur, licet postea non obster: sed hoc est per accidens. Secundò respondeo cum Sanchez in locis allegatis causam obstantem executioni voti requiri pro

dispensatione voti perfectè voluntarij, secus pro dispensatione voti imperfectè voluntarij. Quod satis colligitur ex voto per vim & dolum extorto, quod, (vt statim dicam) dispensari poterit, tamen si nullum periculum habeas violationis.

Notandum est tamen cum citatis Doctores, quibus adde Trullench. in Decalog. tom. 1. lib. 2. c. 2. dub. 33. n. 8. quod in supradictis casibus, licet leuitas iustam præbeat causam dispensandi: tamen frequenter cum dispensatione admiscenda videtur aliqua commutatio. Et ita ego olim consului potuisse Summum Pontificem dispensare in voto Religionis emisso ex quadam vehementi passione; licet vouens nullam aliam difficultatem pro executione haberet: Verum talem consulentem ad illud votum amplius non teneri, ego tunc probabiliter consului: quia iam ingressus fuerat Religionem, licet absque causa iusta postea fuerit egressus: nam fateor opinionem probabiliorum docere talem voto non satisfacisse; & teneri iterum Religionem ingredi: tamen contraria sententia est probabilis, & vt probabilem illam nouissimè admittit Fragofo in Regimine Christi. Reipubl. part. 1. lib. 1. disp. 2. n. 329. vbi sic ait. Votum Religionis intelligitur attentata forma iuris communis, quod annum probationis ad experiendum concedit: & quis satisfacit voto, si ingrediatur animo experiendi, & nouitiatus tempore exeat ex iusta causa. Non tamen desunt, qui doceant egressum sine iusta causa, sed ex leuitate non peccare contra votum, neque teneri iterum ingredi: quæ opinio est satis probabilis. Ita Fragofo & Doctores, quos ego adduxi in 4. part. tract. 5. resolut. 25. Vide etiam Trullench. in Decalogum tom. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 20. numer. 5.

In quodam Tribunali Sanctæ Inquisitionis. N. fuit tanquam hereticus formalis publicè damnatus: queritur, an quia Ecclesiæ se reconciliauit, eius vxor teneatur illum recipere, & secum cohabitare?

R E S O L. XXV.

Causus potest frequenter accidere, & ad illum affirmatiuè respondet ex Societate IESV Rebellius lib. 2. quest. 18. sect. 2. numer. 5. & 9. Ex Dominicanorum familia Sotus in 4. distinct. 39. quest. unica art. 4. ad 3. quibus adde Palatium, distinct. 35. disp. unica fol. 783. Iulium Clarum lib. 5. §. hæresis numer. 15. Surdum de Alimen. tit. 7. quest. 2. numer. 7. & Simancham in Cathol. instit. tit. 40. numer. 16. vbi testatur de communi, & asserit, quod nisi vxor velit fantimonialis esse, cogi potest, vt ad virum pœnitentem

tentem redeat. Probatur hæc opinio, quia Matth. 19. licitum est diuortium propter carnalem fornicationem, ergo non propter fornicationem spiritualem quado vir est emendatus, quia cessat periculum subuersionis. Et hæc opinio videtur fauere matrimonio, cum imponat obligationem ad cohabitandum: & fauet fidei: nam propter illam facilius hæretici se Ecclesiæ reconciliabunt. Ergo, &c.

His tamen minimè suffragantibus ego negatiuæ sententiæ adhæreo, quam tuetur Hurtadus de Mendoza de fide vol. 1. disp. 76. sect. 6. §. 206. & 207. Stephanus Bauny in Theolog. Moral. tract. 12. de obligationib. coniug. quest. 2. Fragofo in Regim. Reip. Christi. tom. 1. lib. 5. disp. 12. numer. 328. Sanchez de matrimonio tom. 3. lib. 10. disp. 15. numer. 9. & 19. Henriquez lib. 11. cap. 17. numer. 6. Layman lib. 5. tract. 10. part. 3. cap. 7. numer. 16. Sanctarellus tract. de hæresi cap. 33. dub. 1. numer. 3. Fagundez in Decalogum tom. 1. lib. 4. cap. 8. numer. 10. & 11. Filiucius tom. 1. tract. 10. part. 1. cap. 10. n. 396. & sequitur Coninch de Sacrament. disp. 35. dub. 4. numer. 24. quibus etiam adde Pontium de Matrim. lib. 9. cap. 2. numer. 3.

Probatur hæc sententia: quia cohabitare cum viro tanquam hæretico damnato est infuauæ & infame: ponere verò obligationem coniugi innocenti in Religionem ingredi est nimis durum, & in fauorem hæretici, vt ipse in seculo liber maneat: ergo sequitur minimè teneri coniugem recipere alterum coniugem, etiam si sit emendatus, postquam de hæresi fuit damnatus: Alias rationes ex sacris Canonibus peritas recognosce apud citatos Authores.

Dicendum est igitur quod hæreticum semel condemnatum quantumuis emendatum coniugem postea non tenetur recipere, quia in pœnam hæreseos, omninò suo iure, quod habebat, vt alter sibi cohabitaret, ac debitum redderet, iam priuatus est, remanente solo matrimonij vinculo. Et nota quod in hoc casu non desideratur specialis diuortij sententia, sed sufficit sententia Inquisitorum, qua declaratum fuit illum extitisse hæreticum: qua sententia data sine vterioris separationis sententia integrum est coniugi omninò diuertere, & in seculo si velit remanere, non enim cogitur transire ad Religionem. Et ratio est clara, quia cum hoc diuortium sit pœna hæresis, eo ipso quod coniugem ex sententia Inquisitorum declaratus fuit hæreticus, damnatur hac pœna, sicut & amissione bonorum, & aliarum pœnarum. Ergo, &c.

Nec obstat locus Matth. 19. Superius adductus, vbi dicitur coniugem ob solam fornicationem posse dimitti: quia ibi agitur de dimissione, quam ex vi contractus coniugem per se fa-

cere possit, non autem de ea, quam in pœnam iudex facere possit: cum enim hic hæreticum possit priuare omnibus bonis, atque etiam vita, quare non poterit priuare iure, quod habebat in coniugem.

Sed ex his oritur difficultas, an supradicta opinio sit admittenda, si in occulto coniugem hæreticum reconciliatur per Inquisitores. Negat Barbosa in Rubrica 2. part. numer. 21. & 22. ff. solut. matrim. Et videtur in hanc sententiam inclinare Sotus in 4. distinct. 39. quest. unica. art. 4. ad 3. Sed affirmatiuam sententiam docet Sanchez vbi supra tom. 3. lib. 10. disp. 15. numer. 20. & post illum Fagundez in Decalog. tom. 1. lib. 4. cap. 8. numer. 11. vbi sic ait. Nec opus est, quod in actu publico condemnetur huiusmodi coniugem de hæresi per iudicis sententiam: si enim reuera declaratur per illum illum fuisse hæreticum, & vt talis habitu pœnitentiæ induatur, & reconcilietur: quamuis in occulto, & intra priuatos parietes id fiat, id sufficit: quia semper verificatur præcessisse Ecclesiæ iudicium, & sententiam declarantem hæresim, quam declarationem statim sequuntur pœnæ hæreticis in iure statuta, quarum vna est diuortium perpetuum. Ita Fagundez. Cui ego libenter adhæreo.

Quærendum est tamen hic incidenter, An post sententiam, qua vxor hæretica declarata fuit, possit vir eius ordinibus sacris manens in seculo initiari. Negat Angles, Lopez, & alij pœnes Fagundez loco citato numer. 12. Sed ipse merito affirmatiuam sententiam tenet cum Sanchez vbi supra numer. 21. quibus adde Sanctarellum tract. de hæresi cap. 33. dub. 1. numer. 8. Et ratio est: quia eadem est omninò ratio de transitu ad sacros ordines, atque ad religionem: cum vtrobique detur perpetuum votum solumne castitatis, & cōsequenter perpetua status mutatio. Vnde cum in iure expresse concedatur coniugi Catholico transitus ad religionem inuito altero coniuge de hæresi in iudicio conuicto, & iam conuerso, consequenter etiam expresse conceditur transitus ad sacros ordines: maximè quia hoc est fauor Catholici innocentis, & fauores sunt ampliandi: & licet sit pœna hæretici coniugis, iam reconciliari, parum refert, quia hæc pœna necessariò refultat ex pœna perpetui diuortij qua punitur, vt hæc tenus diximus. Neque est opus, vt coniugem de hæresi damnatus, & reconciliatus similiter ad religionem transeat, vel in seculo manens continentiam promittat, vt huiusmodi transitus ad sacros Ordines, vel religionem sit licitus coniugi Catholico: quia facultas concessa Catholico innocenti nullam debet vim inferre coniugi hæretico reconciliato.

Nec valet obiicere, quod in cap. coniugatus de conuers. Coniugat. dicitur, non posse virum suscipere

fufcipere Ordines sacros, nisi vxor in sæculo remanens emittat votum castitatis; ergo cum in casu nostro vxor hæretica, & emendata nolit emittere tale votum, vir innocens & fidelis non poterit ad ordines promoueri. Respondeo dictum caput esse intelligendum, quando coniux non est liber ab onere coniugali, tunc enim non potest ingredi Religionem, nec fufcipere ordines, quamuis vxor det facultatem, nisi illa remanens in sæculo emittat votum castitatis, secus verò est dicendum, quando vir est omninò liber ab omni onere coniugali: tunc enim non requiritur, vt vxor promittat castitatem.

Nec etiam obstat dicere, quòd post matrimonium contractum nullus potest ad sacros ordines ascendere, nisi in illis casibus, in quibus per sacros Canones conceditur, vt habetur in *Extrauag. Antiqua Ioannis 22. de voto*: at nullus extat textus Canonicus, in quo id concedatur in casu nostro: Ergo, &c. Respondeo satis esse, si extet textus, in quo conceditur, vt per hæresim coniugis possit alter Catholicus ingredi religionem: nam eo ipso censetur etiam esse data facultas fufcipiendi Ordines sacros: & ius coniugij sicut impedit ne coniux ingrediatur religionem, ita impedit ne fufcipiat Ordines sacros: cum ergo hæreticus, postquam fuit de hæresi condemnatus, amittat omne ius coniugale, sicut potest alter coniux innocens & fidelis ingredi Religionem, ita etiam poterit ad Ordines sacros ascendere.

Quidam Episcopus, dum erat Religiosus, multa vota emiserat; quæsiuit à me, an postea potuerit illa irritare Prælati Religiosus?

R E S O L. XXVI.

ET pro parte affirmatiua adducebat Emmanuel Sà: *verb. voti irritatio num. 5.* vbi sic asserit. Votum Impuberis de Religione potest Pater & tutor irritare etiam post pubertatem, si ille in pubertate se de nouo non obligauit. Idemque dicendum de Prælato Religiosi facti Episcopi, scilicet poterit similiter huius votum antea factum irritare, si illud de nouo non confirmauit Episcopus factus. Ita Emmanuel Sà.

Sed ego tunc in facti contingentia mordicus negatiuam sententiam tenui: nam ad irritandum votum requiritur potestas dominatiua erga sibi subditum: sed Regularis post adeptum Episcopatum non est amplius subiectus Prælati regulari, sed immediatè Summo Pontifici: Ergo. Et ita hanc sententiam docet

Castrus Palaus *tom. 3. tract. 15. disput. 2. punct. 3. §. 3. numer. 3.* Layman in *Theolog. Moral. lib. 4. tract. 4. cap. 7. numer. 11.* Et Trullench in *Decalog. tom. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 3. 2. num. 12.* qui citat Sanchez & Suarez. Et hæc omnia intelligenda sunt etiam quoad Cardinales ex ordine Religioso assumptos, aut aliquo priuilegio Pontificio exemptos.

An votum seu iuramentum de non procurando, seu acceptando Episcopatum, vel non esse Senatorem, Iudicem, Presidem, &c. sit validum?

R E S O L. XXVII.

Negatiuam sententiam docet Azorius *tom. 1. lib. 11. cap. 5. quest. 1.* Gloss. in *cap. vnic. verb. sacrosanctis distinct. 85.* Roman. *singul. 507.* Angel. *verb. iuramentum §. num. 3.* Nauarr. in *Manual. cap. 12. num. 16.* Barbof. in *l. alia §. eleganter num. 28. ff. solut. matrim. & Syluest. verb. iuramentum 4. num. 1.* Probat hanc opinionem, quia, qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Ergo illius susceptio bona est: ergo illius priuatio bona esse non potest. Et confirmo. Episcopatus status est perfectionis: ergo nequis te obligare ad illum non assumendum: quia esses obligatus viam perfectioni præcludere, & statum Ecclesiæ perfectissimum fugere: & fortè ea de causa Gregorius Magnus *cap. vnic. 85. distinct.* mandat inquiri de quodam Archidiacono Florentino, qui ad Episcopatum fuerat electus, an iururandum præbuerit nunquam se ad Episcopatum accedere. Non autem eam inquisitionem facere præciperet: si tale iuramentum, seu votum honestum esset. Ergo dicendum est tale votum non valere.

Verum affirmatiuæ sententiæ omninò ad hærendum esse puto, quam tenet Suarez de Religione *tom. 2. lib. 2. de iurament. cap. 13. num. 13.* & *lib. 2. de voto cap. 11. num. 10.* & *11.* Layman *lib. 4. tract. 4. de voto cap. 2. num. 14. in fine.* Trullench in *Decalogum tom. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 5. num. 19.* Castrus Palaus *tom. 3. tract. 15. tom. 1. lib. 4. cap. 8. num. 37.* Molfesius in *Summa disput. 1. punct. 8. §. 5. num. 7.* Sanchez in *Summa tom. 1. tract. 11. cap. 15. num. 38.* & alij communiter. Et ratio est, quia non procurare, nec acceptare Episcopatum, quantum est ex parte sua spectat ad humilitatem, qua se tanto munere indignum quispiam putat, ac honores, diuitiasque refugit. Atque ita videmus multos sanctos, vt Diuum Augustinum, Diuum Ambrosium, Diuum Gregorium (vt ex eorum vita constat) totis viribus restitisse, ne Episcopi crearentur.

crearentur. Quod minimè efficerent, nisi id humilitatis opus Deo gratissimum esset. Ergo est materia voti. Insuper quia professi Societatis Iesv id totum emittunt, iuxta eorum constitutiones, quas varij Pontifices approbarunt. Item quia illicitum est procurare Episcopatum, (vt defendit Diuus Thomas communiter receptus 2. 2. *quest. 185. artic. 1.* ergo non procurare, quantum est ex parte sua, & oblatum respuere est licitum, ac materia voti. Atque ita D. Thom. *ca. quest. 185. art. 2.* ait licitum esse secundum propriam voluntatem recusare Episcopatum. Et quod dictum est de voto, vel iuramento non procurandi, vel acceptandi Episcopatum, dicendum est etiam de alijs Prælaturis, & officiis siue sæcularibus, siue regularibus. Et ideo ego olim consului validum fuisse votum cuiusdam de non acceptando Iudicatum Magnæ Curie Regni Siciliae: licèt postea ex rationibus, & causis mihi benè visis illud in alia pia opera commutauerim.

Restat modò respondere ad argumenta contraria. Et ideo cum Castro Palaus, vbi supra admitto desiderare Episcopatum esse opus bonum ab eo, qui irreprehensibilis est, & qualitates habet ab Apostolo ad *Timotheum 3. & ad Titum. 1.* requisitas: quas de se nemo debet præsumere: sed esto sit opus bonum, & perfectum, est tamen periculosum: ac proinde consultius est cuilibet particulari illum ex parte sua respuere, quam appetere. Ad confirmationem dico Episcopatum statum esse perfectionis non quia ad perfectionem promouet; sed quia perfectionem in assumente supponit. Cum autem nullus de se debeat præsumere eam perfectionem habere, quo tanto statui conueniat, optimè facit, si eum statum perfectissimum respuat, vt potè illo indignus. Ad textum in cap. vnic. Dico Gregorium inquisitionem fecisse, an ille Archidiaconus iurauerit ad Episcopatum non ascendere, non quia in tali iuramento peccatum commiserit: sed vt videret, an fuerit conueniens sic iuramento obstrictum ad Episcopatum promouere: an potius eum in sua humilitate relinquare.

Vnde ex his omnibus apparet in nostro Capitulo generali anno 1612. rectè fuisse à Patribus decretum tenoris sequentis firmatum. Qui Prepositus Generalis fuerit creatus, illicò antequàm ei obedientia præsteretur, iureiurando se obstringat non ambiendi Ecclesiasticas dignitates extra Congregationem, nec per se, nec per alios, nec directè nec indirectè, nec clam, nec palam: verum etiam illas ne vltro quidem oblatas nisi ex præcepto Sanctissimi se recepturum: idque nedum toto sui Generalatus tempore, sed etiam non nisi

anno elapso à sui muneris abdicatione. Sic ibi.

An pater teneatur non solum alimenta, sed etiam dotem filiis spuris, præbere?

R E S O L. XXVIII.

Negatiuam sententiam docet ex Theologis Molina *de iustit. tom. 1. disput. 224. numer. 22.* Probat hanc opinio, quia non valet argumentatio de alimentis ad dotem: nam alimenta dantur dietim, aut in singulos menses, vel annos: dos autem simul, & vno cumulo constituitur: & sic in dote agitur de maiori præiudicio parentum, quàm in alimentis: Vnde licèt Patres teneantur alere, non tamen tenentur dotare liberos spurios: posse tamen id efficere, si velint. Secundò, quia in dote erit scandalum, non autem in alimentis soluendis: nam in dote constituenda, videtur renouare pater suam incontinentiam: & alios suo prauo exemplo ad peccatum prouocare: non sic in alimentis præstandis, vt de se patet. Tertio, quia dos non constituitur primariò ad alendam vitam: sed ad sustentandam familiam: parentes autem solum ductu naturæ tenentur vitam filiorum, filiarumque spuriarum alere, non verò familiam sustentare. Poterunt ergo parentes huiusmodi filios, & filias, si pauperes sint, dotare si velint, titulo eleemosynæ, non tamen tenentur dotare: neque ad id possunt cogi in foro interno, aut externo.

His tamen non obstantibus affirmatiuam sententiam tenet Filliucius *tom. 12. tract. 23. part. 2. cap. 2. numer. 42.* Sanchez de *matrimonio lib. 4. disput. 16. num. 20.* & *sequentibus & lib. 7. disput. 88. numer. 32.* Surdus *tom. 3. consilio 310. num. 2.* & *tom. 4. consil. 509. numer. 1.* & *sequent.* & alij penes ipsos: quibus nouissimè adde Trullench in *Decalogum tom. 1. libro 4. cap. 4. dub. 2. numer. 22.* vbi rectè obseruat hoc procedere, etiam si Pater sit Clericus, & etiam post Constitutionem Pij V.

Fateor hanc secundam sententiam esse veriorem: sed si aliquis primam Molinæ velit amplecti, eum non damnarem: nam illam tanquam probabilem admittit Fagundes in *Decalogum tom. 1. libro 4. cap. 1. num. 7.*

An habitantes in ea Parochia, ubi Concilium Tridentinum de clandestinis matrimoniis publicatum est, & seruatur: se transeant v. g. in Galliam non animo ibi habitandi, sed cum voluntate ibi contrahendi, ac mox ad locum habitationis redeundi: an inquam in tali casu matrimonium sit validum?

R E S O L. XXIX.

NOuissimè negatiuè respondet eruditus Franciscus Syluius in suis resolutionibus variis verb. Matrimonium 8. quia tales vel contraxerunt coram Parocho loci, ad quem venerunt, vel claudesinè: vtrumuis dicatur matrimonium est nullum; quia de illis ita contrahentibus verificatur, quòd aliter quàm coram Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius, seu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus contraxerint: nam Parochus in decreto Concilij, non intelligitur Parochus loci, in quo fit contractus, sed Parochus contrahentium, seu alterius eorum, vt ex contextu Concilij patet, & affirmatur à Nauarro lib. 4. Consiliorum consil. 7. ad titul. de clandestina desponsatione.

Si dicas Decretum Concilij non habere robur in locis, vbi non est publicatum: matrimonium verò, de quo quæritur, esse contractum in loco, vbi non est publicatum. Respondetur assumptionem esse veram respectiue ad personas locis illis subiectas: scilicet, vt decretum non habeat robur in locis, seu in personis loca illa habitantibus, vbi non est publicatum Concilium. Quantum verò ad loca, vbi fuit publicatum, in illis habet robur circa omnes eas personas, quæ talia loca inhabitant. Clausula enim decreti spectans eius publicationem designat tempus & loca, quando & vbi incipiat habere robur: personarum autem non facit expressam mentionem, & ideo intelligitur habere robur circa personas respectiue ad tempus & loca, id est circa personas comprehensas intra illud tempus, & intra illa loca, vbi ratione publicationis factæ cœpit obligare. Atqui personæ, de quibus quæritur, sunt comprehensæ intra tempus & locum, in quo facta fuit publicatio: ponuntur enim habitare in ea Parochia, in qua decretum est publicatum, & seruatur.

Confirmatur: qui de vna Diocesi transit ad aliam eo animo, vt non cōfiteatur suo Parocho, sed Pastori Ecclesiæ eius ad quem venit statim postea reuersurus, non validè confiteatur: & hoc ideo, quia manet subditus illi Parocho; & illi Ecclesiæ, vnde venit, & ad quem

redit, & consequenter alius Parochus caret iurisdictione in ipsum, iuxta Suarez tom. 4. disput. 25. sect. 2. numer. 9. Vasquez quest. 93. art. 2. dub. 4. in fine, & communem aliorum sententiam: ergo transitus in fraudem factus non facit aliquem non esse subditum loci, vnde venit, ac per consequens transeuntes de vna Diocesi in aliam, non desinunt esse subiecti Diocesi, ex qua veniunt, nisi veniant animo habitandi, Hucusque Syluius,

Sed affirmatiuam sententiam tenet Coninch de Sacrament. disput. 27. dub. 1. num. 14. & Ioannes Vigers de Sacramentis ad supplementum tertiæ partis Dini Thoma quest. 50. c. 5. dub. 14. num. 40. cui adde Sanchez tom. 1. lib. 3. disput. 18. num. 28. Basilium Pontium de Matrimonio lib. 5. cap. 9. per totum, & alios penes ipsos. Et ratio est, quia Peregrini à domicilio absentes non tenentur legibus sui domiciliij; si in loco, vbi se recipiunt, vigeant leges contrariæ, saltem quoad solemnitates adhibendas in contractibus. Deinde quando inhabilitas est constituta absolute & simpliciter in aliquam personam, tunc sequitur personam quocunque euntem; secus quando est constituta per modum legis: sicut enim lex illa non obligat in aliis locis, ita inhabilitas & annullatio actus non obtinent vim in aliis locis, neque sequuntur personam, nisi dum est in locis, in quibus ea lex vim obligandi habet: neque enim incipit ligare, & irritare immediatè & principaliter ratione personarum, vt notat Henriquez lib. 1. cap. 3. m. 8. Sed ob locum Parochiæ, vbi autoritate Ordinarij legitime decretum est promulgatum. Vnde Concilium sic concludit: Decernit insuper, vt huiusmodi decretum in vnaquaque Parochia suum robur post 30. dies habere incipiat, &c.

Et hanc doctrinam veram esse dicendum est, etiam si aliqui in fraudem legis Concilij Tridentini, & vt contrahant sine Parocho & testibus, eò proficiscantur, vt etiam docet Thomas Sanchez disput. citat. num. 29. Idque constat, tum quia contractus non læditur ex bona, vel mala intentione, ea enim permanet in affectu, nec transit in contractum exteriorum. Hinc enim communi sensu Doctores docent ex praua intentione non oriri restituendi obligationem, si reuera non est illarum damnum. Tum etiam, quia cum quis vitur iure suo, non dicitur dolo malo facere, textus in leg. nullus videtur § 5. de regul. iur. Nullus videtur dolo facere, qui iure suo vitur, & leg. 3. § 1. tamen ff. de lib. homine. exhib. Dolo malo non videtur agere, qui iure suo vitur, & leg. cum creditor § 5. ff. de furt. Cum creditor rem sibi pignoratam auferat non videtur contrectare, sed pignori suo incumbere: cum aliis citatis per glossam in dicta l. 3. At iste vitur iure suo, neque

neque fraus illicita est, vel dolo malo, quia non est prohibitum aliò proficisci, vbi liceat sine testibus & Parocho contrahere: igitur iste non facit dolo malo. Sicut si quia statutum est, ne Salmanticæ natus obtineat Collegium Salmanticense; & femina aliqua in fraudem legis egredereetur Salmantica partus tempore, in loco vicino paritura, iure suo vti diceretur.

Vnde ex his sequitur: Cum in cap. omnis vtriusque sexus, de penitent. & remissionib. statutum sit, vt quis semel in anno confiteatur proprio Sacerdoti: & vel ex consuetudine, vel ex declaratione Eugenij I V. peregrinus possit confiteri illi Parocho, in cuius parochia habitat, non quidem ex commissione proprii, sed tanquam proprio Sacerdoti, fit, inquam, idem dicendum esse, etiam si quis animo solum confitendi illi parocho, eò accedat, & à sua domiciliij parochia recedat: illi enim licet alteri confiteri, dum extra suam parochiam est. Et hæc omnia docent Sanchez & Pontius vbi supra; ex quibus patet responsio ad argumenta, quæ in fauorem suæ sententiæ adducit doctus Syluius. Quid ego sentiam dicam breuiter: fateor huic sententiæ affirmatiuæ me semper adhæsisse, nam vt ex multis obseruat Castros Palas tom. 1. disput. 2. punct. 1. numer. 12. in conspectu opinionum illa est tenenda quæ fauet valori matrimonij: sed quia nouissimè Franciscus Zipæus in consultat. Canonicis lib. 4. tit. de Spons. & Matrimonio consul. 6. testatur ann. 1628. Sacram Congregationem ipsi petenti respondiisse, matrimonium de quo est quæstio esse nullum, ideo puto supposita dicta declaratione à prima sententia non esse recedendum.

An commorantes in Terris infidelium possint contrahere matrimonium non seruata forma Concilij Tridentini?

R E S O L. XXX.

AD hoc dubium satis quidem practicabile sic respondet Pontius de matrim. lib. 5. cap. 9. num. 7. Mihi sit valde verisimile eos, qui inter infideles commorantur, vel mercium congregandarum causa, vel alia ratione, aut inter Turcas captiui detinentur, etiam si ex his locis sint oriundi, in quibus promulgatum & receptum est Tridentini Decretum, non teneri contrahere iuxta formam à Concilio præscriptam. In eo enim casu locum habet Epiticheia, deficit enim lex contrariè, & vitiosa esset obseruatio legis, cum vel compellendi essent vitam seruare cœlibem, vel auferendum illis, quod in remedium infirmitatis est, matri-

monium. Curandum illis tamen, vt seruent antiquas leges Ecclesiasticas, quoad fieri potest, scilicet testes adhibendo, quibus probari coniugia possint: instrumenta etiam de eo publica conficiendo, quandoquidem nec Parochi copia, nec denunciationibus, ac benedictionibus Ecclesiasticis locus: factò etiam examine sufficienti, an illis obstet aliud Canonicum impedimentum. Hæc Pontius.

Nota verò, quòd ex rationibus supradictis Stephanus Bauny in Theolog. Moral. part. 1. tract. 12. de matrimonio clandestino quest. 1. & Layman lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 4. num. 7. docent, etsi in aliqua ciuitate Decretum Concilij publicatum fuerit, modò tamen expulsi Catholicis Sacerdotibus non adsint proprii Parochi, validè coram hæretico Prædicante, vel sine Prædicante matrimonia contrahi: quia veri speciem habet non modicam, Papam in decreto Concilij in huiusmodi euentu dispensare ob Presbyterorum inopiam. Secundò cum in eorum defectu, carentiæque, Concilij Tridentini sanctio seruari nequeat, abhorret à recto credere matrimonij capeffendi libertatem impeditam esse. Verùm optarem hæc omnia à Summo Pontifice declarari, cum Doctores communiter asserant nullum matrimonium inter Catholicos validè esse contractum sine Parocho & Testibus.

An Indulgentia concessa alicui diei festo transferantur, si dies festus transferatur?

R E S O L. XXXI.

CAsus est practicabilis, & ad illum negatiuè respondet ex Azorio Fagundez in præcept. 1. Eccles. lib. 1. cap. 2. num. 10. vbi sic ait, Sed rogabis. An quando transferuntur horæ Canonicæ, transferantur etiam Indulgentiæ concessæ à Summo Pontifice? Negat expressè Azor tom. 2. Moral. institut. lib. 1. cap. 28. quest. 8. fol. 183. column. 1. affirmans eas esse adnexas ex consensu & concessione Summi Pontificis, diei certo, & non posse in alium diem transferri: nisi id speciale priuilegium in illarum diplomate exprimat, cui opinioni assentior propterea eandem rationem.

Verùm affirmatiuæ sententiæ adhæret nouissimè Franciscus Syluius in resolutionib. variis verb. Indulgentia 2. vbi ita asserit. Si concedatur indulgentia visitantibus Ecclesiam N. die festo talis aut talis Sancti, nulla facta mentione diei mensis, aut diei depositionis, aut mortis, aut translationis, aut similis: & contingat festum illud non celebrari die ordinario, in què cadit, sed aliquo alio, in quem non solum officium,

officium, sed etiam festum transfertur; verisimile est indulgentiam quoque transferri: quandoquidem indulgentia concedatur pro die festo talis Sancti: dies autem festus illius fit, quando eius officium, ac festum celebratur. Vnde si conceditur indulgentia in festo Annunciationis B. Mariæ Virginis; & quoniam dies 25. Martij cadit in septimanam Sanctam, festum simul cum officio transfertur ac celebratur post Dominicam in Albis, probabile est indulgentias lucrandas esse non in die 25. Martij, sed eo die, quo post Pascha festum illud celebratur. Idemque propter eandem rationem dici posse videtur, quando nulla similiter facta mentione diei mensis, aut depositionis, &c. conceditur indulgentia visitantibus Ecclesiam talem die festo, vel in festo S. Benedicti, S. Thomæ, S. Francisci de Paula, &c. & propter Dominicam Quadragesimæ, aut aliud impedimentum, Benedictini, Dominicani, Minimi, aut alij festa illa transferunt iuxta præscriptum Romanorum Pontificum, quod nimirum fideles lucrari possint indulgentias, eo die quo festa illa celebrantur. Hucusque Syluius fati quidem probabiliter.

An indulgentia alicui templo concessa perseveret, si templum aliud transferatur?

R E S O L. XXXII.

Negatiuam sententiam tenet Pater Lugo de Sacrament. Penitent. disput. 27. sect. 8. num. 131. vbi sic ait. Circa indulgentiam localem quæri solet, an diruta Ecclesia, cui concessa erat, maneat indulgentia in alia Ecclesia, quæ in eodem situ reedificatur. Aliqui Canonistæ dicunt, si auctoritate Superioris Ecclesia ab vno ad alium locum transferatur, deferre secum suas indulgentias. Pater Suarez disput. 5. 2. sect. 1. n. 9. probabile id putat, quando in eodem situ statim alia ædificatur: mihi tamen valde dubia esset talis indulgentia: quia reuera illa est alia Ecclesia non solum physicè, sed moraliter, & idè indiget noua consecratione. Aliiter dicendum esset, si non tota simul, sed per partes dirueretur: tunc enim nunquam prior Ecclesia desit esse, sed semper moraliter eadem perseverauit. Ita Lugo.

Verùm affirmatiuam sententiam docet Ghilinus in resolut. cas. conscient. verb. Indulgentia numer. 2. & Bonacina tom. 1. disput. 6. quest. 1. punct. 8. num. 5. vbi ita asserit. Si indulgentia concessa sit ipsi templo, sicut ordinariè præsumendum est ipsi templo concessam fuisse, cum ordinariè præscribatur aliquid intra talem locum, vel templum fieri, cenfeo

indulgentiam transferri loco, in eoque perseverare: nam censetur adhuc eadem Ecclesia, & idem templum, quod comparari potest personæ, quæ secum defert priuilegium personale.

In Rubrica Indulgentiarum quinque Sanctorum dicitur: Quod si amittatur granum possit pro alia vice aliud subrogari. Queritur, inuento primo, cui ex duobus indulgentia censetur affixa remanere?

R E S O L. XXXIII.

AD hoc dubium sic respondet Pater Lugo de Sacrament. Penitent. disput. 27. sect. 8. §. 3. num. 150. Solet aliquando concedi, vt si amittatur, vel rumpatur granum, vel imago habens talem indulgentiam, possit pro prima vice subrogari aliud granum, vel alia imago cum eadem indulgentia. De quibus dubitari posset, casu quo imago illa amissa fuit, & facta sufficienti diligentia non potuit inueniri; atque idè electa fuit alia: an si postea prior inueniatur, adhuc hæc posterior retineat indulgentiam. Et quidem ego credo non amplius priorem, sed posteriorem habere indulgentiam, quia verificata fuit conditio, vt posset ritè eligi secunda, nempe quod prima fuisset amissa: ergo eo ipso legitime fuit electa alia, & cessauit prioris indulgentia: tutius tamen erit vtramque retinere.

Petes an illa electio possit fieri per actum merè internum: videtur enim exigi actus externus, sicut dicebamus requiri actum externum ad concessionem indulgentiæ: hæc quippe electio videtur esse concessio indulgentiæ ex facultate à Pontifice delegata. Verius tamen videtur sufficere voluntatem internam, quia illa deputatio non est concessio indulgentiæ: Pontifex enim solus concedit immediate indulgentiam habentibus talem imaginem à me deputandam. Quod à posteriori patet. Primò, quia facultas concedendi indulgentias nunquam delegatur Laicis, aut scemini: & tamen ij possunt determinare grana vel imagines. Secundò quia qui indulgentiam propriè concedit, potest illam reuocare: qui autem semel deputauit talem imaginem, non potest reuocare postea talem electionem: non est ergo actus iurisdictionis: sed conditio ad concessionem factam à Pontifice: conditio autem ad indulgentiam requisita, potest aliquando esse actus internus.

Hæc omnia Pater Lugo, cui quidem libenter adhæreo.

* * *

An

An propositum non peccandi de cætero expressum est formale sit necessarium consentienti in articulo mortis?

R E S O L. XXXIV.

Cvi non occurreret is casus? Et ad illum negatiuè responderet Pater Suarez in 3. part. tom. 4. disput. 4. sect. 3. num. 4. vbi sic ait. Deinde obseruo: hoc videri intelligendum regulariter, quando reliquum est aliquod tempus præsentis vitæ: nam si homo in ipso mortis articulo penitentiam agat, non est, quod de proposito vitæ futuræ sollicitus sit: nec enim obligandus est ad habendum illud propositum sub conditione, si vixero: tum quia hi actus conditionales circa futura, per se & absolute loquendo non sunt necessarij ad salutem: tum etiam quia fieri potest, vt vita futura iam sit desperata moraliter: & idè nulla ratio postulat, vt talis actus sit tunc simpliciter necessarius. Et hoc etiam confirmat vsus: nam si hominem damnatum ad mortem exhortemur ad penitentiam, non multum curamus de futuris actibus in præsentis vitæ: sed de dolore præteritorum; quia licet aliquantulum vitæ supersit, moraliter tamen quasi nihil reputatur: nam quod parum distat, nihil distare videtur, & perseverando eo tempore in dolore, & detestatione vitæ præteritæ, satis proponitur obseruantia mandatorum pro eo breui tempore. Ita Suarez.

Sed aduersus illum insurgit Tannerus tom. 4. disput. 6. q. 6. n. 16. quia inquit, non video, quomodo hoc probetur, cum semper quandiu homo viuit peccare possit, & ipsam etiam propositum tale pertineat aliquo modo ad resarciendam iniuriam.

Verùm sententiam Suarez sequitur Fagundez in præcept. 2. Eccles. lib. 2. cap. 3. numer. 13. vbi sic asserit. In nonnullis casibus per accidens sufficit propositum virtuale inclusum in ipsa detestatione peccatorum, vt verbi gratia in articulo mortis, quando quis omnino est in extremo vitæ articulo, vel quando de eius vita desperatur, vel est condemnatus ad mortem: nec enim tunc videtur necessarium habere huiusmodi formale propositum cauendi de cætero peccata in futurum. Sufficit enim in hoc casu propositum virtuale inclusum in perfecta detestatione peccatorum. Ita Fagundez.

Sed melius dicendum putat Ioannes Vvigers de Sacrament. in supplement. ad 2. part. quest. 1. art. 1. num. 7. quod in isto articulo, si cogitatio de vita instituenda in futurum non occurrat, possit sufficere sæpius virtuale propositum,

quod in seria peccatorum commissorum detestatione includitur: quia animus non tam versatur in cogitationibus de modo viuendi de cætero, quia de vita quasi desperat: & sic per inaduertentiam excusatur à proposito explicito formando. Hæc Vvigers.

Sed circa præsentem quæstionem ne deferas videre Doctores, quos ego citavi in part. 3. tract. 4. resolut. 119. Nec deferam hic adducere opinionem Patris Lugo de Sacram. Penitent. disput. 14. sect. 5. vbi postquam adduxit diuersas sententias circa præsentem quæstionem sic ait. Ego distinguendum existimo: aliquando enim dolor est talis, in quo virtualiter includitur propositum requisitum, & tunc non exigitur ad valorem Sacramenti aliud propositum formale: aliquando verò dolor non includit tale propositum, & tunc requiritur propositum vniuersale præter dolorem. Potest enim dolor esse non ex motiuo vniuersali, sed speciali, propter quod penitens dolet de peccatis illis, quæ confitetur: & quidem hic dolor nec virtualiter continet propositum vniuersale non peccandi de cætero, sed ad summum continet propositum non committendi illa peccata, de quibus homo dolet. Alius verò est dolor de peccatis ex motiuo aliquo vniuersali comprehendente omnia peccata mortalia, vt si doleat homo propter offensam grauem Dei, propter irreuerentiam Dei, propter penas inferni, & carentiam beatitudinis, quæ correspondet omni peccato mortali: & quidem hic dolor virtualiter saltem continet propositum non peccandi mortaliter de cætero.

Quando ergo dolor est prioris generis, requiritur propositum vniuersale, cum in ipso actu doloris non contineatur: quando verò dolor est posterioris generis, ipse dolor sufficit ad valorem Sacramenti cum in se contineat virtualiter tale propositum vniuersale. Impossibile enim est, quod aliquis doleat efficaciter de furto, verbi gratia, præcisè, quia est offensa grauis Dei, & quod simul velit offendere Deum grauius alio peccato diuerso: quia per priorem actum odit offensam grauem Dei super omnia: per posteriorem verò vult offensam grauem Dei ad vitandam iacturam alterius boni inferioris: quæ esset contradictio: ergo ille prior actus implicite extenditur ad vitanda omnia peccata mortalia, quæ sunt graues offensæ Dei. Hucusque Pater Lugo.

Confulendi tamen sunt Penitentes etiam in articulo mortis, vt expressum, & formale propositum habeant de cætero non peccandi.

* * *

V 2

An qui v. g. accepit unum Ordinem ab Episcopo originis, possit variare, & alium accipere ab Episcopo Beneficij?

R E S O L. XXXV.

CAfus potest in praxi frequenter accidere. Et ad illum negatiuè respondet Molfesius in *summa tom. 1. part. 2. cap. 2. numer. 10.* vbi sic asserit. Est notandum, quòd si subditus aliquo ex prædictis quatuor modis semel eligisset vnum Episcopum, à quo aliquem ordinem suscepisset, non posset variare, & assumere alios ordines ab alio ex dictis Episcopis, nisi Episcopus, qui priùs illum ordinauit iudicasset cessare causam ordinationis, & remitteret ordinatum ad alium ex dictis Episcopis. Ita post Archidiaconum in *cap. nec captanda de concess. præben.* Achillem de Grassis *decis. 13. in titul. de pensionibus.* Quaranta in *verb. Ordo,* & alios, notat Riccius *loco citato decis. 306.* quoniam si semel est factus subditus Episcopi ordinantis: cuius est onus prouidere illi de beneficio, & sic de aliis iuribus Episcopalibus, non potest talis subditus eligere alium Episcopum in præiudicium electi per primam ordinationem. Hucusque Molfesius.

Sed nouissimè affirmatiuam sententiam tenet Franciscus Zypæus in *suis eruditissimis consultationibus Canonicis lib. 1. titul. de etate, & qualitate ordinandorum consil. 3.* quia hîc variatio non contingit circa vnum & idem subiectum: sed respectu diuersorum: quoniam Ordo susceptus v. g. Diaconatus distat à suscipiendo v. g. Sacerdotij: itaque vt exclusa sit variatio quoad vnum, qui & natura irrepetibilis est, nihil verat quoad alterum variare, & alterum Episcopum adire: si quidem nullus id iuris textus prohibet: & regula est, vt iure permissum censeatur, quod non inuenitur prohibitum: eò magis quòd in iure expressa sit concessio, vt adire liceat, quemcunque lubeat, originis, domicilij, aut beneficij Episcopum: neque hæc exceptio adiiciatur, neque verò vllibi decernatur, quòd per aditionem vnus Episcopi, alter fiat alienus, seu non proprius. Ordinationis autem legitimæ causa efficiens est propria ex vna trium causarum, originis, domicilij, beneficij, iurisdicctio ordinantis in ordinandum: qua manente, manet legitima possibilitas effectus, neque pactis, aut factis priuatorum manente causa potest ea legalis possibilitas tolli. Et verò in *l. 2. 3. 4. 5. & 20. ff. de opt. legat.* optione quidem semel facta omne ius consumitur, sed vnus rei eligendæ: non omnibus autem exhibitis, quoad non exhibitæ, integra manet optio *dicta l. 4.* & rationem

assignat *dicta l. 20.* huius iuris: cur voluntatem optans mutare non possit. Quia omne ius prima, inquit, testatione consumpsit: quoniam res continuè eius fuit simul ac se dixerit eam sumere: itaque quoniam non eadem ratio in casu nostro obtinet, aditione vnus Episcopi non tollitur facultas à iure concessa pro alio ordine alium ad eundem, quem alioquin ius adire permiserit.

Notandum est etiam hîc obiter supra dictum Zypæum vbi supra docere, non obstante Decreto Clementis VII. die 3. Junij 1599. posse hodie Regulares ordinari ab Episcopo originis: nec id à Concilio Tridentino prohiberi, nec à dicto Decreto, neque ab vsu contrario. Sed aduersus hanc sententiam vide Molfesium *loco citato numer. 23.* & Mirandam in *Manual. Prælatorum tom. 1. quest. 38. artic. 2.* Et certè hodie ex vi decreti Clementis VIII. Regulares non audent mittere subditos pro suscipiendis ordinibus, nisi ad Episcopos Diocesanos.

An si quis v. g. recitando officium, vidit mulierem & concupiscit eam, teneatur non solum illam prauam concupiscentiam confiteri: sed etiam dicere, quòd tale peccatum admisit psallendo vel orando?

R E S O L. XXXVI.

CAfus potest in praxi frequenter accidere, & de illo pauci mentionem faciunt: vnde affirmatiuam sententiam nouissimè tenet Franciscus Syluius in *resolutionib. variis, verb. oratio.* Quia, ait ille, cum aliquis Deum vocaliter orans ipsum offendit mortaliter, alicui prauæ voluntati, aut luxuriæ, aut odij, aut alterius peccati consentiendo, in tali eius peccato inuenitur aliqua circumstantia mutans speciem peccati: Atque Ecclesiæ doctrina recepta est (vt ex Concilio Tridentino *sess. 14. c. 5.* & aliunde constat) eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant: ergo iste sic orans, & mortaliter peccans, tenetur eam circumstantiam in confessione aperire. Maior probatur, quoniam iuxta B. Thomam in *4. dist. 16. quest. 3. art. 2.* illæ circumstantiæ mutant speciem peccati, quæ habent specialem repugnantiam cum recta ratione, diuersam ab ea, quæ est in ipso peccato secundum se: siue iuxta Scotum in *4. dist. 17.* quæ speciali prohibitione prohibentur. Quibus consonat, quod idem S. Thom. 1. 2. *questione 18. art. 10.* concludit. Quādoquunque aliqua circumstantia respicit specialem ordinem rationis vel pro, vel contra, oportet, quòd circumstantia det speciem actui morali vel bono, vel

vel malo. Sed in proposito reperitur circumstantia, quæ habet specialem repugnantiam cum recta ratione, & quæ speciali prohibitionem prohibetur: præter peccatum enim, quod prohibetur præcepto. *Non Mæchaberis,* aut, *Non Concupisces,* vel isto, *Non Occides,* adest peccatum Religioni oppositum. Oratio quippe ad virtutem Religionis pertinet: qui autem vocaliter orat, & sic orando consentit mortali luxuriæ, aut odio, grauitèr contra virtutem Religionis offendit: cum ipsa postulet, vt exhibeatur Deo cultus ac reuerentia, & vt oratio, quæ ipse est actus, reuerenter ac piè fiat: is verò, qui sic orat, magnam committat in Deum irreuerentiam, valdeque erga illum impiè se habeat.

Confirmatur: quia quis non iudicet magnam fore irreuerentiam, si quis Principi suo loquatur, ab eoque petat aliquid, ac interim hostiliter ab eo auertatur, & dorsum ei vertat? Ita verò se ad Deum habet ille, qui vocaliter ipsum orat, & interim eum mortaliter offendit: per peccatum enim mortale auertitur à Deo, tanquam à sine vltimo, ipsique inimicus efficitur. Per talem ergo orationem valde se habet irreuerenter ad Deum, ac per consequens peccat notabiliter contra virtutem Religionis. Vnde ex his concedit Syluius, quòd aliquis toties peccat mortaliter, quoties orat perseverans in affectu peccati mortalis, & in voluntate illud committendi. Concedit etiam, quòd si aliquis orationem interrumpit, vt obscena animo obsceno loquatur, vel vt cum adueniente meretrice fornicetur: vel vt inimico sibi obuio lethale vulnus infligat, præter peccatum luxuriæ, aut odij, etiam peccabit grauitèr contra reuerentiam Deo debitam.

Sed si hæc essent certa, faxit Deus, quòd multi in lethale crimen sæpiùs non incidere: & idèò rectè Pater Suarez circa præsentem casum non ita firmiter vt Syluius, sed cum formidine loquitur. Sic enim ait. *de Relig. tom. 2. lib. 3. cap. 4. numer. 13.* Est mihi verisimile, si quis, dum vocaliter orat, in delectatione & cogitatione turpi morosè delectetur, peccando mortaliter contra castitatem, etiam peccare per circumstantiam contrariam Religionis, vel venialiter aggravantem, quòd certum, vel etiam mortaliter, quod licet sit incertum, timendum est, quia videtur grauis Dei irreuerentia. Ita ille.

Verùm ego satis probabiliter puto contra Syluium in casu proposito non adesse peccatum lethale: quia, vt fatetur ipsemet Syluius, Minus est orando consentire turpi cogitationi occurrenti ex humana fragilitate, quam ex malitia, vel odio perseverare in voluntate committendi aliquod peccatum mortale. Sed

quicquid asserat Syluius: si quis orat non solum in peccato mortali, sed etiam cum proposito actuali, & voluntate peccandi mortaliter, non peccat, vt docet Sanchez in *opuscul. tom. 2. lib. 7. c. 2. dub. 9. n. 3.* & alij. Ergo, &c. Confirmatur, quia qui orat sine aliqua intentione, videtur grauem irreuerentiam asserre Deo: & tamen non est certum talem peccare mortaliter. Vide Trullench in *Decalog. tom. 1. lib. 1. c. 7. dub. 10. num. 6.* & alios. Ergo, &c.

An sit licitum pulsare Campanas in signum, quòd aliquis Malefactor manè surca suspendendus sit?

R E S O L. XXXVII.

CVm olim per quamdam Italiae Ciuitatem pertransirem, sensi per spatium ferè integræ noctis campanam propè hospitium sonantem: & quia ex hoc dormire non poteram, quæsiui, pulsatio illa ad quid deferretur: Responderunt in signum, quòd cras malefactor suspendendus esset. Tunc ego maximè dubitavi, si campana illa esset benedicta, an licitè hoc efficeretur: & nunc inueni ita prorsus sentire Franciscum Syluium in *resolut. variis verb. Campana.* Et quia casus est curiosus, & asserunt mihi in multis locis accidere, visum est mihi hîc per extensum eius verba apponere. Sic enim asserit. Quæsitum est. An sacra Campanæ, hoc est, quæ sacro ritu sunt benedictæ, pulsari possint, siue ad conuocandum populum, siue in signum, quòd aliquis malefactor sit mortis supplicio plectendus. Respondeo non licere, cum hoc habeat aliquam indecentiam, quòd res sacra ad vsus prophanos applicentur, eosque tales, à quibus per se exequendis abhorret Ecclesia, cuiusmodi sunt causæ sanguinis. Accedit quòd Campanæ benedicuntur pro conuocandis populis ad diuinum cultum, vel pro illis ad orationem monendis, atque sicut in Pontificali dicitur, *vt cum melodia earum auribus insonent populorum, crescat in eis deuotio fidei, procul pellantur insidie inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum, temperentur infesta tonitrua,* &c. Nequaquam verò, vt sint signum alicuius vel iugulandi, vel suspendendi. Vbi tamen non est commoditas alicuius alterius campanæ, tolerari potest, quòd vna ex sacris, siue ex benedictis pulsetur in signum prædicti supplicij: partim quia tunc est quædam necessitas, partim quia interuenit, aut supponitur consensus Episcopi, qui talis loci tenuitatem, & qualitatem non ignorat.

Sed ego omninò licitum in tali casu sonum campanæ benedictæ admitterem: si illa pulsaretur;

retur; vt ex eius sono populus excitatus funderet preces pro bono transitu delinquentis manè iustitiam.

An Religiosus, seu Clericus, qui manè antequam professionem acciperet, vel Subdiaconatum susciperet, recitauit officium, teneatur hoc non obstante, illud iterum recitare?

R E S O L. XXXVIII.

Affirmatiuam sententiam docet Bonacina tom. I. de Horis Canonice disput. I. q. 2. punct. 5. n. II. Tum quia adimpletio præcepti supponit obligationem: sed qui officium ante Ordinis, vel possessionis, aut saltem collationis beneficij susceptionem recitauit, non habebat onus & obligationem officij recitandi; ergo non satisfecit præcepto officij. Ergo suscepto Ordine, vel possessione beneficij tenetur iterum recitare pro rata temporis, quo ad Ordinem euectus est; præceptum enim adimpletur actuali recitatione: tum quia horæ Canonice recitantur nomine Ecclesiæ; qui autem diuinum officium ante Ordinis susceptionem recitauit, nõ dicitur illud nomine Ecclesiæ recitasse; cum nondum esset Minister ad hoc deputatus: tum quia sicut non satisfacit præcepto, qui diuinum officium recitat hodie, vt adimpleat onus, quo diuinum officium crastina die perfoluere debet: ita neque obligationi satisfacit qui officium recitat, antequam ordinem sacrum suscipiat: vtraque enim obligatio est affixa temporis, & personæ obstrictæ oneri diuini officij.

Non desinam tamen adnotare negatiuam sententiam tanquam probabilem admittere Trullench in Decalog. tom. I. lib. I. c. 7. dub. 13. n. 3. quia potuit anticipatè soluere. Facit pro hac opinione auctoritas Doctorum, quos citauit in part. 5. tract. 3. resol. 33. asserentium, quod qui manè communicauit, non tenetur postea, si incidat eadem die in periculum mortis, viaticum sumere: quia cum manè sacram sumpsit Eucharistiam, moraliter obligatio præcepti aderat: ergo adimpleuit præceptum.

An sub generali communicatione priuilegiorum Mendicantium veniant communicata Altaria priuilegiata?

R E S O L. XXXIX.

Olim de hoc casu fuit mihi cum quodam Religioso altercatio. Et pro parte

affirmatiua facit Mandosius tract. de priuileg. ad instar Gloss. 9. & Portel in dubiis Regular. verb. priuilegij communicatio, numer. 20. quia licet forte priuilegij nomen strictè sumptum, indulgentias non comprehenderet: nihilominus tamen ex lata significatione vocabuli comprehendi possunt: quia omnis gratia Principis priuilegium appellari potest, vt dicunt Bald. in pralud. feudal. numer. 28. Curr. Sen. consil. 49. incip. Memoria recolenda. Gloss. antiq. super vlt. reg. Cancell. super 2. part. princip. vers. Nam omnis gratia Principis dicitur priuilegium. Grammat. decis. 59. numer. 29. Ioan. Andræas in cap. olim de verb. significat. Mandos. eodem tract. quest. 7. numer. 4. Cum igitur finis in materia fauorabili, in qua latissima fieri debet verborum interpretatio, sequitur sub generali communicatione priuilegiorum Mendicantium facta alteri Religioni, etiam indulgentias comprehendi. Quod autem hæc sit materia maximè fauorabilis, & per consequens amplianda probatur: nam quodlibet priuilegium Religioni concessum, censetur fauorabile, etiam si sit contra ius commune. Ergo, &c.

Sed tunc ego negatiuæ sententiæ adhæsi, & adduxi in terminis, vt dici solet, terminantibus amicissimum & doctum Tamburinium de iure Abbatum tom. I. disput. 17. quest. 2. num. 4. Cuius sententiam nouissimè inueni docere etiam Merolla in Theologia Morali tom. 3. disput. 6. cap. 4. dub. 6. num. 64. tum quia in generali concessione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter in specie non esset concessurus, Regul. in generali 81. de regul. iur. in 6. Tum etiam quia per communicationem generalem priuilegiorum, non communicantur priuilegia exorbitantia, & quæ rarè conceduntur. At altaria priuilegiata maximè perpetua rarè conceduntur à Sede Apostolica: Ergo, &c. Quod etiam patet ex communi vsu, & stylo Curie, de quo restatur Laurent. de Peirin. in declaratione priuileg. 8. à Paulo II. suo Ordini Minimorum concessi, num. 2. tom. 2. Vnde ex his inferunt Merolla & Tamburinius supra: quod Altaria priuilegiata vni Ecclesiæ Regularium concessa, non censentur communicata aliis Ecclesiis eiusdem Religionis: quamuis omnes dictæ Ecclesiæ haberent inter se communicationem priuilegiorum generaliter factam: quia rationes supra assignatæ etiam in hoc casu militant. Facit etiam à fortiori doctrina Portell. verb. communicatio priuilegiorum num. 6. vbi tenet, quod indulgentia concessa vni Conuentui non communicatur ab aliis.

An

An prohibitio moderandi Missas facta Episcopis in Decreto de Celebratione Missarum comprehendat etiam Anniversaria, & officia defunctorum?

R E S O L. XL.

Affirmatiuè responder Ioannes Antonius Nouarius in summa Bullarum titul. de Missarum celebratione numer. 8. vbi sic ait. Ampliatur tertio, vt prædicta prohibitio moderandi missas comprehendat etiam anniversaria & officia pro defunctis, & respondis sacram Congregationem Eminentissimorum Cardinalium Nostro Archiepiscopo Neapolitano testatur Garfias, Naldus, Riccius, & Picceticus. Ita Nouarius.

Sed nouissimè aduersus illum insurgit Merolla tom. 3. disput. 7. cap. 5. dub. 16. numer. 389. nam supra citati Doctores non loquuntur de supradicta prohibitione Urbani VII. sed de concessione facta Episcopis à Tridentino, vt possint reducere numerum missarum: & dicunt in ea etiam includi anniversaria, & officia pro defunctis. Et hoc declarauit sacra Congregatio: & probatur manifestè: nam omnes Doctores ab ipso allegati scripserunt antequam fieret hæc prohibitio ab Urbano, vt clarè patet. Vtrum verò dicta ampliatio bene adaptetur huic prohibitioni: ita vt extendatur ad Anniversaria & officia defunctorum: probabilius existimo non extendi saltem quoad officia defunctorum. Et ratio est, quia hæc prohibitio est correctoria iuris communis, (Concilium enim Tridentinum ius commune constituit) ergo non est extendenda ultra casum, in quo loquitur: quia correctio legum est odiosa: cum ergo loquatur tantum de reductione missarum, vt ex se patet, non erit extendenda ad officia mortuorum, quæ Missæ non sunt.

An electo Vicario possit Capitulum Sede vacante aliquam exercere iurisdictionem?

R E S O L. XLI.

Casus est practicabilis: & negatiuam sententiam tenet Gazias de benef. tom. 1. part. 5. cap. 7. num. 25. & sequenti: vbi ita asserit. Videtur Capitulum Sede vacante non posse in aliquo se intromittere circa administrationem iurisdictionis, seu sibi aliquid referuare: sed debere totam administrationem iurisdictionis liberè Vicario relinquere: licet antea posset dare huic Vicario potestatem restrictam, & limitatam, vt per Pauinum quest. 10.

part. 2. numer. 6. quamuis hoc non seruetur in aliquibus Capitulis, quæ solent aliqua sibi reseruare, & denegare, Vicario. Et ita tenet Marc. Anton. Genuen. supra num. 3. dicens, quod post Concilium Tridentinum non potest Capitulum vnâ causam alteri delegare: siquidem cum non possit administrare per se ipsum, sed per Vicarium, in quem Concilium transfert potestatem, non potest ab eo illam auferre: & alteri causam delegare, nisi ex iusta causa, nempe suspicionis vel alia. Secundo videtur in Vicarium electum à Capitulo Sede vacante eo ipso transire totam iurisdictionem Capitulo competentem: nec esse necessarium speciale mandatum: seu commissionem, quoad ea quæ in Vicarium Episcopi non transeunt sine speciali mandato: nam cum Concilium arctet Capitulum ad constituendum Vicarium, qui totam iurisdictionem administret, non videretur necessaria aliqua specialis commissio.

Verum non desunt alij opinantes potestatem: seu iurisdictionem concessam Vicario non esse priuatiuè ad Capitulum: sed cumlatiuè: sicut dicimus de Vicario constituto ab Episcopo: vnde poterit Capitulum, etiam post Vicarij electionem se intromittere circa administrationem iurisdictionis, sicut poterat antea, excommunicando, dispensando, causas delegando, confessarios approbando, &c. sicut potest Episcopus etiam post constitutionem Vicarij. Probatur hæc opinio, quia à iure antiquo non est recedendum, nisi quoad expressa in nouo leg. præcepimus C. de appellat. Sed ante Tridentinum potestas data Vicario à Capitulo, Sede vacante, non erat priuatiuè ad Capitulum, sed cumlatiuè: ergo idem erit post Tridentinum: cum circa hoc nihil innouet Concilium. Minor à nemine negatur: nam mortuo Episcopo succedit ei capitulum in omni iurisdictione ordinaria, exceptis casibus in iure expressis: ergo sicut Episcopus constituendo Vicarium, non censetur concessa iurisdictione Vicario priuatiuè ad Episcopum, sed cumlatiuè: ergo idem dicendum de constitutione Vicarij facta à Capitulo, Sede vacante: nam in iure hoc non reperitur expressum. Quod verò Tridentinum nihil circa hoc innouauerit, patet ex verbis Concilij supra relatis: solum enim arctat Capitulum ad eligendum Vicarium intra octo dies à morte Episcopi: aliàs deuoluit potestatem deputandi illum ad Metropolitanum. Cum igitur nihil disponat circa illud, an iurisdictione data Vicario sit priuatiuè ad Capitulum, an cumlatiuè: censetur hic casus omissus, ac proinde remanet in dispositione iuris antiqui leg. commodissime ff. de lib. & posthum. ac de iure antiquo iurisdictione data Vicario non erat priuatiuè, sed

cumulatiuè ad Capitulum; ergo idem dicendum est stando in iure nouo Tridentini.

Hinc sequitur primò posse Capitulum aliquas causas alteri delegare, sicut poterat ante Tridentinum: quia non est priuatum exercitio iurisdictionis, Sede vacante, quam antea habebat, vt supra ostendi. Sequitur secundò in Vicarium à Capitulo simpliciter electum Sede vacante non transire maiorem potestatem, seu iurisdictionem, quàm in Vicarium electum ab Episcopo: quare in eum non transit tota iurisdictione capitulo competens: sed necessarium est speciale mandatum quoad ea, quæ in Vicarium Episcopi non transeunt sine speciali mandato. Vnde sequitur Vicarium Capituli Sede vacante non posse dispensare sine speciali mandato, in casibus, in quibus Episcopus dispensat, quia nec Vicarius Episcopi id potest. Et hæc omnia docet Merolla tom. 3. disput. 7. cap. 7. dub. 25. numer. 252. & sequentibus: qui numer. 272. etiam docet non esse verum, quod dicunt aliqui Recentiores posse quidem Capitulum in ipsa deputatione Vicarij aliqua sibi referuare, non tamen postea: nam potest Capitulum iurisdictionem Vicarij quandocunque voluerit restringere.

An qui promisit aliquam summam pecuniæ pro beneficio obtinendo, protestans se illam daturum gratitudinis causa, & non ex debito iustitiæ, incurrat in crimen Simonie?

R E S O L. XLII.

Affirmatiuam sententiã tenet nouissimè Franciscus Syluius in resolutionibus variis verb. Simonie 2. conclus. 2. vbi sic ait. Talis promissio est pactio quædam, & contractus non gratuitus, faciam si feceris. Et quamuis Titius dixerit, loco gratitudinis, non beneficij causa, illa eius propositio seipsam destruebat: indicabat enim se gratis daturum, & tamen inibat contractum non gratuitum, hoc ipso quo promittebat 100. florenos post obtentum beneficium dandos, si nimirum eius consilio, seu interuentu obtineret. Nam hæc promissio non erat de re ex sola gratitudine danda. Si namque illo, qui Collatori multum gratus erat, totum id præstante, quod Titius ab eo petebat, Titius non obtinuisset illud beneficium, Titius non sensisset se obligatum dare illi 100. florenos: quia solum promiserat dare post obtentum beneficium: & tamen gratitudinem debuisset ipsi mediatori propter operam præstitam. Ita Syluius: cui etiam adde Bonaciam tom. 1. disput. 1. de Simonia quest. 6. punct. 1. numer. 7. & Filliucium tom. 3. tract. 45. cap. 10.

num. 24. vbi ita asserit. Nec obstat, quòd talis promissio illicita sit, quando tanquam ex iustitia debita exigatur; ac si postuletur solum ex beneuolentia, non apparet aliquid mali: vt enim gratis promissio fieri potest, ita etiam postulari tanquam gratis ex beneuolentia conferenda. Respondeo enim si postuletur post factum gratis beneficium, non esse illicitum seclusa palliatione iniquæ intentionis, etsi ordinariè ad id non obliget gratitudo, ac si postuletur ante præstitum obsequium, & vt conditio necessaria, sine qua beneficium non dabitur, etiam si liberaliter postuletur, est aperta Simonias: est enim pactio & contractus, faciam si feceris; & licet addatur, nisi facias liberaliter, tamen est falsa propositio, & seipsam destruit: hoc enim pacto aperiretur via Simonias omnibus & vsuris. Hæc omnia Filliucius. Vide etiam Raphaëlem de la Torre in 2. 2. Diui Thomæ quest. 100. num. 6. disput. 3.

Sed contrariam sententiã tenet nouissimè Cælestinus in compend. Theolog. Moral. tract. 7. cap. 4. n. 3. vbi sic ait. Difficultas, vtrum id quod est dandum ex gratitudine, in pactum deduci possit absque labe Simonie. Respondeo primò non posse, si pactum fiat de reddenda gratitudine tanquam debita ex iustitia, ratione rei spiritualis, & tanquam pretium illius, vt spiritualis est. Respondeo secundò, posse gratitudinem deduci in pactum, si solum petatur, vt debita iure naturæ ratione beneficij collati: quia si finis est licitus, etiam media ad finem sunt licita; sed intendi potest spe gratitudinis aliquod beneficium pro obsequio temporali, vel è contrario: ergo pactum, quo mediante impetratur finis, non potest esse illicitum, nec Simoniacum. Ita Cælestinus. Cui adde Ghilinum in pract. resolut. cas. conscient. verb. beneficium num. 7. ita asserentem. In obtinendis beneficiis licet pacisci de aliquo temporali retribuendo, tanquam motiuo, seu pro recompensatione gratuita; & in hoc non committitur Simonia: quia in hoc casu datur vel ex gratitudine, vel etiam ex iustitia, non quidem pro re spirituali, vt spiritualis est; sed spectato secundum communem rationem labore, prout ex obligatione onerosa suscipitur: & etiam si detur aliquid notabile vltra æstimationem laboris, non erit peccatum Simonie, nec iniustitiæ dando illud plus, quod labor ille non meretur, liberaliter & gratis. Hæc Ghilinus, qui citat Valentiam, & Tannerum, quos antea citauit in part. 2. tract. 2. miscellan. resolut. 39. vbi licet hanc sententiã speculatiuè probabilem existimaui, tamen in praxi puto non esse amplectendam. Notant etiam aliqui quòd si refugnes beneficium ea intentione & spe, vt alterum tibi à Superiore conferatur aliàs non resignaturus, non eris Simoniacus, si non intendas obligare

obligare Superiorem obligatione alia præter antidoralem: ita expressè Valentia tom. 2. disput. 5. quest. 16. part. 3. versic. sunt tamen. cum Soto quest. 7. artic. 2. & colligit ex cap. unico de rerum permutatione in 6. & consentit. Man. Rodrig. tom. 2. summ. cap. 56. numer. 8. in fine. Farinacius aliis relatis. lib. 1. consil. 75. numer. 3. 44. & 48. & 53. post medium, & 62. & numer. 82. in fine. Et addit Valentia hoc etiam esse verum, etsi prædictam spem verbis, aut scripto exprimat Superiori: quia quod licet optare, licet etiam verbis exprimere: & in iure nullibi reperitur prohibitum, ne talis spes exprimat. Quod etiam docet Caltrus Palaus tom. 3. tract. vltim. punct. 4. numer. 2. Sed hæc opinio aliquibus non placet, quia in illa videtur adesse pactum implicitum.

An ob vitandum peccatum Titij licitum sit prouocare illum ad se inebriandum?

R E S O L. XLIII.

Negatiuè responderet Auctor casuum conscientie (asserunt mihi esse P. Carolum Zambertum Societatis Iesv) Bononiæ discipulum anno 1638. mense Junio cas. 1. fol. 41. Quia nunquam licitum est inducere aliquem ad actionem, quæ ita intrinsecè mala est, vt sine peccato fieri non possit: talis autem est voluntaria ebrietas, solius voluptatis causa suscepta, nõ enim est minus intrinsecè mala, nec minus absque peccato fieri potest, quàm sit mentiri, aut blasphemare, vt probat & docet Layman lib. 3. sect. 4. de temperantia num. 5. & 6. Ergo, &c. Falsumque est licere inducere hominem ad peccatum minus committendum, quod ille committere nec formaliter, nec virtualiter decreuerat, (vt euenit in proposito casu) cum hæc sit vera inductio ad malum peccati, & scandalum actiuum per se intrinsecè malum, quippe repugnans præcepto naturali negatiuo: Ne inducas alterum in peccatum, siue: Ne alteri auctor sis peccati cuiusquam. Verum autem est licitum esse inducere hominem ad peccatum minus committendum, si inductio fiat ad minus peccatum, vt minus est; ita vt alteri suadeatur non totum peccatum, quòd certo animo concepit, committere, sed partem dumtaxat, formaliter aut virtualiter inclusam in toto: Tunc enim non suadetur homini, vt malum peccati faciat, sed vt saltem aliquam peccati partem non faciat, si à toto abduci non possit.

Sed his non obstantibus Lessius contrariam sententiã tenet lib. 4. cap. 3. dub. 4. n. 33. & sequent. vbi sic ait. Petes. Quid si grande

aliquod malum impendens non possit alia ratione impediri, nisi inebriando auctorem, qui illud machinatur: vtrum tunc licitum sit illum inebriare? v. g. aliqui meditantur prodicionem oppidi in certam horam: vel impediunt, ne oppidum, quod est in rebellium hæreticorum potestate, suo Principi condito tempore tradatur: nec suppetit mihi vlla facultas id auerendi, nisi eos lautè excipiendo & sopiendo per potum. Item captus à valoribus deducor ad tabernam, & spes est euadendi, si eos inebriauero. Respondeo hoc casu videri licitum prouocare ad æquales hauustus, & alterum inebriare, hoc est potu confopire: ideòque in secunda assertione dixi, nisi iusta causa excuset. Probat, quia licitum est suadere, & inducere ad minus malum, vt impediatur maius, vt communiter Doctores tradunt: atqui hic nihil aliud sit Ergo, &c.

Sed aduersus Lessium insurgit nouissimè Ioannes Vvigers de iustit. & iur. tract. de temperantia cap. 2. dub. 7. numer. 11. & sequentibus. Quia si mihi liceat vrgendo æquales hauustus alterum inducere ad intemperantiam, & ebrietatem, vt non exequatur malum contra Rempublicam, quod machinatur, videbitur & licere mihi ducere illum ad lupanar, & ad libidines concitare, vt voluptatibus carnis quasi absorptus non perficiat malum grande quod meditabatur, si aliter non possum illud impedire. Confirmatur, quia sicuti fornicari est actus per se malus contra naturalem legem temperantia, ita quoque scienter se inebriare: si igitur mihi liceat inducere modo dicto ad ebrietatem, ita vt malitia huius inductionis abstergetur, quia fit in ordine ad maius malum præcauendum; cur non similiter malitia inductionis ad fornicandum abstergetur, quia ex ordine ad eundem finem fit: aut si ista actio mea prior sit dicenda non habere rationem inductionis ad malum, sed tantum impeditiois mali maioris: quare non idem dicendum erit de actione altera posteriori: quam vtrum aliquis admitteret in illo casu licitam nescio: mihi sanè videretur illa doctrina valde reprobanda. Ita Vvigers.

Sed sententiã Lessij probabilem putat Auctor casuum Bononiensium, & absolute illam docet Villalobos in summa tom. 2. tract. 60. difficult. 6. numer. 9. vbi sic ait. [Mas si succidiese que alguno quisiese hazer algun gran mal, el qual no se podria impedir, sino es embria gandle, seria lecito brindarle vno que tiene buena cabeza, para embriagarle, como dize Lesio, y lo mismo dize quando truuessen à vno preso vno salteadores, que no se puede librar dellos sino es embriagandolos. La razon es, porque es licito persuadir, ò induzir à menos mal, para evitar el mayor,

mayor, y esto es lo que aqui se haze, y no obsta dezir, que non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona: porque el persuadir à otro el menor mal, aunque el otro le entienda, para euitar en el el mayor, no es hazer mal.] Ita ille; Vnde ego puto hanc sententiam probabilem esse, licet contrariam existimem probabiliorem.

An si aliquis minaretur alicui mortem, nisi se vino oppleret, licitum sit se inebriare?

R E S O L. XLIV.

Negatiuam sententiam tenet Io. Vvigers de instit. & iur. tract. de temperantia cap. 2. dub. 5. numer. 26. & sequent. Ex autoritate Diui Augustini serm. 2. 1. de tempore, vbi circa initium sic scribit. Qui enim alterum cogit, vt se plusquam opus est bibendo inebriet, minus malum ei erat, si carnem eius vulneraret gladio, quam animam eius necaret. Vbi manifestè supponit Augustinus illum, qui etiam coactus se inebriat, necare animam suam, atque adeò mortaliter peccare: & ne quis dicat Augustinum loqui tantum de illis, qui magis sua voluntate, quam ex coactione aut vero metu mortis se inebriant, adiungenda sunt hinc ea, quæ habet serm. 232. vbi casum quasi in terminis ponit, dum ita scribit. Etiam si ad hoc veniretur, vt tibi diceretur: aut bibas, aut morieris: melius erat vt caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur. Eamdem sententiam D. August. sequitur Azorius tom. 1. lib. 7. cap. 33. quest. 5. sub finem. dum sic scribit. Si quæras, an si quis ebrius fiat, vt tyranni vel hostis scruitiam fugiat, peccet? Respondeo cum Caiet. 2. 2. questione 150. artic. 2. peccare; quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona.

Non desinam tamen adnotare sententiæ affirmatiuæ adhærere Lessium lib. 4. cap. 3. dub. 4. num. 31. quia id licitum est causa medicinæ ad pellendum, vel arcendum morbum: cur non etiam ad vitandam mortem ab alio intentatam? Respondet Caietanus quia non est medium per se ordinatum ad hoc, sicut ad illud: vnde ibi ille potus non censetur immoderatus; hic verò censetur. Sed hoc non satisfacit: nam licitum est ad vitandam mortem multa facere, quæ per se ad hoc non sunt ordinata, sed solum ex malitia alterius. Sic supra lib. 2. cap. 9. dub. 14. ostensum est, probabile esse licere sibi amputare manum, vel digitum iubente Tyranno ad mortem redimendam: & tamen hoc nullo modo per se est ad istud idoneum: & extra illud periculum est etiam graue

peccatum. Secundo ob similem causam possum ieiunare plusquam valerem ferat, aut ratio virtutis abstinentiæ extra illum casum, cur non similiter amplius bibere & comedere? Tertio possum vesci fungis aut aliis rebus noxiis, bibere copiam vini eliquati, etiam cum periculo febris, possum haurire medicamentum valetudini noxium, & similia: quæ tamen extra illam necessitatem nullo modo essent licita: sicut ergo ista non sunt contra virtutem, quando sunt necessaria ad mortem vitandam: ita nec immoderatus potus contra virtutem erit: quia cum omnibus illis circumstantiis in ordine ad salutem corporis re vera immoderatus non est: sicut enim licitum est lædere sanitatem, & corporis integritatem ad vitandam mortem ex alterius malignitate impendentem: ita etiam licitum est lædere rationis vsum ad breue tempus ob eandem causam: etsi enim dominium istorum non habeat, tamen habet custodiam in ordine ad bonum totius, ac proinde potest de illis disponere prout necessarium ad salutem totius: denique priuatio rationis hic non est intenta, sed solum permixta, quam non tenetur cum tanto suo malo impedire. Hucusque Lessius cui adde Villalobos in summa tom. 2. tract. 50. difficult. 6. num. 5. vbi sic ait. [El que de consejo de los Medicos beuiese vna gran vez de vino, con que perdiessse el juzio, no se hà dallamar embriagado, porque no lo haze voluntatis causa, ni aun peccaria, como dize Syluestro, Cayetano, Nauarro y Lessio. Lo qual podria acontecer en vn subito temor de peste, quando no se hallasen otros remedios, y le mandassen para esto beuer mucho vino bueno, ò contra vn maleficio, ò por otra causa semejante: porque esto no es contra la templança; mas quando ay otros remedios non sera licito, aunque sea de consejo del Medico, como dize Cayetano. De lo qual se sigue, que tambien podria vn hombre embriagarse, quando fuisse necessario para euitar la muerte, como tiene Lessio, contra Cayetano, diciendo que fueron desta opinion muchos hombres dotos de la Vniuersidad de Louayna consultados sobre este caso.] Ita ille.

Vnde immeritò tam acriter vbi supra Vvigers inuehitur in Lessium, cuius opinionem probabilem esse puto cum Layman lib. 3. sectione. 4. num. 5. vbi ita asserit, Non improbabiler ait Lessius licitum esse inebriari mortis vitandæ causa, quam tibi aliquis per violentiam minatur, ni propinanti respondeas, modò scandalum absit, neque cedat in contemptum virtutis temperantiæ à Christianis seruandæ. Probat: si enim ad redimendam vitam à Tyranno fas est sibi ipsi manum, vel pedem amputare, cur non etiam rationis vsum

ad

ad breue tempus sibi adimere? Repugnat tamen Caietanus 2. 2. quest. 150. artic. 2. ad 3. imò & S. Augustinus serm. 232. Etiam si ad hoc veniretur, inquit, vt tibi diceretur, aut bibas, aut morieris: melius erat, vt caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur. Sed Lessius respondet Sanctum Augustinum id dixisse propter ea, quæ per accidens coniuncta esse solent. Hæc Layman. Vnde secundum hanc sententiam si aliquis prouocet te ad duellum, vel inuadat gladio, nisi æqualibus cyathis respondeas, potes respondere cum periculo te inebriandi.

Quidam dispensatus à Summo Pontifice in voto Religionis ratione infirmitatis post multos annos conualuit: quæsiuit an ad ingressum Religionis sub mortali teneretur?

R E S O L. XLV.

Confului, vt Religionem ingrederetur. Sed instabat. An aliqua esset probabilis opinio: quæ illum à tali onere liberaret. Et tunc respondi affirmatiuè ex Doctoribus, quos ego citavi in part. 1. tract. 10. resolut. 41. asserentibus quòd cessante causa finalis dispensationis adhuc valet dispensatio. Et ita hanc sententiam nouissimè me citato tenet etiam Auctor casuum Conscientiæ Bononiæ discussorum anno 1638. mense Maio casu 1. fol. 35. vbi quærit an Sacerdos Beneficiarius dispensatus ab onere recitandi horas Canonicas ex infirmitate oculorum, si postea conualuerit, teneatur sub mortali recitare officium & respondet negatiuè ex rationibus à me adductis in citata resolutione 41. Quia dato, quòd cessauerit omninò causa finalis dispensationis, postquam dispensatio fuit executioni demandata, adhuc tamen valet dispensatio: ita vt qui à principio obtinuit dispensationem cum causa rationabili & sufficienti, etsi postea decursu temporis cessauerit totaliter illa causa (vt accidit in casu proposito) non peccet vtens tali dispensatione sic obtenta, cum per eam absolute concessam verè fuerit simpliciter relaxata lex illa, eiusque obligatio consequenter omninò extincta: vnde per cessationem illius causæ, ob quam fuerat concessa dispensatio, non potest reuiuiscere obligatio prædicta, cessante namque causa finali, non cessat ideò effectus consummatus, & perfectus, (secus quando nondum consummatus est) vt multis probat Tiraquellus tract. cessante causa, limitatione 12. Menochius de præsumptionib. lib. 4. præsumpt. 189. numer. 197. Totalis autem effectus dispensationis est ipsa legis relaxatio, quæ

per illam fit; cum ergo consummata sit, dispensatione semel iam facta, nihil obesse potest in posterum cessatio causæ. Gratis autem & absque fundamento dicitur relaxatio illa fuisse solum sub conditione à Principe facta, nempe dum causa perseverauerit.

Vnde supposita probabilitate supradictæ opinionis: quòd scilicet Titius modo dicto simpliciter dispensatus ab onere recitandi horas Canonicas propter defectum oculorum morbum, quo tempore dispensationis imperatæ grauitè laborabat; adhuc gaudeat beneficio dispensationis, etiam postquam ab eo morbo perfectè conualuit: ita vt non peccet omittendo in posterum officij diuini recitationem: probabile est eundem Titium in dicto euentu nec teneri ad vllam fructuum beneficij ab ipso possessi restitutionem. Hucusque Auctor supra citatæ decisionis, quæ omnia deseruiunt pro casu nostro. Vide etiam Zambellum in Reper. Mor. ver. Dispensatio numer. 5. vbi me citato docet, quòd dispensatio habita pro necessitate, illa transacta, adhuc valet, & dispensatus illa uti potest.

Quis in Religione obtinuit licentiam à Superiore confitendi per spatium octo dierum cum quodam Sacerdote à quo absolutio nem obtinuit: post aliquot dies recordatur aliquorum peccatorum; quæsiuit an possit illa confiteri cum supradicto Sacerdote?

R E S O L. XLVI.

Videtur negatiuè respondendum ex Zambano de casib. occurrent. temp. mort. cap. 4. dub. 5. num. 2. & Sanchez in summa tom. 1. lib. 2. cap. 13. numer. 15. asserentibus, si iam Sacerdos in articulo mortis à peccatis absoluat moribundum, non posse eum superueniente legitimo Confessario amplius audire peccata oblita: ita & in casu nostro, cum ad ministrandum Sacramentum requiritur necessariò potestas iurisdictionis, quæ si delegata est, vt erat in casu, de quo loquimur, cessat elapso tempore, ad quod vsque fuerat concessa. Ergo, &c.

Sed quia tunc consulens non habebat alia peccata mortalia, nisi illa oblita in præterita confessione, & multum ruborem habebat confitendi cum alio Confessario: Ego tunc existimaui potuisse illum primum Confessarium non obstante tempore elapso, & confessione finita, talia peccata oblita audire & absolueri sine alia Superioris licentia. Et hunc casum postea inueni ita fuisse decisum in casibus Bononiensibus anno 1539. mense Octobri casu 2.

casu 2. vbi sic habetur. Si Titius non habeat aliud peccatum mortale præter illa duo oblita in confessione facta Caio Sacerdoti tunc approbato ad confessiones, probabile videtur posse confiteri, & absolui ab eodem Caio, etiam non obtenta noua approbatione iam expirata. Ratio est, quia licet Titius fuerit ante quatuor menses absolutus Sacramentaliter à Caio, & ita videatur iudicium illud completum, opusque sit per nouam confessionem nouum instituere iudicium, in quo videtur Caius ex defectu approbationis iam expiratæ nõ habere iurisdictionem: nihilominus cum illa duo peccata mortalia oblita verè spectent ad priorem illam confessionem Sacramentalem factam Caio tunc habent inessentialiam iurisdictionem, videntur esse etiam nunc pars illius iudicij, seu causæ iam cæptæ à Caio Sacerdote. Et consequenter respectu istorum duorum peccatorum mortalium oblitum non videtur expirasse in Caio antiqua iurisdictione respectu Titij penitentis circa illa duo peccata mortalia oblita, quæ adhuc videntur, vt diximus, esse pars præteritæ illius Confessionis: & ista noua Confessio non est ita independens à præterita, vt non sit aliquo modo moraliter pars, seu complementum illius. Est autem valde probabile, habentem licentiam audiendi Confessiones ad tempus posse, eo transacto, prosequi Confessionem antea cæptam. Hæc omnia habentur in prædicta decisione, quæ indiuidualiter casum nostrum confirmant.

An in dubio quis sit priuandus Ecclesiastica sepultura: & an possit dari ignorantia inuincibilis, quod in aliquo casu homicidium sit licitum?

R E S O L. XLVII.

HÆc dubia discutienda sunt ex occasione cuiusdam facti enarrati à Bernardino Scardeonio de antiquitate Urbis Patavij lib. 2. Class. 14. vbi agens de Isabella Bauignana puella agrestis sic asserit. Etsi magnam laudis iacturam nobiles mulieres Patavinæ ex eo fecisse videantur, quod hinc modò puella rusticana obscurissimi nominis, pudicitia splendore præ cæteris luceat: ego tamen ex eo patriam nostram præclari facinoris laude fraudandam non censui: quin potius de tam generosi, ac pudici animi constantia, vel sic ignotæ puellæ ad præscitum decus Patavinæ pudicitia, quicquid olim de hac ipsa in alio nostro opere de castitate iam dixi, hinc rursus referendum putavi. Nam quo tempore Maximilianus Augu-

stus totam ferè Venetiam, & præsertim agrum Patavinum excursionibus deuasabat cum turmatim agrestes omnes in urbem confugerent, puella ista agrestis humili loco nata, sed nobilissimo animo, & honesta forma prædita, vbi urbem ingressa est, à propinquis suis (vt fit) ignara viæ à recto itinere ex nimia trepidatione deflexit: & dum ita ignara locorum, errabunda, lacrymans, omnia circumlustrat, in manus fortè incidit Militum Venetorum, qui præsidio Urbis stabat: à quibus tracta est in proxima contubernia, vt ibi interim ludibrio haberetur eius pudicitia. Sed nescio quo colore, & fato prostrata in misella domo, & recta ad portam, quæ paulò antè ingressa fuerat, festina procurrit, putans se tutiorem fore inter hostes, & in agris, atque vbi que locorum, quàm intra mœnia, & inter præsidia Ciuitatis. Insequuntur incesti illi, ac impij prædones. Fugit exterrita puella more trepidæ & imbellis Damæ, quæ à canibus rapta fugam rapit in nemora & saltus: & vbi euadere amplius non sperat, de prærupta faxi crepidine sese præcipitat, mallens subito casu conteri, quàm comprehensa ludibrio esse rabidis molossis. Haud secus infelix Virgo, vbi effugium nullum reliquum videt, de Ponte Coruo, vbi fortè aderat, in adiacentem fluuium sese præcipiti saltu demittit, pudicitiam suam Deo seruandam committens. At dum propositi tenax ab illis adiuari recusat, & exterrita enatare nescit, nec curat, absorpta mox à flumine suffocatur: quæ paulò post inuenta in proxima ripa, sine funebri officio sepelitur: haud digna, meo quidem iudicio, quæ sic sepeliretur. Sed certum est, quod sicut nihil prodest impiis celebris sepultura; ita nihil obest iustis vilis ac nulla. De ista Ioannes Nouentanus Patavinus cecinit hoc Epitaphium.

*Euganeas inter præstans virtute puellas
Hoc iaceo indignè condita Virgo loco.*

*Nam cum me peteret lasciuum miles ad vsu,
Munera posse mori magna fuere mihi.*

*Disce age, sit quanti, Virgo, seruare pudorem,
Pro quo nil timui perdere corpus aquis.*

Supposita hac celebri historia quæsitum mihi fuit à quibusdam amicis, an dicta Virgo à peccato homicidij possit excusari, & an rectè fuerit Ecclesiastica sepultura priuata. Et pro resolutione dubij supponendum est ex Diuo Thoma in 2. 2. quæst. 64. art. 5. non licere seipsum occidere, etiam ad vitandam fornicationem. Vnde Beata Lucia ad impium Tyrannum affirmantem se eam ad lupanar ducturum, vt inibi à iuuenibus stupraretur. Non inquinatur, inquit, corpus nisi de consensu mentis: violentia tua mihi duplicabitur ad coronam. Hinc D. Augustinus lib. 1. de Ciuitate Dei, cap. 18. cur homo, qui mali nihil fecit, sibi male faciat? Et ratio

An Ducibus & Militibus super naues Indicas, quæ vulgò dicuntur la Flotta, quando aliter manus hostium effugere non possunt, licitum sit ignem adhibere, vt ipsi & naues absumentur?

R E S O L. XLVIII.

Negatiuè respondent communiter ex Diuo Thoma, in 2. 2. quæst. 64. art. 5. quia contra propriam inclinationem, & charitatem propriam est seipsum occidere: & quia ad solum Deum pertinet iudicium mortis & vitæ.

Sed nouissimè affirmatiuam sententiam probabilem putat Fagundez in præcepta Decalogi tom. 1. lib. 5. cap. 11. num. 14. in fine. Et ponit duos casus, quando iam sunt naues oppletæ hostium multitudine, contra quam nostris præualere non possunt: vel quando sunt tam magna multitudine hostilium nauium circumuentæ, vt euadere nequaquam possint. Probat verò hanc sententiam primò. Quia huiusmodi Duces non intendunt se perimere directè & positiuè; sed pro bono communi & auctoritate sui Regis directè intendunt eneruare hostem, contra quem iustum bellum gerunt, illumque priuare ea præda ne postea fiat insolentior; licet concomitanter & per accidens propriam mortem ipso facto sibi inferant: ipsi enim bene optassent, se saluis, hostes perdere, si possent. Secundò quia potest quis ignem iniicere pulueri tormentario ad solo æquandam hostilem arcem, etsi sciat se momento dissipandum fore; neque enim ipse propriè se interimit, sed ignis imperus & arcis ruina illius interitum afferunt, cui se ob iustissimam causam exponit: non secus ac is, qui se volanti telo obicit, vt vitam Principis tueatur, quæ res in bellis penè est quotidiana; alioquin non esset licitum militibus cum periculo vitæ suffodere turres & mœnia hostilia: quare si illi excusantur, cur non etiam excusabuntur nostri milites, sociique nauales, qui strenuè cum hæreticis dimicantes, cum iam iam vident nauim in potestatem hostium deuenturam, communi consensu ignem pulueri iniiciunt, & se mari committunt; ne & ipsi & naues veniant in hostium potestatem? non enim intendunt suum interitum, sed ne hostes publico Reipublicæ Christianæ damno illis potiantur. Tertio, quia certissimum est in materia de bello, posse illos, qui patriam in bello iusto defendunt, quando certum vident interitum, & eum aliter euadere non possunt, excogitare, & aggredi facinus aliquod, quod sit patriæ suæ salutis, & hostibus detrimento, etiam si mors inde sibi certissimè obueniat, vt docet Victoria

ratio est, quia pudicitia virtus est animi comitem habens fortitudinem, vnde cum virtus sit animi, consistit in animi consensu: quare si in impudicitia non consentitur, non amittitur pudicitia: & cum comitem habeat fortitudinem, debet potius quis ex fortitudine quælibet mala tolerare, quàm seipsum interimere ad vitanda mala.

Sed licet hæc doctrina vera sit, ego tamen in casu nostro puto excusandam esse supradictam mulierem: nam supponendum est hoc fecisse ex ignorantia inuincibili; nam, vt aduertit Trullench in Decalogum tom. 2. lib. 5. cap. 3. dub. 1. numer. 4. Lessius libr. 2. capite 9. dub. 6. numer. 33. Petrus Nauarrus lib. 2. cap. 3. numer. 13. & 14. Ioan. Vvigers de instit. tractat. 2. cap. 2. dub. 14. numero 92. & alij, se occidere ob pudicitia custodiam non est ita euidentem esse malum, quin inculpatè possit ignorari, & existimari licitum; quod docuerunt Stoici, & insinuare videtur Diuus Hieronymus in cap. 1. Iona versus finem: his verbis. Vnde in persecutionibus non licet propria perire manu, absque eo quod vbi castitas periclitaretur: Hinc mulierem agrestem, vt erat dicta Isabella tali ignorantia laborasse maxima probabilitate dicendum est; & idè saluo meliori iudicio Ecclesiastica sepultura priuanda non erat: nam, vt ego probaui in 4. part. tractat. 4. resolutione 23. & obseruat Fagundez in Decalogum tom. 1. libro 5. capite 11. numer. 3. in hac materia in dubio inclinandum est in fauorem; sed puto minori apparatu, vno scilicet Sacerdote vel altero quod sepelienda fuisset ad terrorem aliorum, ne tali exemplo hoc facinus perpetrarent; & vt cognoscerent talem mulierem non priuari sepultura Ecclesiastica ex præsumpta ignorantia, qua laborasse satis probabiliter existimari poterat: nam in hoc casu locus est coniecturis, vt patet ex Iulio Lauorio in var. Elucubrat. titul. 2. cap. 12. numer. 28. Et licet occidentes seipsum non sint in Ecclesia sepeliendi ex cap. quibus 13. questione 2. cap. placuit 23. questione 5. cap. ex part. 2. de sepulturis, hoc tamen prouenit, quia Canones supponunt tales decedere in peccato mortali ob desperationem, vel iracundiam. Sed in casu nostro satis probabiliter existimari potest dictam puellam Isabellam seipsum occidendo non decessisse in peccato ex inculcata ignorantia, quia erat puella rustica.

Ergo, &c.

* * *

in relect. de homicid. ad ultimum. Aragonius 2. 2. *questione 62. tractat. 1. de Dominio vite conclusionem 1. questione 64. art. 1.* Valentia *tom. 3. disputat. 5. quest. 8. punct. 2. in fine.* Ludouicus Lopez 1. *part. instruct. cap. 65.* quod patet in facto Samsonis *Iudic. 16.* qui templi columnas euertit, quò moriens plures hostes perimeret, quàm uiuens: nam licet D. Augustinus *lib. contra secundam Epistolam Gaudentij,* asserat Samsonem id fecisse præmouente Deo, & sic obedientem fuisse Spiritui diuino: tamen absque ea præmouente id poterat Samson efficere intuitu debilitandi hostes, quos effugere non poterat, vt docent Sayrus *in Clauis Regia, lib. 7. cap. 9. numer. 9.* Lessius *tom. 1. de iustit. lib. 2. cap. 9. dub. 6. numer. 32.* Caietanus *Iudic. 16.* Ludouicus Lopez 1. *part. instruct. cap. 65. in fine.* Cæteras rationes videbis apud Fagundez, qui pro hac sententia adducit Lessium *lib. 2. cap. 9. dub. 6. numer. 32.* cui ego addo Bonacinam *tom. 2. disput. 2. de restitut. quest. ultim. sect. 1. punct. 5. num. 8.* & Ægidium Trullench *in Decalogum tom. 2. lib. 5. cap. 3. dub. 3. numer. 11. &c.*

Nota tamen quòd post hæc scripta inueni negatiuam sententiam docere Ioannem Vvigers *de iustit. tract. 2. cap. 2. dub. 18. numer. 106.* vbi sic ait. Minus videtur licitum nautis, vel militibus naualibus iniicere ignem in proprium puluerem tormentarium, quò contringat ipsos & nauem absumi; ne scilicet nauis veniat in potestatem hostium cum publico detrimento. Ratio eadem est, quia ab eiusmodi actione non potest (vt apparet) rescindi voluntas occidendi seipsum, ita vt tantummodo in alterum finem intentum cadat. Idque eò minus, quòd huiusmodi actio propinquius, & magis per se inuadat suum auctorem, ipsique mortem adferat, quàm inuadat hostem, aut illi noceat: immò tantum consecutiue, & quasi per accidens in detrimentum cedit hostium: per se autem tendit ex se ista actio in nocumentum & mortem Auctoris. Vnde etiam communis Christianorum sensus ab eiusmodi factis tanquam horrendis, atque illicitis videtur abhorrere. Si tamen qui in naue sunt, & certò occidendi cum aliqua spe enatandi in mare se conicerent, & sic nauem incenderent, tum non ita difficile videbitur eiusmodi factum ab homicidio proprio excusare: quantumuis fortasse etiam auctores incendio interirent: sicuti antè diximus de quibusdam non absimilibus casibus. Hucusque Ioannes

Vvigers.
* * *

An sit absolutio impertienda Blasphemo consuetudinario, qui emendationem proposuit, nec est emendatus?

R E S O L. XLIX.

Negatiue respondet Medina *lib. 1. cap. 14. §. 2.* Ludouic. Lopez *in instruct. part. 1. cap. 28 2.* Ledesma *in summa tom. 2. tractat. 1. cap. 9. in fine,* & alij asserentes Blasphemum, quando in aliis confessionibus emendationem proposuit simul cum aliis peccatis, nec emendatus est, non esse statim absolendum: sed differendam ei esse absolutionem, donec emenderetur. Et hanc sententiam sequitur Trullench. *vbi infra,* & Azorius *tom. 2. lib. 1. 1. cap. 3. quest. 4.* si ter aut quater fuerit admonitus, & nullam diligentiam apposuit; tunc enim esset absolutio differenda.

Sed contrariam opinionem in rigore veram esse tuetur Fagundez *in Decalogum tom. 1. lib. 2. cap. 9. num. 20. & 21.* vbi ad præsentem casum ita respondet. Vel iste admonitus fuit à Confessariis specialiter in ipsis Confessionibus, vt eam prauam consuetudinem auelleret, vel non fuit, sed cum aliis peccatis simul proposuit emendationem. Si nunquam fuit specialiter admonitus, vt eam consuetudinem iurandi tolleretur, statim absolendus est, cum acriter tamen admonitione, vt se corripiat, & eam euellat. Et ratio est, quia si nunquam fuit à Confessariis admonitus, non est in tanta culpa. Si autem ter vel quater admonitus fuit, & aliquid curæ, vel laboris in ea euellenda apposuit, statim etiam est absolendus, & non est ei differenda absolutio: quia ex parte sua aliquid contulit: & si ei differatur, fortè cadet animo, & à confessione deterrebitur, & labetur in peius. Si post admonitionem nihil curæ apposuit; dico posse adhuc in rigore absolui, si verè doleat de tali consuetudine, ac in posterum firmiter emendationem proponat; quia nullam occasionem extrinsecam habet, propter quam necessariò ei sit deneganda absolutio: sed ex fragilitate humana in hoc vitium, sicut & in alia labitur. Quod tamen non est dicendum de eo, qui concubinam domi habet, cum proximam & moralem occasionem extrinsecam domi habeat peccandi. Dico tamen melius esse consilium, si ei absolutio per aliquod tempus differatur: si modò ipse penitens id non multum ægrè ferat, & non timeatur, vt ob id à confessione retrahatur; sed potius credatur illam dilationem ad emendationem illius fore medicinam. Si autem oppositum timeatur, non erit consilium ei absolutionem differre; nisi quando ille iis periuriis

ingens

ingens præberet scandalum: quod totum arbitrio prudentis Confessarij committitur. Hucusque Fagundez, cui adde etiam Castrom Palaum *tom. 3. tractat. 14. disputatione 1. punct. 9. numer. 6.* Et idem dicendum est de illo qui habet consuetudinem peierandi: quia, vt dictum est, ob peccata, quæ non pendent ex occasione extrinseca, sed ex fragilitate peccatoris, non est differenda necessariò absolutio: quia eo ipso quòd penitens de peccatis doler, remouet omnem occasionem & periculum horum peccatorum: ergo de rigore potest absolui: Sed de his aliibi à nobis actum est.

Norandum est tamen hic obiter Suarez *de Religion. tom. 1. lib. 3. de iurament. cap. 8. numer. 7.* docere penitentem teneri ad acceptandam aliquam pœnam, vel afflictionem pro praua consuetudine tollenda: quia vnusquisque tenetur procurare remedium, ne amicitiam cum Deo amittat: & consequenter illud acceptare, cum à Confessario offertur. Sed ex Sanchez & Soto, Fagundez & Trullench *in Decalogum,* ille *vbi supra numero 17. hic tom. 1. lib. 2. cap. 1. dub. 20. num. 10.* negant. Quia pro praua consuetudine in aliis peccatis hæc pœna imponi nequit, ita ut illius acceptatio obliget sub mortali: nec ratio, quæ affertur pro Suarez aliquid conuincit, quia alioquin sequeretur teneri eos, qui hac praua consuetudine laborant, simile remedium sub mortali acceptare non solum à Confessariis; sed etiam ab aliis viris prudentibus impositum aut oblatum, & nouum admitterent peccatum, nisi illud acceptarent. Sufficit ergo, quòd iure diuino teneantur ipsi gratiam cum Deo conseruare non tamen opus est, vt illos obligemus sub mortali ad acceptandum medium, ac remedium à nobis oblatum, vt gratiam Dei conseruent.

Sed inter has pugnantes opiniones mihi placet distinguere cum Castro Palao *loco citato tom. 3. tractat. 14. disputatione 1. punct. 9. numer. 7.* Si enim in penitentiam medicinali iuramentorum, quæ audita sunt in Confessione, aliquod ex supradictis remedijs tibi Confessor iniungit, absque dubio teneris illud exequi: quia penitentiam à Confessore iniunctam tenetur penitens acceptare & exequi iuxta Tridentinum Concilium *in sess. 14. cap. 4.* & multis relatis docet Suarez *tom. 4. in 3. part. disputatione numer. 1. conclusionem 1.* Verùm hæc penitentia absolute est iniungenda, non dependenter à peccato futuro: aliàs in tua voluntate situm esset nullam penitentiam habere. Quapropter si sub conditione reincidentia imponatur; eo solo casu teneris illud remedium exequi: quando alio

non vteris ad extirpandam prauam consuetudinem. Si enim alijs remedijs vteris, cessat obligatio vtendi medio à Confessore designato. Siquidem illud neque vt iudex, neque vt medicus imponit: cum non sit iudex, & Medicus peccatorum committendorum, sed iam antè commissorum: ac proinde sub conditione peccati futuri applicare medicinam non potest, quam tu aliàs obligatus non sis accipere ad præcauenda futura peccata.

An Clericus in Minoribus constitutus possit exercere medicinam sine alia Pontificia dispensatione?

R E S O L. L.

Negatiue videtur respondendum ex Petro Conrado *de dispensatione lib. 5. cap. 4.* Sed ego inuenio Doctores communiter docere licitum esse Clericis medicare in Minoribus constitutis: secus verò sicut in sacerdotibus, vel beneficiarijs. Ita Nauarrus *consilio 3. ne Cleric. vel Monac. secularibus negot. se immisceant.* Graffius *in decisionibus tom. 1. lib. 2. cap. 66. numero 6.* Zerola *in Praxi parte 2. verb. Medici.* Auila *de censur. part. 7. disputatione 6. sectione 1. dub. 10.* & nouissime Paulus Squillante *de obligation. Cleric. part. 2. dub. 17. numer. 52.* Probatur *ex cap. 2. de postulat.* Et quia non reperitur eis hoc exercitium interdictum: & facit textus in *cap. sententiam, ne Cleric. vel Monac. in eo quod prohibet eis artem Chirurghi, quæ adustionem vel incisionem inducit: sed in physica hoc cessat: ergo, &c.* Vnde ego olim consului Clericum minorem, qui physicam exercuerat tanquam peritus in arte cum omni circumspectione, & diligentia necessaria, & cum conscientiam haberet quietam, & sine remorsu potuisse sine vlla irregularitatis dispensatione ad sacros Ordines assumi: ita tamen vt in posterum artem illam non exerceret: nam vt diximus, neque beneficiariis, neque sacris Ordinibus initiatis hoc fieri sine pontificia dispensatione permiffum est: licet aliquando non nego posse gratis personis miserabilibus & consanguineis mederi, vt obseruant Doctores penes Squillante, *vbi supra,* & docet noster Nouarius *de privileg. miserabil. person. privileg. 83.*

* * *

X 2 Quidam

Quidam Religiosus ex causa metus annullauit suam professionem: postea matrimonium inire uolebat: quæsiuit à me an licitè fieri possit?

R E S O L. LI.

Dictus Religiosus intrepidè assererat iam suam professionem fuisse nullam, & ex hoc matrimonium inire ei non esse interdictum, cum votum Religionis iam euauisset. Respondi toto cælo errare: quia etiam cognita nullitate suæ professionis non remanet liber à voto castitatis, ac proinde eum non posse contrahere matrimonium, ut patet *ex cap. placet 12. de conuers. coniugat.* nam cum castitas sit annexa essentialiter statui Religioso, ut probat Sanchez *de matrimonio lib. 7. disput. 25. numer. 8.* sequitur, ut professionem faciens in Religione emittat per se & principaliter votum castitatis: ergo licet istud votum non valeat tanquam solemne, valebit tamen eo modo, quo ualere potest, nempe tanquam simplex. Et ita docet Paludanus *in 4. distinctione 37. quest. 1. numer. 2.* Sanchez *lib. 7. disput. 27. numer. 13.* Tiberius *in instruct. Ordinand. cap. 11. quest. 80.* & alij.

Quis emiserat votum certæ Religionis, à qua absolutè repulsus fuit: sed postea inuitatus à Superioribus quæsiuit à me, an teneretur ingredi?

R E S O L. LII.

Afirmatiuè uidetur respondendum: & ita docet Sanchez *in summa tom. 1. lib. 4. cap. 16. numer. 71.* & Layman *lib. 4. tractat. 5. cap. 6. num. 4.* asserentes ita uouentem obligatum esse ingredi religionem, quoties Religio uoluerit illum admittere, licet prius repulerit. Quia votum Religionis non emittitur in fauorem Religionis, ut ipsa Religio cedere possit iuri suo: sed emittitur in Dei honorem, & uouentis utilitatem. Sed quia hic honor, & hæc utilitas obtineri non potest conuenienter absque Religionis consensu, ea de causa Religionis consensus expostulatur. Ergo quandocunque hic consensus apponatur, votum obligat, eo tamen cessante suspenditur eius obligatio.

Verùm ego negatiuæ sententiæ adhæreo, quam tuetur Aragonius *in 2. 2. quest. 88. art. 3. circa solutionem ad 2.* Azorius *part. 1. lib. 11. cap. 22. quest. 5.* Suarez *de Religion. tom. 3. lib. 4. cap. 2. numer. 7.* & 10. cum Lessio *lib. 2. cap. 41.*

dub. 5. numer. 44. quando repulsa fuit absoluta: quia ex vi voti solum uideris obligatus eam facere diligentiam pro illius executione, quæ in re magni momenti præstari solet: at ponimus te eam diligentiam præstitisse; non igitur amplius teneris. Neque enim ad repetendam diligentiam, & multiplicandam petitionem uideris obligatus: aliàs repetere deberes sine termino. Adde te uouere Religionem sub conditione, si facta petitione admittaris: ergo si non admittaris, votum non suspenditur, sed omninò extinguitur.

Dices verum id esse si nunquam admittaris: secus si aliquando, etsi casus contigerit. Sed contrà: quia cum votum religionis emittis, intendis illud exequi breui tempore, uerbi gratia, hoc anno: non tamen intendis eius obligationem toto uitæ curriculo prorogare: ergo religionis admissio, quæ fuit conditio, sub qua religionem suscepisti, eo anno possibilis esse debet: ergo alia admissio casu contingens nec fuit conditio spectata à voto, nec alicuius est effectus.

Verùm his non obstantibus in isto casu de quo interrogatus fui, postquam mecum loquuti sunt Superiores illius Religionis, obligati consulentem ad ingrediendum religionem: quia fuerat repulsus à religione ob falsam informationem: qua cognita cum Superiores illum admittere uelint, ingredi tenetur: & ita docet Lessius *ubi supra*, & alij.

An qui uouit perseverantiam in Religione, si ex iusta causa exeat, uel expellatur, ea cessante teneatur iterum ingredi?

R E S O L. LIII.

Afirmatiuam sententiam tenet Sanchez *in summa tom. 1. lib. 4. cap. 16. numer. 82.* Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 6. numer. 13.* & alij: quia non solum uouisti ingressum, sed perseverantiam: à cuius executione temporale impedimentum te liberare non potest, nisi dum ipsum durat: ergo eo cessante adstringi debes.

Sed mihi sententia negatiua placet, quam tuetur Suarez *de Religione tom. 3. lib. 4. cap. 4. numer. 15.* Quia uouens profiteri non debet præsumi se uoluisse obligare ad profitendum omnibus modis, & uis quibus possibilis est professio: sed solum præsumi debet se uoluisse obligare ad profitendum, si receptus semel in probatione per ipsum non steterit: quia hic modus obligationis benignior est, & Ecclesiæ stylo conformis: ergo assumpta probatione, si iuste egrediat, uel à

Prælo

Prælo expellatur, voto sufficienter satisfacit. Deinde votum Religionis, & votum perseverandi in religione, vota sunt de professione facienda, & licet votum perseverandi amplius obliget, quam votum religionis, quia obligat ad grauiores difficultates superandas: at non uideo qua ratione obliget ad illas superandas non solum in una probatione, sed in omnibus possibilibus.

Adde quod probabilis est illa opinio, quam ego alibi docui, votum perseverandi strictius non obligare, quam votum simplex religionis: ergo in casu, de quo loquimur, uouens remansit liber ab obligatione voti: modò impedimentum, ob quod quis deserit religionem, uel expellitur, non annullat ingressum: quia eo casu reputandum est, ac si nunquam fuisset ingressus.

Quidam erat obstrictus uinculo uoti Religionis: sed cum haberet sororem in graui necessitate constitutam quæsiuit, an ex hac causa potuerit differre Religionis ingressum absque alia dispensatione?

R E S O L. LIV.

Sanchez *in summa tom. 1. lib. 4. cap. 20. numer. 31. & 32.* distinguit inter votum religionis factum pro determinato tempore, uel absque ulla temporis determinatione: & affirmat votum absque ulla determinatione temporis emissum differri posse: quia illud non est censendum obligare, nisi pro eo tempore, quo commodè impleri potest. At si pro determinato tempore factum sit, dicit differri non posse ob fratrum necessitatem: bene tamen ob necessitatem sororum in periculo impudiciæ existentium. Quia providere tali necessitati opus est tantæ charitatis, ut prudentis arbitrio uideatur maioris obsequij diuini, quam præsentaneus religionis ingressus.

Sed cum Suarez *de Religione tom. 3. lib. 5. cap. 6. num. 5.* absolutè neget tale votum differri posse, mediam uiam ingreditur Caltrus Palus *tom. 3. tract. 16. disput. 1. punct. 7. §. 5. n. 13.* & uerius existimat ob nullam fratrum, uel sororum grauem necessitatem differri posse propriam autoritatem uotum pro determinato tempore factum: nam stante illa necessitate licitus est religionis ingressus (ut ipsemet Sanchez concedit) & capax voti obligationis: ergo ex hac parte non est obligatio voti suspensa, neque etiam est suspensa ob nouam difficultatem quæ adest in exequendo illo ingressu: quia difficultas ex necessitate fratrum uel sororum proueniens est nimis ei extrinseca. Non igitur suspendere obligationem voti potest. Ad-

de difficultatem superuenientem excusantem ab obligatione voti debere esse ita grauem, ut prudentis arbitrio censeatur nouam rem promissam constituere: quod in præfenti non uidetur esse: sæpè enim uouenti difficilius erit fratres immò amicos egentes deserere, quam sorores periculo impudiciæ expostas, quibus subueniendis affectus non est. Neque placet quod dicit Sanchez excusari ab obligatione voti in casu sororum ob præstati obsequium diuinum, quod uidetur esse in subueniendis sororibus & ab eis periculum impudiciæ præcauendo, quam in religionis ingressu. Nam si id uerum esset, licitè religionis votum in tale subsidium commutari propria auctoritate posset, quod non est dicendum. Si autem votum absque ulla temporis determinatione emissum est, cum tunc obligatio eius latitudinem habeat, ex circumstantiis extrinsecis restringi uel ampliari tempus executionis potest: ac proinde ex necessitate fratrum, & à fortiori sororum extendi tempus obligationis potest pro prudentis arbitrio. Hucusque Palus loco citato.

Verùm his non obstantibus sententiæ Sanchez nouissimè amplectitur Ægidius Trullench. *in Decalog. tom. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 23. num. 10.* Et quia in casu contingenti de quo interrogatus fui in sorore uouentis propter paupertatem magnum periculum pudiciæ aderat: idè illi consului, ut votum religionis differret per aliquod tempus, uel ad maiorem cautelam peteret ab Episcopo dispensationem: quam quidem concedere posse docet Trullench *loco citato*: quia non in substantia voti, sed in sola dilatione exequendi dispensat.

An legitima debeat filii statim post professionem Patris?

R E S O L. LV.

Afirmatiuè respondet Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 8. quest. 7.* Molina *de instit. tom. 1. tract. 2. disput. 140.* Lessius *lib. 2. cap. 42. dub. 10. numer. 86.* Suarez *de Religione tom. 3. lib. 8. cap. 16. numer. 7.* Sanchez *in summa tom. 2. lib. 7. cap. 10. numer. 3.* & alij Quia si filiis non deberetur statim legitima patris, sed durante eius uita Monasterium retinere illius bona potest, obligantur filij alimenta à Monasterio petere, ipsumque Monasterium obligatum est ea præbere, quod certè & filiis durum est, & monasterio non parum onerosum: siquidè sæpè ex suis bonis obligaretur religio: si filiis succurrere, legitima parentis non sufficiente: sicuti obligatur pater filiis alimenta præbere, cum legitima non sufficit. Deinde quia professi nulla potest esse successio,

X 3 cum

cum nulla bona habeat: sed omnia illius bona in Monasterium transferantur: ergo frustra filij eius mortem naturalem expectabunt: succedent ergo à die professionis.

Sed his non obstantibus nouissimè negatiuam sententiam docet Castrus Palaus *tom. 3. tract. 16. punct. 14. num. 3.* vbi multas adducit rationes pro sua firmanda sententia, & respondet ad argumenta contraria. Et ad primum superius appositum concedit posse filios alimenta à Monasterio petere, ipsumque obligatum esse eis præbere, si aliunde non habent: at cum hæc obligatio non ex natura, sicut in patre, sed ex bonis patris receptis oriatur, vltra ea obligatio extendi non potest, vt bene dixit Abbas *cap. in presentia num. 77. de probationibus. Syluester verb. Religio. 8. quest. 3. Molin. tom. 1. disput. 140. versic. eo ipso.* Denique nego non dari successionem professi; nam esto in sua persona bona non habeat, habet tamen in Monasterio, quod ipsum representat. Aliàs religioso habente maioratum, fideique commissum, succederet ei substitutus à die professionis contra superius dicta. Et ex his inferitur esse idem à fortiori dicendum, si filius religionem ingrediatur, non deberi parentibus legitimam; quousque ipse obeat: sed interim Monasterium illa frui posse: vt bene tradit Gutierrez *can. 4. lib. 2. cap. 1. num. 93.*

An ad ratificandam professionem nullam requiratur scientia nullitatis professionis precedentis?

R E S O L. LVI.

EX communi Doctorum sententia affirmatiuè respondet Franciscus Bordonus *tract. de professione Regulari cap. 6. num. 9.* vbi citat Nauarrum, Rodriguez, Sanchez & Bonacinam, quibus ego addo Caietanum *in 2. 2. quest. 184. art. 5. Azorium part. 1. lib. 12. cap. 4. quest. 7. Suarez de Religione tom. 3. lib. 7. cap. 1. numer. 4. Lessium lib. 2. cap. 41. dub. 7. numer. 60. Layman lib. 4. tract. 5. cap. 5. num. 9. & Castrum Palaum tom. 3. tract. 16. disput. 2. punct. 5. num. 3.* Et ratio est, quia voluntas non fertur in incognitum: ergo si vult ratificare professionem, debet eius nullitatem prænouisse: tum quia ignorans non consentit *l. si per errorem ff. de iurisdict. omn. iudic. caus. 29. quest. 1. initio:* Ergo ignorans nullitatem suæ professionis per quemcumque actum subsequenter, etiam intentione eam ratificandi, non ratificat, si ignoret eius nullitatem: nisi ratificet ex suppositione quod sit inualida.

Dicendum est igitur non posse ratificari professionem, nisi professus professionis ante

factæ nullitatem cognoscat: quia habere non potest voluntatem ratificandi professionem, nisi cognoscat ratificationem esse sibi possibilem: sed ratificatio possibilis non est, nisi professio nulla extiterit: ergo non potest habere voluntatem ratificandi, nisi nullitatem professionis cognoscat. Ab hac tamen regula excipiendus est, qui vellet professionem suam ratam esse, si fortè à principio fuit inualida: sic enim esto inualidam esse non cognoscat determinatè, tamen sub statu possibili, & sub ea conditione eam ratificare intendit, quod sufficiens est ad inualidam professionem ratificandam, vt bene annotauit Lessius *lib. 2. cap. 41. dub. 7. num. 60.*

His tamen (attendant Lectores) non obstantibus, nouissimè Sacra Rota in causa Vlixbonen. nullitatis professionis die 17. Maij 1641. coram doctissimo, & amantissimo Domino meo Carrillo negatiuam sententiam tenuit, attestando quod affirmatiuam sententiam, vti minus tutam, Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Interpretum non amplectitur, sed potius contrarium pluries declarauit. Ego circa hoc plures difficultates habebam; sed vt par est dictis decisionibus humiliter acquiesco. Non desinam tamen adnotare olim Sacram Rotam *decis. 179. numer. 7. & decis. 397. num. 5. part. 4.* sententiam affirmatiuam tenuisse.

Quidam Religiosus, cum in casum reseruatam incidisset, ex industria occasione cuiusdam negotij se transtulit in aliam Ciuitatem, vt ibi absolueretur: quæsiuit an valida fuisset illa confessio?

R E S O L. LVII.

Affirmatiuè ad hunc casum respondet Stephanus Bauny *in Theolog. Moral. part. 1. tract. 4. quest. 8. dub. 5.* vbi sic ait. An si Religiosus habens casum reseruatam, eò appellat, vbi non est, de eo absolui possit à quolibet de expositis in eo Cœnobio: Respondendum posse: est causa, quod in absolucendo, leges quisque suæ Prouinciæ, Cœnobij, aut Episcopatus sequi debeat, & non alterius: ergo si in eo Conuentu, ad quem ex itinere Regularis deflexit, peccatum cuius est ipse conscius, non est de numero reseruatorum in eo Cœnobio, de eo à Confessario quolibet, qui auctoritatem ad cætera remittenda communem habet, absolui poterit, etiam si dedita opera eò prædictus pœnitens venisset, ne se Superiori petendæ veniæ causa cogereetur sistere. Ita Bauny.

Sed contrariam sententiam tenet Zambellus

lus in Repertorio Morali, verb. casus reseruari, num. 26. vbi sic asserit. Casus reseruari non possunt absolui etiam à Confessario pro illo loco, in quo non sunt reseruari, si pœnitens malitiosè discedat à sua Diocesi, in qua sunt reseruari, & tendat ad Confessarium alterius Diocesis, ex Sacra Congregatione Cardinalium die 19. Mensis Nouembri 1616. Et hanc opinionem sequi videtur etiam Lupus *de casib. reseruat. part. 1. distinct. 8. artic. 2. difficult. 1. numer. 3.*

An seculares satisfaciant præcepto Communionis Paschalis, si sumant Eucharistiam in Ecclesiis Regularium?

R E S O L. LVIII.

Alibi hanc quæstionem tetigi, & pro affirmatiua sententia adduxi aliquos Doctores; quibus nunc addo Stephanum Bauny *in Theolog. Moral. part. 1. tract. 5. quest. 19.* vbi firmat Religiosum medicantem idoneum ministrum esse dandæ Eucharistiæ eam postulanti alio die quàm Paschæ, quia Leo X. omnibus in Franciscana familia regularibus, aliisque religiosum institutum profitentibus in aliquo Ordine mendicantium, facultatem ministrandi sæcularibus Christi Corpus concessit, omnibus diebus præterquam Paschæ, & articuli mortis, vel eius periculi: quam à Pio V. renouatam in constitutione 38. declarat hæc eius verba. *Ipsique fideles Sacramentum Eucharistiæ (resurrectionis Dominicæ festiuitate excepta) sumere, eisque illud per fratres huiusmodi, scilicet mendicantes administrari valeat: nec ad illud faciendum per locorum Ordinarios, aut Ecclesiarum Rectores, seu alios quoscunque, illorum licentia minimè requisita, etiam sub censuris Ecclesiasticis, aut aliis pœnis cogi, vel compelli possit.* Quod & à Paulo eius nominis IV. eisdem Regularibus concessum esse anno 1557. patet ex eius bulla cuius est hoc initium, *Ex clementi Sedis Apostolicæ prouisione:* ergo cum exceptio in non exceptis firmet regulam *ff. de milit. testam. §. final.* Sequitur præfatos Pontifices excludendo solum diem Paschæ in ea opinione fuisse, vt crederent: alios omnes eiusmodi esse, quibus Eucharistiam fidelibus porrigi à Regularibus nihil repugnet.

Et tunc satisfieri præcepto Ecclesiastico, de Communionem quotannis recipienda circa Pascha probatur. Per communionem factam aliquo die de iis, qui continentur hebdomadâ antecedente Pascha; aut altera, quæ illud subsequenter, impletur præceptum communionis annuæ: non possunt ergo honestè ac licitè co-

gi sæculares, qui die Cœnæ communicant in aliqua mendicantium Ecclesia, vt iterum id faciant in sua parochia, ipso die Paschæ.

Obiicitur. Cum dies Paschatis in citato privilegio intelligi debeat non materialiter pro solo resurrectionis die: sed formaliter pro toto tempore, quo lex Ecclesiastica de communione percipienda impleri potest, hoc est, à Dominica Palmarum, vsque ad Dominicam in albis inclusiuè, vt declarauit Eugenius I V. tenèntque Suarez *3. part. disput. 8. sect. 2.* malè à nobis est dictum, quolibet die, excepto Paschæ, posse fideles intra duas hebdomadas citatas ad effectum satisfaciendi præcepto de Communionem annua communicare in Ecclesiis Mendicantium. Respondendum est primò falsum esse Paschæ nomen in Bullis Pontificum extendi ad totum tempus, quo lege Ecclesiæ satisfieri debet præcepto de communione: ita de Beia *part. 4. casu. 4. & sic non sequi fideles posse communicare die Paschæ in Ecclesiis mendicantium, etsi possint die Cœnæ.* Dici etiam posset nullum ab hac obiectione fieri doctrinæ nostræ præiudicium: cum concessione Nicolai V. facta religiosi B. Mariæ de Guadalupe anno 1458. Pontificatus eius quarto, liceat omnibus Christi fidelibus de eorum manu, ac in illorum Ecclesia sacro pane refici, die Paschæ, absque Episcopi aut Parochi licentia.

Additum à Paulo III. huic privilegio & aliud, quo Cœnobitis prædicti Monasterij fas esse voluit, admittere ipso die Paschæ ad Eucharisticum epulum, quotquot ad eos commearent, tam intra, quàm extra septa Monasterij: modò ne hi sacrum alibi, quàm in Templis, aut Oratorijs facerent quæ ipsis subessent *Compend. Ordin. D. Hieronym. §. 2. & 6. Rodriguez in quæstionib. regularib. tom. 1. quest. 66. art. 3.* Quare cum quæ licentia vni Ordini Pontificis indulgentia, censentur hoc ipso indulta atque concessa Mendicantibus, vt habetur in compendio priuilegiorum eorumdem Ordinum. *verb. Communicatio:* ob quam causam Peregrinus *in Compend. priuileg. Ordin. Cleric. S. Syluestri de vrbe part. 2. tituli Confirmatio priuilegiorum §. 4.* dictos Clericos asserit gaudere priuilegiis omnibus & singulis, quæ concessa sunt, & conceduntur postmodum Societati I E S V: & non solum ad instar, sed æquè principaliter, non videtur, negari posse fideles satisfacturos præcepto de Communionem annua, cum eam quocunque die à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis in Ecclesiis Mendicantium accipient: sed id ego illis vt faciant non sum Auctor, ob scandalum.

Obiicitur secundò. Sublatum esse hoc privilegium Mendicantium, tam per Concilium,

quàm non vsum, cum nunquam reperiantur, qui sacro die Paschæ communionem dent fidelibus in suis hoc est mendicantium Ecclesiis; & inter Catholicos pauci sunt aut nulli, qui existiment se cōscientiæ suæ facturos satis, si tali cōmunionem contenti forent, factaque in eo loco. Sed respondendum est primò, supponi falsum in antecedenti: nempe Religiosorum priuilegia abrogata esse per Concilium: quia priuilegium in cuius reuocatione certa forma exigitur, non censetur reuocatum ea non seruata. Antonin. Dian. tract. 2. de dub. regul. resolut. 68. Sed Societati IESV concessum est à Gregorio XII. summi beneficii loco, & consequenter omnibus Regularibus, qui communicant eius priuilegiis, vt hæc antiquata, imminuta, aut sublata per Pontificem censerentur nunquam possint, nisi dictæ Societatis Patribus auctoritate eiusdem Pontificis: ea reuocatio iuridicè innotuerit: ita Flavius Cherubinus in Compend. Bullar. tom. 2. constit. 1. Gregorij XIII. Scholio 2. & ante illum M. Antonius de Amatis decisione 17. At de hac reuocatione quando, quid, & per quem Religiosis dicti Ordinis, voluntate S. Sedis vnquam innotuit? Nihil ergo eis per Concilium est ablatum, quo ante illud gauderent indulgentia Pontificis.

Ad non vsum quod attinet. Respondeo primò, Benedictinis concessum esse per quamdam Bullam, ne indulta eorum Ordini priuilegia per non vsum interirent ante centum annos. Respondendum secundò, de iure communi quadraginta annorum spatium exigi, vt contra priuilegia præscribatur, per non vsum, aut contrarium. Cord. in compend. verb. absolutio quoad seculares 2. §. 19. Dico ampliùs Benedictinis priuilegia sua non perire per non vsum, aut contrarium, nisi post centum annos. Ioannes de la Cruz lib. 2. cap. 3. dub. 2. conclus. 2. Rodriguez tom. 1. quest. 8. art. 2. & tom. 3. q. 51. art. 5. imò ne interirent vnquam per aliquem aut plures actus oppositos, vltimo etiam longissimo tempore: sed vt iis arbitrio suo vti semper possent, licet ob sita longo situ, penèque emortua viderentur per non vsum, iisdem S. Benedicti discipulis è Congregatione S. Iustinæ in Italia indulgit Eugeni PP. I V. Testimonio Ludouici Portelij in addit. ad dub. Regul. verb. priuilegium. Diana tract. 2. de dub. regul. resolutione 88. Respondeo tertio, vt non vsum sit indicium renunciationis priuilegij, quæ voluntaria esse debet, tria sunt necessaria secundum Panormitanum in cap. cum accessissent de constitut. Ludouicum de Beia, & Portelium locis paulò antè citatis.

Primum, vt qui non vtuntur priuilegio, sciant se eo gaudere, illo tamen vti nolint: quia renunciatio est expressa voluntas abdicandi à se totum ius, & facultatem priuilegij:

id autem esse qui possit sine eius notitia, cum voluntas, vt potè facultas cæca, non feratur in incognitum, explicari facillè non potest: nam consensus non fertur ad ignorata: ergo nec desitio iuris voluntaria ad non cognita.

Secundò. Ad iacturam priuilegij voluntariam requiritur, vt aliquoties sese obtulerit occasio eo vtendi, quæ tamen fuerit neglecta. Tertio vt fuerit in non vrente facultas, eaque non impedita. At contendo nihil istorum contra Religiosos facere: non primum, quia cum Romani Pontifices simul ac sederunt in clauo Ecclesiæ, gratias, priuilegia, immunitates cæteraque illis à suis predecessoribus concessa renouent ac confirment, & priuilegium de Paschali cōmunionem in Monasteriis Ordinis B. Mariæ de Guadalupe sæcularibus administranda, sit per communicationem, & nouam concessionem ita eisdem Mendicantibus attributum, ac suspiciatim fuisset illis concessum, dici sanè nec potest nec debet, eius vim interiisse omnem, decursu totius illius intervalli, quod ad præscriptionem centenariam contra ea priuilegia Papæ postulant.

Deficit item secunda conditio, quæ est voluntas renunciandi tali priuilegio: nam contendo id Religiosis nunquam venisse in mentem: plurimos autem, ac verè ferè omnes nescisse se Papæ benignitate, potuisse die ipso Paschæ ad cōmunionem in suis Ecclesiis sæculares admittere: quòd cum ipsos in præfenti non lateat, poterunt, si volent, in suum ac fidelium commodum, vti Papæ beneficentia, & ita singulis domi suæ in Paschate sic impartiri Eucharistiam, vt eam hi iterum non teneantur suscipere in Parochia: quod tamen si me audient, non facient.

De occasione vtendi hac facultate, hoc habeo, quod dicam, eam non defuisse Regularibus, in praxim tamen reuocatam non esse: quòd se posse nescirent, aut si sciebant expedire non credebant: quod ego quoque cenfeo. Hucusque Stephanus Bauny, & ante illum Bartholomæus à S. Fausto de Eucharist. lib. 2. quest. 280.

Sed omnibus supradictis latè discussis à viro docto, & erudito libenter adhærerem: nisi obstaret de directo declaratio in Epistola Sacræ Congregationis ad Eminentissimum Principem & Dominum meum Cardinalem Boncompagnum Archiepiscopum Neapolitanum tenoris sequentis.

Conquesti sunt coram Sanctissimo Domino Rectores Ecclesiarum Parochialium istius Ciuitatis de Patribus Theatinis, & Societatis IESV, quòd asserere audent personas Laicas assumentes in eorum Oratorijs seu Congregationibus Eucharistia Sacramentum in die Paschatis Ecclesia præcepto satisfacere: cumque id minime sit permissum,

permissum, sed fideles sacram communionem tempore Paschali à proprio, vel ab alio de ipsius Sacerdotis licentia suscipere teneantur, Sanctitas sua iussit Eminentia sue significandum, & sub pena suspensionis à diuinis, & aliis sibi bene visis id prohibeat præfatis Religiosis: moneatque ipsos Laicos Sacramentum Eucharistia, vt supra, de manu proprii Parochi teneri suscipere, vt Ecclesie præcepto satisfaciant: ita igitur pro sua pastorali pietate omnino curabit Eminentia vestra, cui me humillimè commendo. Roma die 20. Martij 1638.

Eminentia vestra Reuerendissima,

Humillimus Seruus.

CARDINALIS VEROSPIVS.

An Religiosus approbatus in vna Diocesi censetur vbiq; approbatus?

RESOL. LIX.

Affirmatiuam sententiam docet nouissimè Ludouicus Cellotius Societatis IESV lib. 5. de Hierarchia cap. 25. vbi sic ait. Quæro qui ab Episcopo vno approbatus est Religiosus, possitne vbiq; sæculares audire pœnitentes? Satisfacit Clementis septimi beneficium, qui concessit, quòd Confessores Ordinis Minorum, semel præfentati alicui Episcopo pro confessionibus audiendis, vt moris est præfentari, post vnâ præfentationem non teneantur ampliùs præfentari, etiam si ad aliam transferint Diocesim. Quod priuilegium latè sic interpretatur Corduba, vt non tantum de eadem intelligat Diocesi, sed etiam de quacunque alia, ad quam se transtulerit ad morandum ad tempus, vel in perpetuum: sed iam censetur semper, & vbiq; debitè præfentatus. Ratio est, quia Papæ concedentis intentio conformis est impetrantis intentioni, si abest dolus malus. At verò ea fuit impetrantis intentio, quam dixi, vt vbiq; prode. Iam enim antea concedente Eugenio IV. semel in vna Diocesi præfentatus, ad eam postliminio rediens, liber erat ab iterata repræfentatione. Imò etiam Eugeni idem concesserat Confessariis Fratrum Minorum, quòd quando non possunt commodè se præfentare Episcopis, quia sunt in itinere, vel alibi, & non possunt petere casus Episcopales, eo casu possint vti plenariè auctoritate Episcopi. Addit Emmanuel Sà accepisse se à viro grani, esse illud priuilegiū Ordinis Prædicatorum, vt semel approbatus ex ipsis Confessoribus, vbiq; possit audire

Confessiones: idem tradit Rodericus, Episcopus non posse compellere Fratres Prædicatorum, ac Minores ad examen, vbi fuerint semel approbati ab Episcopo: an verò eodem fauore gaudere possint Mendicantes alij, est dubium. Id quidem negat Rodriguez, sed verosimilius est posse per communicationem omnium gratiarum, qualem Societati nostræ concessit Pius V. & Gregorius XIII. & confirmauit Paulus V. Verum Gregorij præter cæteros notanda sunt verba dicti in ceteris & enucleatè omnia recensentis.

Sic enim orditur à causa. Et quia ipsa Societas inter omnia Religionum instituta, ex peculiari & solemni voto, specialem curam habet, causa salutis proximorum per totum orbem discurrendi, eius saluari ministerio, & vniuersi Christi gregis salutem consulentes, omnibus & singulis ipsius Societatis Prædicatoribus, ac Confessariis ab aliquo Ordinario semel approbatis, & à suis Superioribus ad huiusmodi munera deputatis, vt quandoque siue mari, siue terra iter fecerint, populos, non repugnantibus tamen Curatis Parochialium Ecclesiarum, prædicatione verbi Dei instruere, & consolari, & quorumcumque Christi fidelium, præsertim ægrotorum, & eorum qui in vinculis detinentur, confessiones audire, eisque pro commissis salutares pœnitentias iniungere: dummodò id non faciant in ipsis oppidis, aut locis, in quibus Ordinarij existunt nisi eorum licentia desuper obtenta, liberè & licitè valeant, eadem auctoritate etiam perpetuò, de speciali gratia concedimus. Ita Magnus Pontifex. In quibus non pauca sunt, quæ diligenter obserues. Priuilegium istud concedi tanquam medium ad finem necessarium: Non nostra, sed proximorum causa tribui: vnâ approbationem sufficere: illam vbiq; habere energiam: Petendam aliquo casu licentiam, non approbationem: opus esse tunc illa obtenta, non solum postulata: Seruandam cum Curatis concordiam: Et vtramque ad Conciones tantum esse necessariam, iis qui iter habent, vel sunt in loco, vbi nullum Societas domicilium fixit. Nam de Confessionibus ita Paulus egit Tertius, vt Societatis Patribus potestatem fecerit, Sacramenta ministrandi, suis nimirum in templis, Rectorem Parochialium, aut aliorum quorumuis licentia desuper minime requisita. Hucusque Cellotius. Et hanc sententiam magis absolutè tenet Stephanus Bauny in Theologia Morali part. 1. tract. 4. quest. 4. vbi probat approbatum in vna Diocesi à proprio suo Episcopo censerentur idoneum ad confessiones audiendas in quacunque alia, si non est eius approbatio restricta ad certum locum. Causa est, quòd Concilium vnus duntaxat approbationis meminerit; plures ergo frustra

frustrà quis postulauerit : in vna ergo Diocesi qui est approbatus, à Parocho suorum confessionibus audiendis adhiberi, absque noua Episcopi sui facultate aut examine poterit, nisi expressè hoc ab illo fuerit ei prohibitum. Confirmatur : qui pro vno tantum est oppido approbatus ab Ordinario, potest virtute Bullæ Cruciatæ à quocunque in Confessarium eligi : vt ab eo tam à censuris, quàm peccatis absolua- tur, à Costa in *explicatione dictæ Bullæ quæstio- ne 19.* falsum est ergo tot ad confessiones audiendas validè approbationes exigere, quot sunt Prouinciæ diuersis subiectæ Episcopis, ad quas penetrare Sacerdoti est integrum. Sanè cum hunc approbari ab Ordinario sit quoddam odium & grauamen, restringi illud oportet, iuxta regulam iuris, Odi sunt restringenda, fauores autem ampliandi, restringeretur autem approbatio, quæ à Concilio postulatur, si ad vnam reuocabitur.

Vnde ex dictis inferitur in Parochi iure esse Sacerdotem, de cuius ad Confessiones approbatione per Ordinarium certum habet argumētum aduocare in partem suæ curæ, eique oues suas absoluendas committere; nam qui iure ordinario potest confessiones excipere, vt Ordinarius, vices quoque suas in hoc ministerio legare potest idoneo ad id Sacerdoti, vt docet *Armill. verb. absolutio num. 15. Candid. disp. 24. artic. 65. dub. 10. 8. & 7.* Sed Parochus respectu suorum Parochianorum est Ordinarius, habet autem approbatus ab Episcopo quicquid iura ad idoneam huius Sacramenti administrationem postulant. Patet ex Tridentino *sess. 23. cap. 15.* vbi non alij ad nauandam fidelibus operam in expiatione animæ admittuntur, quàm qui Parochiale beneficium habent, aut alias per examen ab Episcopis, vel alias idonei iudicantur: erit ergo in audienda confessione officij proximo exhibendi capax, qui ab Episcopo testimonium doctrinæ erit consequutus. Et hæc omnia docet Bauny vbi suprà.

Sed omnia supradicta penes me habent difficultatem, vt alibi adnotauit, stante responso Congregationis, consulente Archiepiscopo Valentino in hæc verba. Congregatio Concilij respondet approbatum ab alio, quàm ab Episcopo Valentino in Diocesi Valentina non censi approbatum ab ordinario. Quæ verba Emmanuel Rodriquez in *expositione Bullæ Cruciatæ §. 5.* testatur, se legisse in epistola missa ad prædictum Archiepiscopum & Patriarcham. Idèd communiter alij contrariam sententiam docent: & idcirco Pater Lugo de *Sacrament. Penitent. disput. 21. sect. 2. n. 42.* & Ioannes Vvigers in *3. part. de Sacrament. quæst. 8. artic. 4. n. 14.* tenent Confessarium Regularem eodem etiam modo sicut sæcularem indigere approbatione illius Episco-

pi, in cuius territorio vult audire confessiones: quare si ipse domicilium suum habitationis habeat in illo Episcopatu potest approbari, sicut Clerici sæculares subditi illius Episcopi: & postea, dum illud domicilium retinet, poterit etiam extra Episcopatum absoluere subditos illius Episcopi: quia in ordine ad illos est approbatus à suo ordinario, cum adhuc retineat domicilium sub illo ordinario. Si verò mutet domicilium, indiget noua approbatione illius, ad quem vadit: quia, cum ille prior designat esse suus ordinarius, non manebit virtute prioris approbationis approbatus à suo ordinario. Denique si solum obiter, & vt hospes transit per alium Episcopatum, adhuc indiget approbatione noua illius Episcopi, vt ibi possit audire confessiones. Quia licet sit approbatus à suo ordinario, hoc est ab Episcopo sui domicilij, non tamen est approbatus ab ordinario, cui nunc subest, & ad quem pertinet approbare in ordine ad suum gregem: quare pro hoc loco non est approbatus à suo ordinario, qui est solus Episcopus huius loci. Vnde merito responsum fuit à Congregatione non posse in Episcopatu Valentino audire confessiones eum, qui non est approbatus ab Episcopo Valentino; quia non est approbatus à suo Ordinario, quem scilicet habet vt Ordinarium, & cui subditur nunc in ordine ad tale ministerium. Hoc tamen responsum intelligi debet iuxta intentionem interrogantis, quæ erat ad Confessiones illorum, qui subduntur Episcopo Valentino: quare non est contra id, quod diximus; quod scilicet si Religiosus manens adhuc v.g. subditus Episcopi Ostiensis, commoretur Tusculi, vt hospes poterit ibi absoluere subditos Episcopi Ostiensis, à quo est approbatus absque alia approbatione Tusculana: de quo casu peculiari ibi non agebatur, sed de audiendis confessionibus vniuersaliter in Episcopatu Valentino, quæ ferè omnes erant de iis, quorum cura pertinet ad Episcopum Valentinum, vel ad alios Episcopos, à quibus non est approbatus, vel certè quibus non manet adhuc subditus ille Religiosus Confessarius.

Hinc infert etiam idem Pater Lugo, cur fuerit necessarium priuilegium illud Gregorij XIII. vt Sacerdotes nostræ Societatis possent in itinere audire confessiones cum illis limitationibus: quia scilicet, eo ipso quod ingressi essent Territorium alterius Episcopi incipiebant esse illius subditi, & habere illum pro suo ordinario in ordine ad audiendas Confessiones illius gregis: quare de rigore iuris, & secluso priuilegio speciali, indigerent noua approbatione, vt possent ibi censi approbati ab ordinario suo, cum reuera iam haberent alium ordinarium,

narium, à quo in hoc puncto iudicari debent.

Non desinam tamen hic adnotare, quod post hæc scripta inueni sententiam Cellotij tãquàm probabilem admittere Ioannem Præpositum in *3. part. D. Thom. quæst. 8. de Sacrament. penitent. dub. 4. num. 21.* vbi sic asserit. Probabile est, quod attentò solo Concilio Tridentino Sacerdos absoluet à suo Episcopo approbatus possit vbique recipere iurisdictionem, quantumuis mutet domicilium, & designat esse subditus Episcopi approbantis. Probatur, quia in rigore verba Concilij non ampliùs exigunt: nam talis est verè approbatus à suo Episcopo & Ordinario, cui videlicet suberat (saltem quoad hoc) quando recipit approbationem, & Episcopus approbans verè potuit auctoritatiuè declarare talem esse idoneu ad confessiones excipiendas quod per loci mutationem non tollitur. Confirmatur primò. Constitutio Tridentini requirens conditionem in eo, cui possit demãdari iurisdictione, quæ conditio aliàs non requirebatur, potest dici restringere potestatem committendi iurisdictionem; & proinde ipsa potest strictè intelligi, quantum verba patiuntur: verba autem prædictum sensum possunt commodè recipere, ab Episcopis approbationem obtineat, scilicet vnusquisque à suo, id est, vnusquisque hanc approbationem obtineat ab Ordinario loci, in quo degit, dum approbatur. Confirmatur secundò si Concilium aliud voluisset, videretur, quod mentem suam clarius explicare debuisset. Confirmatur tertio, ex eo quod approbatus ab vno Episcopo possit alibi recipere iurisdictionem, etiam postquam desit esse subditus approbantis, nullum sequitur inconueniens contra scopum Concilij: cum ergo de cætero verba possint modo à nobis allato explicari, probabile est stando in verbis Concilij, semel approbatum posse vbique recipere iurisdictionem delegatam.

Dices id inducere perturbationem in Ecclesiastica Hierarchia. Respondeo negando: quia approbatio nullam dat iurisdictionem; & de cætero singuli Episcopi in suis Diocesium possunt prohibere Parochis, ne delegent iurisdictionem, aliis, quàm à se approbatis, etiam irritando delegationem secus attentatam: quod rationabiliter facere possunt, vt aliquo modo cognoscant de capacitate eorum, qui in suis Diocesium confessiones excipiunt. Secundò cum Sacerdotes ratione domicilij, vel quasi domicilij in nostro casu fiant eorum subditi, possunt illorum approbationem reuocare, vel suspendere, non minus, quàm eorum, quos ipsi approbarunt: immò longè potiori ratione: cum hic longè potior ratio subsit, cum ipsi non habeant notitiam de eorum sufficientia: si agatur

de Religiosis Mendicantibus, & aliis, qui cum iis participant in priuilegiis, Episcopus, ad cuius Diocesim se conferunt in ea habitaturi, potest etiam illos examinare iuxta Bullam Pij V. superiori dubio citatam, si non fuerint vnquam ab eo examinati: quia Pontifex respectu mendicantium ei soli Episcopo negat secundum examen, qui per examen approbavit non autem alteri.

Dices. Congregatio Cardinalium respondit Archiepiscopo Valentino, approbatum ab alio quàm à Valentino Episcopo in Diocesi Valentina non censi approbatum ab Ordinario. Respondeo non ita constare de hac responsione, quum passim eam non ponant, qui responsiones Illustrissimorum Cardinalium collegerunt.

Dixi in conclusione: attentò solo Concilio Tridentino: quia cum in variis locis consuetudo sit in contrarium, in illis omninò standum est consuetudini, quæ ita Decretum Concilij interpretatur: ita vt nulla sit absolutio data ab eo, qui approbatus in vna Diocesi, ea deserta migrat ad aliam, & sine approbatione Episcopi loci absoluit virtute Iubilæi, &c. Quia tamen quibusdam in locis est consuetudo, vt Religiosi etiam mutantes habitationem, & migrantes in aliam Diocesim, non petant nouam approbationem: quæ consuetudo ortum habuit ex sententia probabili variorum Doctorum: censeo iis in locis sufficere pro similibus approbationem semel obtentam, quandiu Episcopus, ad cuius Diocesim commigrant, eos ad examen non euocat. Hanc autem consuetudinem vigere in Belgio mihi constat: ac proinde Religiosi ibidem sese secundum eam gerentes non possunt merito reprehendi. Hucusque Præpositus.

Sed omnia supradicta corruunt per Constitutionem Urbani VII. quam ego adduxi in *part. 3. tract. 2. resolut. 123.*

An Religiosus presentatus, et iniuste ab Episcopo ad Confessiones non admissus possit adhuc Confessiones excipere?

R E S O L. LX.

Magna fuit mihi his diebus controuersia cum quodam Regulari de hac questione: nam mordicus assererebat affirmatiuam sententiam esse tenendam ex auctoritate Doctorum, quos ego attuli in *part. 3. tract. 2. resolut. 24.* quibus nunc addo Cellotium de *Hierarch. lib. 5. cap. 24.* vbi sic ait. Existit tamen hic non inutilis dubitatio, & quædam quæ videtur ad nouitiam. Nam si Sacerdotem presentatum,

aliàs doctrina, motibusque idoneum aut examinare Prælatus, adeoque approbare: aut etiam examinatum item approbare recusaerit, in usu Tridentini quid fiet, homine indignam passio repulsam? Aperta enim legis verba sunt nullum posse, nisi approbationem obtineat reipsa, & non priuilegio repulsæ aliunde obtineat, & accipiat. Distinctione hîc utendum arbitror, ut sæcularem à religioso separemus: nam illû puto interdici confessionibus, si verè & actu approbatione priuetur: id enim ius apertè sic decernit, neque habeat in alio loco & lege per fugium. At regularis Ordinum prædictorum longè alia ratio est: cui ius antiquum Extravagantium, & Clementinæ dat, ut si fortè Prælati fratribus electis & præsentatis licentiam exhibere recusaerint, Pontifices ex tunc eam ipsis gratiosè concedant de plenitudine Apostolicæ potestatis. Et Lateranen. sub Leone: Talibus præsentatis, admittis, vel etiam indebitè recusatis. Itaque de iure isto nouo deiectus ad antiquum recurret, & sibi approbationem, licetiam, iurisdictionem concessam putabit à Summo Pontifice, quam inferior Pontifex iniuste, ut quidem ponimus, recusarit.

At enim illi contrarium est Tridentinum, & cessare in hoc iubet priuilegia & consuetudinem. Equidem sic respondeo, hac Concilij constitutione antiquis non derogari: lex enim posterior generalis sæpè limitatur per speciale ius antiquum, ut probat Nauarrus, quod ius illæsum manet, ut euitetur correctio iuris, quoad fieri potest. Derogat autem priuatis quorundam priuilegiis extra corpus iuris vagantibus, quæ restringi debent, cum censeantur odia iuris, ut idem Nauar. Henriq. Rodriq. Layman. & alij docent. Quoniam igitur expressa illius iuris non est in derogatione facta mentio, nulla ex parte violatum censetur. Neque vim facias in expressis priuilegiis. Ego enim sententiam definitiuam, qualis ea est, ut initio dicebamus priuilegium esse negotio: sed ius commune corpori iuris insertum habens rationem fauoris. Itaque ius illud duobus Mendicantium Ordinibus datum vigere adhuc affirmo, licet aliud generali lege statutum esse videatur. Hucusque Cellotius. Et nouissimè hanc sententiam tenet ex eadem Societate Stephanus Bauny in *Theolog. Moral. part. 1. tract. 4. quest. 11.* & Gamacheus in *3. par. D. Thom. de Sacrament. penitent. cap. 18.* & Celestinus in *compend. Theolog. Moral. tract. 1. c. 14. numer. 4.* vnde apparet hanc doctrinam inter Doctores inlytæ Sorbonæ esse communiter receptam: quibus adde alios, quos adduxi in *part. 3. tract. 2. resolut. 24.*

Sed pace istorum doctorum virorum ego magis sententiæ negatiuæ adhæreo cum Do-

ctoribus, quos nouissimè me citato adducit Pater Lugo de *Penitent. disput. 21. sect. 3. n. 52.* vbi asserit sententiam affirmatiuam esse contra sensum fidelium, & praxim Ecclesiæ, & contra mentem Concilij Tridentini, in quo proculdubio intentio fuit reformandi has Regularium facultates: & idè dictum fuit. Nihil Sacerdos sæcularis, vel regularis, &c. & postea, non obstantibus quibuscunque priuilegiis. Alioquin nuncliceret adhuc Regularium audire Confessiones, licet Episcopus ex iusta causa approbationem denegaret, cum in illo priuilegio solùm requiratur, quod se Episcopo præsentent, quod tamen nemo concedit.

Ad illud ergo antiquum priuilegium respondendum est: reuocatum esse in Tridentino: quia cum Decretum etiam Tridentini sit lex conciliaris & pontificia, quæ vim habet corrigendi superiorem legem etiam si in iure contineatur: & licet non fiat specialis mentio illius, quando verba posterioris legis hoc requirunt, ut constat *ex c. 1. & 2. de constit. lib. 6.* & in nostro casu lex illa Tridentini nullius esset momenti pro regularibus, nisi reuocatum esset antiquum priuilegium. Facilius fortasse responderi potest cum Vasquez & aliis non fuisse necessarium, quod illud priuilegium antiquum reuocaretur: quia illud solùm erat in ordine ad iurisdictionem, ad quam obtinendam ab Episcopo, ipsi præsentabantur Religiosi, quibus si Episcopus nolebat iurisdictionem concedere Summus Pontifex illam concedebat: hoc autem non est reuocatum, quia Pontifex iam illam concedit, & concessit multis Religionibus independenter ab eo, quod concedatur ab Episcopis: Tridentinum verò addidit conditionem requisitam ex parte Sacerdotis, ut ei iurisdictione concedi intelligatur: seu ut sit idoneus ad hoc, ut ei siue à Papa, siue ab aliquo alio iurisdictione delegeretur, nempe approbatio Episcopi, quæ si non præcedat, Papa protestatur se ex indispositione subiecti non concedere ei iurisdictionem: quæ conditio introducta fuit de nouo à Concilio Tridentino, & circa eam non habent Religiosi eiusmodi priuilegia.

Nota etiam id quod aduertit Lugo *vbi supra*, sententiam videlicet affirmatiuam supra relatam, etiam si probabilis esset, ad praxim tamen parum, aut nihil posse conducere: quia facultas illa Prælatis Regularibus concessa exponendi ad confessiones eos, quos præsentatos Episcopus nollet acceptare, concessa quidem fuit cum multis limitationibus, quæ habentur in *dicta Clementina dudum de sepult.* præsertim quod renuente Episcopo aliquem ex sibi præsentatis admittere, Prælatus regularis alium illius loco debeat subrogare. Item quod non plures præsententur Episcopo, quàm

sunt

sint necessarii: sed numerus, ait, personarum assumendarum ad huiusmodi officium exercendum esse debet, prout vniuersitas Cleri & populi: ac multitudo, vel paucitas exigit eorundem. Quæ limitatio licet solùm procedat, quoad priuilegium ibi concessum, & non de facto: quia de facto Religiosus idoneus ius habet, ut approbetur, licet non sit necessarius, ut supra vidimus: qui tamen volunt ut priuilegio illius Clementinæ, deberent illo uti cum illa limitatione ibi posita. Potest autem Episcopus semper, vel ferè semper dicere se nolle approbare illos Regulares: quia pro numero penitentium illius loci non sunt necessarii plures pro nunc: cuius contrarium in praxi probare difficillimum erit: atque adè in praxi non video, quomodò possit vtilis esse illa sententia, cuius assertio aliunde non deseruit, nisi ad irritandos & exacerbandos Episcoporum animos contra personas Regulares: quæ quò magis excutere à se volunt iugum Episcoporum hac in parte, èd magis ab ipsis Episcopis adstringuntur experiri illorum potestatem. E contra verò, quò magis se Episcopis hac in parte subiiciunt, & ostendunt se ab illis dependere, èd experiuntur illos magis benignos: & maiori cum libertate, & pace sua ministeria possunt cum maiori proximorum fructu atque meliori cum ædificatione exercere.

An Confessarius Regularis possit approbari cum limitatione ad tempus, ad personas, &c.

R E S O L. LXI.

Negatiuam sententiam mordicus sustinet Pater Cellotius de *Hierarchia lib. 5. capite 25.* vbi sic ait: Postremò de restrictione quod quæri potest, leuiorem habet disputationem, duabus breuiter partibus definiendam. Nam si Religiosus de moribus, doctrinæque ritè examinatus non is esse reperitur, qui penitentiar Tribunal, pro eius officij dignitate exercere valeat, quidni annua, vel triennis tantùm concedatur approbatio: sistendi sese iterum, & vitæ laudabilius actæ, aut comparatæ maioris scientiæ specimen edendi onere perquam salubri imposto? Quod si virum ponis suis partibus absolutum, cui neque virtus ad exemplum, neque peritia ad animarum regimen desit, qui sit eiusmodi quales reliquos optare debeas, etiam Parochiali beneficio instructos: huic ego Regulari arctam, & aliqua sui parte luxatam approbationem aio nec debere nec posse concedi. Est enim, quod semper animo recolendum, Approbatio non fauor tuus, sed

veritas: non gratia, sed testimonium: non arbitrii tui libertas, sed eius meritum, Et si negatur iniuria, si sine causa restringitur ab Episcopo, iam ad Extravagantes, & Clementinam recurritur, & ipso iure à Summo Pontifice absolute approbatus censetur. Ita ille. Cui adde Zambellum in *Repert. Moral. verb. Confessor quoad auctoritatem* vbi sic ait. Confessor Doctus & approbatus ab Ordinario per vnum annum, etiam transacto anno potest audire Confessiones, quia remanet approbatus à Papa; & num. 4. ita asserit. Confessor approbatus ab ordinario pro hominibus dumtaxat, èd quia ætatis suæ adhuc non tetigit quadagesimum annum potest etiam audire confessiones mulierum: quia hæc non est causa rationabilis pro coarctatione suæ auctoritatis. Ita ille, & alij quos citavi in *3. part. tract. 2. resolut. 25.* Quibus adde Præpositum in *3. part. de Sacrament. penitent. quest. 8. dub. 3. numer. 17.*

Sed ibi affirmatiuæ sententiæ adhæssi: & illam nouissimè me citato tenet Pater Lugo de *Penitent. disput. 21. sect. 3. §. 1. numer. 57.* vbi ex multis rationibus hoc firmat. Et idè asserit non debere damnari approbationem cum eiusmodi limitationibus ab Episcopis datam, tanquam iniustam, etiam respectu Regularium: possunt enim de facto interuenire vel omnes, vel aliqua ex rationibus adductis, vel alia similes, quibus prudenter moueatur Episcopus ad non approbandum absolute, & vniuersaliter, sed cum aliqua limitatione. Nec obstat exemplum illud de Parocho, qui vigesimo quinto ætatis anno approbatur absque vlla limitatione. Responderi enim potest maius examen proculdubio debere præcedere per se loquendo, circa probitatem & mores Parochi, ut illi committatur animarum cura, & beneficium parochiale, quàm regulariter præcedat ad approbandum Confessarium. Vnde non mirum, quod Parochus approbetur ad omnium, etiam sceminarum confessiones, & non Religiosus iuuenis, quem Episcopus non cognoscit, Sic etiam Episcopus eligitur trigésimo ætatis anno, atque eo ipso approbatur ad absolutiones, & dispensationes grauissimas, quas Pontifex & Concilia non possent prudenter confidere omnibus Religiosis etiam sexagenariis: quia nimirum Episcopi electionem præcedit magnum examen circa doctrinam, prudentiam, probitatem, & mores ipsius, qualem notitiam Pontifex non habet de omnibus Religiosis etiam senibus.

Non desinam tamen adnotare cum eodem Patre Lugo: Quod quando in particulari circa aliquam personam maximè religiosam non procederet prædictæ rationes: sed Episcopus haberet notitiam sufficientem, ut eam absque limitatione approbaret: non videntur posse

Y abque

absque alia iusta causa apponi eiusmodi limitationes. Nam ille habet ius, ut petat approbationem simpliciter, & absolutam prævio examine, cui se offert; ergo supposita plena notitia, quæ de ipso habetur, non potest Episcopus pro solo libito negare approbationem simpliciter, & dare solum semel approbationem: alioquin liceret illi pro libito dare approbationem pro vna hebdomada, vel pro centum personis quæ omnia essent in fraudem priuilegiorum Regularium; ut constat. Quando autem sit de facto iusta causa ad apponendas eiusmodi limitationes, hoc arbitrio, & conscientiæ Episcopi relinquimus: dicimus autem siue iustè, siue iniustè apponantur, obseruandas omnino esse, quia ille Sacerdos reuera non est approbatus ab Episcopo pro tali tempore, vel ad tales confessiones, quæ approbatio, necessaria omnino est ad valorem absolutionis post Concilium Tridentinum.

An Confessarius Regularis semel approbatus possit ab eodem Episcopo iterum examinari, & licentia data reuocari?

R E S O L. LXII.

Negatiuè respondet Ludouicus Cellotius *de Hierachia lib. 5. cap. 25.* vbi sic asserit. Tempus est, ut tempus approbationis exquiram. Putasne illam esse temporariam, an perpetuam? ex Superioris nutu pendere an semel collatam detrahi non posse? Scis autem non esse gratiam, adeoque non perpetuò pendente ex conferentis arbitrio: istud cum optimè de iurisdictione delegata dixeris: non item de approbatione. Si quidem hæc testimonium est, quod neque meritò negari potest, neque merenti eripi. Ut enim qui Doctoratus lauream consecutus est, eam semper retinet, etiam mutata in eum conferentis voluntate: sic quod semel à te iudicatum est, in tuo amplius arbitrio non est. Quod scripsisti, scripsisti. Reuoca tuam à Sacerdote approbationem, si iurisdictionem relinquis, validè absoluet, ac non licitè: quemadmodum Doctoris ius est docendi, quantumuis Superioris auctoritate prohibeatur, & eo facto contra obedientiam Prælati debitam peccet. Quis igitur modus characterem illum delendi? Si reddis incudi, si reuocas ad examen, si recoquis illa purgatoria fornace. Quem autem? Sacerdotem secularem. Is si denuò satisfecerit, alius impressa est approbatio, non obliterabis. Quia testimonium veritati datum perdurante obiecto perire non potest. Si prodiderit ignorantiam, ipse se de libro vitæ deleuit: pronuncia

testimonium errore datum fuisse: aut peritiam cui antè datum fuit, euanuisse, desinit esse approbatus.

De Religioso autem quid? Non ita mi Lector. Quamobrem? Quia enim semel præsentari sufficit. Cur hoc? Quia sic voluerunt priuilegiorum dispensatores Benedictus XI. ea Extrauagante, cui derogauit Clementina nostra, in iis tantum quæ Bonifacij Extrauaganti erant contraria. Nec à Tridentino Concilio, nec à Gregorio XIII. reuocatum est illud priuilegij genus. Ac licet concederemus illud ab eorum aliquibus antiquatum fuisse; restituit tamen Pij V. pietas quoad forum conscientiæ: qui fratribus Minoribus, postulante Ministro Generali, viuæ vocis oraculo confirmat & concedit omnia priuilegia, & quasunque gratias, etiam viuæ vocis oraculo concessas per bonæ memoriæ Paulum I V. & alios Romanos Pontifices Prædecessores Sanctitatis suæ, cum singulis clausulis, & decretis derogantibus in eis contentis: ita ut illis gaudere, & uti possint toties quoties opus fuerit, & eis videbitur. Et quoad illa, quæ sunt restricta, seu derogata per Concilium Tridentinum, etiam uti illis possint in foro conscientiæ tantum. Certè Auctor est Henriquez Pium V. motu proprio concessisse, ut Religiosus ab aliquo Episcopo examinatus ab eodem iterum examinari non possit: quod si sit ex Mendicantibus, nec à successore, ut addit Emmanuel Sà. Ita Cellotius.

Cuius sententiam & meritò quoad hoc vltimum non approbat Stephanus Bauny in *Theolog. Moral. part. 1. tract. 4. quest. 10* & Ioannes Præpositus in *3. par. de Sacrament. Penitent. quest. 8. dub. 3. numer. 17.* vbi sic ait. Ceterum Regulares Ordinum Mendicantium ab aliquo Episcopo approbati prævio examine, non possunt ab eodem examinari: possunt verò à successore: ita Pius V. in Bulla edita anno 1571. quæ incipit Romani Pontificis. Quæ constitutio non est reuocata per Gregorium XIII. ut respondit Congregatio. Ita ille. Sed ne deseras recognoscere me ipsum in *part. 3. tract. 2. resolut. 27.*

Sed quoad reuocationem licentiarum ego puto cum Patre Lugo *de Sacrament. Penitent. disput. 25. sect. 3. §. 1. numer. 63. & 64.* Si approbatio Confessarii data sit ad beneplacitum, posse ab Episcopo reuocari licitè ex causa, & validè etiam absque causa, non solum secularibus, sed etiã Regularibus. Ratio est, quia approbatio data cum limitatione, & ad certum tempus, transacto illo tempore cessat, ut diximus, & potest aliquando approbatio cum tali limitatione conferri ex causa iusta. Quando autem approbatio datur ad beneplacitum, est approbatio limitata ad certum tempus vagum determi-

determinandum pro arbitrio approbantis: ergo aliquando licitè dabitur cum illa clausula, quando scilicet, sunt causæ supra adductæ ad dandam approbationem cum limitatione: semper autem valida erat limitatio: ita ut cessante beneplacito approbantis, approbatio eo ipso intelligatur cessare. Deinde assero ex causa iusta, & rationabili posse etiam Religiosis reuocari approbationem prius absque limitatione concessam: quod quidem quando rationabilissima saltem causa intercedit, non potuit negare Pater Vasquez: erit autem controuersia parui momenti, an causa debeat esse rationabilis, vel rationabilissima: nam si causa rationabilis est, sufficiens est; si enim sufficiens non est, erit insufficientis, & per consequens irrationabilis. Porro posse intercedere causam sufficientem reuocandi approbationem, non videtur posse negari; siquidem potest intercedere causa sufficiens auferendi beneficium semel ritè & absolutè collatum, quod multò magis radicatum ius confert, quàm approbatio: quæ cum sit sententia testimonij perhibens de idoneitate alicuius non apparet, cur mutato obiecto non possit licitè, & iuridicè reuocari. Nam sicut ille, qui hodie idoneus est, potest postea corruptis moribus, vel obliuione doctrinæ fieri ineptus: ita qui eum hodie declarat idoneum, poterit postea eum declarare ineptum, & retractare reuocationem pro tempore sequenti. Et certè si Episcopi hoc non possent facere, non possent satis consulere suo gregi, cum non possent prohibere illi Confessarium ineptum semel approbatum, etiam si clarè constaret de eius ineptitudine. Sed si Episcopus sine iusta causa reuocaret approbationem concessam Regularibus; puto cum Lugo *vbi supra numer. 64.* esse non solum illicitam, sed etiam inualidam talem reuocationem. Et hanc sententiam præter Doctores, quos citauit in *3. part. tract. 2. resolut. 22.* tener nouissimè Stephanus Bauny in *Theologia Morali part. 1. tract. 4. quest. 9.* quia, ait ille, Regulares, quos Episcopus approbavit ut idoneos, cum ab eo amplius non pendeant in vsu potestatis absoluedi: sed à solo Pontifice Romano, à quo iurisdictionem suam habent, reuocari hæc ab Episcopo non potest, nisi inualidè, ac sine effectu. Deinde reuocatio iustæ causæ, ac iuris per illam acquisiti sine causa, non modò est iniusta, sed etiam nulla, eò quod sententia, quæ data est per regulas iustitiæ, sit irreuocabilis: sed approbatio alicuius ad Confessiones est instar iustæ sententiæ, cum tali approbatione iudicetur ad eas idoneus: & sic per eam ius ad eas audiendas approbato acquiritur: ergo si tollitur, tollitur iniustè, ac sine effectu: ac proinde poterit Regularis, cui per talem reuocationem videtur fieri iniuria, con-

fessiones excipere, ut prius; ita Peirinus *de Priuileg. Minorum tom. 1. constitut. 26. Leo X. §. 6. num. 7.*

Obiicies. Quod ad beneplacitum datur, potest ad libitum concedentis reuocari: sed ab Episcopo manat ad Religiosos potestas audiendarum Confessionum. Ergo, &c. Maior est distinguenda: nam id quod conceditur merum est beneficium, aut sententia: si primum, vera est maior: si secundum verò, falsa. Ad Minorem autem dicendum est approbationem licentiam non esse, sed sententiam seu declarationem, quod examinatus dignus sit, qui ad confessiones excipiendas applicetur. Hucvique Bauny.

Et hæc dicta esse volo non studio contradicendi opiniones, quas nouissimè docuit Ludouicus Cellotius; est enim vir doctissimus, & eruditissimus, & de cuius lectura magnoperè delectatus sum: sed ne Regulares illas in praxi deducant: & hoc ad tollenda dissidia, & remouenda scandala, quæ cum Episcopis oriri possent. Vellem tamen Dominos Episcopos conseruare Regularibus eorum priuilegia, & considerare, quod pro illorum tuitione non desunt Auctores magni nominis, & simul agnoscere merita Regularium, & quantum eis debetur pro seruitiis factis, & quæ in dies faciunt Ecclesiæ vniuersali, & eorum particularibus Diocesibus.

An Superiores Regularium possint illos absolueri ab hæresi occulta?

R E S O L. LXIII.

Afirmatiuam sententiam nouissimè nominatim contra me docet Stephanus Bauny in *Theolog. Moral. part. 1. tract. 4. q. 1. 2. ex tribus fundamentis. Primum. Quod æquitati naturali alienum videtur, ut Regulares remedio ad salutem necessario careant; carerent autem si lapsi resurgere, ligati solui, exolusi per hæresim ab Ecclesia ad eam reuocari ac admitti per Superiores suos non possent: oportuit ergo hac eos auctoritate præstare, ne quid eis ad commissæ sibi plebis regimen deesset, quo hæc eos priuatos esse inre queratur.*

Secundum. Quod à Pio V. concessum sit Prouincialibus, Præpositis, & Prioribus Ordinis S. Dominici, ut quod Episcopi, concessione Concilij, in causa subditorum faciunt, hoc illis cum fructu & laude ad suorum utilitatem ac commodum aggredi fas esset in foro conscientiæ, Rodriquez & Candid. *suprà: ergo ut Episcopi à suspensione, excommunicatione, & irregularitatibus occultis, ac non deductis ad forum contentiosum, absolueri suos subditos possunt vigore Concilij: ita & hi Regulares*

suos, vi concessi sibi priuilegij, quod est generale quoad omnes facultates secundum Suarez de Religion. tom. 4. tractat. 9. libr. 2. cap. 20. & commune cum Religionibus Mendicantium, & aliis, quibus Papæ indulgentia, ac beneficio fas est in communionem gratiarum admitti, quæ ab eo vni cuiquam earum singulari amoris erga illam argumento conceduntur.

Nominatim autem est indultum Abbatibus, Prioribus, Præfidentibus, & aliis Prælati Congregationis S. Benedicti Valisoleiani, vt annis singulis prima die Lunæ Quadragesimæ omnes & singulas personas Religiosas, ac Donatos & Eremitas præfatæ Congregationis sub eorum cura existentes possent absolvere ab omnibus peccatis & censuris, & pœnis pro tempore incurfis, etiam in casibus, &c. Rodriguez in Bullar. fol. 816. Huiusmodi autem priuilegij concedendi Regularibus hæc causa fuit, quod alioquin malè illis prouisum foret, vt pote quibus euagandi daretur occasio, quod non oportuit. Sanè nouissimis hæc temporibus hoc suæ caritatis monumentum erga Societatem nostram extate Gregorius XIII. voluit, vt eius Superiores, hoc est Generalis & Prouincialis absolvere ab hæresi occulta, ac eius relapsu subditos suos valeant. Compend. Societ. verb. absolutio §. 37. & 8. Ortiz in summa capite 5. numer. 29. Peirinus de priuileg. Minim. tom. 1. constit. 4. Sixti IV. §. 5. numer. 10. docetque Suarez de Relig. tom. 4. tract. 10. lib. 9. cap. 2. numero 17. posse Prouinciales ex causa vices suas alteri committere, in casibus particularibus, non omnibus nisi ad id facultatem à Generali habeant. Sed pace eius sit dictum, non videtur hæc necessaria: nam quis nescit, Ordinariis communi iure fas esse subrogare sibi idoneos homines, per quos quæ sunt officij sui, prouinciarumque obeant: at ab Ordinariorum numero Prouinciales Præpositi remoueri nec possunt, nec debent: ergo in eorum est iure (nisi fortè cohiberetur est, ac restrictum à Generali) eius voluntate, ac licentia non quæsita designare hominem, qui eius vice fungatur per totam Prouinciam in absoluendis subditis ab occulta hæresi.

Tertium fundamentum. Quæ per Concilium Episcopis facultas datur remittendi subditorum occultam hæresim, huic per Bullam Cœnæ Domini non est derogatum: cuius sententiæ approbatores sunt, ac Authores Nungus tom. 2. addit. ad 3. part. questione 8. art. 5. dub. 10. Ricciullus tractat. de iur. person. lib. 5. cap. 14. numer. 9. Barbosa de potestat. Episcoporum. part. 2. allegat. 40. numer. 21. Sed Regularibus à Pio V. in persona Prouincialium, ac Priorum Ordinis S. Dominici est concessum, benignè

ac perhumaniter vt agant cum suis subditis, impertiendo eis absolutionem ab hæresi, quæ non est nota, eaque demum facere legitime vt valeant quæ Episcopis esse permessa in dispensationum materia Concilium voluit sess. 24. cap. 6. ergo vt his ab excommunicationis, & hæresis vinculo, Diocesanos absolvere est licitum: ita & illis liberare subditos suos ab eadem censura, & culpa hæresis, est per priuilegia sua permissum.

At reuocantur, inquit, quotannis à Pontifice hæc priuilegia in promulgatione Bullæ Cœnæ. Non probatur hæc oratio Portellio in dub. Regul. verb. Abbas numer. 10. Primò, quia beneficium Principis, quale est priuilegium, decet esse mansurum & perpetuum: de regul. iur. in 6. reg. 16. Secundò, quia non est credibile Pontificem Regularibus illudere velle: quod tamen faceret, si quæ priuilegia, cum ad Ecclesiæ gubernacula vocatur, vult ad postulata Regularium rata, his vim omnem ac auctoritatem ablatam esse illicò cuperet per promulgationem Bullæ Cœnæ Domini. Tertio, quia vt notauit Portellus in dub. regul. verb. Bulla Cœnæ numer. 2. Patribus Societatis IESV concessum est à Gregorio XII. anno 1584. vt per Bullam Cœnæ concessionem illi factæ minimè reuocata esse censeantur. Compend. Societ. in ver. Bulla Cœnæ §. 2. Suarez de Religion. tom. 4. tractat. 10. lib. 9. cap. 20. numer. 18. Quarto, quia in Bulla prohibetur absolutio casuum, quos continet, non absolute ratione priuilegiorum, sed eorum prætextu duntaxat: at prætextus color est quæsitus, Budæo interprete, in l. illicitas ff. de offic. Præsid. & l. ea sub prætextu Cod. de transact. & nemo dicitur rebus illis colorem dare, quas legitime efficit, & cum auctoritate eorum, quibus incumbit eas abrogare aut probare. Ergo cum Regulares approbante Pontifice absoluant inferiores suos ab hæresi, quæ non est cognita, non id agunt prætextu priuilegij, sed cum potestate, & vt res est legitime.

Sed hæc sententia prorsus est refellenda stante Decreto Sacræ Congregationis facto verbo cum Sanctissimo die 17. Nouembris 1628. Et Superiores Regulares hanc opinionem sequentes essent seuerè puniendi ab Inquisitoribus in nostro Sacro Tribunali. Recognosce me ipsum non solum in loco citato à Bauny, sed in 3. part. tract. 2. resol. 122.

Vnde caueant Regulares à sententia Stephani Bauny, licet alioquin viri doctissimi.

* * *

An

An propter notabile damnum salutis corporeæ possit coniux negare debitum petenti? etiam si in illo adsit periculum incontinentiæ?

R E S O L. LXIV.

Negatiuam sententiam docet supplementum Gabrielis in 4. distinct. 32. quest. vnic. art. 2. Ledesma de Matrimonio quest. 64. art. 1. dub. 2. conclus. 3. Vega in summa tom. 1. cap. 78. casu 3. & alij. Probatur, quia ordo charitatis petit, vt salus corporis postponatur saluti animæ.

Sed mihi magis placet opinio Ioannis Maioris in 4. distinct. 32. quest. 1. argum. 1. contra 3. conclus. & Sanchez de Matrimonio tom. 3. lib. 1. disput. 2. numer. 12. & disput. 24. numer. 12. Et ad argumentum contrarium respondeo procedere, vbi est extrema necessitas: vel si est grauis, is qui subuenire debet, est Prælati, qualis non est coniux: nec ea est extrema necessitas: nam potest aliis mediis periculo illi incontinentiæ subuenire.

Et ita hanc nostram sententiam præter Doctores allatos tenet etiam Ioannes Præpositus in 3. part. D. Thomæ quest. 6. de Sacram. Matrim. dub. 5. n. 14. vbi postquam adduxit multos casus in quibus coniux non tenetur reddere debitum, & præcipue propter graue periculum morbi, asserit. Petes, vt in similibus euentibus pars teneatur debitum reddere, quando saltem in comparte est periculum pollutionis. Respondeo negatiuè. Ita varij: quemadmodum enim variis aliis euentibus coniugatus tenetur aliter occurrere periculo incontinentiæ, quam per actum coniugalem, ita & in hoc euentu, cum in illo pars non censeatur liberari ab onere reddendi ex alterius condonatione, sed ex ipsa rei natura, quæ ius ei tribuit sibi suæque corporali saluti consulendi, non obstante traditione corporis in alterius dominium, quo casu respectu mali alterius permittitur censetur se habere: prudenter tamen considerandum, an subsit malum aliquod extraordinarium; nam propter ordinarios dolores, quos scemina in partu solent pati, non possunt debitum maritis negare, vt communiter Doctores docent. Hucusque Præpositus.

Sed hic obiter quaerendum est, an negari possit debitum coniugi ebrio. Ad hoc dubium ita respondet Fagundez in præcepta Decalogi tom. 2. lib. 5. cap. 4. numer. 50. Idem quod diximus de coniuge amente, dicendum est de ebrio & furioso, dum tales sunt: si tamen periculum sit, quod ebrius extra ebrietatem, aut furiosus extra furorem effundat semen, vel in aliud incontinentiæ peccatum elabatur, te-

netur alter coniux in ipsa ebrietate, & furore reddere debitum. Ita docet Sanchez lib. 9. de Matrimo. disput. 23. n. 12. Vega 1. part. summa cap. 18. casu 12. quamuis id mihi durum videatur propter ingentem molestiam: Et ea obligatio in eo casu solum videtur esse de charitate ad vitandum peccatum alterius coniugis, quod non tenetur vitare cum tanto suo detrimento. Ita Fagundez.

An aliquando sent licita oscula & tactus inter uxoratos cum periculo pollutionis?

R E S O L. LXV.

Pro parte affirmatiua in 3. part. tractat. 4. resolut. 227. adduxi Zanardum Dominicanum; & Sanchez & Fillucium Iesuitas: & hanc sententiam ex eadem Societate tanquam probabilem admittit nouissimè Stephanus Bauny in Theolog. Moral. part. 1. tract. 12. quest. 5. vbi sic ait. Hæc opinio si quid habet ponderis, id totum in Doctorum auctoritatem, qui illam inuenerunt & probauerunt, referendum existimo. Sanè quia benigna est, & in coniuges indulgens, si quis eam sibi sequendam credet, non magnopere repugnabo. Ita Bauny. Et ideò, quidam Confessarius excusabat Coniugem, quæ, cum maritus illam osculabatur in pollutionem incidebat: & etiam excusabat ipsum virum, quando osculabatur uxorem ad excitandum amorem, vel ad eum conseruandum, & præter intentionem pollutio sequebatur.

Sed hæc opinio displicet Ioanni Præposito in 3. part. D. Thomæ quest. 6. de Sacram. Matrim. dub. 25. numer. 186. vbi sic ait. Coniuges, qui liberè actum coniugalem exercere possunt absque graui peccato, se mutuo amplecti, tangere, osculari, &c. quamuis hos actus ad copulam non referant: quia tales actus ratione contractus, & status matrimonialis cohonestantur, & redduntur liciti: ac proinde suam malitiam debent aliunde contrahere: non contrahunt autem aliunde, quam quod non ordinentur in finem, & proinde solum inuenitur defectus ordinationis in finem, qui solum venialem malitiam continet.

Probatur. Coniux ratione contractus matrimonialis habet dominium corporis suæ copartem in ordine ad actum carnalem; & proinde in ordine ad actus natura sua præuios: quo dominio, & vsu dominij non priuatur eo quod hic & nunc nolit actum consummatum. Aduerte tamen debere abesse periculum pollutionis & scandalum in alterutra parte.

Dices hi actus de se sunt liciti, tantumque

Y 3 contrahunt

contrahunt malitiam venialem propter defectum ordinationis in finem: actus autem licitus & honestus non contrahit mortalem malitiam ex præuisa pollutione, &c. Ergo, &c. Respondeo sepositis opinionibus, quæ versantur circa materiam minoris propositionis, negando eandem minorem quoad actus, de quibus est sermo: nam tactus, oscula, amplexus inter coniuges eatenus licent, quatenus quaruntur intra limites matrimonij: & per consequens, in quantum nihil sequitur repugnans fini, & institutioni feminis: sequitur autem aliquid repugnans, si semen extra vas effundatur, neque pollutio in eo casu dici potest solum permiffa, cum sequatur ex impetu illius motus carnalis, qui per se intenditur. Confirmatur: petere debitum cum aperto periculo effusionis feminis extra vas naturale est peccatum mortale: ergo etiam actus subordinati contrahent malitiam mortalem, si subsit consimile pollutionis periculum: Cum verò frequenter subesse possit in contactibus valde impudicis, hi omninò sunt coniugibus dissuadendi: nisi ordinentur ad copulam, vel saltem ea petatur, quando aduertitur periculum. Vnde videtur minus probandum, quod ait Sanchez *lib. 9. de matrimonio disput. 45. numer. 36.* non semper esse mortales tactus exercitos cum periculo pollutionis etiam in petente: id, inquam minus probatur:

cum pollutio eo casu possit vitari petendo actum coniugalem, quem coniugatus potest exercere. Confirmatur, si dans operam rei alioquin licitæ & præceptæ aduertat inde secuturam pollutionem, quam retenta actione possit impedire; tenetur impedire, alioquin mortaliter peccabit: cum ergo coniugatus in nostro casu possit occurrere pollutioni per actum coniugalem, qui non est ei difficilis, tenetur illum exercere: propter quam rationem, per se loquendo, sentio compartem, quæ per modum reddentis eosdem actus cum delectatione venerea patitur, vel exercet, teneri actum coniugalem petere, si aduertat in se pollutionis periculum, & nulla circumstantia extrinseca excuset: alioquin pollutionem censendam ei voluntariam, cum eam possit impedire per medium non extraordinarium statui matrimoniali, idque sine magno grauamine vt suppono. Hucusque Præpositus. Et Villalobos *in summa tom. 1. tract. 13. diffic. 42. num. 1.* sic ait. [Los aspectos, tocamientos, son licitos entre los casados, y nunca llegan à pecado mortal, quando no ay peligro de pollucion: y si con los abraços y osculos se intentasse solo mostrar señal de amor, no seria pecado ninguno, non auiendo el dicho peligro.] Sic ille. Et reuera in his materiis cautè procedendum est, nec habent laxandæ sunt.



TRACTA



TRACTATUS OCTAVVS, MISCELLANEVS.

An Pragmatica super Chartam vulgò dictam
Papel Sellado violet Ecclesiasticam
Immunitatem?

RESOL. I.

DE hoc casu consultus fui anno 1638. ab Excellentissimo Principe Paternionis tunc in Regno Siciliae Prorege meritisimo, & ei responsum dedi taxationem supradicti papyri signati, nomine tantum Regaliam, sed reuera Gabellam existimandam esse. Vnde, ad subleuandas Regis nostri vrgentes necessitates, in Parlamento, seu Comitibus Regni imponendam necessarium duxi, exclusis tamen ab eius solutione Ecclesiasticis: sed pro negatiua sententia aliqua adduci possunt argumenta, quæ hic ex propria penu, Doctorum auctoritate stabilire conabor, vt veritas nostræ sententiæ, postea magis elucescat.

Probatur igitur primò opinio negatiua; quia Clerici sunt Ciues, & pars Reipublicæ, vt habetur *in cap. cum nullus de temporibus ordinand. & docet Bart. in leg. 1. ad municip.* Villalobos *in summa tom. 1. tract. 2. diffic. 31. n. 1.* & alij. Ergo sunt adstricti seruare leges latas pro bono publico, vt probat Castillo Sotomaior *de Tertiis tom. 7. cap. 8. numer. 21.* & alij: sed talis est lex, de qua loquimur: nam Papyrus signatum efficitur ad conseruandam legalitatem Scripturarum, & ad falsitates cuitandas. Ergo, &c.

Secundò, quia impressio Regij sigilli super Chartam est Regalia: ergo in casu nostro charta signata effecta est res propria Regis: vnde potest illam vendere, & eius pretium taxare. Et sicut Clerici, vt notat Auendano *de cens. cap. 3. numer. 10.* Lasserte *de Decima cap. 10. numer. 3.* Mexia *in Pragmat. Tax. Pan. conclus. 5. numer. 39.* Salas *de empt. dub. 9. numer. 2.* & alij communiter, tenentur soluere pretium rerum venalium à Principe taxatarum: ita tenebuntur soluere pretium dictæ chartæ signatæ, quam vt rem propriam Princeps vendit cum Regio sigillo.

Tertiò, certum est, quòd ex iusta causa Rex potest alteri concedere venditionem aliquarum mercium, vt tradit Azorius *tom. 3. lib. 8. capite 28.* Filiucius *tom. 2. tractat. 35. cap. 8. numer. 213.* Molfesius *in summa tom. 1. tractat. 12. cap. 5. numer. 123.* & alij communiter: ergo dicendum est posse priuatiuè reseruare sibi venditionem papyri signati, per ea, quæ adducit Molina *de iustit. tom. 2. tractat. 2. disputatione 345. numer. 3.* Et ideo in Hispania multæ merces dicuntur vulgò *Estancata*, & pertinent ad Regem, vt sal, piper, chartæ pictæ, &c. Vnde non desinam hic apponere verba Aristotelis *lib. 1. Politic. cap. 11.* sic asserentis. Quare, & nonnullæ Ciuitates hanc sibi viam ad pecuniam parandam, cum eius indigent, muniunt: assequuntur enim, vt singularem rerum venalium vendendarum facultatem, solæ habeant. Ita ille. Hinc Gasparus Klockius *tractat. Nomico-Politico de contribut. cap. 1. numer. 117.* & Christophorus Besoldus *in discurs. Politic. de Aerario capite 4. numer. 15.* obseruant, quòd Rex Gallix non patitur, quemquam Regni sui sale vendere: sic & in casu nostro, vt dictum est, potuit Rex priuatiuè sibi reseruare venditionem chartæ signatæ.

Quartò, Clerici in aliquibus locis soluunt ius tractæ ex rebus, quas extrahunt extra Regnum ratione Regaliæ, quæ competit Regi ex Portu, vt docet Carolus de Grassis *de effect. Cleric. effect. 2. numer. 294.* Ergo & in casu nostro soluenda erit quantitas taxæ pro papyro signato, tanquam fructus ex Regalia proueniens.

Sed his minimè suffragantibus, puto supradictam Pragmaticam Papyri signati, si comprehendat Clericos, infringere libertatem Ecclesiasticam. Quod patet primò ex verbis Bullæ Cœnæ, in qua Pontifices *in Can. 15.* dant pro infectis, & anathematizant omnes ordinationes & constitutiones, vnde libertas Ecclesiastica directè, vel indirectè læditur, vel alio quouis modo restringitur: sed in casu, de quo loquimur, saltem indirectè libertas Ecclesiastica læditur & restringitur. Ergo, &c. Probo minorem: nam libertas Ecclesiastica hoc Clericis præbet, vt habeant facultatem faciendi quod eis placet, nisi illicitum sit, vt

Y 4 patet

patet ex leg. libertas ff. de statu hominum, & docet Cochier de libert. Ecclesiast. part. 2. cap. 15. n. 6. Gatticus in allegat. pro Ecclesia fol. 208. §. Tertio probatur. Sperellus decis. 12. num. 42. Bonacina in Bullam Cæna disput. 1. quest. 16. sect. 2. punct. 2. numer. 14. Reginaldus tom. 1. lib. 9. cap. 23. numer. 358. & alij. Sed per Pragmaticam, de qua loquimur, Papyri signati, Clerici non possunt amplius facere id, quod prius liberè eis facere permissum erat; nam non possunt amplius in iudicio uti chartis Papyraeis, & alia instrumenta efficere, nisi Papyrus sit regio sigillo signata: ergo clarè apparet dictam Pragmaticam esse contra libertatem Ecclesiasticam, cum illam lædat, ac restringat: etenim Clerici per illam non possunt deinde illud facere, quod antè impunè, & licitè faciebant. Confirmantur supradicta: Nam ordinationes, pragmaticæ, & statuta prohibentes vel præcipientes Clericis id quod eis, nec diuino, nec humano iure prohibitum, vel præceptum est, violant immunitatem Ecclesiasticam, ut docet Felinus in cap. Ecclesia Sancta Maria de constitut. num. 72. & 73. Quem citat & sequitur Humada in Scholio ad Gregorium Lopez leg. 3. tit. 2. part. 1. gloss. 6. numer. 3. fol. 28. col. 4. Zechius de Republ. Christ. tit. de Clericis. fol. mibi 410. Soufain Bullam Cæna cap. 16. disput. 84. conclus. 3. Alderanus Mascardus de interpret. statut. conclus. 1. numer. 88. Eillucius tom. 1. tract. 16. cap. 10. numer. 270. §. tertio ca. Reginaldus tom. 1. lib. 9. c. 23. numer. 358. §. tenendum est tertio. Duardus in Bullam Cæna lib. 2. cap. 15. quest. 19. num. 1. Laderchius consilio 103. num. 1. Annibaldus in additionibus ad Mandellum lib. 1. consil. 8. littera H. Sayrus de censur. lib. 3. cap. 19. num. 9. §. Sic etiam Bonacina in Bullam Cæna disput. 1. quest. 16. sectione 2. punct. 2. num. 51. & alij. Sed nullo iure prohibitum est Clericis, ne instrumenta conficiant, neque in iudicio utantur alia charta, quam vique adhuc omnes liberè, licitè, & impunè vti sunt: Ergo hanc Pragmaticam prohibentem ne Clerici utantur alia charta in iudiciis, quam signata sigillo Regis esse contra immunitatem Ecclesiasticam dicendum est cum prohibeat Clericis id quod eis nec diuino, nec humano iure prohibitum est.

Probatur secundò. Non solum de iure humano, sed etiam de iure diuino Clericos esse exemptos à solutione Gabellarum ex multis iuribus & Doctoribus firmavit nouissimè Sacra Rotæ in Albanensi Gabellæ, die 28. Iunij 1630. coram Domino meo Merlino, nunc meritisimo Decano, & in Barchinonensi exemptionis die 28. Iunij 1636. coram bon. mem. Coccino; & ego fati probaui in part. 5. tract. 1. resolut. 2. Sed ex sumptione Papyri signati Clerici soluerent gabellam: ergo neces-

sariò sequitur supradictam Pragmaticam dictum Papyrus statuentem violare libertatem Ecclesiasticam. Minor argumenti, in quo adest difficultas, examinanda erit: nam aduersarij putant, ut supra dictum est, hanc non esse gabellam, sed Regaliam, quæ etiam Clericos includit. Sed hoc purum figmentum esse puto, & chimericam speculationem: nam ut docent Klockius in tract. Nomico-Politico de contribution. cap. 3. numer. 188. Cabedo part. 2. decis. 42. num. 4. & alij, etiam Gabellæ dicuntur Regaliæ, sub quo Regalium nomine comprehenduntur etiam Angariæ, & Perangariæ, ut obseruat Sixtinus de Regal. lib. 2. cap. 13. Cuiacius in leg. vlt. Cod. de Fabricens. lib. 11. Hotomanus in Lexico feudali ver. Angaria. Godelinus de iure nouissimo lib. 5. cap. 3. Lindemannus in exercitat. feudat. cap. 3. num. 57. Alfarus de officio fiscalis Gloss. 20. §. 12. num. 471. Et tamen, ut certum est, non ex hoc sequitur Clericos ad illas teneri. Adde quod multæ aliæ exactiones prouenientes ex Regaliis impositis, dicuntur etiam gabellæ à Doctoribus. Et ideo licet salinæ sint de Regalibus, tamen redditus ex ipsis fisco prouenientes inter vectigalia ab Vlpiano numerantur in leg. inter publica §. vltim. ff. de verbor. signification. ut notat Bulengerus de Imperator. Roman. lib. 9. cap. 21. Iacobus Bornitius in tract. de arario lib. 5. cap. 4. Christophorus Befoldus in discurs. Polit. de arario cap. 4. numer. 13. Gasparus Klockius tract. Nomico-Politico de contribut. cap. 1. num. 116. Bodinus de Republica lib. 1. cap. 10. num. 170. Vnde Titus Liuius lib. Decad. 3. de Bello Persico sic asseruit. Vectigal etiam nouum ex salaria annona statuerunt. Item Piscariæ de Regalibus, ut tradit Decius consil. 196. num. 1. Cabedo part. 2. decisione 54. Sixtinus de Regalibus lib. 2. cap. 18. num. 12. & tamen eorum redditus vectigalia vocantur à Bucero de Regalibus cap. 3. num. 141. Alberico Gentili in Commentar. ad tit. de verbor. significat. leg. inter publica fol. 49. & Domini- co Arumæo in discurs. Acad. vol. 2. discurs. 15. num. 65. qui notat in dicta leg. inter publica, vectigalia piscaria ab Vlpiano vocari. Item Ripatica sunt de Regalibus, ut tradit Bucerus ubi supra, num. 154. & Arumæus num. 93. qui tamen eorum prouetus vectigalia vocat: quod etiam fecit Mastrillus de Magistrat. lib. 3. c. 10. num. 291. Et tandem licet Portus connumerentur inter Regalia, tamen eorum prouetus, qui ad Regem spectant, gabellæ nominantur, ut loquitur Arumæus ubi supra volum. 1. discurs. 30. cap. 3. num. 44 & alij, quos citat, & sequitur nouissimè Solorzanus de Indiarum iure tom. 2. lib. 1. cap. 1. num. 52. & sequent. cui etiam Adde Alfarum de officio fiscalis Glossa 20. §. 2. num. 16. & 18. & clarius §. 8. num. 114. & patet in dicta leg. inter publica §. final. ff. de verbor. significat

significat. ubi Prouetus ex Portu inter fisci vectigalia apponuntur: & dicitur vectigal Portus, & alio nomine Portorium, de quo fit mentio in leg. 3. Cod. de vectigal. & de quo etiam fit mentio inter vectigalia, quæ Nero abrogare volebat apud Tacitum lib. 13. & ideo Portorium & vectigal idem sunt, ut patet in leg. cum & plures. §. vehiculum. ff. locari. Et Tullius in orat. pro Manilio sic habet: Neque ex Portu, neque ex Decumis, neque ex scriptura vectigal conseruari potest. Vnde infra in Respon- sione ad quartum Argumentum probabitur ius Tractæ, quod soluitur ex extractione aliquarum mercium ex Portu, esse gabellam, & ad illam Clericos non teneri, nisi merces negociationis causa extraherent. Vnde ad confirmationem supradictorum Althusius in Politica cap. 12. num. 16. docuit quod omne id ex quo census fiscus accipit, vectigal dicitur: ut est aut ille vectigal portus salinarum, metallorum, piscariorum, &c. quod idem docuit Arumæus de iure publico vol. 2. discurs. 20. num. 6. & Befoldus Politico iuridica de iuribus Maie- statis cap. 7. num. 8. & Henningus Arnifæus de iure Maie statis lib. 3. cap. 5. num. 3. 4. & sequent.

Sed hæc omnia magis verificantur in charta signata, de qua loquimur; quæ quidem nomine Regaliam, sed reuera gabellam esse aperte patet: quia eius taxatio est tam magna, & immoderata, cum soluantur pro vnica charta aliquando sex Tateni, ut meritò nomen pretij non mereatur: ergo clarè apparet habere rationem tributi: sicut antiquitus extabat vectigal Chartiæ ex quo soluebant duos folles Officialibus pro chartis, ut ex Zonara obseruat Bulengerus de Imperat. Roman. lib. 9. cap. 79. follis autem, id est obolus, ut vult Itacus Casaubonus exercitat. 16. ad Baronium, erat genus quoddam pecuniæ. Nec valet dicere, quod sicut Princeps potest valori naturali, & intrinseco monetæ alium maiorem extrinsecum addere, & sibi applicare pro publica necessitate subleuanda: ita & in casu nostro licet pretium Papyri signati sit excedens, & improporionatum. potuit Rex illud augere pressus tamen urgentibus bellorum necessitatibus. Non valet, inquam hoc dicere: nam respondeo, quod si in casu nostro augmentum pretij Papyri signati sumitur, ut asserunt Aduersarij, eo pacto quo Princeps accipit augmentum extrinsecum monetæ: ergo reuera gabellam esse dicendum est. Probo consequentiam: nam Princeps, ut obseruat Cabedo part. 2. decis. 45. num. 7. Sixtinus de Regal. lib. 2. cap. 7. num. 5. & sequent. Ioannes Kitzolius tract. de re monetaria clas. 5. quest. 1. num. 34. & alij, tunc potest augere vel minuere valorem monetæ, quando adest necessitas publica, cui populus tenetur subuenire, & marsupium

Principis euacuatum est; & tunc augmentum monetæ habere rationem gabellæ tradit Mariana de instit. Reg. lib. 3. cap. 8. Basilius Pontius variarum disputationum Relect. 1. de augmento monetæ part. 1. propos. 4. fol. 514. col. 1. & fol. 516. col. 1. & ideo Bornitius tractat. de arario lib. 6. cap. 6. mutationem monetæ apposuit sub Titulo de Vectigalibus extraordinariis. Sed certum est Clericos non teneri ad onera, & tributa pro subleuandis necessitatibus publicis nisi cum certis conditionibus dispositis à Concilio Lateranensi, quæ habentur in cap. non minus, & cap. aduersus de immunit. Eccles. de quibus ego ipse multa disserui in part. 5. tract. 1. resolut. 11. Ergo, &c. Confirmatur supradicta ex eo quod Paulus Layman in Theolog. Mor. lib. 3. tract. 3. part. 1. cap. 5. num. 7. & alij, loquentes de mutatione monetarum ob publicam necessitatem, supponunt non solum talem mutationem esse gabellam; sed addunt non habere requisita iusti tributi, & continere in se multa inconuenientia: Ergo ex supradictis apparet parum conferre argumentum de augmento pretij monetæ ad augmentum pretij papyri signati: immò nostram sententiam potius confirmare videtur.

Et tandem probatur tertio nostra sententia, quod est valdè notandum, quia Pragmatica, de qua loquimur, non videtur lata propter bonum publicum ad euitandas falsitates instrumentorum, ut ab Aduersariis supponitur: ergo Clerici non tenentur illam obseruare. Probo antecedens: nā non obstante supradicta Pragmatica hodie instrumenta possunt falsificari, ut antea: nam soluto pretio chartæ bullatæ; sigillum illud Regium non efficit, ut aliquis, si velit, nō possit in illa charta signata aliquod instrumentum Notarij, vel aliquod mandatum iudicis cum falsa subscriptione efficere: & certum est, quod non relinquet hoc facere, quia tenetur soluere pretium chartæ signatæ: ergo manifestè apparet quod hæc charta signata deseruit tantum ad exigendum eius pretium pro soluendis necessitatibus Regis, non autem ad conseruandam legalitatem scripturarum, & ad falsitates euitandas: nam Republica hodie manet etiam subiecta fraudibus, ut prius ante chartam signatam subiecta erat. Vnde ex his patet reuera gabellam esse, & ideo ad illam soluendam Clericos non teneri.

Restat modò respondere ad argumenta contraria: ex quorum solutione magis firmabitur nostra opinio. Respondeo igitur ad primum argumentum, tunc leges, & statuta propter bonum publicum ligare Clericos: quando neque directe neque indirectè Ecclesiasticam immunitatem lædunt, ut docet Salas de legib. disput. 14. sect. 8. num. 92. & 93. Baldellus lib. 5. disput. 331

disput. 3.3. num. 14. Bonacina in Bullam Cæne disput. 1. quest. 16. sect. 2. punct. 2. n. 12. Aponte in Responsione super censuras Pauli V. fol. 15. Collegium Bononiense in Respons. pro libertate Ecclesiastica numer. 2. Molina de iustit. tom. 1. tract. 2. disput. 3.1. num. 15. Squillante de Priuileg. Cleric. cap. 7. dub. 3. num. 94. & alij: sed in nostro casu dictam Pragmaticam lædere immunitatem Ecclesiasticam supra fati iam probatum est Ergo, &c.

Ad secundum argumentum patet responso ex dictis: Nam taxatio chartæ signatæ, de qua loquimur, est ita in ratione pretij excessiua, vt limites iustitiæ omninò excedat: Et ideò potius onus gabellæ dicendum, quàm pretium rei. Nec valet dicere cum Petro Nauarra lib. 3. cap. 1. numer. 331. & Antonio Fabro de variis num. debit. solut. cap. 1. num. 62. quòd sicut impressio signi publici valorem monetæ intrinsicum auget: ita & in nostro casu sigillum Regium auget pretium Papyri signati: nam respondeo cum Layman lib. 3. tract. 3. part. 1. cap. 5. num. 4. Ioanne Kitzolio tract. de iure monet. clas. 5. quest. 1. num. 37. & aliis penes ipsum publicum signum in moneta augere eius valorem tantum in modico sed in casu nostro sigillum Regium valorem chartæ signatæ vnius grani auget vsque ad Tarenos sex: ergo tale augmentum iniustum esse necessariò dicendum erit. Et si dicas iustificari, quia sumitur propter publicas necessitates subleuandas. Respondeo, ideò nomen tributi, seu oneris, vel exactiõnis subterfugere non posse: ergo illud soluere Clerici non tenentur.

Ad tertium Argumentum: quod Rex potest aliquando vel ipse facere, vel aliis concedere monopolium circa aliquas merces. Respondeo primò aliquos hæc monopolia absolute tanquam illicitè damnare. Ita Caietanus in 2. 2. quest. 77. art. 1. Sotus de iustit. lib. 6. quest. 3. art. 2. Syluester verb. emptio, quest. 28. Conradus de contractib. disput. 5.1. propè finem. Rebellius part. 2. lib. 9. quest. 7. numer. 5. Layman lib. 3. tract. 4. cap. 17. §. 7. num. 42. & alij. Respondeo secundò. Monopolia magis probabiliter aliquos concedere, si iustum pretium vendendis mercibus imponatur, vt tenet Ioannes Vigers de iustit. in 2. 2. tract. 5. cap. 5. dub. 1.1. num. 63. Bonacina de contractib. disput. 3. quest. 2. punct. 5. num. 9. & alij: sed hoc tamen non admittunt in mercibus vsu frequentibus, vt est in casu nostro: & maximè ego addo, quando ex illis onus imponeretur Clericis cum violatione Ecclesiasticæ immunitatis, vt accidit ex charta signata. Ergo, &c. Adde quòd non bene assertur ab Aduersariis exemplum chartarum picarum, piperis, &c. quia has merces nemo cogitur emere, vt obseruat Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 1. num. 149. Re-

ginaldus in praxi tom. 2. lib. 25. cap. 22. n. 327. & alij: & ideo nemo grauetur ex earum pretio, nisi qui sponte vult: quod quidem non accidit in casu papyri signati, cuius emptio, omnibus tam necessaria est. Ergo, &c.

Ad quartum Argumentum. Quod in aliquibus locis Clerici soluunt ius tractæ, quando extrahunt à portu aliquas merces. Respondeo talem consuetudinem improbandam esse, sicut illà improbat Ciarlinius in controuersis forensibus cap. 31. num. 15. & 16. nominatim refellens Carolum de Grassis, quia Clerici non tenentur, vt dictum est supra, soluere gabellas. Et licet Portus sint de Regalibus, tamen id quod imponitur ratione extractionis alicuius mercis à portu gabellam esse, supra etiam probatum est: & ideo illam Clerici soluere non tenentur, vt præter Ciarlinium docet etiam Sousa in Bullam Cæna cap. 19. disput. 92. concl. 1. num. 4. & Laurentius Orofius in sù Piña de Rosas lib. 4. cap. 2. fol. mihi 380. & alij. Ergo, &c.

Nota tamen quòd post hæc scripta peruenit ad manus meas erudita Commentaria Sapientissimi Patris Magistri Arauyo ex inclita Religione Dominicana Doctoris Hispani, & sacre Theologiæ Professoris in celebri Academia Salmaticensi, qui in 1. 2. D. Thoma quest. 97. disput. 3. sect. 5. latè, & solidè, vt solet, probat nostram sententiam firmans ex multis aliis rationibus Pragmaticam vulgò dictam, *Papel Sellado*, esse contra immunitatem Ecclesiasticam, adi illum, & non pigebit.

An liceat Principibus Legatos eorumque famulos atrociora scelera perpetrantes sine violatione iuris gentium, condigna reuisione punire?

R E S O L. I I.

Negatiuam sententiam docent aliqui, quam conantur probare ratione & exemplis; Quia vt obseruat Franciscus le Vayer Doctor Gallus de legatione cap. 4. vnicuique norum est, Legatum siue inter suos, siue inter externos, ipsaque hostium tela, sacrosanctum inuiolabilemque esse, vt qui eum percusserit, pulsauerit, vel etiam verbo offenderit (quod etiam non solum de eius persona sed de nota eius familia vniuersòque comitatu dictum velim) iuris gentium, omniàque Societatis humanæ iura violasse videatur. Et ideo Vgo Grotius de iure belli lib. 2. cap. 18. num. 3. & Kirchenerus lib. 2. cap. 2. docent Legatum etiam contra Rempubliam molientem nefas esse puniri

&c.

& Romanos hoc olim fecisse ex multis exemplis comprobatur.

Sed ego contrariæ sententiæ prorsus ad hærendum esse putò. Asserto igitur, quòd licet Legati diuino & humano præsidio vallentur, vt asserit Tullius oratione 3. in Ferrem, & obseruat Reinholdus condit. de fide Politica lib. 2. cap. 13. Paulus Buius de Republica lib. 3. cap. 6. numer. 1. Alexander ab Alexandro Genialium dierum lib. 5. ap. 3. & ibi Tiraquellus in Annotat. littera T. Tholofanus de Republica lib. 11. cap. 10. num. 14. eorumque ius sanctum, & inuiolatum iure gentium habitum sit, vt ex Theologis docet Bannez in 2. 2. D. Thoma quest. 57. art. 3. & Arauyo in 1. 2. quest. 92. disp. 1. sect. 6. difficult. 3. numer. 15. quòd quidem ferè omnia veterum monumenta testantur. Vnde in leg. 17. ff. de legionibus. sic habetur si quis Legatum pulsaret, contra ius gentium id commissum esse existimatur: quia sancti habentur Legati, id est inuiolabiles vt ait Glossa. Et ideò in signum securitatis olim portabát sagminaherbas, vt patet in leg. 8. §. 1. de rer. diuis. Tamen ex his non sequitur impunè atrociora crimina committere: neque Principes apud quos degunt, si velint, non posse illos debita animaduersione punire: aliter eorum immunitas & licentiam delinquendi aperiret, & atrocium turpitudini pareret.

Si igitur Legati facinora atrociora commiserint, vti que Principes non tenentur illos liberos & impunitos dimittere. Sic Phileas Tarentinus cum Romæ legatione fungeretur, ad obsides Tarentinos aditum sibi inuenit, & corruptis duobus æditibus, custodia eduxit, & comes itineris factus cum ipsis vnà aufugit, vnde ab itinere cum illis retractus & in comitium deductus, virgis populo probante cæsus & de saxo eiectus est. Ita Liuius lib. 15. Sic Alexander Legatos Persicos iugulauit, quòd filias Amyntæ ad concubitum flagitassent. Ita Iustinus lib. 7. Sic Marcus Antonius Augusti Legatum, quòd liberius cum Cleopatra egisset, verberibus nudum cædi iussit. Ita Vvaferticus in oratione funebri Stephani Regis Poloniae. Sic Basilius Moschouitarum Rex clauo pileum capiti cuiusdam Legati affigi iussit, quòd rusticè caput texisset. Ita Sigismundus Barfius in Histor. Moschouit. Sic etiam ob iniurias verbales Alexander Seuerus Legatos Parthorum in Phrigiam relegauit. Ita Herodianus lib. 6. Sic Stephanus Velachia Præfectus ex simili causâ Legatos Fraccopi Tartarorum Principis ad necem damnauit. Ita Bodinus de Republica lib. 5. cap. 6. numer. 619. Et passim plura occurrunt exempla, quæ congerit Kochier de Legato cap. 42. vbi inter alia apponit illud Oratoris Francisci I. Galliarum Regis, qui Mediolani propter homicidium capi-

te plexus est. Et ideò Philippus II. Hispaniarum Rex in famulos Legati Venetorum capitis & fustigationis sententiam tulit, licet eos postea liberauerit: scribens ad omnes Principes se nolle Legatos suos immunitate muneris sanctiores esse, quin Legibus eorum Regni conueniri, & condemnari possint, si quando facinus quodpiam ab officio, aut mandato sibi imposito alienum commississent. Ita Franciscus Marsfelder de Legato lib. 2. dissert. 13. Vnde retetè, quicquid garriant aliqui, Theòdatus ad Oratores Bizantinos, teste Procopio lib. 1. de Bell. Goth. respondit ius gentium tandiu Legatis seruandum esse, quoad ipsi iure Legationis abusi non fuerint: nam dignitas, & officium eos minimè tueri debet, qui illo abutuntur, vt habetur in leg. iudices Cod. de dignitatibus & leg. quoties eodem titulo. Et ideò eleganter Fabius in Declamat. 12. sic ait. Sed Legatus fuit: quid tamen ipsum? quid est aliud quàm rem tractare? Rem autem qui malè agit, vt arbitror lædit, An existimas hanc Legatis dari peccandi licentiam, vt quæcumque scelera in eo commiserint officio cum his omnibus hac vna lege decidant: ò nimiam inuidendam huius legationis conditionem, si tibi legem remisit? Ita ille.

Dicendum est itaque aliud esse Legatum violare: aliud Legatum, & eius famulos propter delicta punire: nam hoc vltimum secundum iura procedit: primum verò iniuriæ est. Non ergo vltimum, sed primum leges iuris gentium circa Legatos improbarunt. Et quidem ipse prius qui læsit gentium iura indignus est, vt ipsi seruetur iuris gentium fides: nam priuilegium amittit qui concessa sibi abutitur potestate, nec debet inde nasci occasio iniuriarum vnde iura nascuntur. Nec obstat quòd Legatus non subit ei ad quem est Legatus, quòdque personam Domini sui repræsentat, ideòque crimen Maiestatis non committit. Nam rectè responder Besoldus vbi infra numer. 20. quòd quis sortitur forum in loco delicti, & etiam hospes, Peregrinus, subditus eius est in cuius territorio versatur ex leg. 3. ff. de officio præs. Et ideò plures opinantur hoc sancitum inueniri in leg. non alias 24. ff. de iudiciis, & in leg. consessisse 2. eod. titulo, vbi Glossa ex textu docet, & obseruat. Quòd si Legati in Legatione ipsi vel eorum serui deliquerint, Romæ tenebuntur iudicium pati. Et licet aliqui conentur probare dictam leg. loqui tantum de Legatis Prouincialibus, tamen Albericum Gentilem lib. 2. de legato cap. 10. Reinhardum in Theatro Politico part. 2. c. 40. n. 4. Christophorum Besoldum in Dissertatione Politico-Iuridica de Legatis cap. 5. numer. 19. & Vayer de Legatione cap. 9. dictam legem non aliam, etiam ad Legatos, de quibus loquimur

exten

extendisse obseruo. Sed ne careat nostra sententia auctoritate Doctorum, scias illam docere Adamum Contzen in *Politica lib. 7. cap. 36. §. 5.* cuius verba hinc approbare grauior: sic enim asserit. Mihi sane non videtur ius gentium Legato licentiam scelerum permittere, aut iniuria affectis defensionem auferre. Iudex Legati non est Princeps læsi; at nec princeps Legati est Princeps læsi; Causa tamen est, cur meus Princeps Legatum puniat: non est causa, cur ad exterum Principem accusaturus ablegat. Legatus in loco delicti iudicatur, ego nullo meo merito ad extera tribunalia cogi non debeo. Iuris naturalis est, ut latro, fur, incendiarius ab eo Principe puniatur, cuius subditos vexauit. Latrocinia, furta, adulteria ex iure gentium pœnas habent constitutas: nulla enim gens tam barbara est, quæ non illis criminibus ultionem lege irrogauit. Legatus igitur ex iure gentium pœnam meretur: ille verò, cuius domum expilauit, uxorem violauit, nullo iure cogi potest, ut malefactorem Bizantij, aut alibi accuset: nec enim itineris longitudo, nec sumptus, nec iudiciorum ratio illud permittit: iure merito igitur Legatus iudicatur in loco, quo peccasse cognoscitur. Quòd si seditionem, tumultum, prodicionem molitus sit, iam ius gentium prior ipse violauit, & iure punitur: stolidum enim esset ad suum Principem illum remittere, à quo facinorum non licentiam modò, sed etiam mandata habuit, quique præmia potius daturus est. Ius autem gentium Legationi innoxie tantum modò patrociniatur. Hucusque Adamus Contzen: cuius sententiam ante illum docuerunt Arumæus in *Decisionib. Academ. de iure publico volum. 2. discurs. 21. numer. 48.* & in *Auream Bullam Discurs. 1. thes. 2.* Brunus de *Legato lib. 4. cap. 4.* & Christianus in *Collegio Politico exercit. 11. numer. 43.* quorum verba infra referam. Idem etiam docent Reinhardus *ubi supra in Theatro Politico part. 2. cap. 40. per totum*, Geronius de *Legato lib. 3. cap. 3.* Paschalius de *Legato cap. 74. & 75.* Kochier de *Legato. c. 42.* Farinacius *quest. 112. numer. 174.* & Decianus *volum. 2. lib. 7. cap. 5. numer. 27.*

Atque ex his patet responsio ad ea, quæ pro contraria sententia superius adducta sunt. Et primò ad auctoritatem Vayer, nempe inuiolatum esse debere ius Legationis, non solum humano præsidio munitum, sed etiam diuino vallatum. Respondeo concedendo Legatos & eorum famulos iure gentium minimè violandos esse. Vnde sic facientes in crimen læsæ maiestatis inciderent: ut ex pluribus probat Lusitanus Cabedo *par. 2. decis. 116. numer. 2.* & hanc esse iustam causam indicendi bellum tradit Coninch in *2. disput. 31. dub. 2. n. 24.* & communiter Theologi. Vnde Dauid. *2. Re-*

gum. 10. ob violatos suos Legatos bellum intulit Ammonitis, & Legatorum iniuriæ fuerunt à Romanis bello Tarentino, Illyrico, Corinthio, & Mithridatico vindicatæ. Non tamen sequitur ex his Legatos propter delicta perpetrata nõ posse puniri hoc enim toto cælo differt ab alio; cum puniatio criminis alicuius Legati implicet ut dici possit eius violatio: nam ista lædit iustitiam, illa verò colit & exequitur. Nec aliter sensisse Vayer dicendum est: nam ipse postea in *cap. 9.* loquens cum Legato, ne famulos seditiosos secum gerat, citatam *leg. non alias ff. de iudiciis* adducit: ex qua asserit famulos Legatorum, si deliquerint, dominio Principis teneri. Stant igitur Doctores Galli pro nostra sententia.

De auctoritate verò Grosij & Kirchneri nihil curandum est, cum sit contra rationem & iura: & aduersus illos ex eisdem castris Comilitones opponam, ut clauo clauum retundam. Audiamus igitur Dominicum Arumæum in *Discursib. Academic. de iure publico volum. 2. discurs. 21. n. 48.* vbi sic asserit. Ius autem non violandorum Legatorum tandiu seruandum est, quoad ius Legationis, honestatèque seruauerint. Hoc neglecto negligitur & illud, & per consequens non minus ob meritam causam, quàm huius muneris expertes plectentur. Reatus siquidem omnem dignitatem excludit *leg. 1. Cod. vbi Senatores, vel Clarissimi.* Hinc suo merito Regum Oratores quandoque ultimo supplicio affecti iudicantur. A ianua ergo aberrant illi, qui ab omni pœnæ metu, & supplicio Legatos eximunt, nec facile ob iniuriam illatam teneri volunt, ut ipsorum priuilegiis, securitati & iuri gentium compedes iniiciant. Quasi verò huiusmodi licentiam ius gentium violandi extenderent in perniciem ciuium, tum ipsius Principis, ad quem fuere missi. Hucusque Arumæus sed non desinam etiam hinc apponere verba Christiani in *Collegio Politico Exercit. 11. numer. 43.* vbi postquam enumerasset Priuilegia, & leges gentium asserentes Legatos inuiolatos esse debere, ita subdit. Verum ne istis priuilegiis abutantur Legati, sedulo curare debent, ut modestiæ studeant, & intra limites se contineant: aliàs si sua culpa in periculum incurrant, frustra immunitates prætenderent: istæ enim tantum competunt illis, qui officio Legatorum probè defunguntur. Sic ille. Qui etiam paulò post in *quest. 10.* mordicus firmatum Legatum omninò puniri posse, si delictum commiserit, quod à iure gentium improberetur, vel puniatur. Et tandem ad exempla Romanorum, & aliorum quæ in contrarium adducta sunt Respondeo Legatos illos facinorosos liberos fuisse dimissos, non ex defectu legitimæ potestatis, sed ex defectu voluntatis: ut rectè obseruant

Christo

Christophorus Bofoldus in *Differ. Politico-Iuridica de Legatis cap. 5. num. 19.* Reinhardus in *Theatro Politico part. 2. cap. 40. num. 20.* Arumæus ad *auream Bullam, discurs. 1. conclus. 1.* & de *iure publico, vol. 1. discurs. 29. conclus. 12.* Poterant igitur in rigore Romani & alij sine violatione iuris gentium Legatos eorumque famulos punire, noluerunt verò ex rationibus tunc eis benè visis. Non valet igitur hoc argumentum. Aliqui Principes noluerunt ipsi punire Legatos, vel eorum famulos delinquentes: ergo non poterant: quia aliquando licet multa liceant, tamen nec illa fieri quis vult, nec aliquando ratione circumstantiarum expedit.

Verum omnia supradicta admittenda sunt in Legatis Principum secularium; Nam Nuncij & Legati Summi Pontificis, non solum ipsi, de quo nulla apud Catholicos oriri potest dubitatio: sed etiam eorum famuli Laici per Sacros Canones, & per oracula Pontificia Pauli V. & Vrbanus VII. nunc feliciter regnantis à sæculari potestate ex alio capite exempti sunt. Ut ego satis firmaui supra in Disceptatione Apologetica contra Moscosum. Vnde nescio quo pacto potuerit, teste Octauiano Maggio de *Legato lib. 1. cap. 1.* quidam Rex Clementis V. Pontificis Maximi Legatum carceribus mancipare, qui erat ad eum missus, Christianum ut Regem ad arma in Turcas vocaret, Dicendum est igitur processisse de facto, & non de iure. Nota tamen quòd post hæc scripta, & Romæ cum multis communicata, nosser P. Pasqualigus edidit suas Decisiones Morales & in *Decisione 508.* per totam omnia supradicta latè confirmat cum Doctoribus à me superius citatis, quibus nunc addo iterum Christophorum Bofoldum in *Politica lib. 1. cap. 11. numer. 30.* & de *iure Ordinibusque ciuium Differ. 2. cap. 7. n. 5.* Bechtium de *securitate, & saluo conductu Thef. 181. 183.* & Hotomannum de *Legato c. 4. numer. 3.* Paschalius de *Legato c. 74. & sequent.* Kirchnerum de *Legato lib. 2. cap. 1.* Keckermannum *disput. Pract. 33. problem. 11. & sequent.* & alios penes ipsos.

An offendens Cursorem, seu alium Ministrum Episcopi non in executione Officij sui, sed ex odio vel inimicitia priuata, sit puniendus ab Ecclesiastico, vel à Iudice seculari?

RESOL. III.

Casus in facti contingentia nouissimè accidit, de quo magnam controuersiam scio extitisse, quid ego sentiam more meo bre-

uiter exponam; Dico igitur, tale delictum priuatiuè ad Ecclesiasticum spectare posse suaderi, quia iurisdictioni Iudicis habentis personam subiectam, delinquens in illam, subiicitur, vnde parum refert si persona subiecta offendatur intuitu officij, vel ex odio priuato. Ergo, &c.

Sed ego de hoc casu interrogatus ab eruditissimo & nunquam satis laudato Domino meo Merlino Sacræ Rotæ Decano libenter eius voto mihi exhibito tunc adhæsi; & ideo assero hoc delictum ut supra expositum, esse delictum mixti fori, ita ut si iudex Laicus præueniat, non posse iudicem Ecclesiasticum illum inhibere. Probatur hæc opinio reiiciendo argumenta superius posita: Et primò: Quia offendens vel iniurians Clericum, quem certum est esse personam subiectam Iudici Ecclesiastico, magis quàm officialem Curie Episcopalis, tamen hoc non obstante potest puniri à Iudice Laico, si præueniat. Ergo à fortiori offendens Officialem Episcopi, licet sit persona Episcopo subiecta puniri potest à Iudice Laico, sicuti ut dictum est puniret offendentem Clericum.

Nec valet dicere antecedens esse falsum, nam Glossa in *Authent. Item nulla Cod. de Episcop. verb. ab Ecclesia* Bartolus in *leg. 1. numer. 144. Cod. de Summa Trinit.* Marauta in *speculo parte 6. numer. 141.* & alij asserunt, in tali casu punitionem offendentis Clericum, ad solum Iudicem Ecclesiasticum pertinere. Non inquam valet hoc dicere; nam bene perspecta generalitate textus in *cap. 1. de foro competen.* dicendum est tale crimen esse mixti fori, ut rectè obseruat inter alios Hispanus Valboa de Margrouejo in *Lectionibus Salmaticensibus super dict. cap. §. 4. numer. 34.* Martha de *Iuris. part. 2. cap. 27. numer. 6.* & alij, quos citat & sequitur Chartarius *Devis. 6. criminali numer. 2.* Non est igitur admittendum argumentum contrarium, videlicet persona officialis Episcopi est ei subiecta; ergo illam offendens non potest puniri à Iudice Laico, sed subiicitur iurisdictioni Episcopi priuatiuè; nam Clericus est persona etiam Episcopo subiecta, & tamen ut dictum est, si à Laico offendatur, potest Laicus à seculari iudice puniri, si præueniat.

Probatur secundò nostra sententia, quia est dispar ratio quando quis offendit officialem Episcopi in executione sui officij, & quando hoc facit ex odio & priuata inimicitia; & ideo in primo casu concedo cognitionem talis delicti priuatiuè spectare ad Iudicem Ecclesiasticum, non autem in secundo casu. Adesse verò magnam differentiam inter vtrumque casum, confirmatur variis exemplis. Et primò, in offendente Consiliarium Principis, qui licet

Z incurrat

incurrat in crimen læsæ maiestatis, vt tradit Rolandus *consil.* 88. *numer.* 2. *lib.* 2. Decianus *consil.* 18. *numer.* 3. *vol.* 1. Peregrinus *de Iure fisci lib.* 4. *tit.* 5. *numer.* 27. & Doctores communiter in *leg. quisquis Cod. ad leg. Jul.* Tamen hoc intelligendum est, si intuitu & contemplatione Officij illum offendat: fecus autem si hoc fiat ex odio, & inimicitia particulari, vt optimè obseruat Fabius *de Anna consil.* 67. *num.* 2. *vol.* 1. Hondedus *consil.* 105. & 108. *lib.* 1. Capicius *Decis.* 130. Sforza Oddus *consil.* 88. & alij. Et ideo notat Vincentius de Franchis *Decis.* 326. Caballus *resolut. crim. cas.* 148. *num.* 5. Rouius in *Prag. de Exulibus num.* 4. quod Indultum excipiens offensam factam in personam Officialis, locum sibi vendicat, si talis offensa proueniat intuitu, & contemplatione officij, non autem si facta fuerit ex odio & inimicitia priuata. Secundò offendens Ministros S. Officij non intuitu ipsius & in executione officij, sed ex odio particulari non includitur in pœnis Bullæ Pij V. *Si de protegendis*, vt optimè docet Catena in *tract. de modo procedendi in S. Officio tit.* 10. §. 6. *num.* 23. Et tandem tertio Bulla Cœnæ non afficit eos qui ad Romanam Curiam veniunt, si illos offendant, non vt venientes ad Apostolicam Sedem, sed vt inimicos particulares. Ita Duardus in *Bull. Cœnæ lib.* 2. *cap.* 9. *quest.* 32. & alij communiter. Sic igitur in casu nostro necessariò constituenda est differentia inter casum quando Minister Episcopi offenditur vt talis & intuitu, & executione officij; & quando offenditur vt persona particularis ex odio priuato; nam in isto casu læditur tantùm persona ipsius passii; In primo verò non solum læditur persona offensis, sed etiam iurisdictionio personæ cuius ipse Minister est, & ordinem exercet. Ergo rectè priuatiuè in hoc secundo casu punitio delinquentis spectat ad Iudicem Ecclesiasticum, cuius auctoritas, dignitas, & iurisdictionio læsa remansit. Vnde hîc intrat Regula, quod turbans Iurisdictionem Iudicis, punitur ab illo iudice cuius iurisdictionio turbata est, etiam si alius esset iudex incompetens, quantò magis & in casu nostro. Ita Menochius *consil.* 230. *num.* 82. & sequent. *lib.* 2. Eugenius *consil.* 31. & alij. Ideo dicendum est non procedere argumenta contraria superius adducta quæ quidem admittimus in casu, quo iudex Ecclesiasticus inciperet iudicium contra offendentem suum officialem ex inimicitia priuata, nam vt dictum est tale delictum est mixti fori, vnde si iudex Ecclesiasticus proueniat, iudex Laicus non potest amplius se intromittere; pro quo mirificè facit Glossa, perpetuò menti tenenda, in *cap.* 1. *de penis in 6.* vbi asserit, Episcopum posse punire iniuriantes propriam familiam etiam quod iurisdictionem non impediunt, & in ter-

minis huius casus iustè contra Laicum processit Sperellus tanquam Episcopi Vicarius vt patet in suis eruditis Decisionibus *Decis.* 86.

Scio virum doctum, & mihi amicissimum huic sententiæ non adhærere, mordicè asserentem in tali casu cognitionem talis criminis priuatiuè spectare ad iudicem Ecclesiasticum; sed vt dixi saluo meliori iudicio ego puto esse casum mixti fori; neque in hoc existimo parum fauere Ecclesiasticæ libertati; nam Segura Dauolos in *Direct. Iudicium Eccles. part.* 2. *cap.* 6. *num.* 10. docet quod iudex Ecclesiasticus est iudex competens, si iniuria illata sit eius familiæ tanquam officiali, fecus autem si illata fuerit tanquam priuatæ personæ; & Chartarius *Decis. Crim.* 96. *num.* 30. & 33. & 34. asserit Laicos offendentes executores Curie Episcopalis etiam in exercitio officij posse puniri à iudice Laico si proueniat; vnde putat talem casum esse mixti fori contra Farinacium *consil.* 134. *num.* 3. Sed Segura prorsus est refellendus; & ego puto contra Chartarium cum Farinacio, & Domino meo Merlino cognitionem in hoc casu spectare priuatiuè ad iudicem Ecclesiasticum, ex rationibus superius adductis.

An statutum, ne extrahatur vel introducatur in Civitate vinum, frumentum, &c. comprehendat Clericos?

R E S O L. IV.

Affirmatiuam sententiam docet Ioannes Ruiz de Laguna vir quidem doctus, & supremi Consilij Italiæ Fiscus, in Allegatione lingua Hispanica conscripta, & edita Matriti die 16. Maij anno 1638. qui in *art.* 2. *num.* 52. nominatim contra me negatiuam sententiam renentem inuehitur. [Como, ait ille, en todas las demas cosas, que tocan a la iurisdiction secular.] Sed in hoc puto me rectè gessisse: nam in conflictu opinionum illa est amplectenda, quæ fauet Ecclesiæ, vt optimè obseruant Doctores in superioribus Disceptationibus adductis, & docet nouissimè Caspensis in cursu Theologico *tract.* 11. *disput.* 4. *sect.* 3. *num.* 15. & ante illum omnino videndus Boëtius Epo in *questionibus Heroicis lib.* 3. *commen.* in *cap.* 4. *non minus num.* 38. & 39.

Sed ad quæsitum deueniendo ipse Laguna adhæreret affirmatiuæ sententiæ: quia hæc statuta respiciunt vtilitatem & bonum publicum Ciuitatis; & Clerici sunt pars populi, & veniunt appellatione Ciuium. Ergo, &c. Ego verò iterum opinionem negatiuam teneo, quam præter Doctores, quos citavi *part.* 1. *tract.* 2. *in resolut.* 69. & 70. tenet etiam inter Neotericos Iurifcon

Iurifconsultos Hispanos doctus Ioannes Beltran de Guevara in *propugnaculo libertatis Ecclesiasticæ, assert.* 1. §. 3. *numer.* 11. Sperellus *decis.* 12. *num.* 45. Carpanus *ad statuta Mediolanens. in Præludio numer.* 183. Montanarus in *Pragmaticis, de Administratione Ciuitatis, numero* 86. & 87. Genuensis in *praxi cap.* 74. *n.* 4. & nouissimè me citato Ciarlinius in *controuers. forensib. lib.* 1. *cap.* 31. *per totum.*

Verùm pro firmanda nostra sententia certum est statuta Laicorum non comprehendere Clericos: quia in ipsis deficit vnum ex requisitis ad ferendas leges validas, quæ explicat S. Thomas 1. 2. *quest.* 96. *art.* 4. quem refert & sequitur Felinus in *cap. Ecclesia Sancta Maria num.* 39. *de constitutionib.* Videlicet, vt ordinetur ad bonum commune, quod feratur secundum æqualitatem proportionis; & præcipuè quòd in Legislatore sit auctoritas: ita vt lex non excedat potestatem ferentis; nec immeritò, quoniam in vnoquoque actu ad illius validitatem necessaria est legitima potestas, *cap. cum super de offic. deleg. l. cum te*, vbi Baldus *num.* 2. *Cod. de donation. ante nupt.* Decius *consilio* 198. *n.* 3. & potestatis defectus semper & indistinctè nullitatem producit. Abbas in *cap. final. num.* 3. *de rebus Eccles. non alienan.* Decius in *cap. Ecclesia S. Maria num.* 89. & 90. *de constitut.* Barbatia *consil.* 14. *num.* 2. *lib.* 1. Socinus *conlio* 56. *num.* 1. *lib.* 1. Surdus *consil.* 2. *numer.* 33. *lib.* 1. & *consil.* 301. *num.* 15. & 16. *lib.* 3. Quæ tamen potestas in Ecclesias & Ecclesiasticas personas Laicis non est attributa *cap. benè quidem* 96. *distinct. cap. Laicis* 16. *quest.* 7. *cap. Ecclesia Sancta Maria, de constitut. c. cum Laicis, de rebus Eccles. non alien. vt ibi notat Hostiensis num.* 10. Panormit. *num.* 5. & Franciscus Cardinalis Zabarella in *cap. perpendimus num.* 13. *vers. his attentis de sentent. excommunicat.* & Barbatia in *rubr. de reb. Eccles. non alienan.* Socinus *consil.* 14. *num.* 1. & *consil.* 71. *numer.* 10. & *num.* 23. *lib.* 4. Iacobus Mandellus *lib.* 1. *consil.* 8. *num.* 8. Et cum statuere sit actus iurisdictionis, Bartolus in *leg. omnes populi num.* 3. *ff. de iustit. & iur.* vbi Iason *n.* 22. & Romanus *consil.* 218. *num.* 2. & alij. Ergo, &c.

Vnde ex his inferunt Doctores: quòd quando statutum est generale prohibens alienationem immobilium indistinctè in non subditos nulla facta mentione de Ecclesia, vel Ecclesiasticis personis; in quibus terminis licet respectu Laicorum sit validum iuxta communem opinionem, de qua testatur Albericus *tract. de statut. part.* 2. *quest.* 2. *num.* 10. & Curtius Senior *consil.* 27. *num.* 8. & Iason in *dicto S. Diui in 2. lectura num.* 106. & ibi Ripa *num.* 74. nihilominus tale statutum generale non comprehendit Ecclesias, neque Ecclesiasticas personas ex defectu potestatis & voluntatis, quæ à potestate

regulatur; & si eas statuentes intenderent comprehendere, esset omninò inualidum iuxta veriore, magisque receptam sententiam, quam profitentur Canonistæ in *cap. final. de immunit. Eccles. lib.* 6. vbi Ioannes Andreas *num.* 1. & sequent. *vers. vidi dubitari, & Andræranus num.* 1. & Geminianus *numer.* 1. & 3. & Francus *num.* 2. Antonius de Butrio in *cap. tua nuper per illum textum numer.* 3. & 4. *de decim. Panormitanus in cap. à nobis il primo, numer.* 4. & 5. & ibi Marianus Socinus *num.* 7. *de sentent. excommunicat.* & idem Panormitan. in *cap. relatum il primo numer.* 5. *de testam.* Felinus in *cap. Ecclesia S. Maria, quest.* 9. *n.* 89. vbi de communi, de constitut. Quam sententiam professus fuit olim Oldradus, quem refert & sequitur Bartolus in *dicta leg. filius familias, S. Diui, num.* 11. & 12. *ff. de legat. 1.* & Crotus *numer.* 80. & Ripa *num.* 81. *vers. secunda conclusio*: vbi affirmavit hanc esse communem opinionem tam Legistarum quàm Canonistarum. Iason in *dicto S. Diui in prima lectura, num.* 72. vbi dicit eam tenere Albericum, Angelum, Florianum, Imolam, Raphaëlem, & Alexandrum; & sic neminem scribentium discrepare à sententia Bartoli. Et idem Iason ibidem *num.* 82. addit iudicando & consulendo tenendam esse Bartoli sententiã, quam etiam tuetur & communem asserit Ruinus à *numer.* 92. *vsque ad numer.* 95. Crotus *num.* 80. Ripa *num.* 81. Marianus Socinus *num.* 166. & idem videtur sentire Ambrosius de Opizonibus dicens sanctius esse tenere hanc partem. Idem Bartolus in *leg. final. n.* 18. *Cod. de sacrosanct. Eccles.* Ioannes Baptista de Sancto Seuerino, in *leg. omnes populi, numer.* 98. *vers. ex predictis ff. de iustit. & iur.* Ioannes de Platea in *leg. in his num.* 1. *vers. nota Cod. de pred. & reb. nauicular. lib.* 11. Albericus de Rosate *tract. de statut. part.* 2. *quest.* 2. *numer.* 5. & 7. & sequentib. Cassaneus in *consuetud. Burgund. Rub.* 9. §. 10. *numer.* 49. Bertachinus *de Episcop. part.* 4. *lib.* 4. *quest.* 45. *num.* 147. Julius Clarus in *pract. criminal. quest.* 82. §. *statutum 5. numer.* 2. *vers. Sed quero.* Fabianus de Monte *tract. de empt. & vendit. quest.* 3. *princip. numer.* 45. *vers. Sed non valeret.* Petrus Iacobus in *pract. in Rubr. de successione Regni Francie fol.* 77. *pag.* 2. *col. in principio, vers. ad primum dico.* Angelus *consil.* 48. *numer.* 3. Paulus de Castro *consil.* 89. *num.* 1. *lib.* 2. Curtius Senior *consil.* 62. *numer.* 7. *vers. non obstat statutum Mediolani.* Idem *consilio* 72. *numer.* 13. *vers. secundò respondeo.* Marianus Socinus *consil.* 76. *numer.* 30. *lib.* 3. dicens in dubio non esse recedendum ab opinione Bartoli & communi. Hippolytus Riminaldus *consilio* 15. *num.* 85. *lib.* 1. latè Mandellus *consil.* 8. *lib.* 1. Euerardus *consil.* 30. *num.* 16. & *consil.* 239. *num.* 18. & 19. Plotus *consil.* 19. *num.* 11. & 12. dicens etiam communem. Lapus *allegat.* 92.

Abbas *consil.* 27. *num.* 1. *lib.* 1. Cardinalis *consilio* 66. *numer.* 2. Calderinus *inter consilia Ancharani consil.* 12. idem Ancharanus *consil.* 155. Antonius de Butrio *consil.* 40. Nauarrus *consil.* 4. *numer.* 6. attestans quoque de communi, *tit. de constitut. lib.* 1. Surdus *consil.* 301. *numer.* 12. & sequent. & *num.* 70. *lib.* 3. & alij penes ipsos, quibus etiam adde Doctores quos nouissimè citat & sequitur Ciriacus *in controuers. forens. lib.* 3. *contr.* 530. *num.* 38.

Huius autem sententiæ firma & constans ratio est; quia dispositio statuti generalis non trahitur ad ea, quæ non possunt fieri in specie. Ioannes Monachus *in cap. vt animarum, numero 2. vers.* & est ratio de *constitut. lib.* 6. Crocus *in dicto §. Diui num.* 80. quoniam generalis dispositio non comprehendit quæ specialiter non venient. *leg. obligatione generali. ff. de pignor. nec sub generalitate verborum venit illicitum leg. si pater ff. de his que in fraud. credit. cap. veniens de iureiuran. nec venit iniustum. cap. super quibusdam in fin. de verbor. signification. Vnde Baldus in cap. cum venissent num.* 6. de eo, qui mittitur in possessionem; affirmavit statutum laicorum siue actiuum, siue passiuum non includere Clericos: quia si generaliter disposuit, non faciens mentionem expressam de Clericis, debet intelligi secundum ius: si verò eos exprimit, etsi verbis eos comprehendat, non potest tamen reipsa: idem Baldus *consilio* 300. *num.* 4. *lib.* 1. clariùs loquutus concludit statutum generale Laicorum non comprehendere Clericos, tam ex defectu potestatis quàm voluntatis: quia cum hoc sit impossibile statuentibus, non debet ad id eorum voluntas extendi; cum impossibilium nulla sit dispositio. *leg. confessionibus ff. de interrogat. actionib. tum quia nemo videtur manum imponere ad sibi illicita & impossibilia. leg. miles §. ream, vbi Angelus ff. ad leg. Iuliam de adulter. & Ancharanus in Repetitione cap. 1. num.* 29. de *constitut. tum quia in dubio præsumitur voluisse in sua dispositione comprehendere ea, de quibus expressè disponere non potest. leg. Lucius §. vltim. ff. ad Municipal. cap. à nobis il primo de sentent. excomm.*

Cum igitur ex omnibus supradictis satis probatum sit statuta Laicorum non comprehendere Clericos quoad vim coactiuam, vt nouissimè in specie determinauit Sacra Rota in Romana Donationis die 23. Iunij 1634. coram bon. men. Coccino; idcirco malè sententur aliqui posse Ministros Laicos tempore penuriæ compellere Clericos ad vendendum frumentum: sed hoc debet fieri; nisi periculum sit in mora, ab Episcopis: necessitas enim publica non præbet auctoritatem Laicis supra Clericos. Difficultas igitur est, si Clerici comprehendantur

in his statutis, saltem quoad vim directiuam.

Et respondeo negatiuè in casu statuti de quo loquimur: nam tunc statuta iata propter bonum publicum & publicam necessitatem ligant Clericos quoad vim directiuam: quando neque directè, neque indirectè lædunt immunitatē Ecclesiasticam. Aliter enim omnes Clerici quoad vim directiuam tenerentur ad omnes leges Iustiniani, & aliorum: nam semper leges pro communi bono, & publica necessitate editæ sunt, & sine hoc non essent leges iustæ. Et ita docet Salas *de legib. disput.* 14. *sect.* 8. *num.* 92. & 93. Baldellus *lib.* 5. *disput.* 33. *num.* 14. Bonacina *in Bull. Cæn. disput.* 1. *questione* 16. *sect.* 2. *punct.* 2. *numer.* 12. Aponte *in respons. super Censuras Pauli V. fol.* 15. Collegium Bononiense *in Respons. pro libert. Ecclesiast. numero* 24. Molina *de iustit. tom.* 1. *tract.* 2. *disputatione* 31. *num.* 15. Squillante *de Priuileg. Clericorum cap.* 7. *dub.* 3. *num.* 94. & alij afferentes Ecclesiasticos teneri ex vi directiuam ad seruandas leges Principum sæcularium; quoniam Ecclesiasticæ libertati aliquo modo non repugnant, neque sunt præiudiciales eorum immunitati. Vnde hæc propositio à multis Iuristis acclamata: Clerici tenentur obseruare leges propter bonum commune latas; non est vera absolute intellecta; sed intelligenda est, quando non violant eorum immunitatem.

Hoc igitur supposito sic argumentor. Leges latæ propter bonum publicum obligant Clericos quoad vim directiuam; quando immunitatem Ecclesiasticam non frangunt: sed statuta, ne extrahatur, vel introducatur annona in Ciuitate, lædunt immunitatem Ecclesiasticam: ergo quoad vim directiuam in illis non comprehenduntur Clerici. Probo minorem, videlicet, hæc statuta frangere immunitatem Clericorum. Nam statutum prohibens, vel præcipiens Clericis id quod eis nec diuino, nec humano iure prohibitum, vel præceptum est, violat immunitatem Ecclesiasticam vt docet Sousa *in Bull. Cæn. cap.* 16. *disput.* 84. *concl.* 3. Alderanus Mascardus *de Interpret. statut. conclus.* 1. *num.* 88. Fillucius *tom.* 1. *tract.* 16. c. 10. *num.* 270. §. Tertiò ea. Reginaldus *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 23. *numer.* 358. §. tenendum est tertiò. Duardus *in Bull. Cæn. lib.* 2. *can.* 15. *quest.* 19. *numer.* 1. Laderchius *consil.* 103. *numer.* 1. Annibaldus *in Addit. ad Mandellum lib.* 1. *consil.* 8. *lit.* H. Sayrus *de censur. lib.* 3. *cap.* 19. *num.* 9. §. Sic etiam. Bonacina *in Bull. Cæn. disp.* 1. q. 16. *sect.* 2. *punct.* 2. *num.* 51. & alij.

Sed neque de iure diuino, neque humano prohibetur Clericis vendere res suas vbiicumque voluerint; immò hoc est eis concessum, iura enim concedunt cuiilibet licere vendere & emere; nec illis impedimentum præstari posse,

posse, vt ex Sacra Rota notat Nouarius *de Grauaminib. vassall. tom.* 1. *grauiam.* 62. *num.* 2. & ex text. in *leg. libertas negociationis ff. de Iurepatron. & ex aliis iuribus & Doctoribus, quos affert & sequitur Montanarus in Pragmat. de Administr. Ciuit. num.* 87. & 88. Menochius *consil.* 626. *numer.* 14. *vol.* 7. Spellus *decis.* 12. *num.* 40. & *decis.* 13. *num.* 6. Ergo statutum prohibens Clericis extrahere vel introducere venditionis causa res suas, immunitatem Ecclesiasticam lædere dicendum est: prohibet enim illis, vt dictum est, id quod à nullo iure prohiberetur habent, immò concessum, nisi in peculiari & raro vsu, vt infra videbimus.

Confirmantur supradicta ex auctoritate aliorum Doctorum asserentium statuta Laicorum, quæ tollunt Clericis id quod de iure communi eis competit, esse contra libertatem Ecclesiasticam; vt patet ex text. in *cap. final. de immunit. Ecclesiast. lib.* 6. Vbi Bonifacius VIII. id derogationem libertatis Ecclesiasticæ esse declarauit statuta Laicorum prohibentia subditis suis; ne Prælati, aut Clerici, seu personis Ecclesiasticis quicquam vendant aut emanent aliquid ab eisdem. Cum enim isti contractus emptionis & venditionis liciti sint de iure communi, & vnicuique permitti; sicut etiam permittitur est vt homines alia obsequia mutuo sibi exhibeant, grauius læditur Ecclesiastica libertas, cum ista personis Ecclesiasticis interdicitur. Et tantò grauius est grauius, & præiudicium Ordini Clericali illatum, quantò difficilius tolluntur, quæ iure communi competunt, quàm quæ iure speciali. *Auth. de non alienan. reb. Eccles. §. quia non verisimile leg. eius milites. §. militaria missus ff. de milit. testament. Qua ratione motus hanc sententiam tenuit Felinus, in dicto cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, numer.* 69. *vers. tertia fuit opinio, de constitut. vbi Decius num.* 7. *vers. secundò quando auferuntur ea, post Antonium de Butrio, consultò dixit, magis esse contra libertatem Ecclesiasticam ea, quæ tollunt iuris communis beneficium; quàm quæ priuilegium auferunt. Baldus consil.* 300. *incip. statuto cauetur, num.* 4. *lib.* 1. Socinius *consil.* 56. *numer.* 2. *lib.* 1. Alciatus *consil.* 30. *incip. verb. statuti num.* 6. *lib.* 2. & alios pro hac sententia allegat Couarruias *in Regul. possess. part.* 2. §. 4. *num.* 8. *vers. Ex qua constitutione; vbi expendit textum in dicto cap. final. de immunit. Eccles. lib.* 6. Euerardus *consil.* 239. *incip. Ultra longè latè que deducta num.* 18. Mathæus de Afflictis *in constitut. Neapol. Rubr.* 21. *de success. in feud. n.* 4. Iason *in l. filius familias §. Diui, in prima lectura, num.* 74. *ff. de legat.* 1. Petrus Peckius *tract. de Amortizatione, c.* 6. *num.* 1. Grammaticus *decis.* 100. *num.* 13. Seraphinus *tractat. de priuileg. iurament. priuileg.* 77.

num. 23. Iacobus Mandellus *consil.* 8. *num.* 7. quorum doctrina Sacris Romanorum Pontificum Constitutionibus est conformis: nam Cælestinus III. *in cap. cum terra de elect.* in perniciem & grauiam Ecclesiasticæ libertatis esse dixit Electionem contra ordinem & dispositionem iuris communis celebratam. Similiter Alexander IV. *in cap. de immunitat. Eccles. in* 6. grauius arguit Magistratus seculares, qui libertatem & immunitatem Ecclesiasticam lædere ac minere molientes, Ecclesias & Ecclesiasticas personas coarctare nitentur, vt ratione bonorum, quæ acquisuerant, tributa persoluerent, vel bona acquisita extra manum suam ponerent. Ista enim expressè sunt contra Iuris communis regulas & receptas dispositiones. Quamobrem sic statuentes ipso iure sunt excommunicati, *dicto cap. final. de immunit. Eccles. lib.* 6. vt notant communiter Canonistæ, Ioannes Andreas *num.* 3. Ancharanus *num.* 1. Philippus Francus *ante n.* 1. & Geminianus *numer.* 4. quam excommunicationis sententiam contra talia statuta edentes iam antea tulerat Honorius IV. *in cap. nouerit §. item excommunicamus, & in cap. grauem de sentent. excommunic.*

Hanc etiam sententiam: nempe statuta, quæ tollunt Clericis id quod eis competit de iure communi, esse contra libertatem Ecclesiasticam, docet etiam Riminaldus, Alexander Maluasia, & Hondedeus: quos citat & sequitur Philippus Maynardus: *de priuileg. Eccles. part.* 1. *art.* 1. *num.* 24. quibus ego addo Chartarium *decis.* 46. *num.* 38. & *decis.* 54. *num.* 28. Castillum Sotomaiorem *tom.* 3. *de tertiis, cap.* 9. *num.* 6. Baldellum *lib.* 5. *quest.* 36. *numer.* 21. Kochier *in vindictis libertatis Ecclesiasticæ, part.* 2. *cap.* 11. *num.* 6. Et nouissimè hoc determinauit Sacra Rota Romana in vna Sulmonensi die 7. mensis Iunij anno 1627. coram Duran. *decis.* 91. *num.* 10. & 11. *tom.* 1. Et magis nouissimè in Hydruntina pecuniaria die 26. Iunij 1641. coram Domino meo Merlino, viro eruditissimo, nunquam satis laudato.

Hoc igitur supposito sic argumentor. Statuta, quæ Clericis auferunt aliquid, quod eis de iure communi conceditur, lædunt immunitatem: sed statuta, de quibus loquimur, tollunt Clericis id quod eis competit de iure communi; vt patet ex iuribus, quæ affert Nouarius *vbi supra, & Fabianus de Monte tract. de Empt. quest.* 3. *princip. num.* 1. Molfes. *in summa tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 5. *numer.* 47. & 119. & alij. Vnde Menochius *consil.* 626. *numer.* 14. *vol.* 7. & Sperellus *decis.* 12. *numer.* 41. afferunt de iure communi licitam esse transportationem rei propriæ ad omnia loca: & idem Sperellus *num.* 45. & Carpanus *ad statut. Mediolanens. in Præud. numer.* 583. hoc exemplificant, si denegaretur

introducitur v. g. vini nati extra territorium: quod non minus competit de iure communi, quam ipsa extractio. Et quidem libertas Ecclesiastica hoc Clericis præbet, vt habeant facultatem faciendi, quod eis placet, nisi lege prohibeatur: vt ex *lex. libert. ff. de stat. homin.* & docet in terminis Cochier de *libert. Ecclesiast. part. 2. cap. 11. numer. 6.* Gatticus in *Allegatione pro Ecclesia, fol. 218. §. tertio probatur.* Sperellus *decif. 12. numer. 42.* & Bonacina in *Bullam Cæmæ disput. 1. quest. 16. sect. 2. punct. 2. numer. 4.* & Reginaldus *tom. 1. lib. 9. cap. 23. numer. 358.* Ergo supradicta statuta esse contra libertatem Ecclesiasticam omnino dicendum erit.

Sed instabis aduersus hæc: quia ex doctrina superius adducta sequeretur Clericos neque vi directiua teneri non extrahere frumentum tempore necessitatis, quando in Ciuitate adesset magna penuria, & sic de aliis rebus concernentibus annonam. Respondeo, quod statuta respicientia extractionem vel introductionem annonæ aliquando concernunt tantum aliquorum vtilitatem; vt v. g. Statutum alicuius Ciuitatis, ne introducatur vinum ab exteris: respicit enim vtilitatem Dominorum vinearum in eius territorio existentium: & in hoc casu minimè dubitandum est Clericos in illo minimè inclusos esse: vt ego vbi supra adnotauit, & notat etiam in specie Alexander Sperellus *decif. 13. numer. 10.* Aliquando verò respiciunt publicam vtilitatem non solum in ordine ad abundantiam; sed in ordine ad necessitatem & penuriam annonæ: Et tunc docet Decianus *lib. 3. consil. 51. numer. 31.* tale statutum Clericos ligare; quando illa necessitas & penuria aliter euitari non potest, nisi etiam Ecclesiastici concurrant. Vnde in tali casu docet Martha *part. 4. art. 1. casu. 1. numer. 48. iuncto casu 2. numer. 5. & 10.* Ciurlius in *controuers. forensib. lib. 1. cap. 31. numer. 10.* & alij: quod Clerici tenentur obseruare illa statuta in subsidium *ext. in cap. non minus de immunit. Eccles. & c. 1. eod. tit. in 6.* cum Doctoribus communiter. Sed quid in tali casu faciendum sit, & quo iure tunc teneantur Ecclesiastici seruare statutum, & non extrahere annonam docent ex Iuriconsultis Surdus *consil. 301.* & Sperellus *decif. 13.* egregiè differentes contra Menochium *consilio 800.* & Gabrielem *consil. 37.*

Dicendum est igitur, quod tempore penurie Clerici non vi edicti Magistratus Laicis; sed vi rationis naturalis, & ex debito charitatis abstinere tenentur ab extractione frumenti, cæterorumque victualium, tanquam pars Reipublicæ, quæ in tali necessitate cum toto concordare debet: & in hoc sensu intelligendi sunt Doctores afferentes Clericos vi directiua sub prohibitione legum secularium comprehendendi. Vide Vasquez in *part. 2. tom. 2. disput. 167.*

cap. 4. numer. 24. & alios Et idè ad prospiciendum bono communi consulo Episcopis tempore penurie, alteriusve necessitatis coadiuare suis edictis Principum sæculariū proclamata, vt notat supra Surdus *num. 39.* Sperellus *decif. 12. numer. 58.* Quod quidem fecit Sanctus Carolus Borromæus prohibens ne oriza seminaretur, & pluries ordinauit Sacra Congregatio: & ita signanter rescripsit Nuncio Neapolitano sub die 3. Septembris 1591. & 13. Augusti 1593. Et Episcopo Parmensi de anno 1599. Vide ea, quæ ego ipse adnotauit in *part. 4. tract. 1. resolut. 87.*

Vnde ex his inferitur à fortiori; quod si in aliqua ciuitate adesset statutum, vt aliqui tantum vendant frumentum, vinum, &c. Et hoc quia ex dicto Monopolio Ciuitas lucraretur magnam pecuniarum summam, largiendam postea ad manutentionem alicuius Hospitalis, vel Monasterij Monialium, aut ad subleuandas ipsius Ciuitatis necessitates; vel redditus conseruandos. Ex his inquam inferitur hoc statuto non obstante posse Clericos aperire tabernas, & vendere suum vinum, frumentum, &c. Et ratio est clara, quia vt in terminis casus nostri obseruat Azorius *part. 3. lib. 5. c. 19. q. 13.* Faustus de *contract. disput. 33. quest. 20.* & alij publica vtilitas, quæ ex hoc statuto intenditur, non respicit Clericos principaliter, sed solum secundariò, vt sunt membra Communitatis: secus autem esset, si illa summa pecuniarum expenderetur à Ciuitate pro opere aliquo æquè primario in vtilitatem Laicorum & Clericorum faciendo. Et idè contra Lagunam, vbi supra *art. 1. numer. 11.* dicendum est Clericos non teneri contribuere ad reparationem fontium, pontium, &c. teneri autem ad reparationem aggerum, ne flumen vicinos agros Clericorum & Laicorum inundet cum debitis tamen requisitis; de quibus in facti contingentia vide me ipsum in *part. 1. tract. 3. resolut. 22.* Et miror Lagunam pro sua firmanda sententia adducere *leg. ad instructiones. Cod. de sacrosanct. Eccles.* cum talis lex non solum fuerit correctæ per Pontifices in *cap. non minus, & cap. aduersus de immunit. Eccles.* Sed etiam per Imperatores vt patet in *Authent. item nulla Communitas Cod. de Episcop. & Cleric.* Vnde ex omnibus supradictis corruunt ea, quæ in toto *art. 1. dictæ Allegationis* conatus est stabilire Laguna.

Dicere autem cum ipso dicta statuta non infringere libertatem Ecclesiasticam; quia non efficiuntur animo eam præiudicandi; sed propter bonum commune. Respondeo hoc prorsus non esse admittendum ex his quæ ego adduxi in *part. 1. tract. 2. resolut. 83.* & nouissimè adducit Baldellus *lib. 5. disput. 36. numer. 13* & antea Suarez *contra Regem Angliæ lib. 4. cap. 33. numer. 12.* Lætio enim immunitatis non pendet

pendet ex bono vel malo animo statuentium: & sic si iudex Laicus ex praua intentione nocendi Ecclesiasticis legem ferret, si illa per se loquendo non esset apta illis nocere; non læderet immunitatem, neque incurreret censuras. Igitur attendendum est ad ipsam legem & statutum; an directè vel indirectè libertatem Ecclesiasticam infringat.

Et tandem pro Coronide huius resolutionis, si aliquis dicat cum Laguna *art. 2. numer. 45.* nostram sententiam saltem non esse admittendam, quando Clericus introduceret in locum aliquem, vinum, frumentum, &c. vt ibi carius vendat: nam in tali casu adesset negotio Clericis prohibita, vt docet Grassus ab ipso citatus. Respondeo in tali casu minimè adesse negociationem, vt nominatim contra Grassum meritò docent Sperellus *decif. 94. numer. 8.* & sequent. cum Bonacina *tom. 3. in Bull. Cæmæ disput. 1. quest. 19. punct. 3. numer. 6.* Et ego satis firmaui in *part. 5. tract. 1. resolut. 26.* cum Sousa in *Bull. Cæmæ cap. 19. disput. 92. conclus. 1. numer. 4.* & aliis. Et ratio est: quia vt notat Pereira de *Ma-nu Regia part. 2. cap. 24. n. 34.* Ceuallos *tract. de cognit. per viam violent. part. 2. quest. 64. numero 21.* Castrus Palaus *tom. 2. tract. 12. disput. unic. punct. 9. numer. 16.* Tannerus *tom. 3. disput. 4. quest. 7. dub. 2. numer. 69.* Turrianus *tom. 2. in 2.2. disput. 59. dub. 2. numer. 1.* & alij: non omnis negociatio lucratua est interdicta Clericis; sed illa tantum: quando res ipsa non meliorata cariori pretio vendenda est quam empta fuit. Ex quo patet falsitas opinionis Caroli de Grassis: nam Clericus fructus suos, vt alibi carius vendantur, asportans, non dicitur negociator; & idè ad gabellam minimè tenetur. Vide omnino Maccabrunum *consil. 18. numer. 241.* & sequent. & nouissimè Fagundez de *inslit. lib. 5. cap. 37. numer. 13.*

Ex supradictis verò duo Corollaria valde à iudicibus Laici notanda sunt. Et primò malè illos facere dum vexant famulos, colonos, vel Ministros alios Clericorum, quæ de eorum mandato in Ciuitate vinum, frumentum, vel aliquid aliud introducunt vel extrahunt: hoc enim indirectè est contra libertatem & immunitatem Ecclesiasticam: Et ita in terminis docet Ciurlius in *controuers. forensib. lib. 1. c. 31. in fin.* & Sperellus *decif. 12. n. 61.* & *decif. 24. numer. 7.* qui testatur ita passim respondere Sacram Congregationem immunitatis. Et ratio est clara: quia operarij ad nihil tenentur, quando obediunt mandato conductoris in re, quæ de sui natura non sapit delictum, ex *Gloss. in leg. in rem. §. signum ff. de rei vendic.* quam sequuntur omnes teste Decio in *leg. velle;* & ibi Cagnolus *num. 11. de regul. iur.* Deinde in tali casu ministri Clericorum nullum ius habent in re; & ideo iudicium non substantiatur in

eis, sed in Clericis, quorum negotium gerent. Ergo causa pertinet ad forum Ecclesiasticum per ea quæ adducit Sperellus locis citatis: adi illum & non pigebit.

Secundò inferitur ex supradictis malè etiam facere iudices Laicos auferentes annonam Clericorum, quæ extrahitur vel introducitur in Ciuitate contra eorum proclamata: vt ego sapius firmaui: & præcipuè contra Cutellium in *part. 5. tract. 1. resolut. 6.* & docet etiam Sperellus, vbi supra *decif. 12. numer. 59.* nam talis re-tentio habet rationem pænæ; ergo illam contra clericos nullo pacto iudices Laici infligere possunt. Deinde sicut Laici nullam habent iurisdictionem in personas Clericorum; ita neque in eorum bona: bona enim sequuntur personam. Et idè ego olim respondi Ædilem Ciuitatis non potuisse vinum, quod Clericus re-collectum ex eius prædio per alium in taberna vendebar, quia malum erat, in via publica vertere: sed in tali casu debebat ad iudicem Ecclesiasticum recurrere; & interim Laico venditori ordinare, ne vinum illud venale haberet.

Atque hæc defensionis causa dicta esse volo circa ea, quæ contra me in sua Allegatione adnotauit Laguna: Vnde ex his omnibus etiam refellendus venit nouissimè Baptista Frago in *Regimine Christiana Reipublicæ part. 1. lib. 7. disput. 19. numer. 48.* vbi tenet posse Decuriones Ciuitatum edere statuta in quibus prohibetur, ne in in oppida vinum forensè inferatur, vel ex oppido ne extrahatur, asseritque, in dictis statutis Clericos comprehendere quod omnino negandum est, vt ex supradictis apparet.

Et tandem pro coronide huius Resolutionis in gratiam curiosorum non desinam hæc obiter adnotare, nouissimè Franciscum Caspensem Doctorem Hispanum docere Clericos transgredientes leges ciuiles non peccare mortaliter, sic enim asserit in cursu Theologico *tom. 1. tract. 13. de legibus disput. 4. sectio. 2. numer. 15.* An verò Clerici peccent mortaliter, si leges Principum secularium non obseruent: probabile est non peccare mortaliter, quia Clerici non tenentur directè legibus ciuilibus, quia nullus est directè subditus legibus illius: qui non habet iurisdictionem in ipsum, Princeps autem Laicus non habet iurisdictionem in Clericos: Ergo secluso scandalo mortaliter non peccant. Ita ille, qui pro hac sententia citat Bonacinam & Salas, quos ego adduxeram in *part. 1. tract. 10. resolut. 12.* Verum alij Doctores tenent Clericos legibus ciuilibus teneri eadem obligatione ac tenentur Laici exclusa tamen coercionem: quia non apparet vnde minuatur eis obligatio si semel ponamus legibus illis astringi. Vide Castrum Palaum

Palium tom. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 24. §. 6. n. 2.
Ioannem Prepositum in part. 2. D. Thomae q. 95.
disput. 4. dub. 3. num. 7. & alios,

An qui ab aliis violenter extractus fuit è
manibus Satellitum, si confugiat ad
Ecclesiam sit protegendus, ut
eius immunitate gaudeat?

R E S O L. V.

Supra in tract. 1. de immunitate Ecclesiarum
hanc quaestionem pertractavi, sed post illa
scripta, & iam impressa peruenerunt ad manus
meas Decisiones Morales nostri P. Pasqualigi,
qui decis. 486. per totam inuehitur acriter con-
tra me resellentem ubi supra opinionem ne-
gatiuam Nouarij, quam ipse mordicus tenet:
quia reus quo Curia iniuste spoliatur, remanet
sub dominio Curiae, unde cum iniuste spolie-
tur reo, per vim potest illum repetere apud
quoscumque sit, & non potest à quocumque
impediri ne repetat: Vnde Ecclesia illum ha-
bens apud se tenetur restituere, alioquin face-
ret contra iustitiam, & foueret iniustam spo-
liationem, non secus ac qui haberet apud se rem
furatam, & nollet restituere proprio domino
foueret furtum. Ita ille.

Sed prorsus haec omnia reiicienda esse pu-
to, nec discedo à sententia quam docui: Nam
eo ipso quod reus non est amplius in manibus
Curiae, etiam si fuerit extractus violenter ab
aliis habet ius confugiendi ad Ecclesiam, nam
extractio illa violenta non potuit priuare illum
iure suo, quod habet ad vitam libertatemque
tenendam, quod aperte probatur, nam alio-
quin si adhuc in isto casu remaneret sub do-
minio Curiae, teneretur minimè fugam arri-
pere, sed iterum se capi permittere à satelliti-
bus, quod ridiculum est dicere: Ergo in tali
casu reus in sua libertate constitutus licitè, &
iusto titulo ad Ecclesiam pro sua tuitione con-
fugit. Si ergo licitè, ut patet, reus ad Ecclesiam
confugit, tunc ipsa tenetur illum excipere &
defendere, & sic faciendo non dicitur ut vult
Pasqualigus detinere rem alienam, sed præbe-
re suum patrocinium reo iam in pristina liber-
tate reposito, & libero in ea intranti, quicquid
extrahentes in extractione violenta peccauer-
int, quorum malitia non potest tollere quin
reus sic extractus non efficiatur sui iuris ut
probatum est, & quod liber non intret in Ec-
clesiam, & quod Ecclesia illum non teneatur de-
fendere, & suum patrocinium probare. Itaque
dicendum est in casu nostro extractionem Rei
ex brachijs Curiae fuisse quidem iniustam, &
peccaminosam ex parte extrahentium, sed
non abtulisse reo in libertate posito ius se

tuendi, & confugiendi ad Ecclesiam; nam si
reus habet ius pro sua tuitione violenter se ex-
trahendi è manibus Curiae, & ad Ecclesiam
confugere, quanto magis extractus ab alijs, &
in sua libertate repositus. Et ideo Ecclesia in
isto casu præbet tantum auxilium reo libero,
& licitè ad eam confugiendi, neque fouet ut
vult Pasqualigus iniustam spoliationem fa-
ctam iudici Laico; sicuti si carceratus exiens
sub iuramento redeundi ad carcerem, con-
fugiat ad Ecclesiam gaudebit eius immuni-
tate; & tamen in tali casu non dicitur Ecclesia
fouere sacrilegium Rei, & damnum quod reus
affert carcerario, sed tantum tuetur ius quod
habet reus confugiendi pro sua tuitione ad
Ecclesiam. Et si opinio Nouarij, & Pasqualigi
esset vera, sequeretur, quod si v. g. aliquis Ro-
mæ eximeretur è manibus satellitum, & postea
in Florentiam confugeret, sequeretur inquam
quod Dux Florentiae teneretur illum reddere
iudici Romano spoliato & aliter facientem
detineret rem alienam & foueret spoliatio-
nem iniustam, quod quidem negandum est, &
patet ex praxi; nam in tali casu Dux Florentiae
sicut & Ecclesia in nostro casu, licitè defendit
illum reum qui liber intrauit in suo territorio,
nec potest iudex Romanus illum extrahere
de territorio Florentiae, nec Dux Florentiae
requisitus teneretur illum reddere. Et ideo
non desinam hic apponere verba Ludouici
Correa in relect. ad cap. inter alias de immunit.
Eccles. part. 3. numer. 2. ubi sic ait Licet delin-
quens antea esset in manibus Curiae, nihilomi-
nus tamen modò existit in Ecclesiae territorio
cui sit præiudicium in suo priuilegio si ab illa
extrahatur. Sic aliàs in alienum territorium
fugiens, ab illo non erit extrahendus, quia
aliena offenderetur iurisdictio? Ita Correa.

Nec valet dicere quòd in nostro casu reus
non est in casu quòd possit protegi ab Eccle-
sia, quia non est liber moraliter, sed physicè,
etenim super illum Curia secularis adhuc re-
tinet dominium morale, quia violenter extra-
ctus fuit. Nam respondeo, negando hoc domi-
nium morale excogitatum à P. Pasqualigo
nam eo ipso quod reus non est amplius in bra-
chijs Curiae, efficitur absolute sui iuris: Et ideo
si ipse ad Ecclesiam confugiat tanquam liber
ab ipsa recipitur, & protegitur. Adde à fortiori
contra opinionem Pasqualigi, quod Ecclesia
pro suo priuilegio largiendo respicit tantum
ad ius quod habet reus ad ipsam pro sua tui-
tione confugiendi, neque tenetur respicere si
reus sit sub dominio Curiae: necne, sed si ad
illam confugerit statim est protegendus: nam
Canones sine vlla distinctione concedunt pri-
uilegium confugiendi ad Ecclesiam, nec
distinguunt si sint sub dominio Curiae nec non.
Vnde si quis confugeret ad Ecclesiam, & secum
ferret

ferret violenter satellites in illam, gauderet
vtique eius immunitate, ut præter Doctores,
ubi supra à me citatos tenet nouissimè Eg-
idius Trullench in Decalogum tom. 1. lib. 1. c. 11.
dub. 1. numer. 11. Et quidem Pater Pasqualigus
rem gratam faceret Ministris Laicis, si eorum
causam defederet in casu quo haberet domi-
nium physicum in reum, nam hoc dominium
morale metaphysicum est, & in praxi minimè
admittendum, & omninò negandum. Igitur
in omni euentu sibi imputet Curia secularis,
quod non tutè, & securè reum in carcerem tra-
duxerit. Et ad confirmationem supradictorum
addenda est doctrina Egidij Borij insignis
criminalistæ, tit. de captura, numero 23. ubi
docet, reum captum antequam ducatur ad
carcerem non intelligi ita perfectè captum ut
sit in tuto sub dominio, & potestate iustitiæ.
Ita ille. Ergo, &c.

Ad id verò quod Pasqualigus asserit iudi-
cem Laicum si capiat extractum ab alio ab
Ecclesia, teneri illum restituere Ecclesiae spo-
liatæ: sic & Ecclesia tenebitur restituere iudici
Laico extractum ab alijs è manibus satelli-
tum. Respondeo non procedere argumentum
de casu priuilegiato ad non priuilegiatum, &
de fauoribus ad odia, unde optimè obseruat
Castrus Palauus tom. 2. tractat. 11. disput. vnic.
punct. 11. numer. 2. quod violenter extractus ab
Ecclesia non amittit priuilegium eius immu-
nitate gaudendi. Vel respondeo cum Bonaci-
na tom. 2. disp. 4. quest. 8. punct. 9. num. 10. & alijs
in Bulla Gregorij XI V. prohiberi alternatiuè
per dictionem *vel*, has actiones, extrahere, ca-
pere, aut incarcerare: sed propositio alternati-
ua prohibetur adimpleta altera parte. Ergo li-
cèt in nostro casu Ecclesia possit tueri reum
extractum, quia habet ius ad illam confugien-
diat in casu quando reus fuit extractus ab Ec-
clesia, iudex Laicus non potest illum cape-
re vel incarcerare, quia hoc à Pontifice in
Bulla ei prohibetur, & interdictum fuit. Er-
go est dispar ratio inter vtrumque casum;
vnde ex his omnibus patet responsio ad
omnia argumenta P. Pasqualigi; & ideo se-
cundum nostram sententiam olim in Hispa-
nia fuit decisum; nam cum in facti contin-
gentia in vrbe Ciuitatensi quidam Moneta-
rius fuisset vi & auxilio Monachorum extra-
ctus è manibus Curiae secularis, & in Ec-
clesiam viciniorem confugisset, tunc per Epi-
scopum conuocatis Theologis, & Cānonistis
decisum fuit supradictum reum Ecclesiae im-
munitate non fuisse priuandum, & ita testa-
tur Gutierrez in 2. 2. pract. lib. 3. quest. 4. n. 10.
qui fuit vnus ex vocatis & consultis à dicto
Episcopo. Et tandem his omnibus adiun-
gam, quod non obstantibus supradictis con-
sulere volui de hoc casu doctissimos, & aman-

tissimos Dominos meos Clementem Merli-
num Sacræ Rotæ Decanum, & Franciscum
Albici Sancti Officij Assessorem, qui ita no-
stræ sententiæ mordicus adhaeserunt, ut omni-
no contrariam reiiciendam esse putauerint.

An vxores Equitum D. Iacobi Alcantarae,
Calatranae, &c. gaudeant
priuilegio fori?

R E S O L. VI.

Suppone ex his quæ alibi sæpiùs firmavi,
dictos Equites vel esse verè Religiosos, vel
saltem esse personas Ecclesiasticas, & ideo
gaudere priuilegio fori: hoc supposito, quod
negari non potest, ad positam quaestionem af-
firmatiuè respondeo, & ideo assero eorum
vxores eodem fori priuilegio gaudere.

Probatum primò, quia vxor Clerici coniu-
gati & Sacerdotis Græci gaudet priuilegio fo-
ri, secundum opinionem probabiliorem, ut me
citato docet Merolla tom. 3. disput. 6. cap. 3.
num. 52. cum alijs 23. Doctoribus, quibus ego
addo nouissimè Amaiam in Codicem lib. 10.
tit. 39. numer. 10. & Fagandez de iustit. lib. 5.
cap. 11. num. 28. Ergo & eodem priuilegio gau-
dere debent vxores Equitum D. Iacobi, &c.

Secundò probatur ex leg. vlt. lib. 10. Codicis
tit. 39. in qua Imperatores Valentinus, Theo-
dosius, & Arcadius sic asserunt. Mulieres ho-
nore Maritorum erigimus & genere nobilita-
mus, & forum ex eorum persona statuimus.
Sed cum ex habitu militari oriatur qualitas ho-
norifica, sequitur & honore etiam affici eorum
vxores, & forum ex viro sortiri etiam si illud
ius sit personalissimum.

Probatum tertio ex leg. penultim. ubi Glossa
Cod. de Fabricio lib. 11. ubi dicitur quod vxor
Fabricensis gaudet eodem priuilegio fori, quo
gaudet vir. Idem etiam probatur ex leg. ne ad
diuersa Cod. de silentiar. lib. 12. ubi statuitur,
quod vxor silentiarij gaudeat eodem priuile-
gio fori, quo silentiaris, & Glossa ibi allegat
alia iura concordantia, & tamen silentiarij of-
ficium non poterat conuenire mulieribus,
nam erat officium palatinum, agēdo excubias
in Palatio, & adstamen ad eius limina. Vnde
non valet dicere quòd mulier cum non sit ca-
pax Ordinis militaris non potest sortiri forum
viri, nam sufficit quòd sit capax honoris, quo
fulget maritus: à quo accipit omnia, quæ ex il-
lo honore proueniunt, ut visum est in vxore
silentiarij. Et ideo priuilegium personale, ma-
numissoris ne in ius vocaretur, eius vxori cō-
municatur in leg. 1. Cod. de in ius vocan. & vxor
Consulis, cuius officium personale erat, clari-
tate mariti fruebatur, ut patet in Authent. de
consult.

consul. cap. 2. Rectè igitur ex dictis concludendum est vxores Equitum D. Iacobi Alcantaræ & Calatrauæ gaudere priuilegio fori, & esse exemptas à iurisdictione iudicis secularis; & ideo ex supradictis, & aliis rationibus nostram sententiam in terminis vt dici solet terminantibus tenet nouissimè nunquam satis laudatus Franciscus Amaya in suis eruditis commentariis super Codicem lib. 10. tit. 39. n. 16. & sequent. Qui etiam rectè obseruat numer. 24. priuilegium supradictum non deperdi mortuo marito, sed etiam in memoriam pristini matrimonij perdurare, si tales viduæ honestè vixerint; vnde aliqui, vt Perez lib. 1. tit. 3. leg. 1. folio 57. vers. vxor etiam Clerici. Bullerus in disquis. Cler. tit. de fauore Clericorum reali §. 1. numer. 24. & sequent. cum aliis, & ego alibi, docent vxores Clericorum etiam mortuis viris gaudere priuilegio fori, donec alteri nubant; quia cum vidualis vita durat censetur in priori matrimonio esse ex leg. filij §. 1. ff. ad municip.

Sed quid dicendum de exemptione gabellarum, negatiuam sententiam docet nouissimè Aegidius Trullench in Decalogum tom. 2. lib. 7. cap. 12. dub. 5. numer. 27. & alij, quia putat vxores dictorum Equitum non gaudere priuilegiis maritorum, cum dicta priuilegia sint personalia, sed hanc rationem supra iam refutauimus, & latius refellit Amaya loco citato; ideo dicendum est, vt alibi adnotauimus, vxores dictorum Equitum esse exemptas à solutione gabellarum etiam post mortem viri dum alteri non nubant, & honestè vixerint, sicut idem dicendum est de vxore Clerici coniugati, & Sacerdotis Græci, & ita me citato tenet nouissimè Fagundez de iustit. & contract. lib. 5. cap. 11. numer. 28. Et omnia supradicta probabilia esse fatentur ipsimet aduersarij, vt Sanchez de matrim. lib. 7. disputat. 47. numer. 2. qui postea se retractauit in opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 3. num. 2. & absolute nostram sententiam docuit; vnde ex his sequitur non esse denegandam absolutionem viduæ, olim vxori Equitis D. Iacobi, aut Calatrauæ, seu Alcantaræ, si gabellas defraudet.

An Nouitij in Religione Clericorum Regularium tempore Hospitij gaudeant priuilegio Canonis?

R E S O L. VII.

Negatiuè respondet Pasqualigus *decisione 424. num. 2. & sequent.* quia tales non sunt Deo dicati, quia adhuc Laici, & solum habent externum habitum Religionis, & proinde vocantur hospites ad significandum

nondum esse admissos ad formalem habitum Religionis, & eodem pacto se habent, ac si quilibet Laicus vestiret vestes, quibus vtuntur Religiosi. Ita ille.

Sed libenter in viro amicissimo hanc sententiam non improbarem si ansam non præberet Episcopis, immò iudicibus Laicis in dictos nostros hospites iurisdictionem exercere, nam totum hoc sequeretur ex doctrina Pasqualigi, cum asserat supradictos se habere tanquam Laicos, & ideo priuilegio Canonis non gaudere. Verùm hæc omnia reicienda esse puto; dico igitur supradictos gaudere priuilegio fori, & illos verberantes incurrere in censuram Canonis; si quis suaudente. Et ratio est, quia eo ipso quod aliquis receptus est in nostra Religione more solito, licet sit intra tempus Hospitij, tamen mancipatus est obsequiis Religionis, & viuat sub obedientia Prælati, vestitus eadem veste religiosa, vt cæteri, & facit omnes obseruantias regulares, & contraueniendo in illis puniatur, gaudetque omnibus priuilegiis Religionis, ita vt Superiores cum ipso tempore hospitij vtantur omnibus facultatibus, quibus vti solent cum aliis Nouitiis, & præsertim circa Sacramenta Ordinis & Pœnitentiæ, vt patet ex praxi; Quis igitur ex his audeat negare supradictos hospites non esse personas Ecclesiasticas, & in via ad Religionem, & participare secundum aliquem modum de statu Religionis, ita vt secundum illam participationem sint Deo dicati, & dicantur largo modo Nouitij, & sub eorum nomine comprehendantur: ita vt si aliquis in eos manus iniiciat incidat in censuram Canonis.

Probatum manifestè hæc opinio, nam vt docet Sanchez in summa tom. 2. lib. 5. cap. 4. n. 24. & Bonacina *disput. 2. de excomm. quest. 4. punct. 3. num. 7.* Impuberes admissi ad Religionem ante annos pubertatis, non sunt propriè Nouitij, nihilominus largo modo vocantur Nouitij, & gaudent priuilegio Canonis. Ergo etiam gaudere debent Hospites nostri, de quibus loquimur; & ideo individualiter pro casu nostro P. Peregrinus in *constitut. part. 2. cap. 5. littera R. §. 6.* sic ait. Dubitari potest an Nouitius cum licentia Patris Generalis acceptatus in nostra Religione ante pubertatis annum sit propriè Nouitius, ita vt gaudeat priuilegio Canonis. Respondeo quòd largè dicitur Nouitius, tamen cum valeat ingressus, gaudebit etiam priuilegio Canonis concessio Nouitiis. Ita ille, qui, vt vides, ex solo legitimo ingressu in nostram Religionem concedit impuberibus priuilegium Canonis. Ergo, &c.

Nota etiam quod post hæc scripta inueni supradictam sententiam docere etiam Ambrosium Marchinū Archiepiscopum Calaguritanum in *Resolutione pro Ordinib. militaribus*

art. 6.

art. 6. n. 58. vbi sic ait. [Aunque el admitido a la Religion ante annos pubertatis non sea propriamente nouicio, goza del priuilegio del Canon concedido à los Nouicios; y se reputa por Ecclesiastico y como parte imperfecta, y adherente a la Religion por la misma razon ha de gozar del priuilegio del fuero.] Ita ille. Quæ quidem omnia à fortiori procedunt in nostris Nouitiis hospitibus. Ergo, &c. Adde quod, si secundum Bordonum in *Consiliis Regularium, resolut. 28. numer. 19.* & Bonacinam *disput. 2. de excomm. quest. 4. punct. 3. numer. 10.* Illi qui assumpti aliquo habitu religioso adhibentur ad seruitia & obsequia Monialium, & adpetendam pro ipsis eleemosynam gaudent priuilegio Canonis: Quotò magis eo gaudere debent Hospites nostræ Religionis ex rationibus superius dictis; Dicendum est igitur illos non solum gaudere priuilegio Canonis, sed etiam fori? Quod probatur ex doctrina quam tenet P. Suarez contra Regem Angliæ lib. 4. cap. 29. numer. 7. Layman lib. 4. tractat. 9. cap. 7. num. 1. & me citato; Machinus *vbi supra artic. 4. numer. 37.* asserentes, quod qui gaudet priuilegio Canonis, debet etiam gaudere priuilegio fori.

Sed difficultas est, an supradicti Nouitij hospites gaudere etiam debeant priuilegio exemptionis gabellarum, si aliqua bona possiderent; & quidam vir doctus licet mordicus mecum teneret supradictos gaudere, vt visum est priuilegio fori, & Canonis, tamen quoad priuilegium exemptionis gabellarum, valdè dubitabat, quia aiebat ipse, bona supradictorum non pertinent vllo pacto ad Religionem. Sed si hæc ratio esset admittenda contra nostros Hospites, procederet etiam absolute quoad omnes alios Nouitios; nam eorum bona non pertinent ad Religionem, cum sit penes ipsos eorum dominium, & ipsi illa vendunt, donant, &c. Sed cum hoc non obstante, communiter contrarium asserant Doctores, vt alibi sapius satis probaui, & probat nouissimè Palauis tom. 3. tract. 16. *disput. 1. punct. 11. num. 9.* & me citato Trullench in *Decalog. tom. 2. lib. 7. cap. 12. dub. 5. num. 26.* nempe Nouitios gaudere exemptione gabellarum, ita etiam gaudere nostros hospites dicendum est; qui largo modo etiam dicuntur Nouitij, & sunt personæ Ecclesiasticæ. Ergo, vt tales cum gaudeant priuilegio fori, & Canonis debent etiam gaudere priuilegio exemptionis gabellarum. Nec obstat dicere, quod ex diuersis non fit illatio, *leg. Papinianus, ff. de minor.* Et ideo Clerici coniugati, & Laici seruietes Episcopis, licet gaudeant priuilegio fori, non tamen gaudent priuilegio gabellarum. Nam respondeo cum Ambrosio Machino *vbi supra* quod quando fundamentum concedendi hæc priuilegia est

idem, tunc benè valet illatio; sed in nostro casu fundamentum concedendi dictis hospitibus priuilegium, est quia sunt personæ Ecclesiasticæ, & comprehenduntur sub nomine Nouitiorum? Ergo sequitur gaudere his tribus priuilegiis, fori, Canonis, & exemptionis gabellarum, quia sunt inter se connexa; nisi in casu quod iura illa diuiderent, & limitarent, vt est in casu Clericorum coniugatorum; & ad casum de familiaribus Laicis Episcopis: respondeo priuilegium non esse idem: nam non conceditur eis quia sunt personæ Ecclesiasticæ, sed quia sunt familiares Episcopi, qui de iure habent familiam armatam, & exemptam. Ad argumentum verò quod Hospites retineant dominium suorum bonorum, respondeo quod hoc non impedit quin dicta bona, non sint bona personarum Ecclesiasticarum.

An in Ieiunio Eucharistico detur paruitas materia excusans à peccato mortali?

R E S O L. VIII.

PRO affirmatiua sententia conatur P. Pasqualigus in *decisi. 335. per totam* multas adducere rationes, licet in fine sic asserat. Hæc quidem & alia quæ possent adduci, probabilem faciunt hanc opinionem, non tamen audeo aliquid determinare, & Lector melius poterit rem ponderare; non tamen assentior P. Dianæ citato dicenti hanc sententiam esse improbabilem. Ita ille. Sed hanc sententiam esse falsam ante me dixit Periculus *de sacrificio Missæ lib. 1. cap. 3. dub. 5. n. 4.* Et Suarez tom. 3. *disput. 66. sect. 4.* asseruit non esse practicè probabilem; & Ego iterum improbabilem puto, cum sit contra communem opinionem Theologorum & Casuistarum, qui in puncto materiam pertractant, videlicet. An in ieiunio Eucharistico detur paruitas materia; & vsque adhuc nullum inuenio Auctorem, qui affirmatiuam sententiam doceret. Probatum nostra opinio ex auctoritate Concilij Tolerani 7. cap. 2. quod refertur in *cap. nihil 7. quest. 1.* vbi statuitur. Vt qui post cibum potumque quilibet minimum sumptum Missas facere præsumpserit excommunicetur. Ergo clarè patet in ieiunio Eucharistico non dari paruitas materia inducens tantum peccatum veniale; nam poena excommunicationis non fertur nisi propter peccatum lethale. Dicere autem quod Concilium loquitur de quantitate minima, quæ non solueret ieiunium Ecclesiasticum; gratis dicitur nam absolute pronunciauit esse excommunicandum qui celebrauit post eibum sumptum in quauis quantitate minima,

minima, ergo excludit omnem paruitatem materiae.

Probatum secundò ex auctoritate Rubricae. 9. vbi sic habetur; *Si quis non est ieiunus post mediam noctem etiam post sumptionem solius aquae, vel alterius potus, aut cibi in quantumcumque parua quantitate non potest communicare nec celebrare.* Ita ibi. Ergo necessariò sequitur non dari paruitas materiae in ieiunio Eucharistico, cum Rubrica dicat quod post cibum sumptum in quantumuis parua quantitate, non potest quis communicare, vel celebrare, sed peccatum veniale non impedit sumptionem Eucharistiae; Ergo dicendum est in tali casu, peccatum mortale adesse. Quod etiam probatur in dicta Rubrica paulò infra vbi subdit; *Quod si lauando os deglutiatur stilla aquae praeter intentionem non impedit communionem, quia sumpta fuit per modum saluæ.* Si ergo stilla aquae, ideo secundum Rubricam non impedit communionem, nec frangit ieiunium Eucharisticum, quia sumitur per modum saluæ; Clarè patet in hac materia non dari paruitas materiae, cum nulla maior paruitas materiae excogitari potest, quam stilla aquae, & tamen vt visum est impediret communionem, & ieiunium Eucharisticum frangeret; si non sumeretur per modum saluæ. Ergo. Et quidem si in ieiunio naturali pro sumptione Eucharistiae danda esset paruitas materiae inducens tantum peccatum veniale, aperiretur ianua multis absurdis in assignanda quantitate paruitatis materiae, nam si aliquis diceret v. g. vnam stillam aquae esse paruitatem materiae, alter responderet, & quare non duae, tres, vel quatuor; & non deficerent qui opinionem Ildephonfi Rodriquez, quam adducit Pasqualigus in praxi deducerent, nempe parum aquae, quam putamen auellanae capit, esse paruitatem materiae; quod quidem apertè esset contra textum in cap. ex parte de celebratione Missarum, vbi statuitur, quod Sacerdos qui in Missa sumpsit ablutionem non possit progredi ad vltiorem Missam celebrandam. Ex quo textu, vt obseruat Praepositus in 3. part. D. Thomae quest. 8. art. 9. de Sacram. Eucharistia, numer. 39. Vasquez tom. 3. disp. 211. cap. 3. numer. 28. & alij, id quod supra probatum est apertè constat, nempe non dari paruitas materiae in ieiunio Eucharistico, & ideo minimam sumptionem impedire communionem: cum in Missa parum à Sacerdotibus summi soleat pro ablutione, sumitur enim parum vini. Rectè igitur ex veteribus dixit Durandus in 4. dist. 8. quest. 4. numer. 11. eum qui post minimum cibum, aut potum Eucharistiam sumit esse praeruaricatorem praepcepti, sed praeruaricator non dicitur, nisi qui mortaliter peccat. Ergo, &c. Dicere autem quod Durandus, loquitur de modico cibo, quale non solueret ieiunium Ecclesiasticum, gratis dicitur, & ideo Vasquez & Pereirus vbi supra illum citant pro nostra sententia. Pro qua etiam facit omnium Magister D. Thomas in 3. part. quest. 80. art. 8. in corpore vbi docet dupliciter aliquem impediri à sumptione Eucharistiae, primò secundum se, & sic impeditur quis ob peccatum mortale; secundò ob prohibitionem Ecclesiae & sic impeditur post cibum & potum. Sed primum impedit sub peccato mortali. Ergo etiam secundum. Nec valet dicere quod in his verbis de paruitate materiae, nec verbum quidem D. Thomas. Nam respondeo se magis explicare, ibidem in respon. ad. 5. vbi asserit, post sumptionem cibi, & potus in quantumcumque parua quantitate non licere communionem recipere. Ergo excludit omnem paruitatem materiae, & supponit in illa peccatum mortale; nam cum peccato veniali licitum est sumere Eucharistiam, & tamen ipse dicit, quod non licet illam sumere post sumptum cibum in quantumuis minima quantitate. Et quidem si pro digna susceptione Eucharistiae ex praepcepto Ecclesiastico, certum est quod requiritur ieiunium naturale, quod minima parte cibi, aut potus dissoluitur, sequitur hanc etiam minimam partem etiam praepceptum voluisse comprehendere.

An Christianus se fingens Infidelem, & petens iterum baptizari propter eleemosynam acquirendam debeat abiuurare?

RESOL. IX.

Negatiuam sententiam nominatim contra me docet P. Pasqualigus decis. 475. quia cum abiuuratio sit detestatio haeresis, aliquis in tantum abiuurare debet, in quantum est, vel haereticus, vel suspectus de haeresi. In casu nostro nulla est suspicio de haeresi, quia talis non petiit Baptismum credens posse reiterari, sed vt medium ad obtinendas pecunias. Ergo. Et cum finis declaret intentionem, euacuata remanet in tali casu omnis suspicio.

Sed haec opinio certè in nostro Sacro Tribunali non erit admittenda; nam ex facto ipso, videlicet ex reiteratione Baptismi clarum est, quod talis remanet suspectus de haeresi; quod verò talis reiteratio non fuerit facta ex mala credentia, vt loquuntur nostri Doctores, sed ex cupiditate commodi temporalis hoc non potest constare nisi per confessionem extraiudicialem Rei, vel iudiciale; per confessionem extraiudicialem, quia ipse vel ante vel post Baptismum hoc aliis communicauit, vel per confessionem iudicialem, quia ab Inquisitoribus interrogatus

interrogatus respondit se reiterasse Baptismum causa commodi temporalis, & non quia crederet posse Baptismum reiterari. Sed neutro casu talis confessio ei prodest, cum crimen haeresis sit occultum & in mente lateat, & ideo docent omnes Doctores, & est praxis nostri Sacri Tribunalis, quod quando factum per se est haereticum, vel inducens suspicionem haeresis, non purgatur talis suspicio, quia reus dixit se velle facere, vel fecisse tale factum non ex mala credentia, sed ex alio fine, sed torqueatur super intentione; & si neget se habuisse malam credulitatem, adhuc in foro externo, quia remanet suspectus ex ipso facto indicitur ei abiuratio; Et ideo in casu simili de abusu Sacramentorum, supradicta practicantur quotidie in Inquisitione Hispanica, & Romana cum Poligamis, & sollicitatoribus mulierum, qui cum regulariter non habeant errorem in intellectu; & hoc ipsi fateantur, tamen quia ex facto ipso, nempe abusu Sacramenti remanent suspecti, ideo abiurare coguntur; vnde nescio in casu nostro quomodo P. Pasqualigus potuit dicere certò constare de intentione Rei, cum intentio sit occulta; dices constare ex dicto Rei, & ex praesumptionibus. Respondeo quòd ideo non abiurat de formali, sed quia ex facto ipso remanet adhuc suspectus, alia abiuratio ei indici debet.

An post Decreta Urbani VIII. possit quis sine peccato mortali celebrare per tertium, retinendo sibi partem stipendij?

RESOL. X.

Affirmatiuam sententiam tenet nouissimè Franciscus Bordonus in Consilijs Regularium resolut. 25. numer. 28. Quia Decretum VRBANI VIII. non damnat contrariam opinionem, sed eius usum tantum, cum in decreto, non constet de huiusmodi reprobatione, & ad hoc facere videntur dicta superius sub questione 6. Ergo ex hac prohibitione contra rem aliàs licitam non videtur inferendum peccatum mortale. Tum quia decretum vtitur simplici verbo, *Prohibet*, quod ex se non magis inducit vnum, quam alterum peccatum, ergo aliunde deducendum est peccatum mortale, nempe ex grauitate materiae, & voluntate Legislatoris obligandi ad mortale; vt de communiori docet Sanchez lib. 6. à cap. 4. numer. 29. Sed in casu nostro neutrum reperitur; non intentio obligandi ad mortale, quia ista vbi non exprimitur, neque sufficit vt tale propositum habuerit Papa, quia propositum in mente retentum nihil operatur; neque id colligitur ex

contextu aliorum decretorum, ex quibus simul collatis potius colligitur oppositum, nam in Decreto §. *Deinde*, intendit obligare sub mortali cum obligatione restitutionis, vt tot celebrentur Missae, quot sunt stipendia etiam congrua, ibi. *Sub obtestatione Diuini iudicij mandat, ac praecipit; & infra subdit, sua obligationi non satisfaciât, quin immo grauitè peccent & ad restitutionem teneantur.* Ecce quot verbis vrgentibus vtitur, & geminatis, quae magnum mysterium indicant peccati mortalis cum restitutione: & ne quis dubitaret de his, expressit suam intentionem, Sacra Congregatio; ergo si hoc idem voluisset in nostro praesenti casu, expressisset. *arg. l. vnic. §. Sin autem. Cod. de caduc. toll. l. si seruus. §. Prator ait, ver. Non dixit, ff. de acquir. hered. Barbosa lit. 1. numer. 32.* Neque pars stipendij est notabilis quantitas, cum sit minor pars retenta, quam tradita, vt in casu supponitur; immò tradita etiam minori parte, & retenta maiori non videtur peccare mortaliter, quod est secundum probandum, quia hinc non desumitur quantitas notabilis seu grauitas materiae, neque ex Sacrificio, neque ex notabilitate respectiue ad furtum, quod sit peccatum mortale ex notabili quantitate; suadetur illud primum, quia stipendium attenditur ratione laboris, seu potius oneris, & obligationis ciuilibus, quam contrahit Sacerdos ad celebrandum, ergo ex hoc capere non fit contra grauem materiam; suadetur etiam secundum, quia notabilis quantitas ea censetur, in qua inferitur graue damnum proximo, vt de communi tradit hanc Regulam Bonac. *disputatione 2. de restit. quest. 8. part. 1. numer. 7.* Sed in casu nostro nulli inferitur damnum neque leue, non defuncto, cum illi aequè satisfiat, non Sacerdoti, cum voluntate non inuitus recipiat illam stipem congruentem secundum taxam. Deinde quando aliquis tradit stipem duplam, vel maiorem Sacerdoti amico, censetur potius donare excessum, quam dare pro stipendio, quia solum amici solent hoc liberalitatis signum monstrare, & magni viri suam vrbانيتatem, quam non intendunt computare in stipedium taxatum. Vide aliquid apud Dianam *cit. resolut. 11. & 12. de celebr. Miss.* Hucusque Bordonus; sed ego hanc sententiam non admitto, in part. 1. tractat. 14. *resolut. 10.* & in loco paulò supra citato non facio pro Borbonio, nam loquor in casu quo stipendium pingue fuit datum, non solum pro Missa celebranda, sed etiam intuitu personae, quae Missam celebrare debebat.

.

An Regulares duas Missas celebrare teneantur occurrente festo cum feria in Quadragesima: aut aliàs priuilegiata?

R E S O L. X I.

Negatiuam sententiam ego docui in tract. de celebrat. Missarum resolut. 76. Sed nominatim contra me affirmatiuam sententiam mordicus tuetur eruditus Zipxus in consultationibus Canonici lib. 3. de celebrat. Missar. consul. 2. per totam; sed ego non discedo à sententia negatiua probabili, quam docui, & nouissimè me citato illam sequitur etiam Franciscus Bordonus in Consiliis Regularium resolut. 25. numer. 25.

Notandum est etiam hinc obiter Merollam tom. 3. disput. 6. cap. 8. dub. 22. numer. 126. nominatim contra me docere, priuilegium faciendi celebrare Missam in aliquo Oratorio priuato non posse extendi de loco ad locum, & contrarium asserere putant improbable; sed iste Auctor; bona eius venia, aliquando nimis audacter se gerit in censurandis aliorum opinionibus; & ideo iterum affirmatiuam sententiam probabilem puto, quam præter Nouarium, & Megalam à me adductos in part. 4. tract. 4. resolut. 208. etiam nouissimè tenet me citato Leo Zambellus in Repertorio Morali ver. Missa numer. 46. vbi sic ait. Missa potest celebrari in Oratorio nobilis ex priuilegio E.g. Bononiensis qui ad Ferrariam perrexit vt ibi inhabitet, non obstante quod habuerit dictum priuilegium, pro suo Oratorio Bononiæ; est enim priuilegium istud personale & non locale. Ita ille.

An Religiosi nondum in Sacris constituti, quando à Choro absunt teneantur priuatim officium recitare?

R E S O L. X I I.

Negatiuam sententiam docet nouissimè Franciscus Bordonus in Consiliis Regularium resolut. 30. vbi numer. 2. postquam me citato & aliis asserentibus teneri ratione consuetudinis receptæ, ipse tamen numer. 3. sic ait. Quamuis de hac consuetudine ferè omnes testentur, tamen cum sic quid facti, difficile est, de eius subsistentia iudicium ferre; vnde ego puto hanc consuetudinem referri ad Chorum, non præcisè ad deputatum ad Chorum, quando abest, quod suadeo, quia consuetudo in vim legis obligans non inducitur ex actibus priua-

tis, sed publicis, & manifestis, vt docent communiter cum Bonac. de consuetud. numer. 26. Officium autem extra Chorum dicitur occultè, & non manifestè, ergo signum est eam consuetudinem referri ad profellum non vt sic, sed quatenus recitat in Choro. Deinde nullo iure probatur esse obligationem recitandi in Choro, nisi ex consuetudine, aut ex vi Regulæ, de qua obligatione infra quest. 1. vbi probabo non afficere singulos, sed communitatem, quatenus Chorus non debet cessare ab huiusmodi recitatione. Ita Bordonus.

Cuius sententia, nempe consuetudinem de qua loquimur non obligare sub mortali, suaderi potest ex quibusdam opinionibus P. Pasqualigi, qui in decis. 487. 488. 489. 490. quarit primò. An si consuetudo sit rei grauis & difficilis & communiter feruetur, censenda sit introducta cum animo se obligandi. Secundò, An si viri timorati malè sentiant de his qui non obseruant consuetudinem, aut communiter scandalizarentur sit signum fuisse introductam cum animo se obligandi. Tertiò, An si Superiores reprehendant & puniant non seruantes consuetudinem sit signum quod fuerit inducitur cum animo se obligandi. Quartò, An si materia consuetudinis multum conferat ad vtilitatem communitatis, censenda sit introducta consuetudo cum animo se obligandi. Et ad omnes istas dubitationes, nominatim contra me, negatiuè responder P. Pasqualigus, cui (licet aliàs viro dicto) nullo pacto adhærendum esse puto, nam ex eius doctrina omnes consuetudines quas communiter Theologi & Casuistæ asserunt obligare sub mortali euanescerent, & de fumo deseruirent, vt hæc de qua loquimur, & aliæ quamplures quod concedere nimis durum videretur, & sic opinionem contra P. Pasqualigum præter Doctores alibi à me citatos tenet nouissimè Caspensis in cursu Theologico tract. 13. disput. 6. sect. 3. n. 16. Sed de hoc alibi; Vnde ad Bordonum rediens puto eius sententiam profus improbandam esse, & ideo meritò correctæ fuit apud Emanuelem Sà à Magistro Sacri Palatii in editione Romana, vt optimè obseruat Castrus Palaus tom. 2. tract. 7. disput. 2. punct. 1. §. 1. numer. 3. neque in hac parte laxandæ sunt habentæ, cum ex eius relaxatione non leue Religionis nocumentum proueniret, vt me citato docet nouissimè Trullench. in Decalogum tom. 1. lib. 1. cap. 7. dub. 12. §. 1. numer. 1. Sed dices saltem quoad Moniales opinio Bordoni esset admittenda ex alia doctrina, quam asserit Pasqualigus decisione 415. nempe Moniales non posse introducere consuetudinem, quæ apud ipsas habeat vim legis: Ergo, consuetudo penes ipsas recitandi extra Chorum horas Canonicas non obligabit sub mortali. Respondeo, doctrinam Pasqualigi

Pasqualigi ita absolutè prolatam, non esse admittendam; sed esse intelligendam seclusa approbatione tacita vel expressa Superioris; vnde optimè ex Suarez & Salas notauit Bonacina tom. 3. disp. 1. quest. 2. punct. vlt. §. 3. n. 15. communitatem foeminarum posse sua consuetudine ius inducere, nam foeminae sunt capaces legis, & ad onera legum tenentur, quamobrem, ait ipse, consuetudo Monialium saltem si acceptata sit à Prælato potest inducere legem Moniales obligantem. Dicendum est igitur consuetudinem esse inducendam nõ solam per hos qui legem condere possunt, vel habent capacitatem actiuam condendi leges, sed etiam passiuam eas recipiendi interueniente Superioris consensu, vt rectè obseruat Bonacina, vbi supra numer. 28. Superior autem censetur consentire in consuetudinem, quatenus iam statuit consuetudinem vim legis habere, si legitime fuerit introducta; Et ideo communiter Doctores asserunt, vt ego alibi adnotauit, & notat etiam Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 7. cap. 2. dub. 3. numer. 12. Moniales ratione consuetudinis teneri, vt cæteri Regulares, pensum diuini officij persoluere. Et vellem quidem P. Bordonum hanc sententiam non docuisse, licet aliàs sit vir doctus, & cui multum debent Regulares.

Notandum est tamen hinc obiter supradictum P. Bordonum, vbi supra quest. 4. numer. 8. docere in paruis Conuentibus ad minus requiri quatuor pro cantandis horis Canonicis in choro, immò addit, quod vt plurimum excusant etiam quatuor aut quinque residentes; cum obligatio recitandi in Choro Regularibus non sit ita strictior sicut beneficiariis Collegiatis. Aliqui verò quando Regulares essent quatuor, nullo modo à recitatione Horarum in Choro excusant.

An Regulares vel Canonici seculares satisfaciant obligationi psallendi in Choro, si canant in Sacristia, ex aliqua iusta causa?

R E S O L. X I I I.

Casus est practicabilis, v.g. propter asperitatem brumalem, vel si in Ecclesia fabricetur, si Chorus sit occupatus in aliquo spiritali ministerio vt propter hebdomadam Sanctam, vel nouenam, & similia. Et respondeo affirmatiuè: sed difficultas est, si hoc licitum sit fieri quando Sacristia non est coniuncta cum Ecclesia, & negatiuè responder Bordonus in Consiliis Regularium res. 30. quest. 17. numer. 21. vbi sic ait. Dixi, si solum communi muro Sacristia diuidatur ab Ecclesia, quia si inter

ipsam, & Ecclesiam interlocentur aliqua alia, grauior est difficultas & puto non satisfacere, quia Choro non interfunt materialiter, neque moraliter, vnde Prælatus non videretur excusari permittendo recitari horas Canonicas in loco distante ab Ecclesia per plures muros intermedios, immò & per vnicum, si non adest fenestra in eo communi muro, seu porta ad Ecclesiam: vnde audio decisum fuisse Romæ quosdam Canonicos non potuisse satisfacere suæ obligationi in Sacristia, quæ non habebat fenestram versus Altare maius, quod ego intelligo, quando ibi officiantur sine legitima causa, nam cum legitima causa cenfeo sufficere fenestram, vel portam Sacristiæ intra ambitum Ecclesiæ, maximè apud Regulares, qui non ita strictè obligantur ad Chorum formalem. Ita Bordonus. Vnde si vera esset hæc opinio Patres nostri Romæ degentes in Domo S. Andreæ non satisfacerent præcepto soluendi Horas, si illas canerent in Sacristia, quia est penitus disiuncta ab Ecclesia, satisfacerent verò in Sacristia S. Syluestri.

Sed ex Bonacina, Castrus Palaus tom. 2. tract. 7. disputat. 3. punct. 4. numer. 2. & alij, licet asserant certum esse ex cap. fin. dist. 92. & cap. 1. de celebrat. Miss. Horas Canonicas persolendas esse in Ecclesia, admittunt tamen ex necessitate posse in alio loco persolui, & se nõ restringunt in Sacristia distante ab Ecclesia per plures muros, vel in alio Oratorio; quia officium in dictis locis recitando dirigitur ad Ecclesiam, & moraliter dicuntur canendo in dictis locis Religiosi, in Ecclesia canere; saluo tamen meliori iudicio.

An alia Religiones possint per communicationem gaudere priuilegio concesso Patribus Franciscanis recitandi Officium Corporis Christi, singulis quintis Feriis extra Quadragesimam & Aduentum non impeditis Festo nouem lectionum?

R E S O L. X I V.

Idem quæritur de Officio Conceptionis, & similibus; Hoc dubium pertractat Pater Bordonus in Consiliis Regularium resolut. 30. quest. 22. numer. 26. & si standum esset eius sententiæ, esset ad illud affirmatiuè respondendum, sic enim asserit. Officia concessa vni Religioni sunt in duplici differentia, alia sunt Beatorum illi Religioni, cui conceduntur propria, vt si concedatur Tertiariis in tota Religione officium Beati Pauli de Ambrosiis Confessoris Sacerdotis professi eiusdem Ordinis, Patroni Cropanæ Diocesis, Catanzarij vbi celebratur eius Officium, & huius generis

officia aliis Religionibus, quarum non fuit professor, non communicantur. Alia verò communia, & nulli propria, vt officium Sanctissimi nominis IESV, Gabrielis Archangeli, &c. & horum Officia vni Religioni concessa, aliis Religionibus volentibus vti intelliguntur communicata. Ita Bordonus. Sed tu cogita.

An Vicarij Superiorum localium, & præsertim nostræ Religionis, possint eligere Confessarium, etiam præsentem Superiore, extra Religionem?

R E S O L. XV.

GAudere solum in absentia Superioris priuilegio cap. finalis de Pœnitent. tradidi cum aliquibus Doctoribus in part. 3. tractat. 2. resol. 1. Sed nouissimè nominatim contra me affirmatiuam sententiam docet Pasqualigus decis. 103. numer. 2. quia præsentem Superiore, sunt etiam ipsi verè Superiores.

Secundò, quia subrogatus in locum alterius fruatur iisdem priuilegiis, quibus ipse.

Sed his non obstant. ego iterum negatiuæ sententiæ adhæreo, & argumenta Pasqualigi procedunt absente Superiore; & quidè non video, quomodo potest admitti, quod præsentem Superiore in nostra Religione Vicarius dicatur Prælati exemptus. Et vt verum fatear non parum liberales sumus cum nostris Vicariis, concedendo tantum contra Pasqualigum auctoritatem eligendi Confessarium, absente Præposito, nam Bordonus in *Consilijs Regularium* resol. 34. numer. 30. docet dictos Vicarios, neque absente Superiore posse Confessarium eligere, & ad argumentum adductum à Pasqualigo, quod subrogatus in locum alterius gaudet priuilegiis subrogantis, respondet, illud axioma habere locum quando quis propriè subrogatur in locum non existentis; & ita etià in terminis casus nostri exponit hoc axioma Syluester Casuitarum Princeps, *ver. Confessor.* 1. n. 8. & contra sententiam Pasqualigi, præter Doctores à me *vbi supra* citatos, vide Faustum de *Sacrament. Pœnit.* lib. 6. q. 92. vbi docet Superiorem licet aliis præferatur, præsentem priore non posse eligere sibi confessarium. Vide etiam Scropham in *qq. Regul. quest.* 33. numer. 2.

De quodam voto conditionali postea confirmato, an possit per Episcopum dispensari?

R E S O L. XVI.

N. Febri acuta correptus magno cum vitæ discrimine vouit ingredi determinatam

Religionem, ad hoc vt pristinam recuperaret sanitatem; Quod votum postea sanitati restitutum confirmauit; Quærit modò supradictus vouens an possit tale votum per Episcopum dispensari. Puto in supradicto voto posse Episcopum dispensare cum nõ sit votum absolutum Religionis, sed conditionale; Et licet impleta conditione obligatio sit absoluta, tamen initium, origo, & radix dictæ obligationis fuit imperfecta voluntas pendens à futuro euentu, quæ semper in ipsa obligatione imbibita manet, & idem semper est verum dicere eam obligationem ortam esse ex consensu quodam imperfecto. Ergo poterit Episcopus dispensare. Et ita ego docui in part. 1. tract. 11. resol. 54. cum Sanchez, cui nunc addo Trullench in *Decalogum* tom. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 40. numer. 5. Villalobos in *summa* tom. 2. tract. 34. difficult. 26. numer. 10. Castrum Palaum tom. 3. tractat. 15. disput. 2. punct. 12. numer. 15. Raphaëlem de la Torre in 2. 2. D. Thome, *quest.* 88. art. 12. disp. 3. numer. 9. Cælestinum in *Theol. Mor. tractat.* 5. cap. 6. numer. 5. & alios penes ipsos. Et hanc sententiam probabilem putant etiam aduersarij, vt Pontius de *Matrim.* lib. 8. cap. 9. numer. 7. Lefsius lib. 2. cap. 40. dub. 18. numer. 118. & sequent. Layman lib. 4. tract. 4. cap. 8. numer. 10. Nec obstat quod post adimpletam conditionem confirmatum fuit votum, nam talis confirmatio cadit supra votum à principio non absolutum, sed conditionale; ergo dicendum est nullam maiorem obligationem addere secundum votum ad primum, nam secundum votum non fuit se adstringere ad maius vinculum, quàm in prima emissionem voti astrictus erat. Ergo sicut prius votum non fuit votum absolutum Religionis, & ideo ab Episcopo dispensabile, ideo nihil addidit quoad hoc eius confirmatio.

Excusatur quedam conuentio Equitum Hierosolymitanorum à labe Simoniacæ?

R E S O L. XVII.

SVpposita veritate facti satis in Discursu, & Summario enarrata, assero ex multis rationibus Dominum de N. immunem esse à labe Simoniacæ. Primò, quia Commendæ Religionis Meliuetanæ ferè semper non sunt materia Simoniacæ; non enim debent inter beneficia Ecclesiastica annumerari, quia conferuntur titulo Laico, nam dantur in stipendium pro temporalibus seruitiis; ergo non sunt aliquid spirituale, sed tantum temporalia quædam subsidia, & alimenta militaria, & ideo hanc sententiam tenent communiter Theologi, & præcipuè inter illos Suarez, Rodriguez, Ledesma, & Vega,

Vega, quos citat, & sequitur Castrus Palaus tom. 3. tract. vltim. disput. 3. punct. 13. numer. 13. quibus ego addo Filiucium tom. 3. tractat. 45. cap. 6. numer. 4. Aragonium in 2. 2. D. Thome *quest.* 100. art. 4. Cælestinum in *Compend. Theolog. Moral.* tract. 7. cap. 5. *quest.* 9. Villalobos in *summa* tom. 2. tractat. 37. difficult. 14. numer. 2. iuncto numer. 3. in fine. Lezzanam in *summa Question. Regul.* tom. 2. cap. 5. numer. 26. Bonacinam tom. 1. disput. 1. de *Simoniacæ questione* 4. numer. 25.

Nec valet dicere, quod Sacra Rota olim contrariam sententiam tenuit coram Puteo lib. 1. decis. 282. & coram Mantica decis. 68. & ex illa postea Parisius de *confiden. quest.* 17. Garfias de *benefic.* tom. 1. part. 1. cap. 4. numer. 1. Molfesius in *summa* tom. 1. tract. 6. cap. 2. numer. 29. Sanchez in *opuscul.* tom. 8. lib. 2. cap. 2. dub. 24. n. 8. & alij penes ipsos. Non inquam valet hoc dicere; nam licet penes me autoritas Sacræ Rotæ sit maxima, tamen ratio, per quam statuit dictas Commendas esse beneficia, mihi non placet; asserit enim dictos milites esse Religiosos, & dictæ Commendæ non dantur nisi Religiosis professis, & ideo videntur annexæ statui Religioso, quem constat esse spirituales. Sed respondeo cum Villalobos, & Aragonio, huiusmodi Religionem, quamuis ad diuinum cultum vltimatè ordinètur, proprius tamen finis earum instituti, est quid temporale, scilicet malitia: & non vltimi, sed proximi finis est habenda ratio. Ergo, &c. vel respondeo cum Suarez, & alijs Theologis vbi supra huiusmodi Commendas non tradi Religiosis ob professionem, tanquam ob titulum, sed tantum ob conditionem sine qua non, conferuntur. Pontifex enim non vult illas Commendas conferri, nisi Professis; consequenter in recepturo huiusmodi Commendas requiritur professio, vt sit habilis ad eas recipiendas: non tamen hinc sequitur huiusmodi Commendas esse aliquid spirituale; sicut si Pontifex præciperet bona aliqua temporalia distribui inter Religiosos non ob id illa bona essent spiritualia, seu annexa titulo spirituali; & ideo pensiones non efficiuntur spirituales eò quòd supponant primam tonsuram, si nullam secum afferant spirituales obligationem; Nec talis estimanda est obligatio, quam habent dicti Milites recitandi aliquas preces: hic autem est titulus spiritualis: ergo huiusmodi Commendæ conferuntur titulo spirituali. Nam respondeo illam precum obligationem non oriri ex Commenda, sed ex Professione, & Regula: sicut Laici aliquarum Religionum obligantur ad priuatas quasdam preces; vnde fructus Commendæ non sunt reuera stipendia pro tali diuino officio, sed pro temporali ministerio Militiæ; quam quidem Militiam esse opus

temporale pretio æstimabile dicendum est, quod æstimationem suam non amittit, etiam si fiat ex voto, & referatur ad cultum Dei, vt fufius explicat Suarez numer. 8. & alij vbi supra, qui etiam addunt non obstare, quod dicti Commendatarij aliquando habeant ius præsentandi in Ecclesijs suis aliquem Clericum sui ordinis, vt beneficium in tali Ecclesia obtineat, quod totum spirituale esse videtur: nam respondent illud se habere per modum iurispatronatus, quod antecederet est annexum beneficio talis Ecclesiæ, & quasi inest Commendæ temporali tanquam fundamento, & transit cum ipsa Commenda: si verò instabis, Suarez, & alios citatos Doctores loqui de Commendis Equitum Diui Iacobi, &c. & non Commendis Equitum Diui Ioannis, inter quos, vt tenet Molfesius loco citato, & nouissimè Fagundez de *iustit.* lib. 5. cap. 20. numer. 1. est magna differentia: nam isti sunt verè Religiosi, illi autem non. Respondeo Equites Diui Iacobi ex communiore sententia esse verè Religiosos, vt ego satis firmati in part. 5. tract. 2. resol. 40. & 72. tractat. 6. resol. 23. & part. 3. tract. 2. resol. 30. & me citato docent nouissimè Amaia in *Codicem* lib. 10. tit. 39. numer. 15. Machin. in *resol. pro iuris ordin. milit.* art. 2. n. 7. & Sperellus decis. 2. numer. 58. vbi plena manu, & ad fatietatem adducunt Doctores hanc sententiam tenentes, & dato & non concessio, quod dicti Equites non sint verè Religiosi, tamen in ordine ad committendam Simoniam hoc nihil obstaret: nam vt rectè obseruat Suarez loco citato numer. 6. satis esset, quod eo modo, quo sunt Religiosi, spirituale aliquid habeant, & inuendibile, cui videntur annexæ eorum Commendæ, & tamen hoc non obstante, vt probatum est, supra citati Doctores constanter asserunt Commendas dictorum Equitum non esse materiam Simoniacæ: ergo, & idem dicendum est de Commendis Equitum D. Ioannis, cum in vtrisque eadem militet ratio, & ideo hanc opinionem firmavit Summus Pontifex Iulius I. in Bulla dat. Romæ apud S. Petrum anno 1505. Kalend. Iulij Pontificatus sui anno 2. vbi clarè asserit Prioratus Præceptorias, &c. Religionis Meliuetanæ non esse beneficia; Et Pius II. in alia Bulla, anno 1460. Kalend. Martij idem etiam asseruit. Vnde bona venia Canonistarum, quos ego sapè libenter sequor, circa hanc quæstionem, potius Theologis adhærendum esse puto; & licet ex illis contrarium asserat Aprius tom. 1. lib. 13. cap. 6. *quest.* 2. ego ad firmandam nostram sententiam adducam ex Canonistis Ioannem Quintinum in *Repetit. ad cap. de multa de Præbend.* numer. 8. & à numer. 163. ad numer. 165. vbi in specie docet Præceptores vel Commendatarios Diui Ioannis non esse Beneficiarios, nec

Beneficium habere, sed administrationem, & officium; quod etiam ex Iuriscōsulō firmat Martinus de Vilar de Patronatu Calatagud. part. 4. D. 1. numer. 10. & Cabedo de Patron. Regie Corlusit cap. 15. à numer. 15. docentes Commendas, & Præceptorias Ordinum Militarium non esse beneficia: Ergo non esse materiam Simonix dicendum est. Itaque circa præsentem quæstionem cum duæ adsint opiniones, nescio quare non sit amplectenda illa quæ fauet reo, cum omnia iura clament in dubiis pro reo. Et ita in terminis tenet Coratius in tract. de Comm. opin. lib. 2. tit. 9. cas. 2. n. 168. Garonus de Priuileg. Fisci lib. 4. tit. 7. cap. 4. numero 11. & 12. Imo Doctores asserunt in criminalibus esse amplectendam opinionem probabilem, quæ fauet reo, relicta probabiliori. Ita Villalobos in summa tom. 1. tract. 1. difficult. 15. numer. 3. & 4. Emanuel de Moure opusc. 1. de Ensal. & Incan. sent. 1. cap. 1. numer. 25. Metella tom. 1. disput. 3. cap. 4. num. 181. Salas in part. 2. D. Thomæ tract. 8. disp. tertia. sent. 12. num. 115. Palaus tom. 1. disput. punct. 11. num. 4. & alij.

Probatum secundò nostra sententia, dato & non concessio Commendas Militares esse materiam Simonix: tamen in nostro casu Simonix non adesse dicendum est. Nam vt obseruat Pater Suarez de Relig. tom. 1. lib. 1. c. 48. numero 3. aliquando ratione consuetudinis exactioes temporalium pro spiritualibus non sunt tanquam Simoniacæ damnandæ, quod confirmat ex Concilio Trident. sess. 24. cap. 14. de reformat. vbi supponitur aliquas consuetudines huiusmodi esse prauas, & alias pias: & ideo præcipit examinari, & discerni, vt piæ retineantur, & aliæ auferantur: Ergo infert Pater Suarez, sunt aliquæ consuetudines, quæ possunt hanc exactioem honestare. Et ideo Ioannes Vvigers de iust. & iur. tract. 7. c. 4. dub. 8. numer. 45. dub. 6. numer. 47. dub. 10. numer. 56. Layman lib. 4. tract. 10. cap. ult. D. 5. numer. 46. Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 9. numer. 58. dub. 10. numer. 62. dub. 12. numer. 70. & alij non improbant aliquas consuetudines particulares exigendi pecuniam in materia spirituali, & aperte docet D. Thomas in 2. 2. quæst. 100. art. 2. ad 4. Hoc igitur supposito sic argumentor: Aliquæ sunt consuetudines, vt probatum est quæ in materia accipiendi aliquid pro spiritualibus ex iusta causa possunt honestari: sed talis videtur consuetudo de qua loquimur, ergo non est improbanda: Probo minorem; nam talis consuetudo faciendi similes concordias, vt habetur in Discursu; fuit in Religione Hierosolymitana introducta pro æqualitate inter dignitates inducenda, & ob bonum pacis, ad euitandas rixas, & contentiones cum periculo vitæ, quæ oriri poterant inter Equites; cum vnusquisque antecellere meritis, & seruitiis alios

existimaret; ergo non videtur improbanda: maximè quod dictæ concordix vt plurimum (& factum est in casu nostro) efficiuntur cum licentia magni Magistri, qui non solum iurisdictionem ordinariam habet in tota Religione, sed etiam facultatem super dictas Commendas pensiones imponendi, referuandi, eaque cum Commendis ipsis permutandi, vt supponitur in Discursu, & ex Bullis Pij IV. & Sixti V. determinauit Sacra Rota in Meliuitana pensionis die 29. Maij 1637. coram Ghislerio. Ergo conuentionem, de qua loquimur, vt pote ortam ex iusta causa, & autorizatam à facultate habita à magno Magistro, Simoniacam minimè esse dicendum, videtur ex his, quæ asserunt Doctores: Et primò quia licet Episcopus nequeat pensionem referuare, ex causa tamen iusta, maximè pro bono pacis, potest illam imponere, vt latè probat Abbas in cap. conuenerunt numer. 5. de Cleric. non residen. Felinus in cap. ad audientiam el. 2. numer. 2. de rescript. Nauarrus consil. 4. numer. 2. de Simonia. Gigas de pensionibus quæst. 6. numer. 2. Caccialupus de pensionibus quæst. 4. num. 4. & alij.

Secundò asserunt aliqui Doctores non esse Simoniam interueniente auctoritate Prælati, quando beneficia sunt inæqualia in fructibus temporalibus, per pecuniam inæqualitatem refarcire, nullo tamen modo intendendo dare pretium pro spirituali titulo: nam per intentionem istam, fieri potest, vt pecunia detur pro temporali, & non pro spirituali; & ita tenet Caietanus in 2. 2. quæst. 100. art. 4. Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 17. num. 101. Sotus de iust. lib. 9. quæst. 7. art. 2. Syluester verb. permutatio 2. quæstione 6. Angelus eodem verbo num. 6. Tabiena verb. beneficium 3. num. 25. & alij. Quod probatur ex cap. ad quæstionis deter. permut. & Clemens II. respondit Ecclesiis Parochiales permutari posse auctoritate Episcopi, ita vt si possessiones vnus abundantiores sint, excessus pecunia compensetur. Confirmantur supradicta ex opinione aliorum Doctorum asserentium, quod ex consensu Ordinarij possit inæqualitas fructuum spiritualium per impositionem pensionis compensari; vt verbi gratia, est permutatio faciendæ de beneficio tenui cum pingui, licitum est ex ordinarij consensu imponi beneficio pinguiori aliquam pensionem, & sic permutationem concludi. Ita Nauarrus consil. 43. de Simonia num. 4. quem sequitur Nicolaus Delfinas de Iure patronat. lib. 2. quæst. 28. num. 161. & Gonzalez in Regul. 8. Cancellaria Gloss. 5. D. 5. num. 27. & sequent. cum aliis penes ipsum. Cum igitur adsit consuetudo ex iusta causa introducta faciendi similes concordias in Religione Hierosolymitana, & interueniente etiam facultate, auctoritate, & consensu magni Magistri, relinquo considerandum ex

ex supradictis an sit concordia de N. tanquam Simoniacæ damnanda, & improbanda.

Probatum tertio, concordiam supradictam non esse Simoniacam; quia etiam ante ius quæsitum licitum est vexationem redimere ab iis, qui obesse possunt ad consequendum beneficium, non autem prodesse, vt ex communi Theologorum sententia docent Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 18. num. 108. Malderus de iust. tract. 9. cap. 3. dub. 17. Siluius in res. sol. variis ver. Simonia 2. conclus. 1. Filliucius tom. 3. tract. 45. cap. 11. numer. 6. & 7. Bassæus in Flor. Theol. Pract. ver. Simonia 5. num. 5. & Suarez de Relig. tom. 1. lib. 4. cap. 50. numer. 23. quia hoc non est emere rem spiritualem, sed remouere iniusta impedimenta. Quod ita verum est vt aliqui existiment in tali casu non solum ad redimendam vexationem pecuniam dari posse iis, qui tantum obesse; sed etiam iis, qui prodesse possunt, videlicet Electoribus. Et ideo si aliquis inter dignos sit dignior, & Elector iniuste neget beneficium, poterit pecuniam offerre sub onere, vt eligatur, quia non in pretium electionis pecunia offertur, sed in remotionem maioris peccati, quod intendit Elector committere eligendo dignum, prætermisso digniori. Item quia talis habet ius quæsitum, ne in tali concursu alius præferatur: ergo pecunia non acquirit ius, sed defendit habitum. Et ita hanc sententiam mordicus sustinet Sapientissimus Pater Hurtado de Mendoza de fide volum. 1. disputat. 173. sect. 17. §. 234. & Castrus Palaus tom. 3. tract. ult. disput. 3. punct. 20. num. 4. Sed quicquid sit de hac doctrina in nostro casu Dominus de N. ex stat. 5. de elect. habebat ius acquisitum ad obtinendas omnes dignitates suæ Religionis, & ad illas ius certum habere à peritis consultus fuerat: Ergo licitè ad redimendam vexationem potuit pecuniam offerre non iis qui prodesse poterant, sed obesse: ergo nullam in tali concordia labem Simoniacæ prauitatis adesse manifestè dicendum erit. Confirmantur supradicta à fortiori ex quibusdam opinionibus P. Pasqualigi, qui in decisione 248. quærit an si vnus ex concurrentibus det alteri pecuniam, vt à concursu desistat ob impedimentum tollendum, committat Simoniam. Et negatiuè respōdet. Item in decis. 249. quærit, an pactum cum alio quod non concurrat in ordine ad hanc electionem, & ego non concurrat secum ad subsequentem, licitum sit. Et in affirmatiuam partem inclinatur, quæ quidem omnia mirificè faciunt ad excusandum Dominum de N. vt in conuentione de qua loquimur non incurrerit in labem Simoniacam.

Sed tandem quicquid sit de dictis opinionibus P. Pasqualigi ad defensionem Domini de N. non deferam hic per extensum apponere

verba Francisci Zypæi in suis eruditissimis Consultationibus Canonicis nouissimè impressis lib. 3. tit. de Iure patronatus consultat. 4. num. 6. vbi sic asserit. Sed & illud, quod A, & B, iuramentum afferunt intentionem suam procul abfuisse à Simonix labe: quodque vterque vitæ hætenus inculpatæ fuerint nobiles, Sacerdotes: quod in tota alioquin actione palam processerint vsi consilio Secretarij, Nunciij Apostolici, & Notarij in eiusmodi praxi admodum periti, aliorumque: atque licet etiam is inficiatur, qui non intelligit se illicitum quid admittere cap. per tuas 37. 10. de Simon. tamen traditum est auctoritatem viri alicuius docti excusare à culpa, & pœna; Nauarrus consil. 29. num. 3. leg. cum pater. §. Titio de legat. 2. Gloss. finalis in fine cap. ad audientiam de is, qui vi, aut met. Vvames consil. 561. num. 5. vbi ex Petro de Palud. docet, si quid ad Simoniam deest quippe studiosa, ac deprauata voluntas; actusque agentium non operantur, ultra eorum intentionem. Hæc omnia Zypæus vbi supra quæ quidem mirificè faciunt pro casu nostro, in quo Dominus de N. in iis concordias initis palam processit, & non solum cum consilio peritorum: sed etiam cum licentia magni Magistri.

Vnde ex his, & aliis rationibus superius apposis sequitur Dominum de N. ab incurfu Simoniacæ labis omninò liberandum, eiusque electionem validam declarandam esse. Et quidem si in dubio nemo censendus est Simoniacus, cum in materia Simonix probationes debeant esse claræ, & concludentes, vt determinauit Sacra Rota in vna Vasiens. Prioratus die 27. Maij, anno 1600. coram Seraphino tom. 2. decis. 1359. num. 3. & in Ciuitar. Plebis præsentis Simonix die 12. Ianuarij 1620. coram Buratto tom. 2. decis. 445. num. 6. & ibi amicissimus Ferentillius, vt diligenter solet, plures alias Sac. Rotæ decisiones adducit, quibus adde adductas à Farinacio post cons. 75. lib. 1. ideo miror, quomodo possint Aduersarij præterdere electionem dicti Domini de N. Simoniacam declarandam esse, cum, vt diximus, ex tot rationibus, & Doctoribus superius adductis ab omni prauitate Simoniacæ liberam esse manifestè appareat; Et ita ego sentio.

Notandum est tamen quòd post hæc scripta inueni amicissimum Alexandrum Sperellum decis. 2. numer. 101. docere Commendas Equitum D. Iacobi Alcantaræ & Calatrauz esse beneficia Ecclesiastica, & materiam Simonix, sed contra ipsum vide non solum Doctores citatos in principio huius Resolutionis, sed etiam nouissimè Stephanum Fagandez de iust. & contract. lib. 5. cap. 20. numer. 10. qui etiam num. 9. me citato tenet licitum esse abfque villo peccato pretium dare alicui, vt re

faciat ascribere inter milites horum Ordinum, quod vltimum est valdè notandum, quia in praxi quotidianum.

Et tandem ad confirmationem supradictorum non desinam hic adnotare, quòd post hæc scripta, & Romæ cum multis communicata, peruenit ad manus meas Votum R. P. Francisci Bardi ex inclita Societate IESV præstantissimi Theologi in quo latè, & doctè firmat vt plurimum Commendas Equitum Melitenfium non esse beneficia Ecclesiastica, & per consequens non esse materiam Simonix, & supradictum Votum fuit etiam subscriptum à Patribus Alexandro Neuola, Cæsare del Bosco, Francisco del Bone, Iosepho de Augustino, Martino Prates, & aliis viris doctis eiusdem Societatis.

An materia & forma Ordinum, fuerint instituta à Christo Domino?

R E S O L. XVIII.

AD hanc satis difficilem quæstionem ita respondet Ioannes Præpositus in 3. part. D. Thoma, quæst. vnic. de Sacram. Ordinis dub. 10. numer. 109. Ex hæcenus dictis de materia & forma ordinationis, & diuersitate in Ecclesia Romana, & Græca patère, quàm sit probabile Christum non instituisse Ordinum materiam, & formam in particulari, sed solum in genere, monendo scilicet, vt Ordines conferrentur per aliquod symbolum sensibile, quo significaretur eorum potestati, atque adeò relictum esse Ecclesiæ determinare materiam, & formam, dummodo per illa significetur potestas, quæ in ordine confertur, & ita censeat Ruardus S. de materia, citato. Arcudius lib. 6. cap. 4. §. itaque credibile. Fornarius, cap. 2. de Ordine & plures viri doctissimi, quos hac de re Romæ consului, tenuerunt etiam aliqui Louuanij: idem censeat saltem respectu Apostolorum Bellar. cap. 9. citato, in fine. Verùm probabilitas istius sententiæ etiam sine hac restrictione patet ex modo, quo ordines apud Græcos conferuntur quem modum Romana Ecclesia non reuocat in dubium, vt constat.

Vnde censeo, quòd licet hæcenus dicta de materia, & forma singulorum adiuncta videantur probabiliora, si spectetur vsus, qui modò seruatur in Ecclesia Latina, (ita vt Ordo aliter collatus in Ecclesia Latina esset nullus, illa constituenne determinationem materiæ & formæ, quæ iam est in vsu) aliter tamen collatus potest subsistere, si videlicet Ecclesia alio modo materiam & formam determinaret. Quemadmodum subsistit ordinatio Græcorum prædicto modo facta, & fortè subsistit ordinatio Diaconorum facta modo relato à Durando.

Nec dictis repugnat Trid. sess. 21. cap. 2. non enim vult Ecclesiam nihil posse circa determinationem materiæ Sacramentorum; sed solum vult contra hæreticos quod Ecclesia possit præscribere, vt Eucharistia sub vna specie sumatur, cum in eo non tollat vsum Sacramenti, & eius substantiam. Quæ substantia non potest dici tolli, si Ecclesia pro potestate sibi concessa variè determinet materiam, & formam ordinationis. Hæc omnia Præpositus, quæ quidem viris doctis maturanda relinquo; mihi etenim non plurimum arrident.

An qui in Ordinatione Sacerdotij tetigit tantum Calicem, & non patenam, validè ordinatus fuerit?

R E S O L. XIX.

CAsus in praxi accidit, & de illo ego interrogatus fui à quodam Illustrissimo Antistite, & affirmatiuè respondi: Et ita hanc sententiam tenet nouissimè Ioannes Petit in Theologia Sacramentali, part. 2. tract. 7. lect. 9. 5. vbi sic ait. Communis sententia est, contactum materiæ esse de essentia; quia in quolibet Sacramento habente materiam, necesse est, vt suscipiens contingat illam, vt patet in Baptismo & aliis. Tenetur ergo ordinandus Sacerdos, tangere calicem & patenam, saltem ex necessitate præcepti; quia hoc expresse in rituali præscribitur: quia tamen is qui tangit calicem, secundum communem vsum videtur tangere etiam patenam ei impositam, est satis probabile, huc contactum ad valorem Sacramenti sufficere, & contactum patenæ tantum ad maiorem securitatem exigi, Ita Petit; cui etiam adde Stephanum Bauny, in Theolog. Morali, part. 1. tract. 7. quæst. 12. vbi ita asserit. Qui in Sacerdotem ordinatur tenetur necessitate præcepti tangere calicem & patenam cui superposita est hostia. An autem immediatus esse hic contactus debeat, disputant Auctores. Probabilis est opinio mediatum sufficere saltem respectu patenæ, quia secundum communem vsum, tangi censeatur patena, quando calix tangitur, & proinde sufficit calicis folius contactus ad valorem Sacramenti. Itaque. Verùm quia hoc certò non constat, & est omnis in Sacramenti quærenda securitas, curandum est, vt tam calix, quàm patena immediatè tangatur, grauitèrque proinde peccaturum, qui secus faceret cum aduertentia.

* * *

An

An Regulares sint ab Episcopis examinandi, si munus predicationis exercere velint in alienis Ecclesiis?

R E S O L. XX.

PRO negatiua sententia in 3. part. tract. 2. resolut. 111. adduxi Mirandam, & Rodriguez quibus nunc addo Cyprianum Croufers in Regul. S. Francisci, cap. 9. lect. 1. vbi probat ex Concilio Tridentino, sess. 5. cap. 2. Quod tam examen quàm approbatio Prædicatorum regularium, ab vniuersitate Episcoporum ibidem congregatorum, non committitur Episcopo loci, sed Superioribus Ordinis quibuslibet respectu suorum: nec, vt regulares prædicare possint in Ecclesiis Diocesano- rum, præter examen, & approbationem Superiorum, examen aut approbationem ipsius Diocesani requirit: sed solum eiusdem licentiam, quam gratis concedere iubetur. Quapropter, sicut fratres non tenentur se subicere examini Episcopi, neque etiam Episcopus iure id exigere potest à fratribus, & contra dispositionem Concilij Trident. facit, si tantum, quia fratres nolunt se eius examini subicere, non vult eis dare licentiam prædicandi in sua Diocesi: sicut: iniquè ageret Parochus, qui nollet illos, qui ad prædicandum admissi sunt ab Episcopo, prædicare in sua Parochia sine sua licentia speciali; Quod si querant Ordinarij, quo priuilegio prædicatores mendicantium exempti sint ab eorum examine? Respondetur, esse exemptos iure Concilij Trident. cui subscripserunt omnes Episcopi Catholici: vbi verò Concil. Trident. non est receptum, prædicatores Ordinum mendicantium, ab Ordinarij examine sunt exempti, per Clement. Dudum de sepult. Ita Croufers Et nouissimè hanc sententiam docet etiam Ludouicus Cellotius de Hierarchia, lib. 5. cap. 21. vbi etiam docet pro leui, & temporaria prædicatione esse in arbitrio Parochi admittere Regulares ad concionandum sine licentia Episcopi, nam Concilium loquitur de diuturna, & ordinaria prædicatione. Idem etiam in fauorem Regularium tenet Henriquez, lib. 10. cap. 23. in Glossa, littera L. Alter Rodriguez in Compen. 2. Regul. resolut. 112. numer. in fine. Campanili in Diner. iur. Can. rubr. 12. cap. 13. num. 20. quos citat Barbosa vbi infra; Vide etiam Laurentium de Peytinis in Priuileg. Minim. tom. 3. cap. 2. numer. 11.

Verùm licet me citato hanc sententiam teneat etiam Franciscus Bordonus in Consilijs Regularium resolut. 7. num. 16. tamen num. 17. obseruat, vt ego vbi supra obseruauì, praxim

esse in contrarium, & ita declarasse Sacram Congregationem die 22. Ianuarij 1628. asserentem posse Episcopum examinare Regulares prædicare volentes in Ecclesiis, quæ non sunt suorum Ordinum. Et de hac declaratione testatur etiam Barbosa in Concil. Trid. sess. 5. cap. 2. num. 20. Vnde supposito quod sit vera, non est ab ea recedendum.

An si Episcopus omittat aliquam ceremoniam appositam in Pontificali pro benedictione Chrismatis, dicatur hoc non obstante Chrisma benedictum?

R E S O L. XXI.

SVppono quòd licet aliqua benedictio in Sconfuso requiratur ex Christi institutione vt Chrisma sit debita materia Sacramenti Confirmationis & Extremæ-vnctionis, nulla tamen in particulari sit ab eo determinata: sed modus benedictionis Ecclesiæ sit relictus, vnde is modus sufficit pro validitate Sacramenti, quem designat Ecclesia, qui pro temporum & regionum varietate potest esse alius, atque alius, & fieri potest vt benedictio vno tempore sufficiens non sufficiat alio, Pontifice prohibente, & irritante talem benedictionis modum. Hoc supposito queritur an si aliquid in Rituali positum pro benedictione Chrismatis Episcopus omiserit, Chrisma desinit esse benedictum. Respondeo more meo breuiter, & resolutoriè, non propterea Chrisma non censeatur benedictum quòd Episcopus forte aliquid in Rituali positum omiserit: quia Ecclesia non ita videtur requirere, vt omnia dicantur vel feruentur quæ sunt præscripta: vt benedictio reddatur irrita si quid forte omittatur. Non videtur igitur probabile Ecclesiam de facto velle omnes ritus confectionis Chrismatis esse essentialia: quia aliàs, si quis per aliquam distractionem, quod in tam multis ritibus facile posset accidere, aliquid omitteret, inualidè Chrisma conficeret, & consequenter per illud inualidè confirmaret, quod esset valde incommodum. nec Ecclesia potest censeari hoc velle. Itaque cum non possit discerni in benedictione Chrismatis, quæ verba aut ritus sint essentialia, quæ non; cum non sit maior ratio de his, quàm de illis; obseruatio totius tantum videtur ex præcepto Ecclesiæ: atque ita validè etiam si illicite alio ritu consecraretur, dummodo fieret sufficiens olei & Balsami commistio, & Spiritus sancti inuocatio. Et ita hæc omnia docet Ioannes Præpositus in 3. part. D. Thoma quæst. 72. art. 3. dub. 1. num. 21. Coninch de Sacrament. quæst. 72. art. 3. dub. 1. conclus. 4. num. 47. Suarez tom. 3. disput. 33. lect. 1.

sect. 1. §. *Restat verò.* Filiucius tom. 1. tract. 3. cap. 1. 2. num. 1. 2. & alij, quibus ego etiam calculum meum adiungo,

An sit valida ordinatio si porrecta patena cum hostia vinum intra calicem ex incuria non apponatur?

R E S O L. XXII.

DE hoc casu his diebus à quodam Episcopo interrogatus fui, & respondet affirmatiuè nouissima Instructio Hispalensis pro Ordinandis, part. 5. §. 6. num. 6. vbi sic habetur. [Si le entregara el Caliz solo con el vino, ò sola la Patena con el pan, era bastante materia? R. Que si, porque con qualquiera de estas cosas se daua entera potestad de consagrar el cuerpo, y sangre, que esta no se da dauidida, que el que puede la vna, pueda la otra. Y vemos que el Pontifice Innocensio VIII. dispensò con algunas naciones, adonde no se podia lleuar, ò conseruar el vino, que celebrassen solo con la consagracion de la Ostia; y assi no es de essencia del sacrificio la de ambas especies. Sic Henric. supr. Pero pecaria mortalmente el que solo consagrara en vna, y el que se ordinasse maliciosamente con vna sola.] Sic ibi, & hanc sententiam docet etiam ex Henriquez. Tiberius in instruct. pro ordin. cap. 3. quest. 22. quibus adde Doctores quos ego citavi in part. 3. tractat. 4. resol. 186. vbi quia hæc sententia est probabilis illam sequutus sum.

Sed postea in part. 4. tract. 4. resol. 119. negatiuæ sententiæ tanquam probabiliori adhæsi, & nunc etiam adhæreo. Primò quia id apertè repugnat Concilio Florentino requirenti traditionem vtriusque materiæ, scilicet panis, & vini.

Confir. forma non tantùm respicit alterutram partem materiæ, sed vtramque ex æquo ergo vtraque ex æquo per modum materiæ requiritur ad valorem ordinationis. Adde quòd patena cum pane, & calix cum vino non tradantur diuisim, sed simul, ergo signum est neutram partem sufficere etiam ad partialis Sacramenti confectionem, & proinde, si vnica pars tradatur nullo modo confici Sacramentum.

Consequentia probatur, videmus in omnibus alijs, quod quando Sacramentum saltem partialiter poni potest, partiali materiæ respondeat forma partialis distincta à forma partiali alterius, vt patet in vñctionibus, item in consecratione speciei panis, & consecratione speciei vini; cum ergo nihil simile hinc videamus, & aliunde non appareat sufficiens fundamentum asserendi alteram partem posse omitti salua

Sacramenti substantia, non est verisimile eam omitti posse.

Secundò non videtur villo modo probabile ita institutam ordinationem Sacerdotis, vt per eam possit conferri potestas ad conficiendum corpus, & non ad conficiendum sanguinem; vel ergo dicendum est necessariò requiri traditionem panis, & vini, vel per traditionem vnus partis conferri potestatem conficiendi Sacramentum perfectum: posterius autem non videtur admittendum, quia traditio vnus partis per modum materiæ solùm designat potestatem consecrandi hanc partem.

Antecedens argumenti probatur, quia non videtur posse subsistere potestas collata iure diuino, quæ, etiam sistendo intra limites illius iuris, nunquam possit exire in actum sine peccato; iure autem diuino nemo potest, saltem seclusa Pontificis dispensatione, sine peccato vnquam consecrare vnica speciem.

Confir. forma ordinationis Sacerdotis significat dari potestatem offerendi sacrificiũ eo modo, quo in Ecclesia cõmuniter offerri solet, illud autem est perfectum, nec datur Sacerdos qui non possit vtramque speciem consecrare. Quamuis ergo consecratio vnus speciei subsistat sine consecratione alterius, non tamen subsistit ordinatio, per quam videtur solùm dari potestas ad consecrandum vnã speciem, & non aliam. Et ideo hanc sententiam præter Doctores à me vbi supra in resol. 119. adductos tenet nouissimè me citato Raphaël Auersa de Sacrament. Ordinis quest. 2. sect. 8. & Stephanus Bauny in Theolog. Moral. part. 1. tract. 7. quest. 13. dub. 1. Verùm stantibus supradictis opinionibus, quid faciendum in praxi quando casus in facti contingencia accideret. Respondet Bauny, Auersa, & alij, quod si quando fuisset aliquis ordinatus Sacerdos per traditionem vnus tantùm speciei, vt pote si non fuisset appositum vinum in Calice, deberet omnino ex integro repeti ordinatio saltem sub conditione. Et ita ego sentio.

Qua causa requiratur ad dispensandum in insertitijs pro Sacerdotio assumendo?

R E S O L. XXIII.

Respondeo, vtilitas vel necessitas Ecclesiæ, sed ego adnotavi aliqua quo ad hoc in part. 4. tract. 4. resol. 209. nunc verò non deferam apponere verba Ioannis Baptistæ Tiberij Societatis I E S V, quia Codex non ampliùs inuenitur, sic igitur asserit in instruct. pro Ordinandis cap. 8. quest. 3. vbi sic ait. Quamuis Sorbo ex S. Antonino 3. part. 1. 14. cap. 16. §. 18. necessita

necessitatem Ecclesiæ dicat esse, cum non sunt alij, qui ordinentur, & Ecclesia indiget Ordinatis; Vtilitatem cum, etsi sint alij, Ecclesia tamen indiget. Hic tamen videtur nimius rigor; & S. Antonius loquitur de causa sufficiente ad cogendos clericos ad Ordines sumendos: Minor autem sufficit ad dispensandum, Quare hoc iudicium arbitrio Episcopi remittendum est. Neque enim requiritur necessitas extraordinaria, aut publica, vt etiam notauit Barbosa 2. part. allegat. 18. num. 5. sed etiam eminens doctrina; vel morum probitas, & alia Ordinandi merita sufficere videntur, spectat enim ad Ecclesiæ vtilitatem, & necessitatem, vt eorum ratio habeatur, quibus ipsa eget, vt ait Vasquez citandus.

Immo valdè probabile existimo particulam, ac, quæ habetur in cap. 14. sumendam esse disunctiuè, non copulatiuè; cum enim in alijs dispensationibus etiam maioris momenti, sæpè sufficiat Ecclesiæ vtilitas; immo, & ipsius dispensati, non apparet cur hinc non sufficiat. Aut certè verbum necessitas, latè sumendum prout magnam importat vtilitatem: & ita videtur velle Vasquez 3. part. D. 246. num. 50. & Filiucius tract. 9. numer. 3. versic. 5. Et putarim posse Episcopum absque scrupulo dispensare cum eo, qui causa studiorum, vt in iis magis proficiat, post ea distulit Sacrorum Ordinum susceptionem, quia Ecclesiæ summopere vtilis, & necessarij sunt docti Ministri. Et hæc omnia dicta esse volo secundùm mentem Tiberij.

An vt Episcopus possit ordinare aliquem ratione beneficij existentis in sua Diocesi, sufficiat vt beneficium sit simplex?

R E S O L. XXIV.

Negatiuam sententiam tenet nouissimè doctus Stephanus Bauny in Theol. Moral. tom. 1. tract. 11. quest. 3. vbi sic ait; Episcopus beneficij is dicitur, qui in loco præfidet vbi beneficium est situm, requirens residentiam; nam eius occasione ibi fixurus est sedem perpetuam, cum si officio satisfacere velit, ac suæ conscientiæ inde non sit recessurus nisi ad tempus. Dixi si residentiam exigit, nam simplicia hanc possessori suo facultatem non tribuunt, vt ab Episcopo in cuius sunt Diocesi sacro ordine initiari possit, aut tonsura. Ita ille; & ante illum Lessius lib. 2. cap. 34. dub. 19. numer. 92.

Sed contrariam sententiam ne timeant Episcopi in praxim deducere, quam præter alios tuctur Ioannes Præpositus in 3. part. D. Thoma

quest. vnica de Sacram. Ordinis dub. 14. num. 136 vbi ita asserit. Episcopus beneficij est is, in cuius Diocesi aliquis habet beneficium etiam tenuè, vt Henriquez lib. 10. cap. 22. num. 1. quia hinc non agitur de titulo sufficienti, sed de causa, propter quam aliquis sufficienter censeatur subiici alicui, vt ab eo possit ordines recipere, quæ inter cæteras est beneficium situm in alicuius Diocesi, vt patet ex cap. cum nullus, citato, beneficium autem quantumuis tenuè est verè beneficium,

Aliqui volunt, vt beneficium requirat residentiam, in qua non sit dispensatum cum beneficiario, quia aliàs ratione beneficij non constituitur domicilium; sed probabilius videtur sufficere beneficium non requirens residentiam, quia canon absolutè loquitur.

Confir. Pontifex non solùm vult ratione domicilij aliquem subiici Episcopo, vt possit ab eo ordinari, sed etiam alijs de causis; ergo illæ sufficient quamuis aliquis propter eas non fortietur domicilium. Hæc Præpositus; ex quibus sequitur oriundum ex certa Diocesi habentem domicilium in aliam, & in alia beneficium posse pro arbitrio ordinari à quolibet Episcoporum dictorum locorum: quod proportionè dicendum est de habente plura domicilia, vel beneficia in varijs Episcopatibus sita.

Notandum est hinc obiter quod Bonacina de Sacram. Ordinis disput. 8. quest. vnica punct. 4. num. 14. licet teneat sufficere beneficium non residentiale, vt supra firmauimus, limitat tamen, modò sit sufficiens ad victum, sed hanc limitationem ego improbaui in part. 4. tract. 4. resol. 51. vbi ex sacra Congregatione firmaui sufficere beneficium scutorum duorum.

An ex Matrimonio rato, & non consummato oriatur impedimentum affinitatis?

R E S O L. XXV.

Affirmatiuè respondet Ioannes Præpositus in 3. part. D. Thoma, quest. 7. de impedim. Matrim. dub. 1. numer. 88. Nam quamuis vir & foemina ante consummationem Matrimonij non sint vna caro per commixtionem sanguinis: possunt tamen dici vna caro, eò quòd vnus habeat dominium corporis alterius in ordine ad generationem. Præterea etiam ante consummationem matrimonij consanguinei vnus coniugis vocant alterum affinem. Tertio ratione contractus matrimonialis legitimi apud gentiles oritur quædam necessitudo inter consanguineos vnus coniugis, & alterum coniugem, vt etiam docet Sanchez disput. 65. numer. 6. & plures alij, quæ necessitudo non potest esse publicæ honestatis, cum ea sit

fit introducta lege Ecclesiastica. Quartò Doctores, qui censent iure naturæ priuignum non posse recipere nouercam in uxorem, loquuntur in genere, & intelligunt etiam de ea, quæ non fuit cognita, & in eo sensu quæstio agitur à Doctoribus, ergo utriusque supponunt inter priuignum, & nouercam nondum cognitam oriri quandam propinquitatem iure naturæ: non est autem publicæ honestatis, cum, ut dictum est, illa introducta sit lege Ecclesiastica, nec potest esse alia, quàm affinitatis. Ergo, &c. Vide etiam Ioannem Vigers in *suppl. 3. part. quæst. 50. cap. 5. dub. 6. num. 15.* Sed his non obstantibus ego adhæreo negatiuæ sententiæ, & puto in tali casu, ut in facti contingentia consului, oriri tantum impedimentum publicæ honestatis. Et ita tenent Doctores, quos citat & sequitur Sanchez, de *Matrimon. tom. 2. lib. 7. disput. 64. num. 25.* quibus ego addo Basilium Pontium *lib. 7. cap. 35. numer. 1.* Bonacinam *quæst. 3. punct. 11. numer. 9. & punct. 12. num. 18.* Gutierrez *cap. 54. num. 23.* Coninch de *Sacram. disput. 32. dub. 4. num. 46. & dub. 5. numer. 70.* Cœlestinum in *Compen. Theolog. Mor. tract. 2. cap. 25. dub. 3.* Filliucium *tom. 1. tract. 10. cap. 6. num. 220. & 221.* Reginaldum *tom. 2. lib. 3. cap. 18. num. 128.* Molfesum in *summa tom. 1. tract. 4. cap. 10. num. 94. & 96.* Basscum in *Theolog. pract. ver. Matrimonium 8. numer. 66.* Ioannem Petit in *Theolog. Sacram. tract. 8. lect. 112. & alios penes ipsos.* Probat hęc opinio quia affinitas non oritur ex matrimonio rato nondum consummato, sed tantum publica honestas, quia affinitas sine copula carnali confurgere non potest. Propinquitatis enim sanguinis verbis dicitur, non verbis efficitur, inquit Benedictus in *cap. lex 27. quæst. 2.* & nouissimè declarauit Pius V. in quodam Breui quod incipit, *Ad Romanum,* & Cardinalium Congregatio, quorum declarationes extant apud Rebillum *numer. 109.* & apud Farinacium *sess. 44. de reformat. Matrim. cap. 3.* in hęc verba. An ex matrimonio contracto per verba de præsentis, non consummato oriatur affinitas vel impedimentum publicæ honestatis? Respondet Congregatio non esse impedimentum iustitiæ publicæ honestatis, nec fortius ac maius vinculum, quàm impedimentum iustitiæ publicæ honestatis ex sponsalibus de futuro, & hoc Concilij decretum non loquitur de hoc impedimento, sed de illo tantum ex sponsalibus de futuro, ex quibus gradus istius impedimenti colligitur, non intelligit ad secundum gradum redactos, sed tantum illos qui contrahuntur ex sponsalibus de futuro, ut per bullam felicis recordationis Pij V. sub dat. Romæ. Hęc ibi. Ex quibus patet ex matrimonio nondum consummato affinitatem non oriri, sed publicam honestatem.

Dices ad praxim nil deseruit hęc quæstio cum sit tantum de nomine: nam utrumque impedimentum affinitatis, vel publicæ honestatis dirimit matrimonium, & ad quartum vsque gradum protenditur. Respondeo hanc quæstionem satis deseruire pro praxi, primò in ordine ad Datariam, quæ maiorem pecuniam requirit pro dispensatione impedimenti orti ex affinitate, quàm ex publica honestate. Secundò deseruit hęc quæstio pro excommunicatione lata in *Clem. unica de consanguin.* ubi excommunicantur contrahentes cum affinitibus, & ideo secundum nostram sententiam eam non incurreret qui contraheret cum consanguineis prioris sponsæ de præsentis non cognitæ, quia ut probauimus ex matrimonio rato non oritur affinitas.

An impedimenta Matrimonij per Concilium Tridentinum sublata, censeantur etiam sublata in Prouincijs ubi illud non est publicatum?

R E S O L. XXVI.

Affirmatiuam sententiam docet nouissimè doctus Franciscus Zypæus in *suis consultationibus Canonicis, lib. 4. tit. de Congregatione spirituali, consult. 1.* ubi sic ait. In lege derogatoria alterius legis quid prohibentis, aut irritantis promulgationem non ita solemnem, seu in singulis prouincijs requiri, sed regulariter sufficere factam in Curia, seu Concilio, sentit Vasq. *disput. 156. cap. 4.* unde dicendum est quòd, ubi Concil. Trident. non est publicatum, v. g. in Scotia, valida esse matrimonia contracta in 3. aut 4. gradu affinitatis ex copula illicita, vigore legis, in *cap. 4. S. 24. de mat. Conc. Trid.* derogatoriæ veteris iuris impedimentum dirimens eo gradu etiam ex copula illicita statuentis: quia huiusmodi lex derogatoria extremam illam solemnitatem non exigit. Liberatio multis modis facilius contingit quàm obligatio, fauorabilis sanè est libertas omnis, quæ à natura est. Dum legislator quid iubet fieri: ut populus facere obligetur, meritò plura requiruntur, quàm dum legislator tantum tollit impedimentum, quod ipse actioni posuerat, permittit, quòd vetuerat; eius hic tantum voluntas notificata sufficit; sed dum subditorum actio exigitur, plura requiruntur, ut agere obligentur. Sed & res facile dicitur reuerti ad primæuam naturam, & quod lubet agendi libertatem, contra quam prius illud ius matrimonij impedimenta induxit, quæ Trid. sustulit.

Neque his videtur obstare, quod Bulla promulgationis Concilij Trident. indifferenter obseruanda

obseruanda proponit onerosa, & fauorabilia decreta, ut non liceat horum commodum sentire, quin illorum onus acceptetur: *cap. qui sentent. tit. de reg. in 6.* quia tametsi desideret Concilium omnium receptionem, & obseruantiam; tamen ubi non omnium obtinere potest, gaudet fieri saltem possibilium: vtile ab inuiti non vitatur: raræ sunt extra Italiam prouinciæ, ubi Concil. Trident. quoad omnia decreta sit receptum, minimè in Francia, sed neque quoad omnia in Hispania, aut Belgio; nemo tamen rectè negauerit, quoad aliqua recipi potuisse, & obseruari, quomodo refertur, & Pium V. declarasse Tridentinum quoad fauorabilia à Catholicis Angliæ obseruari posse.

Iterum neque mouet, actus non operari ultra intentionem agentium; at Pontificis Tridentinum promulgantis intentionem fuisse, ut Concilium locum haberet ubi Catholici sunt Episcopi, qui regimen spirituale exercent, nam eorum opera receptionem fieri mandat. *sess. 25. cap. 2.* qui etiam discernant difficultates, quæ se possunt offerre, easque ad Pontificem referant; Qui parati sumus; inquit Bulla; omnium prouinciarum necessitatibus ea ratione, quæ commodior nobis visa fuerit prouidere: at illæ etiam contingere possunt circa obseruantiam fauorabilium decretorum; neque priuato arbitrio Catholicorum discernendum deferri debet, quæ recipi, quæ reiici debeant. Dum solet vulgus incertum esse, & studia in contraria scindi. Vnde, præsertim inter hæreticos Angliæ, etiam scandalum oriri possit: quia respondendum est primò ex iis legibus priorum prohibentium & irritantium derogatoriis nullam actionem deferri vulgo, omnem consistere in voluntate legislatoris, prohibitionem, obicem, impedimentum tollente; qua reditur ad agendi quidlibet libertatem; quam sibi obtingere quomodocumque nemo queri potest.

Respondetur secundò, tametsi Concilium, & Pontifex desideret receptionem & obseruantiam Concilij fieri per Episcopos; non tamen eas gentes, quæ sub hæreticis, aut infidelibus gemunt, excludi à solatio, & beneficio eiusdem Concilij, quin iis ad maiorem Dei gloriam in moribus, & directione, quantum per locorum, & temporum iniuriam licet, ut possint. Hucusque Zypæus.

Nec deseram hinc adnotare Zypæi sententiam tanquam probabilem ante illum etiam admittere ex Societate IESV Ioannem Præpositum in *1. 2. D. Thome, quæst. 95. disputat. 1. dub. 7. numer. 27.* ubi ita asserit, censent aliqui legem quæ reuocat aliam irritatoriam, non obtinere vim in aliqua prouincia, si in ea non fuerit promulgata. Ratio est quod hęc lex re-

uocans ponat nouum ius, quod probabiliter non ligat ubi non promulgatur, v. g. olim lex irritabat matrimonium contractum cum affine in tertio gradu ex copula illicita, quod impedimentum sublatum est per Trid. *sess. 24. cap. 4. de reformatione matrimonij*, seu lex quoad hunc gradum est reuocata. Censent verisimile, ubi lex Tridentini non est promulgata adhuc perdurare hoc impedimentum dirimens, etsi matrimonium initum cum tali affini in tertio gradu dissolueretur, & partes aliis coniungerentur, posterius matrimonium esse dissoluumdum.

Sed contrarium videtur verius quando lex reuocatoria non inducit aliquid onus, sed solum reuocat ius antiquum, & restituit antiquæ libertati. Vnde licet ea lex dici possit nouum ius, id non refert, quia id solum verum est quod à legillatore ita sit sancitum, non autem quod aliquid imponat de nouo populum grauans.

Aduerte, cum sentio non requiri promulgationem, non propterea sentio sufficere nudam internam voluntatem; is enim modus non sufficit ad directionem humanam, sed solum existimo non requiri solemnem consuetam promulgationem, sed sufficere solam mentis declarationem, qua velit priori legi derogare.

Ad id quod ex Trid. adfertur Resp. id fieri posse, quod ubi Trid. non est receptum, ius antiquum in suo robore permaneat. Censent tamen aliqui non esse dissoluumdum, quod reductio Concilij Tridentini etiam locum habere potuit ubi Concilium non est promulgatum, quod non est improbable. Ita Præpositus cui etiam adde Malderum in *1. 2. D. Thome, quæstione 90. art. 4. dub. 2.* Verum licet hęc sententia affirmatiua non improbabilis mihi videatur; puto tamen eius resolutionem petendam esse à Summo Pontifice, vel à Sacra Congregatione Concilij Tridentini.

An Episcopi ubi Concilium Tridentinum non est usu receptum, possint uti priuilegio eis concessio per dictum Concilium in sess. 24. cap. 6. de Reform.

R E S O L. XXVII.

Affirmatiuè respondet Franciscus Zypæus in *consultationibus Canonicis lib. 4. tit. de Congregatione spirituali consult. 1.* ubi sic asserit: Non possum accedere facile ad eorum opinionem, qui negant Episcopos, ubi Concil. Trid. nondum est receptum, uti posse facultate eis per Concilium tributa. *sess. 24. cap. 6. quos Barbosa in Collect. DD. ad Concil. Triden. d.*

cap.6.numer.3.citat. Cùm etiam decretum illud non in gratiam priuatorum, sed pro salute populi sit inductum: quam remorari non debet sicubi hæresis, pernicacia, aut aliæ quorundam causæ publicationem Concilij impediant: cùm etiam in priuatis alter alterius odio non debeat prægruari: vel conditio eius deterior fieri: neque Ecclesia pia mater morbis filiorum idonea quædam remedia auferri velle censenda est ideo, quia non omnia recipiunt: crudelis medicus crederetur, qui nollet aliter curare. Ita Zypæus.

Sed Episcopos illarum regionum in quibus Concilium Tridentinum adhuc receptum non est non posse vti facultate concessa in supradicto Decreto testatur declarasse Sacram Congregationem Concilij, Nicolaus Garfius de Beneficiis, part. 7. cap. 11. numer. 23. Et hanc sententiam tenet Sanchez in summa tom. 1. lib. 2. cap. 11. numer. 2. & alij, quos citat, & sequitur Barbofa de potest. Episc. part. 2. allegat. 39. num. 3. Vnde supposita dicta declaratione, non videtur recedendum ab ea. Nota tamen, quod Andreas Duallius ex inclita Academia Parisiensis præstantissimus Theologus in tract. de Summo Pontifice part. 3. quest. 7. docet, in Gallia Episcopos vti facultate dispensandi per Canonem Liceat Concil. Tridentini, absque villo ad Summum Pontificem recursu.

An Episcopi, vel Monialium Superiores possint ultra tertiam vicem concedere subditis Monialibus Confessarium extraordinarium?

R E S O L. XXVIII.

DE hoc casu olim interrogatus fui, & negatiuè videtur respondendum ex Gauianto in Manuali Episc. ver. Monialium cura spiritalis, vbi refert decisum, Confessarios extraordinarios non esse assignandos pro particulari Moniali sed in communi, & Leo Zambellus in Repertorio Morali ver. Monialis, numero 21. sic ait. Non potest Prælatus assignare particulari Moniali particularem Confessarium extraordinarium, quia omnes debent stare communi. Sed his non obstantibus affirmatiuè sententiæ adhæret nouissimè Franciscus Bordonus in Consiliis Regularium resolut. 5. quest. 11. numer. 11. quia in Decreto Concilij Tridentini sess. 25. cap. 10. nulla continetur prohibitio, sed tantum præceptio per quam Superiores Monialibus etiam non petentibus Confessarium extraordinarium offerre tenentur bis aut ter in anno. Ergo illum possunt offerre vltra tertiam vicem. Adde quod prohibitum non censetur, quod non re-

peritur expressè tale; imò concessum censetur quod non est expressè prohibitum. Et tale Decretum fuit editum fauore Monialium, vt ne interdum formidantes Confessario ordinario confiteri, sacrilegas confessiones efficerent, & ideo cum sit fauorabile, extendendum erit vltra tertiam vicem. Multas alias rationes pro sua firmanda sententia adducit Bordonus vbi supra, qui respondet ad auctoritatem Gauianti; nempe illam declarationem esse intelligendam de designatione plurali hoc est accedendi pluries ad eundem Confessarium extraordinarium distinctis vicibus.

Et notat post Constitutionem Gregor. XV. Inscrutabili & 1. Dato die 5. Februarij 1622. Superiores Regulares suis Monialibus non posse amplius deputare Confessarios Ordinarios, siue extraordinarios nisi prius sint ab Episcopo approbati.

Sed difficultas est, an tempore Iubilei Moniales possint sine licentia Episcopi vel Superioris Regularis confiteri cum quocumque Sacerdote approbato. Faustus, & Alphonsus de Leone quos in 3. part. tract. 4. resol. 154. adduxi mordicè negat. Verum me citato aduersus illos nouissimè insurgit Franciscus Bordonus vbi supra in Consiliis Regularium resol. 14. numer. 52. vbi docet posse Moniales validè eligere sibi Confessarium, qui proinde eas absoluat, iuxta præscriptum Iubilei, neque ad hoc indigere licentia, aut speciali approbatione Episcopi pro audiendis Monialibus. Tum quia non sunt deterioris conditionis reliquis fidelibus & illis hoc priuilegium æquè communicatur, & prorsus eodem modo, ac cæteris fidelibus. Tum quia viri Religiosi non egent huiusmodi licentia, ex probatis §. Primum; ergo neque Moniales. Tum quia in iis quæ à iure, seu à iuris legislatore conceduntur, non requiritur Episcopi licentia, inquit Graff. tom. 1. resolut. 8. de voto numer. 6. per cap. Due, 19. quest. 2. Tum quia sine licentia adsunt omnia requisita, nempe approbatio Episcopi, & iurisdicctio à Papa ex vi electionis delegata. Tum demum quia ratio dubitandi non habet locum hic, sed solum pro Confessionibus ordinariis, vel extraordinariis iuxta cap. 10. sess. 25. vbi sermo est de Confessariis ordinariis, & extraordinariis, quibus, aut ter in anno illis offeruntur, quæ non possunt cadere in electionem Confessarij tempore Iubilei; vnde in Constitutione Greg. XV. & in Concilio fit mentio de Confessariis deputandis, non autem de electione eorum, quod est diuersum; nam deputatio respicit Superiores, electio ipsas Moniales, ergo cum ex diuersis non fiat illatio, secundum vulgata iura, firmum fit, quod possint eligere Confessarium tempore Iubilei, & absolui independentè à suis prælatis supradictis.

Et

Et quia in hac resolutione incidit sermo de Confessariis Monialium non desinam hic apponere aliquas Declarationes Congregationis Concilij, factò verbo cum Sanctissimo editas anno 1623. tenoris sequentis.

Confessores extraordinarios Monialium nullatenus posse post Constitutionem illarum confessiones audire, nisi prius ab Episcopo Diocesano idonei indicentur, & approbentur: ordinarios verò Confessores ante constitutionis publicationem deputatos posse durante triennio ab eorum deputatione inchoando pergere in Confessionibus Sanctimonialium audiendis, absque alio examine, & approbatione Episcopi. Quod si contingat, vt eorum facultas à Sede Apostolica vltra triennium prorogetur, tunc debere eos ab Episcopo examinari, & approbari.

Superiores Regulares electos, seu deputatos ante ipsius constitutionis publicationem, quibus alioquin facultas competeat, audiendi Confessiones Monialium sibi subiectarum, posse durante eorum officio pergere sine alia Episcopi approbatione in Confessionibus audiendis illarum tantum, quæ spontè, ac proprio motu id ab eis petierint. At verò eos, qui post constitutionem eligentur, aut quoquo modo deputabuntur, vel qui in eorum Officiis, seu dignitatibus, expleto iam tempore à constitutionibus cuiusque Ordinis, vel aliis legitime prefinito, ad illud tempus confirmabuntur, nequaquam posse Sanctimonialium Confessiones audire, nisi prius à Diocesano Episcopo idonei indicati, atque approbati fuerint.

Regulares generaliter ab Episcopo approbatos ad Confessiones personarum secularium nequaquam censeri approbatos ad audiendas Confessiones Monialium sibi subiectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione.

Regularem ad audiendas Confessiones Monialium vnius Monasterij ab Episcopo approbatum minimè posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterij.

Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro vna vice audiendas haud posse pluries in vim approbationis eiusmodi illarum Confessiones audire, sed ab Episcopo toties esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.

Episcopum cui licet ex rationabili causa iuxta dictam constitutionem Superiores Regulares admonere, vt amoueant Confessores Monialium, atque administratores honorum ad eandem Monialium Monasteria pertinentium iisque Superioribus id facere decreuantibus, habetque facultatem prædictos Confessores, & administratores amouendi quoties, & quando opus esse indicauerit, non teneri eiusmodi causam significare Superioribus Regularibus, sed hoc relinqui arbitrio, & prudentiæ Episcopo-

rum, quorum Conscientiam Sacra Congregatio serio oneravit.

Hucusque Declarationes Sacre Congregationis, quas inuenies apud Riccium tom. 4. decisione 244. & apud Barbofam in Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 10. vbi numer. 5. obseruat fuisse decisum posse Episcopum dare Confessorem Monialibus subiectis Regularibus, quæ nulla ratione induci possunt, vt suis Regularibus peccata confiteantur, quod etiam testatur Campanili in diuersorio iuris Canon. rubric. 12. cap. 16. numer. 5.

An initiatus Ordinibus minoribus & sacris non suscepta primâ Tonfurâ su irregularis, & teneatur dictam Tonfuram sumere?

R E S O L. XXIX.

DE hoc casu consultus fui à quodam Antistite, & pro primo dubio dixit habuisse responsum affirmatiuum à quodam Theologo inclitæ Societatis I E S V, & in terminis adducebat Martinum Fornarium de Sacram. Ordinis, cap. 8. vbi testatur Sacram Congregationem Concilij declarasse eum qui omiſſa prima Tonfura ordinatur esse irregularem. Quia vt tenent communiter Canonistæ prima Tonfura est Ordo, Ergo talis suscepit ordinem per saltum, & per consequens contraxit irregularem.

Sed his non obstantibus ego sententiæ negatiuæ adhæsi; quia Tonfura non est ordo, idque non tantum iuxta receptam Theologorum doctrinam, sed etiam iuxta ipsum ius Canonicum, quod Tonfuram neque inter minores, neque inter maiores ordines agnoscit, Can. seriatim d. 3. illud d. 72. Can. à Subdiacono d. 93. Quibus conformiter Concilium Tridentinum Tonfuram quoque ab Ordinibus tam minoribus, quam maioribus distinguit sess. 23. cap. 4. 5. 6. 11. 12. 13. de Reform. Sicut etiam Romanum Pontificale tum alibi, tum quando dicit Clericatus siue prima Tonfura quocumque die, hora, & loco conferri potest: minores verò Ordines possunt dari singulis Dominicis & festiuis diebus duplicibus, vbi-cumque, in mane tamen.

Confirmatur, illi demum sunt Ordines, qui pro materia habent rem quampiam per cuius traditionem ipsi conferuntur, iuxta Synod. Flor. Tonfuræ autem nullus assignat materiam per cuius traditionem ipsa conferatur.

Nec valet dicere quod pars affirmatiua suaderetur primò ex cap. cum contingat de atate, & qualitate perficiendorum. Vbi

Bb 2 dicitur:

dicitur: Per primam Tonfuram Clericalis ordo confertur. Secundò ex Alcuino *lib. de diuinis Officiis cap. 35. sine de Tonfura Clericorum*, vocante Clericatus Ordinem. Tertiò ex motu proprio Sixti V. anno 1588. contra malè promotos ad Ordines, vbi primam Tonfuram appellat characterem Clericalem. Quartò ex eo quòd in Trid. *sess. 21. cap. 1. de reformat.* dicitur: Nihil pro collatione quorumcumque Ordinum etiam Clericalis Tonfuræ accipiant, scilicet Episcopi; eamque partem communius sequuntur Canonistæ, quibus vnus vel alter Theologus suffragatur. Cæterùm communissimè Theologi sentiunt non esse ordinem, quorum sententia est omnino verior. Ergo, &c.

Nam respondeo ad primum, & dico: nomen Ordinis in illo capite sumi pro gradu in Ecclesia, absque vlla tamen potestate spiritali, & proinde non sequi primam Tonfuram esse ordinem prout vsu Ecclesiastico in hac materia sumitur, per quod,

Responderetur ad secundum, quòd Alcuinus solum voluerit significare hominem per primam Tonfuram constitui in gradu eminentiore supra cæteros fideles Laicos, non verò voluisse, quòd per illam vlla spiritalis potestas conferatur.

Ad tertium dico, per characterem clericalem, Pontificem solum voluisse significare destinationem ad statum clericalem.

Ad quartum, dico, satis patere de sententia Concil. Trident. *ex cap. 2. citato illo ergo cap. 1. sess. 21.* solum vult non licere quidquam accipere, non solum pro collatione Ordinum, sed etiam primæ Tonfuræ, & quibusdam aliis, quæ ibi recenset.

Et ita hanc sententiam tenet doctus Stephanus Bauny in *Theol. Mor. tractat. 7. quest. 3.* Tiberius in *instruct. Ord. in cap. 2. quest. 15.* Bonacina de *Sacram. disput. 8. quest. unica punct. 1. numer. 6.* & alij, quos citat & sequitur Sanchez in *opusc. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 6. numer. 6.* quibus adde Villalobos in *summa tom. 1. tract. 11. difficult. 2. numer. 4.* Ioannem Petit in *Theolog. Mor. tract. 7. lect. 93.* Eligium Bassæum in *Floribus Theol. pract. ver. Ordo 1. numer. 3.* Ioannem Vvigers de *Sacram. in 3. part. D. Thom. questione 37. art. 1. numer. 6.* Ergo cum prima Tonfura non sit Ordo, consulentem nullam contraxisse irregularitatem dicendum est; cum non fuerit ordinatus per saltum, cum prima Tonfura non sit Ordo.

Quoad secundam dubitationem, an qui suscipialios Ordines teneatur recipere primam Tonfuram, referam hic quid alij sentiunt; Partem affirmatiuam docet Franciscus Syluius in *resolutionibus variis ver. Ordo 2.* vbi sic ait. Sicut contra mentem Ecclesiæ est quod

non tonsuratus ordines suscipiat, ita contra illam est, quod non suscepta Tonfura in iis ministret, ideo religioso præfato Tonfura conferenda est. Ita ille. Sed negatiuam sententiam inuenio docere Ioannem Baptistam de Fabris in *Manuali Ordinandorum de Sacram. Ordinis cap. 4. quest. 13.* vbi sic asserit. Dicitur est quod Tonfura est præparatio ad Ordines suscipiendos, debet ne necessariò præcedere Ordines? Respondeo de necessitate Sacramenti non debet præcedere, quia etiam si quis susciperet Ordines non recepta Tonfura validè esset ordinatus, nec vterius teneretur ad Tonfuram, est tamen de necessitate præcepti. Hæc ille.

An sorores Tertiariæ possint à Sacerdotibus suarum Religionum in articulo mortis sumere Viaticum, & Extremam-unctionem: vbi multa de Tertiariis vulgò Bizoche?

R E S O L. XXX.

Olim poterant ex priuilegio Sixti IV. nunc verò est eis interdictum, vt obseruat Reuerendissimus Magister Theodorus Stratius Generalis Ordinis Carmelitani meritiſſimus in *opusc. de Tertiariis cap. 9.* vnde visum est mihi hic per extensum apponere Epistolam Sacræ Congregationis directam ad Episcopum Modenæ tenoris sequentis.

Illre. & M^o. Reu. come Frèllo.

Hauendo Monfig. mio Eminentiss. Card. Cesarino riferito nella S. Congr. quanto V. S. hà passato con li frati dell' Ordine di S. Agostino del finale di coteſta Diocese in materia del Predicatore della Quaresima, e circa la Tertiaria del medesimo Ordine, che se n'è morta vltimamente. Questi Em. miei ff. dopo hauer maturamente considerate e discorse le ragioni de dotte per l'vna e l'altra parte, hanno risoluto quanto al Primo non esser stato lecito al frate di quella Religione predicare nella Chiesa del suo Ord. dopo hauer domandata, e non ottenuta da V. S. la benedictione, mentre expressamente li contradisse, & prohibi aneo che non predicasse, e che poteua lei in questo caso procedere contro di lui, e punirlo con valersi della facultà, che se ne dà à gli Ordinarij de Luoghi dalla Constitutione della sel. mem. di Gregorio X V. De exemptorum priuileg. E quanto al secundo articolo della Tertiaria sono stati similmente di parere non hauer potuto

li

li frati del Conuento sud. in vigore di qualſiuoglia priuilegio dell' Ord. loro amministrato i Sacramenti della Communionem per Viatico, & Extrema vnctione, ne meno andare à leuare il Cadauero di Casa procissionalmente, senza interuento, ò licenza del proprio Parocho, essendo queste funzioni proprie de Curati, à quali in ogni tempo, ma in questo più che in ogn' altro s'aspetta il riconoscere, aiutare, & hauer pensiero particolare dell' Anime commesse alla loro Cura, massima che la Tertiaria, ancor che fossi professata, non era claustrale, ma habitaua in Casa propria dentro à i limiti della Parochia di quel Curato. Onde per dare à V. S. & à coteſto popolo la sodisfazione che si conuicene s'è dato ordine qui al Procuratore Generale della med. Religione, che debba far venire da lei il Prouinciale di Romagna ad humiliarſe, e mostrare quelli offequij di riuerenzia, e di rispetto, che hanno tralasciato di vsare li suoi frati, nelli Casi predetti, mentre non si puol far venire il frate med. che predicò per la lontananza del luogo, doue hoggi si troua; Ripromettendosi all' incontro l'Eminenze loro, che ella lo riceuerà benignamente, e tratterà seco con quella Charità, e piaceuolezza, che suole essere propria del Padre, e Pastore; Il che li significa per ordine della S. Congregatione, accio sappia le resolutioni che si sono prese, el modo, come s'haurà da gouernare in questo Caso, e negli altri che possono succederli per l'auuenire; Dio la prosperi. Di Roma li 17. Giugno 1639. Di V. S. Ill. e M. Reu. Aff. come fratello, Il Cardin. S. Honofrio; l' Arcieues. di Tebe Secretario.]

Circa sepulturam verò supradictarum Tertiariarum in casibus occurrentibus Parochi, & Superiores Religionum recognoscant declarationes Sacræ Congregationis appositæ à Iulio Lauorio in *ſuis Elucubrationibus variis tit. 2. cap. 11. numer. 102. & 103.* Sed quia supradictus Reuerendissimus & amicissimus Pater Stratius multa curiosa asserit circa dictas Tertiarias, & Codex non ita facilè inuenitur, non desinam hic per extensum apponere, sic enim asserit *vbi supra.* Et quia reseruare casus est actus iurisdictionis spiritalis, & propterea Episcopus non potest reseruare casus, nisi quoad suos subditos, vt tradit etiam Concil. Trid. *sess. 14. cap. 7.* cum nostræ Tertiariæ sint exemptæ à iurisdictione Ordinarij, videtur consequenter dicendum, quòd casus reseruati ab Ordinario quoad illas minimè sint reseruati, & quòd propterea Sacerdotes nostri modò sint approbati ab Ordinario ad audiendas Confessiones secularium, possunt eas ab illis absolueri, sicut possunt absolueri fratres nostros,

cum hoc solum discrimine, quod non est necessè, vt Confessores fratrum sint approbati à suo Superiore, vt patet ex citato cap. 7. Concilij.

Addimus quòd qua ratione Ordinarius loci potest quoad subditos suæ iurisdictioni spiritali aliquos casus reseruare; videtur dicendum, quòd cum Tertiariæ nostræ subditæ sint iurisdictioni spiritali Prælatorum nostri Ordinis, possint nostri Prælati aliquos casus quoad illas, vt quoad suos fratres, reseruare.

Denique quoad casus Papales non censemus improbabile, quòd possint nostræ Tertiariæ à Prælati nostri Ordinis ab omnibus peccatis, criminibus, & excessibus, ac etiam censuris, & pœnis Sedi Apostolicæ reseruatis (exceptis contentis in Bulla Cœnæ Domini) vt possint (saltem in foro conscientiæ) vt ipsi fratres absolui.

Non sine etiam ratione affirmare possumus, quod Prælati nostri valeant vota sororum Tertij nostri Ordinis commutare, quia hoc spectat ad potestatem iurisdictionis, quam habet Prælatus super illas, & ob eandem rationem, quod possint etiam cum illis dispensare in omnibus votis simplicibus ab ipsis factis, in quibus possunt cum suis subditis dispensare Episcopi: nam & illi habent iurisdictionem quasi Episcopalem. Arbitramur quoque quòd possint eorum vota irritare, tollendo obligationem, & ratio est, quia, ob votum Obedienciæ earum voluntas subiecta est voluntati Superioris Religionis, quod quidem dici nequit de Tertiariis aliorum Ordinum, quæ non emittunt votum Obedienciæ. Nec obstat, si quis dicat, quòd Prælati ideo possunt vota fratrum sibi subditorum irritare, quia ipsi emittunt votum solemne obedienciæ, sorores autem Tertiariæ tantummodò votum simplex, quia seculundum Doctores votum solemne, & votum simplex sunt eiusdem speciei, nec differunt inter se, nisi accidentali differentia.

Nec caret probabilitate, quod dicunt nonnulli Doctores Tertiarias scilicet gaudere priuilegio Canonis, *Si quis suadente Diabolo*: ita vt si quis suadente Diabolo eas percusserit in sententiam excommunicationis ipso facto incurrat; licet enim non sint verè, & propriè Religiosæ, multum tamen participant de statu Religioso, Religiosæque personæ vocantur à Nicolao V. Constitutione citata in primo cap. suntque personæ Deo dicatæ per votum Castitatis, & Obedienciæ, ac deferunt habitum Religiosum; & confirmari potest à simili; nam etiam Nouitij, quamuis non sint verè Religiosi, nihilominus priuilegio Canonis gaudent. Quare Illustrissimus & Reuerendissimus Dominus Prosper Fagnanus, qui per multos fuit annos Secretarius Congregationis, tum Con-

cilij tum Episcoporum, & Regularium, à nobis consultus, in hanc nostram sententiam inclinavit. Hucusque Stratus; quæ omnia ex eius mente dicta esse volo. Et nota quòd loquitur de Tertiariis viucentibus in propriis, vel parentum domibus, cum voto tamen Castitatis virginalis, vel vidualis emisso, prout solent. Vide Bordonum in *Consiliis Regularium resolut.* 28. numer. 19. vbi me citato docet supradictas gaudere priuilegio fori, quod ego docui in *part. 1. tractat. 2. resolut.* 84. Et docet Stratus *vbi supra*; sed an gaudeant priuilegio Canonis ipse vt visum est affirmat, negat autem Bordonus. Vide etiam Ægidium Trullench in *Decalogum tom. 2. lib. 7. cap. 17. dub. 12. numer. 14.* vbi non solum asserit dictas Tertiarias, vulgo Beatas, seu Bizochas, quæ calibem vitam in propria domo sub voto emiserunt, gaudere priuilegio fori, sed etiam tenet me piè, & probabiliter docuisse posse consequi legatum relictum pro Monachatu.

Duo dubia satis practicabilia circa Indulgentias discutiuntur.

R E S O L. XXXI.

EX Gallia fuerunt mihi transmissa duo dubia; & ita erat petitio. In Ecclesia Sancti Caroli Lugdunensis sunt altaria ad Confraternitates diuersas pertinentia; vnum v. g. ad Confraternitatem S. Ioseph, aliud ad Confraternitatem S. Iacobi, aliud, &c. Vnaquæque Confraternitas pro sua Cappella, vel pro suo Altari Indulgentiam plenariam ad septennium per Breue obtinuit, in quo est Clausula (volumus autem quod si alias Christi fidelibus dictam Ecclesiam visitantibus aliquam aliam Indulgentiam perpetuò vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus præsentibus nullæ sint.) Quæritur modò an hoc non obstante valeant Indulgentiæ vt supra concessæ. Secundum dubium sic erat. Confraternitas v. g. Sancti Caroli Lugdunensis Indulgentiam plenariam pro sua Ecclesia seu Cappella obtinuit in die festo Annuntiationis, vt in Breui continetur lucranda. Vfus autem Ecclesiæ Lugdunensis est non solum transferre officium dictæ Annuntiationis, quando in Hebdomada maiori cadit, verum etiam solemnitatem ita quod in eà die in qua fit translatio omnis loci populus cesset ab opere. Quæritur modò an in dicto translationis casu transferatur quoque Indulgentia.

Ad primum dubium respondi affirmatiuè quia verba dictæ clausulæ intelligenda sunt de alia Indulgentia simili expressa in eadem concessione, ob dictionem, aliam, quæ est repetitiua eiusdem qualitatis, quæ prius, seu imme-

diatè fuerat expressa; vnde v. g. valida erit Indulgentia cum dicta clausula pro festo B. Caietani, etiam quod in nostris Ecclesiis adesset Indulgentia pro festo B. Andreæ. Et ita docet Lezana in *Summa tom. 3. ver. Clausula, num. 25.* Naldus *eodem ver.* & Gauantus in *Manuali, Episc. ver. Indulgentia, numer. 17.*

Ad secundum dubium etiam affirmatiuè respondi ex dictis supra in alia resolutione ex doctrina Francisci Syluij in *resolutionibus variis ver. Indulgentia 2. §. Si autem*; quia vt suppono in Breui dictæ Indulgentiæ nulla efficitur mentio de die mensis, sed conceditur Indulgentia pro die festiuitatis; Ergo ista translata transfertur etiam Indulgentia. Hoc addam hîc, quod non obstat doctrina P. Magistri Lezana *vbi supra in Summa tom. 3. ver. Festi dies numer. 13.* ex Portellio & Azorio, quod si aliquis dies festus habeat Indulgentiam annexam lucranda tali die, si contingat officium illius diei transferri in alium diem, tunc Indulgentia non transfertur. Non, inquam, hoc obstat, quia sentio cum Lezana, quòd quando transfertur officium, non transfertur Indulgentia; sed secus dicendum puto quando transfertur, tum ipsa festiuitas, tunc enim puto vt dixi quod transfertur etiam Indulgentia.

An Regulares possint dispensare in impedimento affinitatis ad petendum debitum inter coniugatos?

R E S O L. XXXII.

ALibi affirmatiuam sententiam docui, & tenent Miranda in *man. tom. 1. quest. 47. art. 1.* Portel in *dubijs Regul. ver. Confessor regularis erga seculares, numer. 23.* Rodriquez in *Questionibus Regul. tom. 1. quest. 47. art. 1.* Sanchez de *Matrim. tom. 2. lib. 8. disput. 16. num. 8.* Ioan. de la Cruz de *privileg. lib. 2. cap. 6. dub. 9. concl. 1.* & alij. Et hoc virtute priuilegiorum, & præcipuè Pij V.

Sed aduertat Lector hanc sententiam veram olim fuisse, nunc verò non esse admittendam, quia priuilegia illa concessa regularibus ad dispensandum in nostro casu, fuerunt ex viuæ vocis oraculo, anno 1631. per Bullam particularem ab Urbano VIII. reuocata. Verum nota quòd Pater Lezana in *Summa 2. Regul. tom. 3. ver. Affinitas numero 4. & 5.* obseruat hodie non obstante dicta Bulla, posse Regulares dispensare in dicto casu ex quodam priuilegio concessò Monachis Monasterij S. Benedicti Congregationis Valli-soletanæ concurrentibus tamen aliquibus conditionibus. Primò, hos Confessarios deputandos

deputandos esse ad talem dispensationem faciendam per Superiorem Monasterij, ita vt non sufficiat generalis facultas audiendi Confessiones fidelium; sed requiritur ista deputatio ad hoc munus specialiter; Et mortuo Superiore vel amoto qui talem designationem fecit, cessat designatio ab illo facta, eò quòd illa est ad nutum concedentis reuocabilis. Secunda conditio est, vt dicta dispensatio efficiatur in Sacramento Confessionis, & non extra: efficiatur in domibus, & Ecclesiis Religionis, & non extra: quæ quidem omnia non erant necessaria ex priuilegio Pij V. & aliorum Pontificum. Vnde ex his Confessarij Regulares cautè procedant in dispensando super petitione debiti inter vxoratos; quia vt dictum est post Bullam Urbani VIII. non deseruiunt priuilegia antiqua, & in casu contingenti videant Lezana, *vbi supra.*

An saltem Generalis Religionis possit præcipere subdito, vt Episcopatum acceptet?

R E S O L. XXXIII.

PRo parte affirmatiua faciunt quædam verba Sancti Magistri in *2. 2. quest. 85. art. 2. ad 3.* vbi ait; votum emittentem teneri obedire Superiori Prælati obliganti ad acceptandum Episcopatum. Item docet Richardus *Quodl. 3. quest. 21.* D. Antonius *part. 3. tit. 20. cap. 2. §. 6.* Angelus *ver. Electio num. 30.* & ibi Armilla *numer. 37.* Siluester *quest. 19.* & alij. Deinde confirmatur, Prælati Religionis potest obligare subditum ad acceptandum beneficium habens adiunctam curam animarum. Ergo & Episcopatum; videtur enim æqualis ratio.

Sed his non obstantibus ego prorsus negatiuam sententiam tenendam esse puto. Ratio est, quia religiosus tenetur obedire Prælati in iis quæ sunt secundum Regulam. At fieri Episcopum non est secundum regulam, nec ad regularè vitam pertinet, immo ab illa eximit, & prorsus contra rationem est, posse Prælatum id subdito præcipere, per quod ille ab eius obedientia eximitur.

Tum quia potestas, quam habet Prælati Religionis ordinatur per se ad commune bonum Religionis, aut bonum particulare subditi, nec ex vi officij habet communi Ecclesiæ necessitati providere. Sed Episcopatus non ordinatur ex se ad bonum Religionis aut subditi, sed ad commune bonum Ecclesiæ; ergo.

Tum etiam quia Prælati secundum D. Bernardum in libro de præcepto, non potest

augere votum subditi sui, at in promotione ad Episcopatum valde augetur votum Religiosorum, cum ascendat ad dignitatem altioris perfectionis, & extra ordinem Religiosus inuitus trahatur. Igitur dicendum est non posse Generalem alicuius Religionis præcipere alicui Religioso subdito, vt acceptet Episcopatum; quia nec illa est materia voti obedientiæ; vt probatum est, nec iurisdictio Generalis ad hoc extenditur, quia non est proportionata materia obedientiæ, & vitæ regulari; vnde solum Generali demandata est cura suæ Religionis, non autem vniuersalis Ecclesiæ, ad quem spectat Episcoporum prouisio, Et ita nostram sententiam docet ex Dominicanorum familia Pater Ludouicus Lopez in *instruct. Sacerdot. part. 1. cap. 56.* ex Societate Pater Suarez de *Relig. tom. 3. lib. 10. cap. 10. numer. 22.* & Pater Sanchez in *Summa tom. 2. lib. 6. cap. 2. numer. 49.* Castrus Palaus *tom. 3. tractat. 16. disputat. 4. punct. 5. numer. 1.* quibus adde etiam Faustum in *Thesouro Religiosorum lib. 6. quest. 95.* vide etiam Layman *lib. 4. tractat. 5. cap. 9. num. 10.*

Nec obstat in contrarium adducta, nam ex rationibus allatis dicendum est nomine Prælati D. Thomam intelligere Pontificem, vt optimè notat Faustus, & Sanchez *locis citatis* ex Soto de *iust. lib. 10. quest. 2. art. 2.* Ad confirmationem respondeo negando paritatem rationis, nam per Episcopatum ita mutat Religiosus statum, vt subtrahatur ab obedientia Prælatorum Religionis, & quodammodo desinat esse membrum illius corporis, *argumento cap. 1. 18. quest. 1.* per inferiora autem beneficia non fit tanta mutatio; sed potest Religiosus manere sub obedientia sui Prælati, quamuis beneficium habeat. Est autem difficile intellectu, quod Prælati possit præcipere subdito aliquid, per quod subtrahatur à sua obedientia; facile autem, quòd præcipiat ministerium sub obedientia sua exercendum, Deinde in statu Episcopali multo magis est periculi, quàm in inferiori, non solum maioris obligationis, sed etiam propter maiorem libertatem, honorem, potentiam, & rerum abundantiam; in quibus omnibus magis distare videtur ab humili Religiosorum statu. Rursus Religiosus semel factus Episcopus, non potest per voluntatem Superioris Episcopatu priuari; vt per se constat, potest autem priuari beneficio inferiori, etiam sine speciali causa. Cæteras autem rationes videbis apud Suarez *vbi supra*; vnde sine fundamento aliqui his diebus circa præsens

dubium loquuti

sunt.

* * *

An vota vitæ Quadragesimalis Minimorum, Redemptionis captiuorum, Mercenariorum, non acceptandi Prælaturas extra Religionem Patrum Societatis I E S V, & Discalceatorum D. Augustini & similia sint dispensabilia saltem per Generalem?

R E S O L. XXXIV.

Affirmatiuè videtur respondendum per ea quæ indiuidualiter tenet Miranda in *Manuali Prælatorum tom. 1. quest. 9. art. 6. conclus. 1. & 3.* vbi expressè docet in supradictis votis vitæ Quadragesimalis, &c. posse Generalem dispensare, quod etiam probat ex loco Concilij Tridentini *sess. 25. cap. 1.* Vbi agens de votorum Regularium custodia, & obseruantia differentiam atque distinctionem facit, inter supradicta tria Religionis essentialia, & substantialia vota (obedientiam nempe, paupertatem, & castitatem) & alia cuiuslibet Regulæ & Ordinis peculiaris vota, & præcepta (respectiuè) pertinentia ad supradictorum obseruantiam, nec non ad communem vitam, victum, atque vestitum. Et tandem verba faciens de tribus votis supradictis, compertum esse dicit, quod ea, quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, non possunt per Superiores relaxari, cuius & rationem reddens, inquit. *Etenim si illa, quæ bases sunt, & fundamenta totius regularis disciplinae, exactè non fuerint conseruata, & custodita, totum statim corruat adificium necesse est.* Ex quibus Concilij verbis, sic colligo argumentum: Omnia, quæ non sunt de substantia regularis vitæ: de mente Concilij, ex causa, per Superiores possunt relaxari, atque in eis dispensari: sed obseruantia, quæ sunt secundi generis (de quibus supradiximus) vt cumque essentialia, & obligatoria sint, suosque professores ad peccatum obligent, tamen sunt de essentia, & substantia regularis vitæ, siquidem sine ipsis aliæ Religiones reperiri possunt: Ergo obseruantia prædictæ ex causa & in casibus particularibus, Superiorum subsunt dispensationi.

Sed his non obstantibus negatiuè sententia ego adhæreo, quia in supradictis votis, & materia ipsa, & actus vouentis sunt omnino extra superioris dominium, cum iuxta constitutiones à Pontifice approbatas dicta vota sint annexa ei statuto Religioso. Ergo regulantur iuxta tria substantialia vota, & accessorium sequitur naturam principalis. Adde quod distinguenda sunt vota peculiaris vnus cuiusque Religionis à regulis, & præceptis obligantibus sub mortali: est enim inter hæc duo maxima differentia, quamuis ambo ex regula, & ex

voto oriri videantur: nam & vota peculiaris secundum regulam sunt, & præcepta regulæ aliquo modo includunt votum obedientiæ: est nihilominus differentia, quod licet regula ordinet, & votum fiat, tamè immediatè non oritur obligatio ex regula, sed ex voto, vt in Religione Minimorum regula ordinat fieri quartum votum abstinendi à carnibus, factò autem voto comedere carnes est sacrilegium immediatè oppositum voto: è contrario verò, si sola regula immediatè obligat ad eandem abstinentiam v. g. etiam si obliget sub mortali (vt quidam de Carthusianis dicunt) non est obligatio voti, neque excedit obligationem præcepti humani Ecclesiastici: quia votum obedientiæ quod illa lex supponit obligat immediatè ad seruandam vnquamque regulam, vt supra dixi, sed vnaquæque regula obligat iuxta sensum & virtutem suam.

Dicendum est igitur supradicta vota in titulo Resolutionis posita non posse per Generalem dispensari, irritari, aut commutari: Et ita nostram sententiam tenet Bordonus in *Consiliis Regularium resolut. 14. numer. 24.* Portel *ver. Voti irritatio numer. 68.* Tamburinius *de iure Abbatum tom. 3. disputat. 4. quest. 8. cap. 2. dub. 3. 2. numer. 7.* Palauus *tom. 3. tract. 15. disp. 2. punct. 8. numer. 5.* Layman *lib. 4. tractat. 4. cap. 7. numer. 6. asser. 5. in fine;* quibus omnibus adde sapientissimum Suarez *de Relig. tom. 4. lib. 2. cap. 12. à numer. 28.* vbi tandem *numer. 39.* sic ait. Sequitur præterea ex dicta resolutione, idem dicendum esse de quocumque statu Religioso habente votum aliquod ex peculiari ratione talis status, præter tria vota communia, nam tale votum indispensabile est per Prælatos Religionis, propter rationes factas, quæ generaliter procedunt ex natura status religiosi, & conditione talis voti: & ideo punctum hoc non reseruauimus in peculiarem tractatum de Societate, quia de se comune est. Ita ergo cenfeo de Monialibus Sanctæ Claræ, quoad votum clausuræ, non enim possunt in illo dispensare Prælati minores, quia non possunt votum illud, vel obligationem eius auferre. Idem est de voto non comedendi carnes, quod Religiosi Minimi emittunt: nam per eorum Superiores tolli, seu dispensari non potest ob eandem rationes. Nec refert quòd Prælati possint aliquando dare licentiam egrediendi, aut comedendi, &c. nam supposito voto, hoc tantum fieri poterit vel interpretando casum esse talem, in quo votum non obliget, quod non est dispensare, vt in *tract. de voto lib. 6. cap. 9.* dixi vel subtrahendo materiam voti, quia nimirum in ipso voto emittendo, vel expressè, vel secundum regulam includitur conditio non faciendi hoc, vel illud, nisi approbante, vel ordinante Superiore: tunc enim dum ipse ordinat, vel

dat

dat facultatem, non dispensat, sed facit vt cesset materia voti. Hac autem integra manente, indispensable esse existimo talia vota per inferiores Prælatos, etiam per Episcopos, quia ex vi status, cui sunt annexa, sunt alterius Ordinis, & habent quasi peculiarem modum reseruatiõis, vt explicatum est. Hucusque Suarez.

An Generales Religionum possint auocare ad se causas pendentes coram inferioribus Prælati?

R E S O L. XXXV.

Negatiuè respondet Portel in *dubis Regularium ver. Prælati potestas, numer. 8.* cui adde, nonissimè Leonem Zambellum in *Reperitorio Morali ver. Prælati, numer. 34.* vbi sic ait. Prælati maior non potest auocare suo tribunali causam quam incœpit Prælati inferior in prima instantia, nisi fuisset interposita appellatio talis grauaminis quod sufficeret pro huiusmodi auocatione. Sint ergo Prælati cauti, & recordentur doctrinæ S. Conc. Tridentini *sess. 24. cap. 10.* nec se ingerant in causis spectantibus ad immediatos Superiores, sed si cognoscant necessitatem ad summum assignent Collegam, qui vnà cum Prouinciali causam expediat. Ita Zambellus.

Aliqui verò affirmatiuè sententiæ adhærent seclusis constitutionibus in contrarium ex voto Obedientiæ quo omnes Generali Ordinis obstringuntur & ideo ratione maioris obligationis, & subiectionis subditorum possunt hanc facultatem exercere auocando ad se causas. Hinc asserunt, quod voluntas Prælati inferioris subiicitur voluntati Superioris ratione voti Obedientiæ, vt notat Suarez *num. 22. loci citati*, vnde non potest esse efficax contra voluntatem Superioris; imò nec iusta; quia ratione voti ex iustitia obligatur se conformare cum voluntate Superioris. Ergo non potest Prælati inferior velle prosequi causam coram se pendente, nisi cum consensu Superioris; & si vellet, iniuste vellet? Ergo ob huiusmodi subordinationem, & dependentiam est in potestate Generalis, quod Prælati inferior prosequatur causam ad se pendente, vel non prosequatur; Nam sicut est in potestate ipsius voluntas inferioris Prælati, ita etiam omne ius, & iurisdictio ipsius; cum hæc sequantur voluntatem, & ideo auocando ad se causam, facit actum suæ potestatis. Verum hæc ratio parum vrgeret apud Portel, & Zambellum, nam concederent Generales habere omnimodam iurisditionem in subditos, sed regularam, & restrictam secundum Canones, sed

Concilium Tridentinum, nouissimè satis se declarat, primas instantias tractandas esse ante locorum Ordinarios. Ergo Respondendum est igitur tenendo opinionem affirmatiuam, posse Generales auocare ad se causas pendentes, non solum ex supradicta ratione potestatis in subditos, sed quia illud Decretum Concilij nihil innouat quoad Regulares, vt ex Sac. Congregatione & ex Aldrete, & Riccio obseruat, & docet Nouarius in nouo iure Pontificio *concl. 54. numer. 12.* vnde patet responsio ad principium ex quo negatiuam sententiam tenuit Portel & Zambellus. Verum affirmatiuam sententiam in praxi nisi ex vrgentissima causa, & quasi coacti Generales minimè admittant.

An licitum sit parentibus castrare filios ad conseruandam vocem, ipsis consentientibus?

R E S O L. XXXVI.

Supra negatiuam sententiam docui, sed post hæc impressa peruenerunt ad manus meas Decisiones Morales Patris Pasqualigi, qui *Decis. 498.* affirmatiuè sententiæ nominatim contra me adhæret, eo quod excellentia vocis in ordine ad cantum sit magnificianda, tum quia est perfectio boni corporalis quod pluribus membris præfertur, tum quia ratione ipsius personæ redditur honorabilis etiam apud Principes, tum quia est sufficiens vt inde acquiratur nobilis sustentatio vitæ, & plus commodi ab ipsa percipitur quàm ex eo quod quis sit habilis ad generandum. Vnde maius bonum censendum est quod sit excellentia vocis, quàm non esse castratum.

Sed his non obstantibus puto non esse discedendum à sententia quam docui, quia vt obseruat Bittershulius in *Nouellis Iustiniani part. 12. cap. 12. numer. 8.* Gudelinus *de iure nouissimo lib. 5. cap. 17.* & alij communiter, nemo est Dominus membrorum suorum vt patet *ex lege 13. liber homo ff. ad Aquil.* Et licet aliquando licitum sit membrum abscindere, tamen hoc procedit in casu necessitatis, vt obseruat D. Thomas *in 2. 2. quest. 65. art. 1.* & Doctores communiter in ordine ad conseruationem totius corporis, & ratio est, quia membra sunt propter bonum totius, quando igitur membrum aliquod toti corpori adduceret perniciem, ratio naturalis dicitur illud rescindi, & abici posse; quod etiam procedit ex causa extrinseca adueniente; & ideo si quis ligatis manibus in bello, vel alio loco iniuste detineatur cum vitæ probabili periculo potest sibi membrum abscindere, si aliter euadere non possit.

Similiter

Similiter si quis haberet manum ferro alligatam, aut parieti sagitta affixam, videret flammam ignis iam iam inuadentem, aut hostes irruentes, licet potest vi brachium relicta manu extrahere si nullum aliud est remedium. Sic etiam qui a canibus detentus mortem timeret, nec aliter euadere potest, licet potest sibi membrum abscindere. Et qui domi inclusus ab hostibus interficiendus detineretur, licet potest cum manifesto periculo fractionis pedis vel manus se per fenestrâ demittere. Item qui manum habet viperæ venenatam, ne venenum cor comprimat & moriatur, licet potest eam abscindere. Igitur ex sententia D. Thomæ, & omnium Theologorum dicendum est quod tunc quis potest disponere de membris suis, quando eorum abscissio esset necessaria pro salute totius corporis, vel alicuius membri principalis. Et ideo rectè infert Ioannes Viggers de iustit. & iure, tractat. 2. cap. 2. dub. 19. numer. 110. quod extra necessitatem nemini licet se mutilare, siue membro aliquo se priuare, neque curare id fieri per alium. Hinc D. Thomas ubi supra in respons. ad 3. dixit membrum non esse præscindendum propter corporalem salutem totius, nisi quando aliter toti subueniri non potest: ita Sanctus Doctor Vnde ex his corruunt argumenta, quæ pro sua firmanda sententia adducit Pasqualigus; nam in casu Eunuchorum abscinditur membrum non ex necessitate ut corpus vel aliquod eius membrum principale in suo esse conseruetur ne pereat, sed ut vox tantum dulcis & sonora conseruetur. Ergo nulla ratio naturalis dicitur in isto casu ut vno membro damnium inferatur, imò prorsus abscindatur pro melioranda tantum voce, nam vox dulcis, & sonora non est medium necessarium pro tuenda salute totius corporis, vel alterius membri principalis: neque cum voce aspera & dissonanti corpus vel aliquod eius membrum est in statu pereundi. Ergo non tenetur aliquod membrum illi succurrere cum tanto detrimento sui, quia non adest status necessitatis in quo ex ratione naturali teneretur abscissionem pati. Nec si vox ex dulci & sonora efficiatur aspera & dissonans, sequitur ex hoc ut corpus vel membrum aliquod principale pereat, vnde aliud teneretur cum sui detrimento illi succurrere, & nos non sumus in casu in quo quis vocem & loquelam amitteret nisi abscinderetur. Neque honor apud Principes, aut ampla sustentatio potest efficere ut licita sit alicuius membri detruncatio, ut vult Pasqualigus, cuiquidem concedimus quod excellentia vocis sit permagnificanda, sed non est necessaria. Ergo castratio non erit licita, quia non sumus in casu conseruandi suppositum in suo esse ne pereat sed tantum meliorandi, & perfectionandi, &

ideo aduersus Pasqualigum, præter Tannetum Layman, Megalium, & alios alibi à me adductos, tenent nostram sententiam nouissimè, me citato, ex Societate I E S V Pater The-saurus in Prax. part. 2. ver. Membrorum mutilatio, cap. 1. §. amplia secundo. Bonacina de cens. disput. 7. quest. 2. punct. 2. numer. 34. & Pater Magister Lezzana in Summa Questionum Regular. tom. 3. ver. Homicidium, numer. 4. & ver. Irregularitas numer. 75.

Adde aduersus supradictam castrationem, quod Eunuchi vehementer libidine inflammantur. Ergo sunt in maximo salutis periculo, quia eis matrimonium inire ab Ecclesia est interdicitum; de vehementissima autem eorum venere quicquid asserat Pasqualigus, vide Bonacinam, & Viggers ubi supra, quibus etiam adde Basilium Pontium de Matrimon. lib. 7. cap. 67. numer. 1. & leg. 4. ff. ad leg. Cornel. de Sicar.

An ad euitandum periculum vitæ & infamiae puellæ prægnantis sit licitum procurare abortum si fœtus non sit animatus.

R E S O L. XXXVII.

PRO affirmatiua sententia in 3. part. tract. 5. resolut. 11. adduxi Torreblancam de Magia lib. 2. cap. 43. numer. 10. & quidem putabam suam sententiam à nemine sequendam esse, sed deceptus sum, nam illam postea docent Leo Zambellus in Repertorio Morali ver. Medicus, numer. 11. Bordonus in Consiliis Regularium, resolut. 45. quest. 4. numer. 4. in fine. Et hanc sententiam tanquam probabilem admittit nouissimè Pater Magister Lezzana in Summa Questionum Regularium tom. 3. ver. Abortus, numer. 5. ubi sic ait. Peccatum graue est procurare abortum etiam in casu quo femina nobilis, aut Monialis cum viro peccauerint, & timent mortem, vel infamiam, vel scandalum si grauidæ fiant, non enim sunt faciendæ malæ, ut veniant bona, & est contra ordinem impedire conceptionem fœtus, nam semen & copula à natura sunt instituta ad proles conceptionem & generationem. Dicit tamen Azorius oppositam esse opinionem aliorum, quos non refert, quam credo probabilem solum in eo casu quo nullo alio omnino modo, nullæ via impediri posset infamia, aut mors talis feminae, tum enim non videtur esse intrinsecè malum procurare abortum fœtus inanimis, aut impedire conceptionem ipsius. Ita Lezzana, cui etiam addendus est Egidius Trullench in Decalogum tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 4. numer. 1. sic asserens. Aliqui existimant si aliud non suppetat remedium,

quod affectus cum principio facti æquiparatur factu ex leg. Si quis seruo alieno ff. de fur. At proferens dicta verba satis ostendit affectum, & principium facti blasphemandi. Ergo. Nam respondeo in hoc argumento assumi illud de quo est questio; non enim est verum quod conflet de affectu, cum ille colligi nequeat, nisi ex sermone, qui cum in verbis prædictis non sit perfectus, inciuile est illa iudicare, ex leg. inciuile ff. de legibus. Et huic sententiæ Ricciulli ego adhæreo.

Non assentior tamen eidem Ricciullo assenti in cap. 11. numer. 7. qui eodem impetu, & actu plures blasphemias contra vnum Sanctum profert, committere tot peccata quot sunt blasphemias: non inquam assentior huic opinioni sed contrariæ, quia moraliter censetur vnus numero actus, & omnes blasphemias sunt partes vnus continuati sermonis, & ita si quis alterum semel & iterum pugno percuteret absque temporis interuallo vnum numero tantum peccatum patrarer. Et hoc intelligendum est etiam si blasphemias diuersi generis sint, & non sint vna & eadem sapiens repetitas nam etiam si diuersi generis sint, tamen ratione temporis & vnus impetus quo dicuntur, vniuntur & vna censentur. Et ita docet Fagundez in Decalogum tom. 1. lib. 2. cap. 3. numero 24. & alij penes ipsum, quibus adde me citato Trullench etiam in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 11. dub. 2. numer. 5.

Item non assentior eidem Ricciullo qui in cap. 6. numer. 11. docet iurantem per membra honesta Christi esse blasphemum; nam hoc esset verum si iuraret per membra inhonestas, secus per alia membra: quia sic ex his nil attribuitur Christo quod verè non habeat, & ei conueniat; & si talia iuramenta ita reuerenter fiant, non esse culpam venialem docet Fagundez loco citato numer. 14. vnde nec frequens consuetudo facit ut talia iuramenta blasphemias censentur aut peccatum mortale.

An si quis dicat Potta di Di, Renego di Di, Al cospetto di Di, ommissa litera O, sit censendus blasphemus hæreticalis?

R E S O L. XXXVIII.

AFFirmatiuam sententiam docet Auctor Casuum Conscientiæ Bononiæ discussorum anno 1634. mense Martio decis. 3. ubi sic habetur Sempronius, ex ira solet impiè dicere Puttana di Dio, sed paulò post subdit Bacco, vel Al dispetto di Di, ommissa litera O. Queritur an sit blasphemus hæreticalis, Respondetur Sempronium si cum aduertentia sufficienti ea verba protulit fuisse blasphemum hæreticalem, in primo enim dicto tribuit Deo per contumeliam aliquid ei omnino repugnans, & in secundo abstulit quod Deus habet. Quamuis enim in primo dicto addiderit paulò post verbum Bacco, (si tamen ad fugiendam blasphemiam non erat solitus illud addere) & in secundo omiserit litteram O. In vtroque tamen casu est completa blasphemia hæreticalis cum sit completus verborum sensus blasphemiam continentium. Ita ille, qui citat Lazarium, & Bonacinam.

Sed contrariam sententiam docet nouissimè Ricciulli tract. de Personis qua in statu reprobo versantur, lib. 1. cap. 4. numer. 18. quia talia verba non sunt perfecta. Nec valet dicere

quod affectus cum principio facti æquiparatur factu ex leg. Si quis seruo alieno ff. de fur. At proferens dicta verba satis ostendit affectum, & principium facti blasphemandi. Ergo. Nam respondeo in hoc argumento assumi illud de quo est questio; non enim est verum quod conflet de affectu, cum ille colligi nequeat, nisi ex sermone, qui cum in verbis prædictis non sit perfectus, inciuile est illa iudicare, ex leg. inciuile ff. de legibus. Et huic sententiæ Ricciulli ego adhæreo.

Non assentior tamen eidem Ricciullo assenti in cap. 11. numer. 7. qui eodem impetu, & actu plures blasphemias contra vnum Sanctum profert, committere tot peccata quot sunt blasphemias: non inquam assentior huic opinioni sed contrariæ, quia moraliter censetur vnus numero actus, & omnes blasphemias sunt partes vnus continuati sermonis, & ita si quis alterum semel & iterum pugno percuteret absque temporis interuallo vnum numero tantum peccatum patrarer. Et hoc intelligendum est etiam si blasphemias diuersi generis sint, & non sint vna & eadem sapiens repetitas nam etiam si diuersi generis sint, tamen ratione temporis & vnus impetus quo dicuntur, vniuntur & vna censentur. Et ita docet Fagundez in Decalogum tom. 1. lib. 2. cap. 3. numero 24. & alij penes ipsum, quibus adde me citato Trullench etiam in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 11. dub. 2. numer. 5.

Item non assentior eidem Ricciullo qui in cap. 6. numer. 11. docet iurantem per membra honesta Christi esse blasphemum; nam hoc esset verum si iuraret per membra inhonestas, secus per alia membra: quia sic ex his nil attribuitur Christo quod verè non habeat, & ei conueniat; & si talia iuramenta ita reuerenter fiant, non esse culpam venialem docet Fagundez loco citato numer. 14. vnde nec frequens consuetudo facit ut talia iuramenta blasphemias censentur aut peccatum mortale.

An Regulares in grangiis, seu cellis particularibus possint celebrare cum Altari portatili contradicente Episcopo?

R E S O L. XXXIX.

SUPponio posse Regulares celebrare cum Altari portatili in quocumque decenti loco, Episcopo non contradicente, & tum solum non posse quando id prohiberet. Ita Ledesma in Summa tom. 1. cap. 20. de Euchar. difficult. 4. circa conclus. 2. Ioannes de la Cruz de Priuileg. Regul. lib. 2. cap. 5. dub. 7. post conclus. 4. Emanuel Rodriguez in questionib. Regul. tom. 1. quest. 43.

art. 5. Hieronymus Rodriquez in *Compen. 22. Regul. resolut. 9. numer. 4.* Portel. in *dubii Regul. ver. Altare. numer. 1.* Marchinus de *Sacrament. Ordinis tract. 3. part. 3. cap. 9. numer. 12.* Lugo de *Sacram. Euch. disput. 20. sect. 2. numer. 51.* & alij. Nec obstat Concilium Tridentinum *sess. 22.* & ibi clausula. *Non obstantibus quibuscumque priuilegiis*, quia non tollit directè priuilegia, sed dat facultatem Episcopis prohibendi etiam contra priuilegia, & ideo non obstantibus quibuscumque Priuilegiis possunt Episcopi prohibere Regularibus ne celebrent extra Ecclesiam, quod si non prohibeant non est Regularibus interdictus vsus priuilegiorum quicquid in contrarium asserat Peregrinus in *Compen. Priuileg. part. 1. tit. Missa*, §. 2. Faustus de *Sacram. Euch. lib. 2. quest. 171.* Fagundez de *præcept. Eccles. part. 1. lib. 3. cap. 13. numer. 16.* Beia *part. 4. cas. 33.* Chamerota de *Sacram. Euch. dub. 15.* Suarez *tom. 3. disput. 81. sect. 3.* Coninch de *Sacrament. quest. 83. art. 3. dub. 1. num. 226.* & alij.

Sed his suppositis difficultas est, an Episcopo contradicente & prohibente possint adhuc Regulares non obstante Decreto Concilij Trident. celebrare in Grangiis & Cellis particularibus. Et affirmatiuam sententiam nouissimè tanquam probabilem admittit Lezana in *summa questionum Regul. tom. 3. ver. Altare. numer. 14.* vbi sic ait. Etiam in casu quo Episcopus repugnet probabile est posse vti Regulares priuilegiatos hac facultate celebrandi Missam cum altari portatili in grangiis, & prædiis suorum Monasteriorum. Ratio est, quia Concilium loco relato solum concedit Episcopis ne permittant celebrare in priuatis domibus, aut omnino extra Ecclesiam. Hæc verò prædiâ, seu grangia, non sunt priuatæ domus, quia non sunt domus priuatarum personarum, aut secularium, sed Monasteriorum, & Communitatum Religiosorum, nec sunt omnino extra Ecclesiam; & bona ipsius. Rodriquez, Ioannes de la Cruz, & Peirinis relati.

Pari etiam probabilitate idem affirmari posse videtur, sicque aliquando in Hispania practicari vidi, de cameris particularibus aliquorum Religiosorum, casu aliquo extraordinario, quo videlicet propter infirmitatem è camera exire non possint ad audiendam Missam, & dies solemnitas fuerit, vel propter Sacram Communionem reiiciendam. Quod scilicet tunc possint in propriis cameris honestis, ac decentibus celebrari facere in Altari portatili. Ratio est, quia camera Religiosorum regulariter sunt loca decentia, & honesta, ac per consequens in eis poterunt prædicti Regulares priuilegiati vti dicto priuilegio, non solum permittente, aut non contradicente Episcopo

propter dicta, sed etiam casu dato, quod ipse contradicat, cum prædictæ camera non sint priuatæ domus, sed ad Ecclesiam pertinentes, nec omnino extra Ecclesiam, ac proinde non comprehensæ in Decreto Concilij Tridentini. Pro hoc etiam extat notabile Priuilegium Pij I V. pro Canonicis Regularibus Sancti Saluatoris Lateranensis, quod refert Peirinis, *supra numer. 34.* ex Peregrino in *Compend. priuilegiorum Congregationis Regularium tit. Infirmi* §. 2. Est autem magnum hoc priuilegium, nam concessum dicitur 18. Maij 1565. post Concilium Tridentinum, & cum derogatione ipsius. Hucusque Pater Lezana.

*Quibus Priuilegiis gaudeant Cardinales
quoad celebrationem Missæ in
eorum Cappellis.*

R E S O L. XL.

Casus est curiosus & practicabilis, sed quia circa illum dignum his diebus me fecit cuiusdam Dissertationis à se compositæ Eminentissimus Princeps, & amantissimus Dominus meus FRANCISCUS MARIA CARDINALIS BRANCATIUS, vir non solum in legali scientia, sed etiam in Morali, & Scholastica Theologia peritissimus, ideo in gratiam studiosorum illam per extensum apponere non grauabor, audiant igitur Cardinalem sic loquentem.

Dubitanti aliquando mihi, quibusnam fruamur priuilegiis; vel quid nobis ex Pontificum indulgentia in nostris domesticis Cappellis, quidve in iis ipsis, nostris Cappellanis liceat, visum fuit peropportunitate totam hanc dissertationem in quatuor diuidere quæstionulas, quibus vniuersa complectatur tractatio, vt in posterum quæ mihi licita forent non ignorarem.

Prima, An Cappellani Cardinalium possint in Cappella Palatij ante Auroram, & post Meridiem tam pro Dominorum suorum seruitio, quam familiarum seorsum, celebrare, & quam hora nostri vsualis horologij.

Secunda, An vnica tantum, vel plures Missæ à diuersis Cappellanis in eadem Cappella celebrari possint,

Tertia, An si Cardinalis sit absens, & extra Urbem in qua degit, durante eius absentia, possint nihilominus iidem Cappellani in eodem Palatij sacello sacrificium offerre.

Quarta, An exteri, & non domestici Cardinalium familiares, si sacris intersint in Cappella prædicta diebus festis, præcepto satisfaciant.

Antequam tamen singulas dissoluam quæstiones

stiones, præmittendum esse censui. Primò, Priuilegiis, quibus Episcopi diuersis in rebus fruuntur, potiri etiam Cardinales, iisque sex præsertim, de quibus meminij Gloss. in *cap. fin. de priuileg. in 6. in verbo Indulgemus.* Manfred. in *tractat. de Cardin. decis. 214.* Villadieg. de *orig. Card. quest. 13. numer. 63.* Barbat. de *præst. Card. quest. 3. part. 1. numer. 6.* Iacobat. de *Concil. lib. 1. fol. 36. col. 2.* Layman. *Theol. Moral. lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 2. numer. 1.* Dian. *part. 5. tractat. de potest. & priuileg. Card. resolut. 48.*

Imò in nostra hac materia, non solum iidem, ac Episcopi gaudent priuilegiis, sed etiam amplioribus, cum maiores sint Episcopi in administratione. Concil. Lateran. *sess. 9. de Card. latè Turrecrem. in summa lib. 1. cap. 81.* Villadieg. de *orig. Card. quest. 11.* Barbat. de *præst. Card. quest. 1. numer. 52.* Manfred. d. *tract. decis. 114.* Alban. de *Card. quest. 7.*

Vnde etiam post Concilij Tridentini decretum de celebr. Missarum, possunt Cardinales ex Pontificis priuilegio extra locum sacrum celebrare super altari tamen portatili, quod aliis etiam Episcopis videtur interdictum ex multorum Doctorum opinione Nauar. in *Manual. Lat. cap. 25. numer. 82.* Rodriquez in *summa part. 1. cap. 242. numer. 14.* ibi, [ni el Papa lo concede à los Obispos, excepto à los Cardinales.]

Et id, quod indultum olim fuit Sacerdotibus in Concilio Triburien. & habetur in *Can. Concedimus, de consecrat. dist. 1.* quod si deesset in itinere Ecclesia, possent in altari portatili sacrificium offerre, & deinde solis Episcopis referuatum, vt in itinere hoc valeant facere: & ampliatur est etiam ante lucem. Gloss. in *d. cap. fin. de priuileg. Verb. Indulgemus, quam sequuntur Nauar. Palud. & Sot. dist. 3. quest. 2.* quos refert, & amplectitur Henriquez in *summa lib. 9. cap. 24. lit. P.* Suar. loco *infra cit. vers. 3. exceptio.* Azor. *tom. 1. lib. 10. cap. 25. quest. 5.* Sà in *Aphor. verb. Missa, num. 27.* Coninch de *Sacram. quest. 83. art. 2. dub. 4. numer. 217.* Barbof. post alios de *offic. Episcopi part. 2. alleg. 23. numer. 5.*

Hoc Cardinalibus licet, etiam si non iter faciant, & ante lucem, vt concludit idem Henriquez loco *cit. ex Palud. & Sot. in 4. dist. 13. questione 2. art. 2.* Scott. de *sacris. Missæ lib. 2. cap. 15. numer. 4.* Alzed. de *præst. Episcop. part. 1. cap. 13. num. 13.* & post hos Diana d. *part. 5. resolut. 77.* (hi postremi indistinctè loquentes in itinere vel extra) Syluest. in *summ. verb. Missa 1. num. 6.* ex eod. Palud. vbi ait, Cardinalibus Papam in hoc dispensare, quod celebrent ante Auroram.

Et animaduertendum, hoc Cardinalium priuilegium, vt optimè docet Valer. de *diff. utr. for. diff. 2. in verb. Missa*, esse mixtum personale scilicet & locale, cum ratione personæ illorum,

quilibet locus priuilegium consequatur, quod infra sæpius nobis repetendum erit.

Secundò, præmittendū est, idem esse quoad eos, qui huiusmodi fruuntur priuilegiis (celebrandi videlicet ante Auroram, & post Meridiem, & in Altari portatili) si ipsimet celebrent, ac si ab aliis celebrari faciant, *text. in d. cap. fin. de priuileg. in 6.* & omnes DD. supra adducti id testantur, & supponunt, addo Diaz in *prax. crim. can. cap. 47. numer. 3.* Rodriq. in *summa in cap. 243.* Suar. loco *mox cit. vers. tertia exceptio.* Nald. in *summa Verb. Missa numer. 29.* & communis est DD. sententia, quæ concludit posse Episcopos, & per consequens Cardinales cum suis Cappellanis in hoc dispensare, quod in priuatis Oratoriis celebrent, vt olim poterant ex *sexta Synod. & habetur in can. Clericos, de consecrat. dist. 1.*

His præmissis, Ad primam quæstionem affirmatiuè respondeo, posse, scilicet Cardinalem Cappellanos pro eorum seruitio ante Auroram in domestico sacello celebrare; hoc tamen ex priuilegio.

Etenim iure communi, & regulariter, præcisèque priuilegiis (quicquid sit de præca illa consuetudine, de qua Baro. meminit *tom. 2. Annal. ad ann. 154. num. 2.* in sacris vigiliis consuetum fuisse noctu sacrificium offerri) initium Auroræ terminus est, ante quem non licet Missam celebrare, D. Thom. in *3. part. q. 83. art. 2. ad 4.* Suar. in *3. part. tom. 3. quest. 83. art. 2. sect. 4.* Scott. de *sacris. Missæ in d. c. 15. num. 3.* Fr. Ioannes à Cruz de *stat. Relig. lib. 2. c. 5. dub. 6.* Bonac. de *Sacram. Euch. tom. 1. disp. 4. quest. vlt. punct. 9. n. 5.* & innumeri, quos colligit Barbof. in *collect. Concil. sess. 22. in decret. de obseruan. & euitan. in celebr. Missæ numer. 29.*

Vt autem clariùs elucescat responsio, videndum est primò pro iis, qui nullo vtuntur priuilegio, quid importet initium hoc Auroræ: deinde videbimus quid priuilegium secum afferat prærogatiuæ, quando scilicet priuilegium scriptum non apparet, vt in casu nostro; cum enim illud extat illius verbis inhærendum est, vt dicimus de regularibus, quibus hoc est indultum. S. Thomas igitur *dict. q. 83. art. 2. ad 4.* constituit Auroræ initium inter mediâ noctem, & Solis ortum, quando scilicet substantia Solis super terram apparet, & incipere Auroram, quando claritas radiorum Solis, non Sol in cælo conspicitur, tunc enim quodammodo dicitur Sol ortus, & signatè Auroræ initium dici per horam, & quartam horæ partem ante Solis manifestationem, affirmat Scot. in *4. dist. 13. q. 2. art. 2.* Gabr. in *lect. 14. in Canones*, ita vt omnibus non Priuilegiatis liceat tunc celebrare Scott. loco *cit. cap. 15. num. 3.* Roselin *Verb. Missæ, numer. 2.* Azor d. *lib. 10. cap. 25. quest. 5.* Rodriq. *tom. 1. q. 43. art. 3.* & alij communiter.

Adeo quod exemp. gr. de Mense Ianuar. à principio, vsque ad medietatem illius, iuxta communem Poli altitudinem Italicam plus, minúve à gradu 39. ad 43. (quæ latitudo comprehendit omnem ferè Italiam, vltra nonnulla alia loca) incipere possunt hora 12. & dimidia, & deinde vsque ad finem horæ 12.

Ampliant tamen hoc tempus pro non priuilegiatis vnus scilicet horæ cum quadrante ad horam cum dimidio, grauissimi Theologi, & primò Suar. *loc. cit. vers. secundo, inquiri potest*, vt occurrat scrupulis, ait non esse infensum super illo quadrante, horæ scilicet cum quadrante, vt supra dictum fuerat, cum in re morali non sit procedendum per Mathematicam mensuram, sed licitè posse per sesquihoram ante Solis ortum. Secundò, Alij, quod possit Missa inchoari per dimidium horæ ante crepusculum, hoc est ante Auroræ initium, ita vt finis Missæ incidat in initium Auroræ vel crepusculi, Palud. apud eundem Suar. & Victor. *in summ. n. 97. Layman. tract. 5. de sacrif. Missæ, cap. 4. num. 2* & Suar. *loc. cit. vers. tertia exceptio*, consulit hoc esse in Praxi seruandum.

Cumque crepusculum, vt not. etiam Bonac. *loc. cit. de Sacram. Euch. tom. 1. disp. 4. quest. ult. punct. 9. num. 5.* dicatur tempus vnus horæ cum dimidia ante Solis ortum, toto pene anno, Martio ac Iunio Mensibus exceptis, ex communi Theologorum & Astronomorum sententia, ex hac probabilissima tutaque opinione sequitur, quod quilibet Sacerdos possit per duas ferè horas ante Solis ortum Missam inchoare ex eod. Suar. *vers. tertia exceptio. Hieron. Rodrig. in comp. quest. Regul. resolut. 25. de celebr. Missæ.* & alijs supra cit.

Hæcque pro non priuilegiatis. Quid igitur pro iis qui priuilegijs fruuntur, sed non sunt in corpore iuris clausa, vel in Bullis, aut concessionibus, vt est quoad Cardinales, quorum priuilegia sunt apud DD. & vsus & traditiones, & (quod est amplius) sumuntur ex scientia Summorum Pontificum, & eorum tolerantia & dispensatione, vt dicit Syluester *loc. cit. in Sum. in verb. Missæ 1. numer. 6.*

Dico quòd cum priuilegium consistat in anticipatione temporis ad totum tempus, in quo præciso priuilegio, quis celebrare valeat, vt optimè aduertit Suar. *loc. cit. vers. tertia exceptio*, & Rodrig. *in Sum. verb. Missæ, c. 243. n. 1.* & cæteri. Sic ratiocinandum generaliter erit, vt semper Missam terminare valeant per duas horas ante Solis ortum, vt priuilegium aliquid addat priuilegiatis. Vnde Scottia *loc. cit. num. 4.* in specie de Cardinalibus loquens, affirmat eos posse per duas horas cum quadrante ante Solis ortum sacrificium terminare, & sic addit quartam horæ partem ratione priuilegij.

Et, si nostra priuilegia saltem interpretati-

uè de voluntate Summ. Pontif. metiri velimus ex priuilegijs Regularibus S. Dominici, & S. Francisci concessis, possemus, & hoc facere (vt ipsi possent) per tres horas ante Solis ortum, vt de prædictis Regularibus affirmat Suarez *loc. cit.* & Mirand. *in Manuali Prælat. q. 40. art. 10. conclus. 2. part. 1.* Hieron. Rodrig. *loc. cit. in comp. quest. regul.*

Et saltem ex supra deductis certum est, quod si simplex Sacerdos, præciso priuilegio Missam inchoare potest per mediam horam ante initium crepusculi, & Auroræ, (tempus illi concessum de iure) & hoc quia sufficit, quod Missa definat circa initium Auroræ, idem dicendum sit de Cardinalibus, eorumque Cappellanis, qui poterunt incipere per dimidium horæ ante tempus concessum, ex DD. sententia, hoc est duarum horarum cum quadrante, & sic per duas horas cum tribus quadrantibus, vt Missæ sacrificium terminari contingat per duas horas cum quadrante ante Solis ortum, cum sacrificium communiter spatio semihoræ perfici solet.

Supereft nunc in eadem quæstiuicula quæsitum soluere, an hoc idem fieri à Cappellanis possit in iisdem Cappellis pro familiæ Cardinalis commoditate, vt si exemp. gr. pars familiæ discessura sit ab Vrbe præcurrando Dominum, velitque Missam audire, an licitè hoc possit ante Auroram?

Pro affirmatiua probabile existimo, fundamentum est, quia vt supra ostendimus, priuilegium hoc est mistum, & sic licet non adsit persona Cardinalis, competit nihilominus loco, respectu familiarium. Accedit, quia Episcopus, & sic Cardinalis potest dispensare cum suo Cappellano, vt Missas iuxta eorum priuilegium celebret; vt supra cum Suar. & communi opinione DD. firmauimus, vnde cum licentia Cardinalis saltem hoc facere licitè poterunt.

Neque obstat, quod cum Cardinalis non assistat per se Missæ, videtur cessare priuilegium sibi concessum; nam hoc est falsum non solum respectu Cardinaliū, sed cuiuscunque, etenim ij, qui gratiam obtinent à S. D. N. in proprijs Palatijs celebrare faciendi, in facellis ad hoc ab Ordinario visitatis, certè licet ipsi non assistant (vt exempl. gr. si Dominus infirmatur, vel nequeat sacrificio interesse) potest nihilominus familia præcepto satisfacere, & Missam audire, quia priuilegium ad hoc videtur, ex rationabili concedentis coniecturata mente se extendi, & ita vsus interpretatus est, & Confessarij docti, & timoratae conscientia hoc admittunt; nam priuilegium dicitur commune Domino, & familiaribus, & sic etiam videmus celebrari in Cappellis Cardinalium, & Episcoporum, licet ipsi non interint, si aliqua vel infirmitate, vel impedimento detineantur, neque hucusque

hucusque audiui aliquem pium, & sapientem virum condemnare, vel cogere familiam Cardinalis, vt in similibus casibus Missam in Ecclesia ausculter iterum, vt satisfaciat, ergo sicut potest familia priuati vt priuilegio concessio Domino suo, illo etiam non interessente, ita etiam familia Cardinalis priuilegio Cardinali concessio etiam illo absente, & in simili, quod familia Cardinalis fruatur eodem priuilegio quo Cardinalis quoad non residentiam in beneficij curatis, latè Alban. *de Card. priuil. 6.* & ante ipsum Laudem. *de Card. q. 13. n. 63.* & Barbat. *de præst. Card. q. 6. Basil. num. 18.* quod familia Cardinalium debeat splendidioribus vt vestibus, quàm familia Episcopi, quia radiis dominorum coruscet, *text. in l. habitatio, vers. secundum dignitatem, ff. de ventr. in poss. mit.*

Possit etiam in medium deduci alia ratio, nam Cappellanus Cardinali pari iure cum ipso censetur quoad officia diuina, & sibi conformari potest, vt firmat Villad. *de Card. orig. n. 63. q. 13. for. 59. in tract. tom. 13. part. 2.* & Clem. 2. *de celebr. Missæ.* vbi DD. Alzed. *in d. tract. cap. 5. numer. 118.* At certum est, quod Missa est pars officij diuini, *Glos. in Clem. 1. de celebr. Missæ. verb. Canonicas, ex Clem. vnica de reliq. & venerat. Sanct. circa finem, Ferr. de Hor. Canon. numer. 26.* ergo non tantum in ritu celebrandi, sed etiam quoad tempus se Cappellani Cardinalibus conformare valebunt.

Tandem ratiocinatione hoc idem comprobari possit. Nam Cardinalis respectu suæ familiæ dicitur Pastor & Episcopus, Turrian. *de penit. disp. 23. dub. 3. Preposit. in 3. p. D. Th. q. 8. de approb. minist. dub. 7. n. 53.* & ante hos Laudem. *de priuil. Card. q. 17.* & in alio tr. *de eod. q. 13.* Alban. *de Card. q. 42. priuil. 15.* Naldus *in Sum. ver. Card. n. 8.* refert dici Ordinarium suorum Commensaliū Sot. *in 4. disp. 17. q. 4. art. 2. vers. Card. verò. Azor. 1. 2. lib. 4. c. 3. vers. 16. queritur.* Suar. *in 3. p. t. 4. disp. 25. sect. 2. in exemptionibus n. 12.* vbi ait Cardinales esse proprios Sacerdotes, & Parochos suæ familiæ, & erga illam posse per se, vel per alios hoc munus exercere. Tanner. *t. 4. disp. 6. q. 9. dub. 3. n. 58.* Diana post cæteros. *d. p. 5. ref. 10.* & colligitur ex Concil. Later. sub Leone X. *sess. 9. de Card.* ibi, Ordinamus, vt quilibet Cardinalis se domus, ac familiæ suæ optimum Rectorem, perfectumque ostendat esse. Et sic in Cappella Cardinalium domestici eius satisfaciunt præcepto, *cap. omnis vtriusque sexus; nec aliam agnoscunt Ecclesiā Parochialem.* Si ergo propriæ familiæ cura est apud Cardinalem, & per alium illam, quoad animarum salutem dirigere potest, ad ipsum spectabit, & ipse poterit licentiā dare vt Missæ satisfaciant familiares; & Cappellanis vt celebrent ante Auroram iuxta priuilegium quod habet, suis etiam communicabile, vt supra probatum est.

His tamen non obstantibus si ego sacrificio Missæ non adesset non permetterem Cappellanum meum in Sacello ante auroram celebrare; solum igitur Cardinale Missam audiente id licitum esse puto.

De priuilegio autem postmeridiano, vt ita dicam, (& sic tota remanebit dilucidata controuersia) videtur etiam Cardinalibus concessum, & eorum Cappellanis, vt post meridiem celebrare; & celebrari facere valeant sicut communis opinio testatur, posse Episcopum in casu particulari dispensare cum suo Cappellano, vel alio Sacerdote. *Filliuc. t. 1. tr. 5. c. 4. n. 113.* Vnde Alzed. *de præst. Episc. loc. cit. p. 1. c. 13. n. 13.* ait S. R. E. Cardinales gaudere priuilegio celebrandi ante Auroram & post Meridiem ex Sot. *in 4.* & prius diximus ex Siluestro. Imò pleriq; DD. quos sequitur Hieronym. Roderic. *in d. comp. q. regul. tenent*, præciso etiam omni priuilegio posse Missam inchoari infra horam post Meridiem ex aliqua causa; & Henric. *in Summ. d. lib. 9. cap. 24. num. 6.* dicit posse ex causa per horam, circiter post Meridiem celebrari.

Ad secundam quæstionem, An plures Missæ in eadem Cappella Palatij Cardinalis per domesticos Cappellanos celebrari licitè possint eadem die?

Censeo etiam affirmatiuè respondendum, & Primò ex doctrina supra firmata, quòd Cappellæ Cardinalium sint ad instar publicæ Ecclesiæ, & parochialis respectu Minorum & familiæ, vnde & non egent quod visitentur ab Ordinarijs, vel in Vrbe à Domino Vicesgerente, sed sunt eo ipso approbatæ; gaudent insuper ex consueta Sanctissimi Pontificis largitione, indulgentijs, quibus (rationales Ecclesiæ in Quadragesima, pro familiaribus, sunt speciali nota dignæ, vnde in Concil. Lateran. *suprà alleg. d. sess. 9. de Card.* ita habetur: Sint omnes vigiles Missarumque celebrationi intenti, habeantque Cappellas suas in loco honesto, prout facere consueuerunt. Vnde concludendum videtur: quod hac in Ecclesia possint ibidem pro commoditate Cardinalis ac familiæ plures celebrari Missæ.

Secundò, à simili, videmus enim in priuilegio concessio Societati I E S V, quod in eorum priuato Oratorio valeant celebrare etiam absque alia Ordinarij licentia & approbatione, quod iidemmet Patres, vt scimus, docti, & satis timoratae cōscientiæ interpretati sunt illud, nō tantum pro vnica Missa in die, sed pro multis, & etiam ab exteris Sacerdotibus id fieri posse rectè permittunt apud Suar. *d. t. 3. disp. 81. sect. 3. in fine.* Scott. *de sacrif. Missæ. lib. 2. c. 13. n. 3.* & hoc, vt aduertit Suar. *loc. cit.* quia est priuilegium, personis, & loco concessum, sicut etiam firmauimus nos nostrum esse priuilegium mixtum, & loco, & personæ indultum: vnde

idem dicendum est de nostris Capellanis.

Tertio, quia non est maior ratio, cur vnicus tantum Capellanus eadem die ibidem sacrificium offerre possit: & non alij domestici: cum hoc à iure non reperiatur prohibitum: vnde expressè limitatum videtur in licentiis, quæ à Rom. Pontif. cæteris conceduntur vt scilicet vnica tantum Missa in eorum Oratoriis dici possit in die: Cum igitur nostrum Præuilegium hanc non habeat restrictionem, aut interpretationem merito non videntur prohibita plures Missæ.

Imò ego existimarem valde decere, vt Cappellani Cardinalium frequenter in eodem sacello sacris operentur plures, cum enim pro Ecclesia parochiali familiæ deseruiant congruum videtur, vt & domestici variis distenti curis & muneribus, in diuersis horis sacrificio adesse valerent, nec tanta fraudarentur spiritali consolatione, & utilitate.

Ad tertiam quæstionem, An dum Cardinalis abest, durante nihilominus eius absentia possit in Cappella celebrari à Cappellanis?

Respondeo, iam supra firmatum fuisse, quod quando Cardinalis non est in Cappella, sed vel ægrotat, vel sacris nequit interesse adhuc celebrari in illa valeat à solitis Sacerdotibus: Adde nunc, quod etiam si Cardinalis ab Vrbe, vbi moratur, sit absens, non relinquit tamen domicilium, sed Palatium adhuc retinet, & est reuersurus, quod etiam tali casu possint eius Capellani qui remanserunt, pro commoditate familiæ, vel etiam pro sui deuotione celebrare.

Tum ex fundamēto supra iacto, quod Cappella sit velut Ecclesia Parochialis familiæ, vnde semper debet illi parere etiam si Cardinalis extra Urbem versetur, nulla enim maior ratio est cur possit celebrari si adsit in Vrbe, & non intersit Cappellæ, quàm quando sacrificio non intersit, eo quia absens sit ab Vrbe.

Tum à simili, satis probatum enim est apud DD. quod Palatium Episcopi, & sic Cardinalis etiam si ab illo sit absens, & extra Urbem, dummodò alteri non locetur, gaudet eadem Ecclesiastica immunitate, ac quando adesset Dominus. Marius Ital. de immunit. lib. 1. c. 4. §. 9. n. 4. qui addit etiam si Episcopus mortuus esset & ibid. loquitur expressè de Palatio Cardinalium, quem sequitur Barbof. in Collect. Decret. t. 4. in cap. id constitutum 17. q. 4. n. 1. Nouar. in Summ. Bullar. de immunit. Ecclesiast. n. 10. & ratio, quia cum sit in eadem Domus Dominus reuersurus, non cessat dici Domus Episcopi vel Cardinalis, & sic etiam Cappella non debet sua amittere priuilegia, quæ cum sint mixta, propria etiam Cappellæ dici poterunt. Accedat regula quod dicatur habitare in domo, qui pro æquali parte anni habitat. Gloss. in cap. alle-

et us il. 2. de rescript. verb. domicilium, & fortius, nam licet fructus, & obuentiones, quæ Cardinalibus præsentibus ratione pilei debentur, habeantur loco distributionum quotidianarum, quas nisi præsentibus percipere nequeant, vt notat Anast. Germon. de indult. Card. §. tibi quoad vixeris num. 22. & 23. Nihilominus si per sex menses integros & ultra non abfuerint à Curia illas lucrantur, hac tantum ratione, quia non videntur abesse cito reuersuri. Hinc etiam est, quod licet Cardinalis consensus non requiratur in prouisione beneficij vacantis per obitum suis familiaris, si longo tempore absens à Curia sit, hoc tamen fallit si absentia est modici temporis. Gomef. in reg. de impetr. benef. vacat. per obit. q. 17. n. 8. idem ergo erit dicendum in casu nostro. An autem in his terminis possint Cappellani priuilegio frui celebrandi ante Auroram, pro nunc placet mihi non affirmare.

Ad quartam tandem quæstionem, An exteri, & Cardinalium non domestici præcepto satisfaciant, si Missæ interfuerint in Cappella Palatii?

Equidem puto similiter affirmatiuè respondendum: exempli gratia, si reperiantur aliqui in Palatio Cardinalis illum associaturi, eique obsequium præstituri, vulgò, Per Corteggiare, in Cappellam, vel alias functiones ituro, bene præcepto satisfacere.

Tum quia, vt supra diximus, Cappella Cardinalis est ad instar Ecclesiæ, in qua omnes admittuntur, vt sacris interfint.

Tum quia hoc non reperitur prohibitum; vnde cum non sit de natura prohibitorum & malorum, quia mala; videtur concessum. l. 1. ff. de procur. l. quod non §. quod eis, ff. quib. caus. maior. cap. 1. de proc. in 6. & concessum intelligitur quod expressè non prohibetur in cap. 2. de transl. Episcoporum, vb. Gloss. Verb. non inuenitur. cap. si non licet 23. q. 5.

Tum quia non vidi à doctis, & timoratis Confessariis penitentes obligari ad Missam iterum audiendam in Ecclesia si dixerint audiuisse in Cappella Cardinalis, vt præcepto satisfaciant.

Tum & quartò, quia quando Pontifex id prohibere voluit hoc expressit, vt in licentiis pro priuatis Oratoriis, in quibus apertè cauetur vt tantum pro domesticis deseruiant, nec exteri possint præcepto satisfacere si sacris ibi interfint, vt notat Quarata in Bull. in ver. Missa, in quibus etiam vetuit ne in certis solemnioribus festiuitatibus liceat Missas in ipsis Oratoriis auscultare, quod est desumptum, vt obiter hoc dicam à Concilio Agathen. & habetur in cap. si quis etiam de consecrat. d. 1. quem ornate ponderat disertus Nicol. le Maître in suo tract. de patrim. sacro lib. 2. cap. 5. quod tamen non reperitur

reperitur Cardinalibus prohibitum, vt etiam nec præceptum illud de exteris iniunctum. Vnde apparet quod totum debetur prærogatiuæ Eminentissimæ Dignitatis, cuius nulla maior in terris est post Pontif. Max. in Ecclesiastica Hierarchia, Eugenius I V. in sua Bulla, Mon. mediocri Bull. tom. 1. & post Zabar. & Prob. ad Monachum. Loter. notat. de re benef. lib. 1. q. 8. numer. 33. & sequent. & sic non videtur quod nequeant hoc facere exteri, qui in dictis adibus reperiuntur, vel quod sit hoc Cardinalibus interdictum. Neque dici potest, quod hoc fiat ignorante Pontifice, cum omnes prius Cardinales fuerint, hocque viderint & probarint, nec damnarint postea Pontifices effecti.

Quod autem possimus vt argumento in hoc casu à non expressa prohibitione, videri videlicet approbatum, hac ratiocinatione roborari potest: etenim præceptum Ecclesiæ de Missam audiendo in festis de præcepto ex consuetudine vniuersali, & habetur ex dicto cap. si quis etiam, & can. Omnes fideles, & can. Missas, de consecr. dist. 1. & conquestus, de fer. & in actis Martyrum Africæ apud Baron. anno 303. numer. 48. Lex Ecclesiæ de celebrando Dominico (Dominicum enim Missam dici ibi clarè patet, numer. 84. non autem templum, licet pro templo aliquando sumatur) non arctat audientes, vt in tali vel tali loco illam audiant, vt Azor. aduertit loco infra cit. & Molfes. in Sum. part. 1. tract. 3. cap. 17. numer. 32. Sed simpliciter vbi celebratur, aut in Parochiali, aut in Ecclesia Regularium, aut in Oratorio priuato, dummodo sit locus sacer, ad id destinatus peculiariter. Suar. in 3. part. tom. 3. quest. 83. dispensatione 81. art. 3. sect. 3. ex can. nullus, de consecr. dist. 1. & hoc regulariter, nam de licentia Episcopi etiam extra locum sacrum, vt ibid. Suar. late vers. secundò obseruandum, licet olim in solis Parochiis hoc licebat, late Filefac. de orig. Parochiarum cap. 6. in suis variis opusculis. Azor. in 1. part. lib. 7. cap. 6. vers. quartò queritur. Barbof. de paroch. part. 1. cap. 11. numer. 18. & 19. Tolet. in Sum. lib. 16. cap. 7. numer. 1.

Vnde text. in cap. 2. de paroch. ex concil. Nanneten (de quo incertum est, quomodo tempore fuerit celebratum) aut contraria consuetudine abrogatus est, vt tenuerunt Angel. Rosell. Siluest. Armill. Navar. quos Azor. refert loc. cit. vers. quinto queritur, & vers. octauò queritur. vbi firmat satisfacere præcepto qui audit Missam in quocumque Oratorio siue publica, siue priuata auctoritate fabricato, dummodò hoc non fiat ex contemptu Parochi proprii, Portel. in dub. regul. in verb. Missa, in addit. numer. 5. Molfes. loc. cit. cap. 17. numer. 32. & videmus olim Presbyteros ordinatos pro Ecclesiis villicis, vt ita dicam, scilicet quæ in Villis erant, & non erant Parochiæ, nam apud Græcos Canones ἐγγύριοι vocantur, siue Παρῳριοι, & Presbyteri huiusmodi in Concilio Ancyrano dicuntur Παρῳριοι προσβυτεροι.

Aut certè non comprehendit, vt censo Cardinalium Cappellas ex supra probata doctrina, nam desumitur ex Concil. Nanneten. quod Prouinciale est, neque de Episcoporum Cappellis ibi fit mentio: Si ergo poterit quis celebrare in dicta Cappella licet quibuslibet diebus, idem erit dicendum respectu audientium, quod possint licet audire, & etiam exteri: cum eadem sit ratio celebrantis, ac Missam audientis quoad hoc,

Hinc in Sac. Congregatione Concilij die 22. Septembris 1640. fuit resolutum quod interefferentes sacrificio Missæ in priuato Episcopi sacello, satisfaciant præcepto Ecclesiastico tam in Dicecèsi, quàm extra: ergo idem, & eò fortius dicendum ex supra ponderatis de Cardinalium Cappellis.

Quid autem è conuerso, An exteri Sacerdotes possint in Cappellis Cardinalium celebrare etiam si non sit pro seruitio Cardinalis? Et censo posse, sicut diximus de priuilegio Iesuitarum, ita interpretato quoad exteros Sacerdotes. Hucusque Cardinalis Brancatius, sub quo INCLITO NOMINE tanquam Genio Tutelari, feliciter huic sextæ Parti finem impono.

DECISIONES
NOVISSIMÆ
SACRÆ ROTÆ
ROMANÆ.



DECISIONES
NOVISSIMÆ
SACRÆ ROTÆ
ROMANÆ,

Qua in Superioribus Tractatibus à P. Diana aduocate sunt; in gratiam studioforum per extensum impressa.

DECISIO

SACRÆ ROTÆ ROMANÆ
coram R. D. Coccino Decano:

Barchinonen. Exemptionis.

Luna 20. Iunij 1636.



DUBITAVI pro quibus rebus sit præstada exemptio Capitulo, & quomodo in casu, & ad effectum de quo agitur. Et Domini censuerunt esse distinguendum inter bona separabilia, hoc est, quæ extant apud ipsos Clericos, & inseparabilia, videlicet, quæ sunt penes venditores, & in eorum dominio: firmarunt quantum ad bona separabilia, nullam adesse difficultatem, quod illa sint exempta à quibuscumque gabellis, *cap. non minus & cap. aduersus de immunit. Eccles. cap. quamquam de censib. in 6. cap. tributum, & cap. secundum 23. quest. 8. cap. bene quidem, distinct. 96. cap. Ecclesia Sancta Maria de Const. cap. mouerint de sent. excomm. quod & ius ciuile prius agnouit. l. Sancimus. C. de Sacrosanct. Eccles. & admittunt etiam leges Hispaniarum partit. ut in l. 50. & 51. tit. 6. part. 1. & l. 1. tit. 3. lib. 1. & l. 6. tit. 18. lib. 9. in noua recompilet. & late Barbof. de iure Eccles. lib. 1. cap. 39. §. 5. numer. 3. & seqq. Comitul. respons. moral. lib. 1. quest. 92. & 93. & fuit non minus doctè, quàm latissimè deductum in causa Alben. Gabelle, seu*

Onerum. 28. Iunij 1630. coram R. P. D. meo Merlino, Itavt exigentes tales gabellas incutiant sententiam excommunicationis Ccenæ Domini, vt aduertit Sanchez *consil. moral. tom. 1. lib. 2. cap. 4. cons. 49. in princ. Gutt. de gabell. q. 92. numer. 2. 2. Nauarr. in Manual. cap. 27. num. 128. & cap. 17. numer. 201. in vers. 83. Azeued. in l. 3. num. 2. tit. 3. lib. 1. nouarum recompiletionum. Roder. in explicat. Bulla Cruciata. §. 9. dub. 8. fol. mihi 142. in vers. sexto Beia respons. casuum consil. tom. 1. casu 26. in princ. Suarez de censur. disput. 21. de excomm. Papa reseruat in Bulla Ccenarum. 99. cum seqq. Dominus, & Præceptor meus Ludouicus Carbo de restit. q. 3. in vers. septima dubitatio in primo dicto, addens in tertio dicto, quod Episcopi obligati sunt ad denunciandum eos, qui in censuras Ecclesiasticas incidunt ob hanc causam; Neque suffragatur in isto casu exactio animo restituendi in fine mensis, Alterius de censur. lib. 5. disp. 19. c. 3. ad finem vers. 6. Duardus ad Bullam Ccenarum. 18. q. 15. num. 3. & quest. 20. à num. 1. vsque ad quintum.*

Et prædicta verissima sunt, quia agitur de immunitate Ecclesiastica, quæ Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus constituta est, vt dicit Concil. Trid. *sess. 25. cap. 20. de reform.* & est de iure diuino, vt clarè innuunt illa verba, *Dei ordinatione*, vt considerat Gerunda de priuileg. numer. 1030. Guttier. dicta quest. 9. 2. n. 20. versio. Non itaque. Neque valet consuetudo etiam longissimi temporis in contrarium, vt tenent quamplures Doctores quos allegat Cenedus *qq. canonic. quest. 4. num. 3.* Nec est curandum, quod Couarru. *lib. 2. var. cap. 20. numer. 1.* quem

quem sequitur Tiberius Decianus 2. tom. criminal. lib. 6. cap. 25. numer. 2. post princip. Farinac. tom. 1. Crimin. qq. de Carcere, & carcerat. quest. 8. num. 1. teneat contrarium. Quia communis opinio ne dum Doctorum Italorum, sed etiam ultramontanorum est in contrarium, ut videre est ex allegatis per Gerundam loco modo allegato, & per Cenedum loco pariter supra citato numer. 1. & latissimè Guttier. de Gabell. dicta quest. 92. allegato numer. 20. vbi cumulat plures Doctores id tenentes, & per totam quaestionem multa dicit, quae optimè faciunt.

Quantum verò ad bona inseparabilia, quae sunt penes venditores venalia, ut puta panem, carnem, & similia: Domini firmanunt, quod si istis imponatur gabella, utique ad illam soluendam Clerici, & personae Ecclesiasticae, non teneantur per supradicta, & in puncto dicit Nauar. in Manual. cap. 16. numer. 203. vers. rogatus à multis. Candelabrum aureum in explicat. Bullae in Cena Domini numer. 116. tom. 2. Guttier. dicto tract. de gabell. dicta quest. 92. numero 23. vers. & quod Rectores & populi. Laurent. Portel. in dub. regularibus in secunda impressione in vers. tributum, num. 8. in fine. versic. addo praeterea. Gratian. discept. 390. numer. 16. Azor. instit. moral. part. 2. lib. 4. cap. 11. vers. in dubium vertitur. Ferdinandus de Castro Palao de relig. part. 2. disput. unica punct. 9. numer. 10. Hieronym. Rodriguez in compend. qq. regular. resolut. 63. num. 32. versic. & Azor. Barbof. de iure Ecclesiast. cap. 39. §. 5. num. 12. Vnde quicquid dicant aliqui in contrarium ita est communis, & vera sententia.

Remanebat solum videndum quomodo istae exemptiones essent practicandae, ne ciuitas defraudaretur: & Domini dixerunt quoad bona separabilia si inter Ciuitatem & Clericum oriatur quaestio, an dicta bona sint ipsius Clerici, & non causa negotiationis: quod stetur iuramento Clerici Gloss. in Clem. praesenti in versic. non negotiandi, vbi etiam Vitalin. numero 26. de censib. Iason. in l. cetera. §. Sed & si quis num. 10. post Baldum quem allegat ff. de legat. 1. & consentit Abbas in cap. ex parte 27. in primo notabili, numer. 2. de priuileg. vbi quod clericatus probatur iuramento, Carolus de Grass. de effectibus Clericat. effectus tertio, numero 258. Claudius Tutius alleg. 19. num. 3. & quando est locus praestationi iuramenti adeundus est iudex Ecclesiasticus, & non procurator Caesaris, cum sit Laicus, Bertacchin. in tract. de gabell. in 7. quest. colum. 5. versic. nec praeterea. Roland. cons. 71. n. 25. lib. 4. Carolus de Grass. de effectibus. Clericat. effectus primo num. 1268. & effectus 3. num. 258.

Quoad bona inseparabilia praeter alia remedia à iure, & à Sede Apostolica permiffa

placuit Dominis sequi Azorium instit. moral. dicta part. 2. lib. 9. cap. 11. in §. priuilegio. Qui dicit in multis locis vsu receptum esse, ut Ecclesiasticis soluentibus gabellam intra annum ad exitum, & finem anni reficiatur damnum pecuniaria compensatione: ita tamen ut concurrat consensus Cleri, & praecedat beneplacitum eiusdem Sedis Apostolicæ, & si oriatur aliqua controuersia super isto defalco terminetur iuramento Ecclesiasticorum, ut in istis terminis dicit Ferrerius de gabellis numer. 174. quod iuramentum debet pariter praestari coram iudice Ecclesiastico per superius deducta.

Et ita conclusum vtraque parte informante.

D E C I S I O

SACRAE ROTAE ROMANAE
coram R. D. Coccino Decano:

In causa Hispalen. Sponsalium.

Veneris 6. Martij 1637.

Franciscus Antonius contraxit sponsalia, cum Barbara eius consanguinea, in secundo gradu, sub conditione, si Papa dispensauerit, ut constat ex testibus in causa examinatis: Quare dubitauit, An ex talibus sponsalibus, Franciscus possit cogi contrahere, cum fuerit obtenta à Sanctissimo Domino Nostro dispensatio. Et quia pro vtraque parte adsunt Doctores, quorum multi loquuntur de matrimonio ante Concilium Tridentinum, quod solo consensu contrahebatur, absque praesentia Parochi, & duorum testium, & dubitant dicti Doctores. An illud valeat sub illa conditione, si Papa dispensauerit: itaut non requiratur nouus consensus, & alij tenent affirmatiuam, alij negatiuam, sunt tamen in eo concordantes, quod matrimonium contractum per verba de praesenti, si non valet uti matrimonium, puta ex defectu aetatis, iuris interpretatione resoluitur in sponsalia, quamuis ex conceptis verbis matrimonium censendum foret. cap. unico, §. 1. de desponsat. impub. in 6. & idem probatur in cap. à nobis secundum Praepositum, ibi num. 4. & in cap. attestations, & in cap. fin. eod. tit. & quamuis in aliis contractibus haec conclusio posset habere aliquam difficultatem, tamen secus est in matrimonio, quia sub contractu matrimonij etiam sponsalium conuentio comprehenditur, latè Couar. in epitome de sponsal. part. 1. cap. 3. per tot. vbi ita concludit, & part. 2. cap. 3. num. 7. Propterea nos videbimus, an vera sit opinio, quod matrimonium ante Concilium

Tridentinum post dispensationem sustinebatur absque alio consensu, nam sustinebuntur etiam sponsalia, si verò non sustinebatur, nec etiam sponsalia hodie sustinebuntur absque nouo consensu: Et ista aequiparatio inter matrimonium & sponsalia non est noua, sed elicit ex DD. ut patet ex Innocent. in cap. super eo §. in princ. de condit. apposit. inquit enim si quis contraxit matrimonium sub conditione si Papa dispensauerit, quidam credunt valere, subdit tamen, quod alij dicunt, non tenere sponsalia, ex quo requirebatur dispensatio. Alex. de Neuo ibidem num. 3. Et sic apparet DD. eandem rationem considerare in matrimonio, & in sponsalibus, idem sensit Sanchez de matrim. lib. 5. disput. 5. numer. 5. vers. hanc sententiam, & n. 12. vers. & ideo hanc sententiam, vbi quaerens, an valeant sponsalia inter coniunctos contracta cum conditione, si Papa dispensauerit, allegat sine distinctione DD. loquentes de matrimonio ante Concilium Tridentinum.

Hoc praenotato, quod ista sponsalia valeant, sequuta dispensatione absque alio consensu tenet Burr. in dicto cap. super eo, numer. 8. de condit. apposit. Mouetur, quia hoc commercium non est prohibitum, sed solum finis contractus confertur in conditionem euentus possibilibus, & ideo valet, allegat notata in cap. nisi cum pridem de renunciat. vbi Innocent. dicit, quod electio nulliter facta ex defectu personae inhabilis, ratificatur si postea superueniat dispensatio, DD. plenius in cap. innotuit de elect. & ibidem Burr. in cap. at si Clerici, §. 1. de iudic. & in cap. in causis de elect. dicit, quod talis actus respectu potentiae disponendi habet aliquod esse à sui principio, & hoc dictum sequitur Gaspar de Calderin. & dicit Praepositus in dicto cap. super eo, num. 5. circa medium, versic. tamen opinio Domini Antonij, referens rationes huius partis, licet ipse postea relinquat cogitandum, quod haec opinio potest sustineri per text. in simili, in l. si rem meam 31. ff. de verbor. obligat. vbi licet quis non possit rem suam stipulari pure, l. nemo rem 82. ff. eodem tit. tamen si stipulatur sub conditione, & tempore venientis conditionis non reperiatur sua, cum esset impedimentum sublatum, valebit stipulatio, ergo si per dispensationem cesset impedimentum, valebit matrimonium, & subdit, quod facit l. 4. iuncta l. fin. de opere publico. Nam opus publicum sine permissu Principis est prohibitum fieri à priuato, & tamen si mandat priuatus fieri opus, Principe postea annuente valebit. Multa alia exempla deducit Pontius de Leon. de matrim. lib. 3. cap. 15. num. 4. videlicet text. in l. quidam relegatus ff. de rebus dubijs, vbi legatum relictum à testatore in hunc modum: si aliquis ex meis haeredibus, vel amicis restitu-

tionem mihi impetrauerit, & ante decessero, quàm ei gratias egerim, volo eidem dari centum; impetrauit vnus ex eis restitutionem praedictam, & antequàm sciret testator, ille decessit, respondit T. C. legatum deberi, & tamen relictum dependebat à conditione, quae erat in voluntate Principis. Et praedicta comprobantur, Primò, quia valet institutio filij spurij sub ea conditione, si Princeps legitimaue- rit, ut per DD. in l. Gallus, §. ut institutus ff. de liber. & posthum. latè Couar. in epitome de sponsalibus part. 2. cap. 8. §. 2. num. 17 & est textus in l. in tempus 62. in princip. vbi Angel. de Perusio, ff. de haeredibus instit. vbi de benignitate magis quàm de rigore iuris potest legari incapaci, vel potest institui cum capax erit, & tamen potest esse incapax, quae pendet à sola voluntate Principis, prout est casus noster. Comprobantur etiam secundò, quia quando inter duos de aliquo beneficio lis est, licet illis inter se pacisci, & promittere pensionem, si Papa dispensauerit, quod sine illa conditione illicitum esset. Tertio comprobantur, quia si quis contrahat cum infideli sub conditione, si conuertatur ad fidem, validus erit contractus, ut habetur in l. 4. Partitar. tit. 4. & docent Soro, & alij, ut notat Pontius loco praecitato.

Et hanc sententiam ponderando praedictas rationes, tenent vltra Burr. Calderin. & Pontius quamplures alij DD. quos allegat Sanchez de matrim. lib. 5. disput. 5. videlicet Angel. in verb. matrimonium tertio, impedim. 3. numer. 4. Dec. in l. ea, qua ratione 14. ff. de regul. iur. Zacharias ad Abbatem in cap. super eo, in verb. dispensauerit de condit. apposit. Vinius commun. opin. par. 2. opin. 487. num. 3. vers. in contrarium, sub nomine Gabrielis allegatus à Sanchez. Et quod haec opinio de consuetudine feruetur dicit Boer. decis. 263. num. 26. Couar. in Epitom. de sponsal. 2. part. cap. 3. numer. 8. Nauar. lib. 4. tit. de sponsal. consil. 25. numer. 2. vers. tertius casus in prima editione, quod est in secunda editione consil. 5. numer. 3. de consanguinit. Clar. recept. sent. lib. 5. verb. incestus, vers. sed quid. Tabien. in verb. sponsalia, quest. 8. numer. 9. Armil. num. 11. & ex Theolog. Adrianus Sextus in 3. sententiarum de Sacram. matrim. quest. 3. dub. 10. Filiiarch summ. par. de offic. Sacerd. de sponsalibus. Veracrux appendic. ad specul. coniug. super articulo. 19. de condit. Petr. de Ledesm. de matrim. quest. 47. art. 5. dub. 2. conclusione 3. Ludouicus Lopez 2. par. instruct. Sacerd. cap. 42. de matrim. Angles floribus prima part. quest. 2. de matrim. condition. artic. unic. dub. 3. Bartholom. de Ledesma de matrim. dub. 25. & in hanc sententiam videtur inclinare Ias. in l. apud Iulianum alias incipit Aphricanus, §. constat, numer. 11. ff. de legat. primo, & nouissimè illam sequitur Petr. de Ochagaia de

Sacrament.

Sacrament. tractat. de Sacram. matrim. part. 19. numer. 7.

His tamen non obstantibus DD. censuerunt sponsalia fuisse nulla stante dicto impedimento consanguinitatis inter contrahentes, etiam quod fuerint contracta sub conditione, si Papa dispensauerit, nec posse suffragari dispensationem obtentam, cum postillam, & illius executionem non interuenerit nouus consensus, & ratio est, quia ius perpetuè prohibet dicta sponsalia, & propterea, nec sub conditione contrahi potuerunt, l. inter stipulantem 82. §. Sacram. ff. de verb. oblig. vbi si res à commercio eximatur, super ea obligatio non contrahitur, & contracta extinguitur, nec reuiuiscit impedimento cessante, l. continuus 137. §. cum quis ff. eodem tit. vbi cum quis sub hac conditione stipulatus sit, si rem sacram, aut religiosam Titius vendiderit, vel forum aut Basilicam, & huiusmodi res, quæ publicis vñibus in perpetuum relictae sint, vbi omninò conditio iure impleri non potest, & si velit facere, ei non liceat, nullius momenti fore stipulationem, perinde ac si ea conditio, quæ natura impossibilis est inserta esset. Nec ad rem pertinet, quod ius mutari possit, & quod nunc impossibile est, postea sit possibile fieri. Non enim secundum futuri temporis ius, sed secundum presentis æstimari debet stipulatio, & notat ibi gloss. in verb. natura, quod interest siue de natura, siue de iure impossibilitas proueniat, l. si stipulor. ff. de verb. oblig. Siluestr. in verb. matrimon. 3. numer. 9. in fin. & ista est ratio Innocent. in dicto cap. super eo, in princ. de condit. apposit. quem alij DD. ibi communiter sequuntur, & Card. ibid. numer. 2. vers. quero, assignat rationem dicti ab Innocent. nempe quia euentus dispensationis non habet facere, vt liceat contrahere super illicito, vt est matrimonium inter coniunctos, & ita dicit se contulisse, & benè, quia de hoc habetur in eius consil. 57. n. 2. vbi dicit, quod sponsalia sunt contracta sub conditione impossibili, cum dispensatio per solum Principem fieri possit d. l. apud Iulianum 45. §. fin. ff. de legat. 1. Anchar. in dicto cap. super eo, numer. 7. Prob. ad Monach. in cap. unico, numer. 11. de sponsalib. in sexto.

Et quamuis summa Angelica in dicto verb. matrimonium 3. impedimento 3. numer. 4. dicat quod textus in d. §. Sacram. loquitur de re, quæ non erat in commercio, nec esse poterat, quod non est in matrimonio sublato impedimento per dispensationem, & ad rationem Cardinalis deductam ex d. l. apud Iulianum responderet, eam debere intelligi, quod conditio sit impossibilis, quando pendet à voluntate Principis, in his, quæ Princeps concedere non solet, secus in solitis concedi dispensatiuè, vt est text. in l. intercedit. ff. de condit. & demonstr. & alle-

gans cateruam Doctorum dicit Sanchez de matrim. dicto lib. 5. disput. 5. numer. 12. vbi quod pendens à voluntate Principis reputatur impossibile quando Princeps id concedere non solet; secus quando Princeps. Attamen Summæ Angelicæ respondet Siluestr. in summ. in verb. matrimonium 3. quest. 9. numer. 9. nempe rationem differentia deductam inter text. in d. §. Sacram. & matrimonium de quo nos agimus, non tollere obiectum; quia etiam res publica sublato impedimento per publicam potestatem potest vendi priuato & valebit stipulatio, & ad secundum morium eiusdem Summæ Angelicæ respondet quod dicta lex apud Iulianum loquatur in omnibus, in quibus sine consensu Principis non est commercium, & subdit, quod hæc est ratio omnium exemplorum, quæ ibi ponuntur vt patet in fine. Posset etiam dari alia responsio, videlicet, quod id, quod petitur à Principe, si pendet à mera gratia reputatur impossibile. Tiraquell. de retract. lignag. §. 32. numer. 59. si autem dependet à iustitia, & tunc dicitur possibile, idem Tiraquell. ibidem numer. 63. & est de mente Probi ad Monach. in dicto cap. unico, numer. 11. de sponsal. in sexto. Sed nos versamur in dispensatione concedenda in secundo gradu, in quo iuxta dispositionem Concilij Tridentini sess. 24. cap. 5. de reformat. matrimonij, disponitur, quod nunquam in secundo gradu dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam, Enriquez in summ. lib. 12. cap. 3. numer. 6. in Comment. littera X. Guttier. de matrim. cap. 128. numer. 14. Sanchez de matrim. lib. 8. disput. 19. numer. 5. & licet Summi Pontifices possint, & soleant aliquando dispensare inter inferiores. Zerol. in prax. Episcop. part. 1. verb. dispensatio, §. secundo, hoc fit ex mera gratia, & propterea non cessat ratio impossibilitatis, vt modò dictum fuit.

Alias rationes assignat Abbas in dicto cap. super eo, numer. 8. videlicet, vt actus retro extendatur, oportere, quod potuerit intercedere à principio, l. si is, qui pro emptore. ff. de vsucap. Sed matrimonium, & sponsalia non potuerunt esse à principio temporis, quo fuerunt inita, obstante impedimento, ergo non potuerunt retraheri. Secundam affert rationem quod ex facto à iure improbato non potest oriri aliqua obligatio l. cum lex, ff. de fideiusor. Sed in contractu conditionali sola spes est in obligatione, & propter illam spem contractus retrahitur, sed in nostris terminis nulla fuit obligatio ratione prædicta, ergo opus est nouo consensu.

Et istam sententiam, vltra Innoc. Cardinalis Abbatem, Anchar. Prob. ad Monach. & Siluestrum supra allegatos, tenuerunt Ioan. Andr. in dicto cap. super eo, in verb. assensum. Hostien.

Hostien. numer. 1. Alex. de Neuo numer. 13. vsque ad 18. Henrich. Boich. in cap. fin. numer. 2. vers. aut est talis, eodem tit. de condit. apposit. Franc. Aretin. in l. cum seruus, numer. 11. post princ. vers. & ad materiam, vbi testatur opinionem, Innocentij in dicto cap. super eo esse communem idem Franc. Aret. in consil. 142. à numer. 1. vsque ad quartum. Addit. ad Dec. in l. ea quæ, numer. 64. in littera A, ff. de reg. iur. Loazes. de matrim. dub. 12. in princ. Rosell. in verb. matrimonium 5. quest. ultima, Asten. in summa lib. 8. tit. 3. de mod. contrahen. sponsalia. Cucch. Instit. maior. lib. 5. tit. 11. de Sacram. matrim. numer. 56. Vilalob. in ver. matrimonium, numer. 40. & 41. Tell. ad l. 22. Thauri, numer. 18. Mazient. lib. 5. recopilat. tit. 6. lib. 6. gloss. 5. numer. 2. Et ex Theologis Victoria summ. de matrim. numer. 258. Soto super 4. dist. 29. quest. 2. art. 1. Ledesma secunda quarta, quest. 45. art. 1. col. 3. Veracrux prima parte Specul. art. 19. vers. quod si queris, Henriq. lib. 12. de matrim. cap. 10. numer. 4. Viuald. in Candelabro de Sacram. matrim. part. 1. numer. 55. & hanc sententiam esse probabilem, dicunt Petr. de Ledesma de matrim. quest. 47. numer. 5. dub. 2. & Vega in summa lib. 2. cap. 334. & verè esse probabilem dicit Sanchez de matrim. dicto lib. 5. disput. 5. numer. 5. in fin. Et hanc sententiam tenet Rota, vt in decis. Seraphini 1156. vbi reddit rationem, quia consensus impeditorum per se non valet, & Papa dispensando non validat actum, sed solum dat facultatem contrahendi, non autem approbandi, & ratum habendi, quod illicitè gestum est, & prius dixit eadem Rota in causa Taurinen. sponsalium 2. Decembris 1594. coram bo. me. Petro Francisco Gyptio, Cardin. Mantici. decis. 201. numer. 4. S. m. Gregor. decis. 410. vbi Add. & fuit resolutum in causa Vlixbonen. matrimonij 21. Iunij 1613. coram bo. mem. Card. Sacrato, & in causa Colimbrien. Sponsalium 16. Octobris 1616. coram bo. mem. Buratto, & in Bonon. transactionis 5. Decembris 1607. coram me, quæ est decisio impressa 374. numer. 6. & 7. vbi quod stante gradu prohibito deficient materia, & forma, & propterea requiritur nouus consensus, quod non est in alienatione rerum Ecclesiæ, quia ex eo non requiritur nouus consensus, quod alienatio habet implicitum statum validitatis Ecclesia non reclamante.

Non obstant in contrarium adducta, & præcipuè illud, quod potest fieri institutio de filio spurio sub conditione si legitimabitur, quæ potestas legitimandi pendet à sola voluntate Principis, & idè impossibilitas, quæ oritur ex dispensatione obtinenda à Principe non causat impossibilitatem; Huic namque fundamento responderetur, quod impossibilitas dupliciter potest considerari, vel per naturam, vel de iure stipulandi, vt aduertit, licet ad aliud pro-

positum, Syluester in dicto verbo matrimonium 3. numer. 9. in fin. In casu institutionis spurij si legitimabitur, & in similibus casibus, non adest impossibilitas natura, nec de iure stipulandi, quia ex d. l. in tempus, in principio, de hered. instit. de benignitate magis quàm de iuris rigore potest legari incapaci, & potest etiam institui, cum capax erit, & sic non adest incapacitas de iure prout est in matrimonio, vt aduertit Syluest. loco præcitato dicto numer. 9. in fin. & patet ex prædictis. Franc. Aret. dat alias solutiones in d. consil. 142. numer. 3. quæ poterunt videri, licet vix fuerint DD. satis subtiles & ex hac responsione tolluntur alia similia deducta in obiecto.

Non obstat, quod electio nulliter facta ex defectu personæ inhabilis ratificetur, si postea superueniat dispensatio, quia responderetur, quod in matrimonio carnali nulliter contracto, & in sponsalibus nulliter contractis reperitur aliter dispositum, quia si matrimonium fuit simpliciter contractum inter inhabiles, quamuis postea cesset inhabilitas, & impedimentum, non ratificatur ex priori consensu, sed ex nouo, propterea, quod nouum matrimonium contrahatur, & ita probatur in cap. penultimo de eo, qui cognouit consanguineam uxoris suæ, & tenet gloss. & Doctores in cap. 1. eod. tit. & potest esse speciale in causa electionis, ne Ecclesiæ diutius vacent, & prouisio fiat celebrior, ita respondet Franc. Aret. in d. consil. 142. numer. 1. vers. item electio, & in super Butr. ipse, vt aduertit Aretin. loco prædicto in d. cap. innouit de elect. numer. 11. intelligit prædicta habere locum, quando causa nullitatis, vel inhabilitatis erat occulta, & contra conclusionem firmatam à Butrio in d. cap. super eo est regula, quod quando persona est ipso iure inhabilis à principio, quo geritur actus, habilitas postea superueniens, non ratificat actum, l. 1. §. si filius, & ibi per Bart. & alios, ff. de legat. tertio, & in cap. dudum de elect. & in cap. si eo tempore, & ibi notatur de rescript. in sexto. Propterea, quæ dicuntur de electione non sunt trahenda in consequentiam, quatenus sunt contra iuris regulas, alioquin etiam dici posset, quod si matrimonium, & sic sponsalia purè contraherentur, & postea obtineretur dispensatio, ratificaretur matrimonium, quod nullus dicit, vt aduertit Aretin. loco citato numer. 2. & est verum, quod probat Sanchez de matrim. d. lib. 5. allegat. disput. 5. numer. 26.

Ex quibus, & ex aliis supra deductis cum sint sublata obiecta, fuit conclusum non constare de talibus sponsalibus, itaut Franciscus Antonius sit cogendus ad contrahendum matrimonium.

D E C I S I O

SACRAE ROTAE ROMANAE
coram R. P. D. Merlino.

In causa Gerunden. Scribaniae.

Mercurij 1. Iulij 1637.

In signi Iurisculto d. Ioanni Petro Fontanella, per Abbatem S. Petri Bisulduni, Ordinis S. Benedicti, de anno 1614. concessa fuit in emphyteusim Scribania, de qua agitur, pro annua pensione librarum 70. quam concessionem cum impugnaret modernus Abbas, pro iustificanda illius validitate, ab eodem Fontanella petita fuit remissoria, & DD. hodie denegandam censuerunt huiusmodi remissoriam.

Quo enim ad articulos in quibus asseritur Scribaniam istam ab annis 40. & ultra, solitam fuisse locari pro libris annuis 70. indeque tanquam rem solitam alienari potuisse absque solemnitate, & beneplacito Apostolico concedi Cæs. Graf. decis. 3. numer. 14. & decis. 4. numer. 8. de reb. Eccles. non alien. cum aliis. Visum fuit DD. non esse dandam remissoriam, quia solitum huiusmodi potest probari per scripturas, & instrumenta concessionum, unde non est indulgenda probatio remissoriae per testes. Rot. apud Card. Seraphin. decis. 1466. numer. 3. & in recent. decis. 314. numer. 1. part. 1. & apud Card. Caualler. decis. 87. numer. 1. Et in terminis soliti, seu consuetudinis similis fuit dictum in Leodiensibus 28. Ianuarij 1628. coram Reu. Vrgellen. & in Romana, seu Spoletana successione 30. Maij 1631. coram me.

Quo verò ad alios articulos, in quibus explicantur merita laboris impensæ, & patrociniij præstiti per ipsum Fontanellam in causis Ecclesiae, necnon obligatio eiusdem Fontanellæ, & successorum, sedulam nauandi operam in futurum, pro tuendis iuribus in causis Ecclesiae, sine vlla mercedis spe, quorum meritorum motiuum esse solet causa sufficiens pro concessionem bonorum Ecclesiae, ut inuitentur homines ad benefaciendum Ecclesiis. Alexand. consil. 55. numer. 6. lib. 1. Redoan. de reb. Eccles. non alien. quest. 22. numer. 23. & 23.

Existimantur DD. merita expressa non esse æquiualentia, & coequalia concessionem inuestituræ, & damno inde resultantibus Ecclesiae, cum Scribania aliàs ante hanc concessionem fuerit locata pro libris annuis 150. & Fontanella eam receperit solum pro annua pensione librarum 70. & sic cum damno Ecclesiae ultra dimidiam antiquæ pensionis; labor autem, & aduocatio impensæ in causis eiusdem Eccle-

siae patrociniandis non tanti facienda videntur, ut dictam iacturam refarcire valeant, cum præsertim pro operis in præteritum nauatis patronus præsumi possit satisfactus, stante cursu quindecim annorum per quod tempus præstitum fuerat patrociniatum, ut asseritur in Inuestitura facta D. Fontanellæ de anno 1614.

Quo verò ad patrociniatum pollicitum pro causis in futurum, cum fieri possit Ecclesiam in posterum nullas passuram esse forenses controuersias, & sic aduocatione promissa non egere, sequitur omnino incertam, & euentuallem esse huiusmodi utilitatem, quæ tamen, ut suffragetur pro alienatione bonorum Ecclesiae, debet esse clara, & euidentis, non autem turbida, ita ut conditio Ecclesiae patenter melior fiat, & locupletior ut per Abbat. in cap. ad aures numer. 4. de reb. Eccles. non alien. Rot. apud Cæs. Graf. decis. 4. numer. 7. de reb. Eccles. non alien. & diuers. decis. 65. numer. 4. 20. & 23. & decis. 367. numer. 5. & 7. part. 5. recent. Merita autem gratis impensa, & beneficia in Ecclesiam collata, eatenus sunt causa sufficiens pro concessionem bonorum Ecclesiae, quatenus sunt ad eam commensurata, & correspondentia, illorumque respectu adhuc Ecclesia, non obstante tali concessionem, seu alienationem, remaneat cum lucro, & utilitate euidenti iuxta tradita per Oldrad. consil. 126. numer. 8. Ioan. Lop. in reper. rub. de donat. int. vir. & vxor. §. 50. numer. 28. & bene explicat Molin. de iust. & iur. disput. 145. vers. de remuneratorijs, & vers. de moderatis. Nec enim sufficit, si beneficia sint colorata, & in occasionem sumpta, sed debent esse vrgentia, & insignia, ut monuit Ioan. And. in addit. ad speculat. in rub. de reb. Eccles. non alien. Oldrad. d. consilio 126. numer. 6. Ioan. Lop. d. §. 50. numer. 31. Monach. consil. 112. numer. 11. vers. & ista Sanch. de matrim. lib. 6. disput. 6. numer. 5. Adeo ut aliqui auctores existimauerint, si beneficia non præstentius aliquod agendi, & beneficiatum nedum ex antidotali obligatione, sed & ciuili, vel saltem officio Iudicis compellant ad remunerandum, concessionem remanere liberalem, & gratuitam donationem, non autem propriè remuneratoria, ita Pinel. in l. 1. part. 3. numer. 60. vers. mihi semper placuit C. de bon. matern. Censual. com. cont. com. quest. 237. numer. 22. Cost. de portio rat. quest. 52. numer. 8. Giub. ad consuetud. Messan. part. 1. cap. 10. numer. 12. Quæ opinio vbi agitur de concessionem facta per Ecclesiam, in qua semper requiritur euidentis utilitas, videtur multum rationabilis, & bene scripsit Natt. consil. 295. sub numer. 4. quod tunc Prælati remunerare potest si habeat tantundem, prudentèrque etiam monuit Rosental. de feud. cap. 4. concl. 39. numer. 4. conclusionem illam, ut Prælati ob bene merita possit concedere, vel alterare in puncto iuris periculofam esse. Quæ magnitudo

magnitudo & qualitas meritorum, & proportio cum alteratione pensionis à libris 150. ad 70. in casu præsentis nullo modo considerari potest ex supradictis, sed inde apparet euidentis damnum ipsius Ecclesiae ultra dimidium. Et propterea materia articulata apparet irrelevans, & sic non est danda remissoria, ad probandum id, quod probatum non confert ad causam, & dispendium potius, quam commodum adfert litigantibus. Mohed. decis. 5. numer. 6. de probat. Cassad. decis. 2. numer. 1. de dilatio. Caputaq. decis. 54. numer. 3. & decis. 66. numer. 3. & fuit dictum in Romana, seu Spoletana successione 30. Maij 1631. coram me.

Præsertim, quia data sine veri præiudicio, etiam meritorum vrgentia, adhuc illa sola non suffragatur, cum non causa tantum, sed & solemnitas, hoc est beneplacitum apostolicum, copulatiuè exigatur in alienationibus bonorum Ecclesiae: Rot. apud Card. Seraph. dec. 508. numer. 1. & in recent. decis. 430. numer. 4. part. 2. & decis. 367. numer. 1. part. 5. quæ solemnitas hinc deficit, ut supra fuit deductum.

Neque dicatur, quod vbi probatum fuerit Scribaniam esse solitam locari, tunc non sit necessaria solemnitas beneplaciti Apostolici. Quoniam omisso, quod pro facienda hac probationem, remissoria non est opus, cum per instrumenta fieri possit, ut supra dictum est; quatenus etiam id legitime probaretur, non releuaret, tum quia vbi solitum alteratur prout factum fuit in casu præsentis à libris annuis 150. ad 70. non potest adhuc res in emphyteusim concedi sine beneplacito apostolico iuxta doctrinam Dec. in authent. qui rem numer. 22. & ibidem Cagnol. numer. 58. Cód. de Sacrosanct. Eccles. Curt. Iun. de feud. part. 2. quest. 6. & sequuta fuit Rota in Rauennaten. emphyteusis 22. Maij 1628. coram Reuerendiss. D. meo Decano, quæ est decis. 176. numer. 42. & sequent. part. 5. recent. Altercatio quippe est noua alienatio, ut post alios aduertit Ferdinand. à Castro Palao de religion. tom. 2. tract. 11. §. 4. numer. 4. Et in concessionem rei solitæ alienari debet adesse euidentis utilitas Ecclesiae etiam inspecto tempore præsentis, quo fit renouatio, non autem tempore, quo res cœpit alienari, seu in emphyteusim concedi primo loco per text. in extrauag. ambitiosa, ibi, tunc Ecclesiarum euidenti utilitate, de reb. Eccles. non alien. & tradunt Honded. consil. 51. numer. 60. & 61. lib. 1. Borgnin. decis. 30. numer. 15. & 79. part. 2. Molin. de iust. & iur. disp. 468. numer. 17. Gratian. discept. forens. cap. 813. numer. 37. & 41. Ferdinand. de Castro Palao d. §. 4. numer. 4. vers. secunda conditio. Rot. apud Cæs. Graf. decis. 3. numer. 16. & decis. 4. per totam de reb. Eccles. non alienan. & decis. 582. ante numer. 1. & decis. 607. numer. 1. part. 1. diuers. & in Romana domus 29. Nouemb. 1587. coram Blan-

chetto, & in Vlixbonen. prædij 14. Ianuarij 1603. coram Ortembergo, & nuper in Astina bonorum 27. Martij præteriti coram R. P. D. meo Buccabella, quæ utilitas deficit vbi solitum alteratur in præiudicium Ecclesiae, & res conceditur vni pro minori pretio, & cum deterioribus conditionibus, quam antea fuit concessa, vel tunc possit concedi alteri, ut per Gabr. de iur. emphyt. concl. 1. numer. 28. Honded. d. consil. 51. numer. 59. lib. 1. Trentacing. var. resol. lib. 3. tit. 1. resolut. 5. numer. 8. Marefcot. var. resolut. lib. 1. cap. 3. numer. 24. Gratian. discept. forens. cap. 88. numer. 36. & 37. Rosental. de feud. part. 7. conclusionem 24. numer. 19. vbi adden. littera X. Ferdinand. à Castro Palao d. §. 4. sub numer. 4. Rot. decis. 195. numer. 9. part. 2. diuers.

Tum etiam quia ad hoc ut res solita alienari, possit sine solemnitate concedi, requiritur, ut duret eadem causa primæ concessionis, & res perseueret in statu primo, neque sit mutata, secus autem si cessauerit, & fuerit mutata, ut per Abb. in cap. ut super numer. 11. vers. ego crederem de reb. Eccles. non alien. Rebuff. eodem tractat. numer. 33. Borgnin. decis. 30. numer. 8. & 10. numer. 48. & 53. & numer. 85. & decis. 31. numer. 113. & sequent. Schrader. de feud. part. 4. cap. 2. n. 20. Rot. apud Cæs. Graf. decis. 4. numer. 17. de reb. Eccles. non alien. & coram Card. Seraphin. decis. 1490. numer. 7. & in Mediolanen. bonorum 23. Ianuarij 1593. coram Orano; Quod requisitum neque fuit articulatum in casu præsentis.

Et demum quia quando res solita concedi fuit applicata, & incorporata mensæ Prælati, tunc sine solemnitate amplius concedi non potest iuxta Guid. Pap. decis. 154. Clar. in §. feudum quest. 13. vers. bene verum. Schad. de feud. part. 4. cap. 2. numer. 24. Rosental. de feud. cap. 8. concl. 33. per tot. Ferdinand. à Castro Palao d. §. 4. numer. 3. & sub numer. 1. vers. tertia conditio.

Ex quibus vtraque parte informante resolutum fuit denegandam esse remissoriam.

D E C I S I O

SACRAE ROTAE ROMANAE
coram R. P. D. Merlino:

In causa Gerundenf. Scribaniae.

Veneris 27. Nouembris 1637.

Domini steterunt in decisis scilicet denegandam esse remissoriam & præmittentibus tres conclusiones in iure verissimas, & passim à Rota receptas.

Prima est conclusio quod non datur remissoria ad probandum per testes, quod potest probari per scripturas Bellamer. decis. 9. vbi

reftatur de ftilo palatij, & Romanae Curiae. Fe-
lin in cap. 1. numer. 4. de appellat. Rot. decis. 271.
numer. 2. part. 5. recent. & apud S. m. Gregor. XV.
decis. 253. numer. 2. & coram Reuerendiff. Vrgel-
len. decis. 131. numer. 13. praeter allegatos in alia
decifione huius caufae, Cum enim probatio per
instrumenta fit fincerior, expeditior, & magis
tuta, frustra recurrimus ad testes, qui vel obli-
uione, vel alio defectu labi poffunt, & ideo in-
cerior redditur eorum depositio, & minus fe-
cura probatio, vt per Bellam d. decis. 9. & Bald.
confil. 109. in princ. lib. 4. vbi quod instrumen-
tis lux veritatis afflitit. Crauet. confil. 54. n. 15.
cum aliis.

Secundam praemittentem conclusionem
quod non admittuntur testes, & sic denegatur
remifforia, vbi articulus non respicit factum,
quod subiaceat oculis, seu notitiae testium, si
enim fit articulus iuris, & pendeat à iudicio,
tunc iudex ex sua peritia, & ex difpofitione
iuris depromit determinationem caufae, non
autem ex testium opinione, vel credulitate, vt
fuit dictum in Corduben. reddecimarum 26.
Martij 1607. coram Reuerendiff. D. meo Coccino
Decano, in Toletana Canonicatus 13. Nouem-
bris 1609. coram Card. Lancelloto in Viterbien.
bonorum 10. Decembris 1613. coram bo. me. Pa-
triarcha Manzanedo, in Hispalen praeminenti-
arum 15. Nouembris 1617. coram bo. me. An-
drea, qua est decis. 593. numer. 1. & 8. part. 4. re-
cent. & in Valentina iuris fedendi 15. Decem-
bris 1634. & 16. Martij 1635. coram R. P. D. meo
Ghislerio.

Tertia conclusio est quod non datur remif-
foria, quando materia articulata est irreleuans;
conteritur enim tempus, & litigantes vexan-
tur tædio, & expensis dum ad inanes probatio-
nes conuertuntur. Rot. decis. 126. numer. 2. &
decis. 503. numer. 2. part. 2. ac decis. 250. numer. 1.
& decis. 129. numer. 1. part. 5. recent. & in dicta
Valentina iuris fedendi coram R. P. D. meo
Ghislerio.

Ex his postea Domini inferebant non esse
dandam in casu praesenti remifforiam, quia si
respicimus primos articulos, illi continent,
quod res solita fuit locari, & quod de hac Scri-
bania factae fuerunt plures concessiones, pro
annua pensione librarum 70. ex quibus dedu-
cunt informantes pro D. Fontanella potuisse
etiam illi concedi pro eadem pensione absque
alia solemnitate. Verum cum emphyteusis de
sui natura requirat scripturam, nec aliter pro-
bari possit, secundum communioem sententia-
rum de qua testatur Socin. sen. confil. 120. n. 24.
lib. 4. Rolan. confil. 87. numer. 9. & 10. Surd. deci-
fione 10. numer. 1. Valasch. de iur. emphyt. quaest. 7.
numer. 2. & 7. Molin. de contract. disput. 447. n. 4.
& sequent. Gratian. discept. foren. cap. 188. n. 1.
& 2. & dixit Rot. apud Card. Seraphin. decisio-

ne 627. numer. 1. & in recent. decis. 400. numer. 10.
& decis. 630. numer. 6. part. 1. Et consuetudine
vniuersali vbique locorum receptum est, vt
fiant inuestiturae, & publica documenta super
emphyteoticis concessionibus, praesertim in
his, quae ab Ecclesia reperiuntur. Propterea si
de articulatis per D. Fontanellam concessionibus,
extant scripturae, debent illae in actis exhiberi,
ad effectum probandi solitum, non autem
super hoc testes induci.

Quo vero ad articulos, qui concernunt va-
lorem meritorum patrocinijs praestiti à D. Fon-
tanella, & periculum, quod subire poterit mo-
nasterium in futuris litibus, quas defendere
promisit idem Fontanella, indeque etiam an
requiratur beneplacitum apostolicum, & an
adfit vtilitas, bene intrat secunda conclusio, vt
Rota haec omnia debeat diffinire ex iuris prin-
cipiis, & iuxta Doctorum axiomata, non au-
tem depromere resolutiones ex iudicio, &
opinionibus.

Circa alios autem articulos intrat tertia
conclusio de irreleuantia, quae est patens ex
eo, quod in alienationibus bonorum Ecclesia-
sticorum requiruntur duo copulatiue, & so-
lemnitas nempe beneplacitum apostolicum,
& causa nempe necessitas, seu vtilitas euidentis,
ac indubitata, vt colligitur ex cap. 1. de rebus
Eccl. non alien. in 6. ex Clem. 1. necnon ex extra-
uag. ambitiosa eod. tit. Dec. confil. 142. numer. 4.
Surd. confil. 181. numer. 14. Rot. decis. 160. numer. 1.
& decis. 178. numer. 1. & 10. part. 2. diuers. & in
recent. decis. 430. numer. 1. & 4. part. 2. & dec. 367.
numer. 1. part. 5. & fuit firmatum in 1. decis. &
praeter ibi allegatos ex recentior. comprobant
Donat. Anton. Marin. quotid. resol. cap. 5. per tot.
Ferdinan. à Castro Palao tract. 11. disput. vnic.
§. 2. numer. 1. & sequent.

Hic autem deficit vtrumque, solemnitas
quidem deficit, quia licet ea non requiratur in
re solita locari, quoriescumque docetur de vna
locatione solemniter, ac legitime facta, nempe
cum beneplacito apostolico, vel de duabus so-
lemnibus per 40. annos effectum sortitis, iuxta
doctrinam Alex. in confil. 9. numer. 6. lib. 3. & con-
filio 189. numer. 19. lib. 2. Rota apud Card. Seraph.
decis. 434. numer. 5. & in rec. decis. 367. numer. 18.
& 19. part. 5. & in Nucerna praedij 24. Maij
1624. coram me, & in praesenti casu duae qui-
dem exhibeantur concessiones, prima de
anno 1570. & altera de anno 1590. vsque
ad 1614.

Tamen huiusmodi solitum non suffragatur,
quia dictae inuestiturae antecedentes non
sunt conformes huic postremae inuestiturae re-
ceptae de anno 1614. per D. Fontanellam. Vna
enim ex dictis antiquis concessionibus facta
fuit ad vitam vnus tantum personae, altera ve-
ro est facta ad vitam vnus, & illius dumtaxat
successoris,

successoris, Postrema autem haec inuestitura
D. Fontanellae est ad tertiam generationem,
cum facultate nominandi, attributa tam ipsi
D. Fontanellae, quam eius filio, seu nominan-
do, vt in processu compulsoriali fol. 23. Et sic
non leuis adest alteratio, ac proinde intrat
conclusio, quod expediendum erat beneplaci-
tum apostolicum, etiam si res ipsa materialis
solita fuerit aliàs concedi, si in conditionibus,
vel alio modo fuerit alteratum, tunc enim di-
citur noua concessio, & noua alienatio, Dec. in
authent. qui rem numer. 22. Cod. de sacrosanct.
Eccl. Clar. in §. emphyteusis quaest. 6. vers. scias
tamen bene, vtil. ad Afflicti. decis. 305. numer. 8.
vers. primo quod ista, & numer. 9. vers. & secundo.
Cauagnol. ad Menoch. confil. 79. numer. 2. & 3. &
fuit firmatum in alia decifione atque etiam in
Imolen. bonorum 21. Maij 1593. coram bo. me.
Card. Pamphilio; Et in terminis alterationis
huiusmodi resultantis ex facultate nominandi
concessa vltimo inuestito, quae in antiquis con-
cessionibus non legebatur, est Card. Seraphin.
decis. 1490. numer. 7. & Rot. decis. 367. n. 20. part. 5.
recent.

Neque applicantur decis. 622. lib. 3. part. 3.
diuers. & in Casaraugustan. officij notariatus
27. Nouemb. 1620. atque in Turritana Scriba-
nia 1. Iulij 1633. coram Reuerendiff. D. meo De-
cano. Quia illae decifiones emanarunt in casu
quo concessionis factae fuerant ad vitam
vnus tantum, haec vero D. Fontanellae est in
tertia generationem, & in defectum gene-
rationum ipse poterat tam in contractu, quam
in vltima voluntate, etiam in articulo mortis
nominare, & primo nominatus poterat eodem
modo quandocumque alium nominare, vnde
non potest negari, quin hic agatur de maiori
prauidicio Ecclesiae quae diuturniori tempore
erit priuata vtili dominio scribaniae, quod non
cadebat in casu dd. decif.

Vtilitas etiam deficit imò euidentis est dam-
num Ecclesiae, concessa enim fuit haec Scriba-
nia D. Fontanellae pro libris annuis 70. vt in
processu compulsoriali fol. 22. & seq. & tamen
anno antecedenti locata fuerat pro annuis li-
bris 150. dicto processu fol. 21. Quae locatio li-
cet esset ad triennium, tamen nec in huiusmo-
di locatione ad breue tempus praesumitur
quod conductor voluerit iacturam facere, &
concurrit etiam quod Dominus Fontanella
statim sublocavit per duo triennia, imò conti-
nuauit ab anno 1615. vsque ad annum 1628.
semper pro annuis libris 150. vt in processu
compulsoriali fol. 32. fac. 1. & fol. 34. fac. 2. &
fol. 36. fac. 2. & fol. 66. fac. 2. & fol. 79. fac. 1. Ex
quibus locationibus excluditur vtilitas, immo
probatum damnum Ecclesiae, quia si & ipsa lo-
casset temporaliter non autem in emphyteu-
sim concessisset; longè duplo plus perceperisset

quam perceperit ex hac concessione emphy-
teotica, & vtilitas ad hunc effectum debet
considerari de tempore renouationis, siue vlti-
mae concessionis factae D. Fontanellae, vt in
verbis dispositum est in extrauag. ambitiosa de
reb. Eccl. non alien. ibi, tunc Ecclesiarum cui-
denti vtilitate. Rot. apud Cas. Graf. decis. 4. per
tot. eod. tit. Gratian. discept. foren. cap. 379. n. 22.
& 23. & fuit in alia decifione firmatum, nec-
non etiam in Bononien. deuolutionis 15. De-
cemb. 1621. coram Reuerendiff. D. meo Decano.
Et huiusmodi vtilitas requiritur etiam in con-
cessionem rei solitae in emphyteusim concedi, vt
post alios aduertit Honded. confil. 51. numer. 62.
lib. 1. & confil. 37. numer. 12. lib. 2. Gratian. discept.
foren. cap. 415. numer. 5. & 6.

Nec dicatur patrocinium D. Fontanellae
aequipollere antiuae illi praestationi lib. 150. &
sic excludi damnum, & laesionem Ecclesiae.
Quoniam si pro tempore praeterito considera-
tur patrocinium potest intrare praesumptio sa-
tisfactionis, non est enim verosimile, quod D.
Fontanella per spatium quindecim annorum,
post tot impenfos labores, vt asseritur in inue-
stitura, & obtentas in causis monasterij fauora-
biles sententias, nusquam salarium exegerit, &
hie potius videtur color quaesitus pro cohone-
stata concessione emphyteotica facta à pa-
truo, qualis erat ille Abbas monasterij in fauo-
rem D. Fontanellae nepotis ipsius Abbatis, quae
sanguinis coniunctio oscitantiam in scrutanda
Ecclesiae vtilitate solet inducere, & suspicio-
nem concessionis, vt notant Doctores in au-
thent. quibuscumque Cod. de sacrosanct. Eccl. Es.
Alciat. de praesumpt. reg. 1. praesumpt. 29. numer. 1.
& sequent. Rot. decis. 181. numer. 1. & decis. 360.
numer. 16. part. 1. & decis. 18. numer. 5. & decis. 65.
numer. 18. part. 2. diuers. & post Cinc. de censur.
decis. 8. numer. 9. & decis. 36. numer. 11. Nec assertio
contrahentium in hoc attenditur, vt bene in
his terminis per Iason confil. 73. per totum lib. 3.
Federic de Sen. confil. 143. & Rolan. confil. 25.
numer. 19. lib. 1. Rot. decis. 27. numer. 4. & decis. 28.
numer. 1. ac decis. 36. numer. 9. & decis. 37. numer. 6.
& 7. post Cinc. de cens. & decis. 160. numer. 4.
part. 2. diuers.

Pro futuro autem tempore patrocinijs
erat omnino incertum, & an D. Fontanella es-
set superuicturus, & an monasterium passu-
rum esset vexationes forenses, ita vt opus fue-
rit pollicito patrocinio, quae incertitudo tollit
vtilitatem requisitam pro alienationibus bo-
norum Ecclesiae, quae vtilitas de tempore con-
tractus debet esse certa, & euidentis, adeo vt
non sufficiat Ecclesiam remanere sine damno,
sed opus sit ipsam fieri euidenter locupletio-
rem, & lucrum consequi à concessione, ex tra-
ditis per Archidiacon. in cap. sine exceptione
numer. 15. Bellam. n. 6. & 12. quaest. 2. Rot. decis. 65.
numer. 4.

num. 4. part. 2. diuers. Card. Seraphin. decis. 433. numer. 2. & decis. 508. numer. 12. & in d. Bononien. deuolutionis 15. Nouembris 1621. coram Reuerendiss. D. meo Decano; Sempérque obstat defectus solemnitate, nempe beneplaciti apostolici, quod vt supra fuit ostensum, requirebatur propter alterationem; Et demum quatenus concurreret utilitas hoc pendet à Iudicio Rotae proferendo, secundum Iuris conclusiones, non autem ab assertionibus testium.

Et ita vtraque parte informante resolutum fuit standum esse in decisis:

D E C I S I O

SACRAE ROTAE ROMANAE
coram R. P. D. Merlino.

Gerunden. Scribaniae.

Veneris. 26. Februarij 1638.

BIs Rota resoluit, denegandam esse remissionem Domino Fontanellae, & quamuis Rota non soleat multiplicare in disputationibus super remissionibus, attamen cum agatur in causa commissa appellatione remota, & in articulo huiusmodi denegationis remissionis opus fuerit tangere nonnulla, quae etiam ad decisionem negocij principalis conferre videntur, Domini indulerunt vt tertio super iam decisis Informantes pro Domino Fontanella audirentur, quibus auditis, & strenue per eos impugnatis decisionibus, adhuc Domini vnam iterum tertio steterunt in decisis pro denegatione remissionis.

Inevitabile enim visum fuit motuum quod in alienatione bonorum Ecclesiae duo copulatiue requiruntur. Primum necessitas, seu utilitas euidens; Alterum solemnitas, scilicet beneplacitum Apostolicum, cap. sine exceptione 12. quest. 2. cap. nulli de reb. Eccles. non alienan. & cap. 1. eod. tit. in 6. latè Couar. var. resolut. lib. 2. cap. 17. num. 2. Rot in impress. coram Reuerendissimo Domino meo Decano decis. 374. num. 3. & decis. 45. num. 1. & 3. & in Messanen. seu nullius feudi 15. Februarij 1636. coram me.

At esto millies D. Fontanellam per 15. annos egregium patrociniū impendisse pro Monasterio, quodque per tantum tempus nullum salarium percepisset, quod tamen admodum inuerisimile videtur, nedum attenta diuturnitate temporis. sed & quia D. Fontanella, qui pro suis clientibus tam acer Aduocatus fuit non praesumitur propriam causam mercedis sibi à Clientibus debitae deseruisse argumento l. Praeses C. de seruitut. & aq. cap. si non li-

cet 23. quest. 5. & cap. non satis 86. distinct. Bald. consil. 312. numer. 3. lib. 4. Crau. consil. 6. num. 25. & consil. 8. numer. 17. & dato etiam sine veri praedicio quod haec merita D. Fontanellae illam concessionem ad tertiam generationem meruerint, attamen semper requirebatur beneplacitum Apostolicum, quod cum deficiat, hinc irrelevancia omnium articulorum resultat, & sic deneganda est remissio, l. ad probationem, C. de probat. Rot. coram Sanc. mem. Gregorio XV. decis. 81. numer. 3. & decis. 456. num. 1. & alia cumulantur in decisionibus huius causae 1. Iulij 1637. & 27. Nouembris eiusdem anni coram me.

Nec obstat, quod haec Scribania fuerit aliàs per duas Inuestituras concessa, & propterea non sit opus beneplacito Apostolico tamquam de re solita locari; Quoniam iam fuit in vtraque decisione responsum, hoc suffragari, si nedum eadem res materialis fuisset tertio locata, sed etiam cum iisdem conditionibus, & pro eisdem personis, sed cum fuerit alteratum solitum & quidem notabiliter, opus erat beneplacito Apostolico, quia stante alteratione censetur noua concessio, & alienatio, vltra allegatos in primis decisionibus bene Redoan. de reb. Eccles. non alienan. quest. 51. cap. 6. numer. 19. & pluribus sequentibus. Decian. consil. 73. num. 43. lib. 2.

Alteratio autem est parens, vt in prima decisione vers. neque dicatur, & in secunda decisione vers. tamen huiusmodi solitum; fuerunt enim additae plures generationes in hac vltima Inuestitura, quae non fuerunt in primis concessionibus appositae; & quod sufficit talis alteratio ad effectum, vt opus sit beneplacito Apostolico vltra allegatos in aliis decisionibus docent Molin. de Iust. & Iur. cap. 463. n. 19. Ferdin. de Castro Palao moral. part. 2. tract. 12. punct. 15. §. 4. num. 4.

Neque vrget, sedulum illud, & doctum patrociniū D. Fontanellae exposcere hanc alterationem; Quoniam haec merita respiciunt primum requisitum necessarium pro alienatione bonorum Ecclesiae nempe utilitatem Ecclesiae non autem secundum requisitum, scilicet solemnitatem beneplaciti Apostolici: neque plus possunt operari hoc patrociniū, & labores impensi pro Monasterio, quam si ingentem pecuniae summam erogasset, & tamen si pecunia emisset hanc Scribaniam, adhuc opus fuisset beneplacito Apostolico, licet euidens fuisset utilitas Ecclesiae; Idem ergo est dicendum dum loco pretij D. Fontella in acquisitionem Scribaniae exposuit patrociniū, & labores.

Ad decisiones autem 622. lib. 3. part. 3. diuers. & Reuerendiss. D. mei Decani in Casar-Augustana officij Notariatus 27. Nouembr. 1620.

& in Turritana Scribania 1. Iulij 1633. fuit responsum in secunda decisione vers. neque applicantur, quae responsio, & hodie Dominis placuit; non enim sunt ampliandae, & extendendae conclusiones in materia alienationis bonorum Ecclesiae, vt cum huiusmodi officia non possint per ipsos Monachos exerceri, si possint ad vitam vnus concedi sine beneplacito Apostolico, possint etiam concedi ad tres generationes cum facultate etiam in articulo mortis attributa extraneos nominandi tam Domino Fontanellae, quam eius filiis, & etiam primo nominato vt fuit conuentum in hac tertia concessione, & praesens casus toto caelo distat ab illis decisionibus; Agitur quippe hic de maiori, & diuturniori praedicio Ecclesiae, & in illis decisionibus erat propemodum necessarium ad vitam vnus periti, & informati concedere Scribaniam, cum Monachi per seipsum munus illud obire non possint, res autem plena periculi foret tantam Scripturarum molem, & vniuersam illius regionis negociorum notitiam, & custodiam modò vnus, modò alterius fidei committere viuente primo informato; Quae cautiones non militant in concessione ad tres generationes, & cum facultate nominandi etiam in articulo mortis extraneos, & ipsis Monachis ignotos, & fortasse minus officio idoneos.

Verum quod in concessionibus officij Scribaniae non requiratur beneplacitum Apostolicum, & alia similia non pendent à depositione testium, sed à Iudicio Iudicis, & ideo non est super his concedenda remissio, sed appositè cadunt sub dubio principali, & à Rota, non autem à testibus erunt definienda.

Postremò non obstat, quod stante illo patrociniij credito vtile fuerit Ecclesiae concedere hanc Scribaniam, & obligatio Ecclesiae videatur posse sustineri si illis sit utilis, vt dicimus de contractu minoris, qui sustinetur etiam sine solemnitatibus si minori sit utilis, Socin. sen. consil. 80. numer. 28. & segg. lib. 4. Rota decisione 599. numer. 3. part. 1. recent. Et idem dicunt nonnulli de pupillo, & de aliis personis priuilegiatis.

Quoniam quicquid sit in contractibus minorum, & pupillorum in quibus terminis nec desunt qui contradicunt, certum est, in alienatione bonorum Ecclesiae duo requiri copulatiue, & utilitatem, & beneplacitum Apostolicum, & vnum sine altero non suffragari, vt in primis decisionibus, & in foro externo nemo contradicit, ita vt alienatio etiam utilis sine beneplacito non sustineatur, nec beneplacitum sine utilitate, seu necessitate sufficiat, Couar. var. resol. d. lib. 2. cap. 17. numer. 2. Redoan. de reb. Eccles. non alienan. quest. 51. cap. 7. num. 21. ubi de communi, & quest. 35. per tot. & quest. 36.

num. 19. & omnium melius Sarmien. de redditibus bonor. Eccles. cap. 2. num. 2. part. 1. Surd. consilio 301. num. 25. Molin. de iust. & iur. cap. 468. concl. 6. num. 4. & millies dixit Rota, & nuper in Bononien. transactionis 13. Iunij 1628. coram R. P. D. Ghislerio, & nouissime explicat Ferdin. de Castro Palao in Moral. part. 2. tractat. 12. §. 6. punct. 15. num. 5. & in vers. finis autem, bene respondet motiuo, quod stante utilitate fuerit satisfactum intentioni Canonis prohibentis alienationem bonorum Ecclesiae, Canon enim voluit consulere in vniuersum utilitatibus Ecclesiarum, non autem in aliquibus casibus particularibus, & aliàs daretur ansa Praelatis quotidie faciendi alienationes sub praetextu utilitatis spreto beneplacito Apostolico, & assiduis vexarentur litibus Ecclesiae, dum omisso beneplacito Apostolico opus esset postea inquirere de hac utilitate; & rationes etiam differentiae inter prohibitionem alienationis bonorum pupilli, & minorum, & bonorum Ecclesiae notat Bero. in cap. qua in Ecclesiarum numer. 35. & segg. de Conflit. Villagut de reb. Eccles. mal. alienat. reuoc. lib. 2. cap. 5. num. 189. & segg. Sarmien. de redditibus bonor. Eccles. part. 1. cap. 2. numer. 5. 10. & 12. Hocque tantum operatur utilitas, quod si deficiat beneplacitum Apostolicum, tunc contractus nullitas non potest opponi, nisi ab ipsa Ecclesia, non autem à contrahente cum ipsa, & hoc est priuilegium Ecclesiae, vt fauore illius detur claudicatio, & possit Ecclesia ratum habere quod à principio non ritè contractum fuit, Sarmien. de redditibus Eccles. part. 1. cap. 2. numer. 34. 18. & 19. ubi loquitur in terminis extraneantis Ambrosiae numer. 20. Quarant. in summa Bullar. in verb. Alienatione rerum Ecclesiae num. 34. vers. declarata. Redoan. d. tract. quest. 20. num. 193. Ferdin. de Castro Palao d. §. 4. numer. 5. vers. ex his manat. & dixit Rota in Romana Censu vitalitij 22. Maij 1626. & 29. Ianuarij 1627. coram me. Socin. verò d. consil. 8. lib. 4. num. 8. & segg. loquitur in contractu pupilli, & ad effectum vt pupillus possit stare contractui utili, licet à se nulliter initi à principio, vt in num. 12. & in iisdem terminis intelligenda est d. dec. 599. quae Socinum allegat.

Amplius in alienatione bonorum Ecclesiae est particularis ratio, quia defectus beneplaciti Apostolici nedum dicitur defectus solemnitatis, sed est etiam defectus formae substantialis contractus, nempe consensus veri Domini; Papa enim vti totius Ecclesiae Governator supremus, & Dei Vicarius est Dominus bonorum omnium Ecclesiarum, & habet liberam, & plenam administrationem super his bonis Ecclesiarum, Bald. consil. 165. numer. 2. post med. vers. Praeterea Dominus Papa, lib. 2. Castr. consilio 287. numer. 3. lib. 1. & sequitur Peregr. de

iur. fife. lib. 1. tit. ult. numer. 85. & seqq. Rodoan. *de reb. Eccles. non alienan. quest. 44. numer. 6. & quest. 19. numer. 120.* & inferiores Prælati dicuntur habere administrationem ab ipso Papa, Innoc. *in cap. cum super. numer. 3. de caus. poss. & propr. & Hostien. ibi numer. 4.* Ioan. Andr. *n. 4. in sol. numer. 7.* Turrecrem. *in cap. videntes. numero 4. & 5. caus. 12. quest. 1.* & potest liberè alienare dicta bona concurrente, vel præueniendi inferiores Prælatos, vt latè, & doctissime fuit explicatum in Forosempnien. emphiteusis *16. Junij 1636. coram Reuerendiss. D. meo Decano;* Ideo dum Paulus Secundus in *extrauag.* Ambitiosæ, iussit ne fierent alienationes bonorum Ecclesiarum inconsulto Papa, censetur admissæ facultatem prius attributam inferioribus Prælati, & quod ipsius Papæ tamquam veri, & Supremi Domini, & immediati dispensatoris expectaretur consensus; & sic dum deficit beneplacitum Apostolicum, contractus caret nedum solemnitate à iure positivo inducta, vt sit consultum vtilitati Ecclesiarum, sed caret etiam consensu veri Domini, in quo consensu consistit potissima substantia contractus etiam attentio iure naturali, & bene faciunt tradita per Abb. *in cap. 1. num. 19. vers. ultimo hic querò 20. de restit. in integ.* Rodoan. *de reb. Eccles. non alienan. quest. 46. numero 34. & 5.* & melius per Villagut. *de reb. Eccles. mal. alienat. reuoc. lib. 2. part. 2. num. 24. & 25.* & Sarmien. *d. tract. de reddit. Eccl. c. 2. n. 1. 2. 3. 4. & seqq.* quæ ratio cessat in alienationibus bonorum minorum, & aliorum; quia in his solum deficit solemnitas iuris positivi; & si sola vtilitas sufficeret sine isto beneplacito, sequeretur quod Ecclesia data vtilitate posset compelli ad vendendum, & alios contractus peragendos, quod est absurdissimum, vt per Sarmient. *d. cap. 2. num. 2. part. 1.*

Et ita tertio Domini unanimiter steterunt pro denegatione remissionis vtraque parte informante, &c.

DECISIO

SACRÆ ROTÆ ROMANÆ
coram R. P. D. Carrillo:

In causa Corduben. Decimarum
de Lucena.

Veneris 29. Maij 1638.

Pro confirmatione sententiæ Rotalis respondunt Domini, attenda eius validitate, contra quam nihil est quod obiici possit, & iustitia clarè patet ex decisionibus in hac causa factis coram Illustrissimo D. meo Decano,

no, in quibus firmatur, priuilegia per Romanos Pontifices Paulum III. Pium IV. & Gregorium XIII. Venerabili Societati IESV concessa pro exemptione à solutione decimarum, vtpote amplissimis derogationum clausulis concepta suffragari aduersus immemorabilem possessionem, quam vna cum fama priuilegij habet in iure decimandi pro se Excellentissimus D. Dux de Cardona.

Primò enim Paulus III. de anno 1549. concessit huiusmodi exemptionem Societati IESV, verbis amplissimis, & clausulis prægnantibus, à solutione quarumcumque decimarum prædialium, personalium, ac etiam Papalium, cum clausula generali derogatoria, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus, ac iuramento, confirmatione Apostolica roboratis, statutis vel consuetudinibus, Guttier. *consil. 5. num. 2.*

Secundò, Pius IV. confirmans, seu approbans, vel de nouo concedens, quatenus opus sit, prædictam exemptionem à solutione decimarum, & quarumcumque impositionum; pro potiori cautela, vniuersam Societatem IESV, omniaque & singula illius Domus Probationis, & Collegia, vbi libet existentia, præsentia & futura, eorumque personas, fructus, redditus, ac proventus etiam bonorum Ecclesiasticorum, secularium & regularium quorumcumque illis pro tempore vniturum, aliasque res, & bona quacumque exempta à quibuscumque decimis etiam Papalibus, prædialibus, personalibus, quartis, mediætabilibus, & aliis fructuum partibus, subsidiis etiam charitativis, & aliis ordinariis oneribus, etiam pro expeditione contra Infideles, defensione Patriæ, & aliis quomodolibet ad instantiam quoque Imperatorum, Regum, Ducum, & aliorum Principum pro tempore impositis; quamuis in illorum impositione caueatur quòd nulla prorsus exemptio cuiuscumque aduersus illas suffragetur, cum clausulis, quòd de obreptione, sabreptione, aut nullitatis vitio, seu defectu intentionis, quouis prætextu, quæsto colore impugnari non possent, cum clausula sublata, & de iure quæsito non tollendo.

Tertio, fel. rec. Gregorius XIII. prædicta priuilegia confirmavit, & cap. nuper de decimis derogavit, cui vsque tunc derogatum non fuerat, prout requirebatur: attentio quòd in d. cap. nuper extet Constitutio Conciliaris. Rebuff. *de decim. quest. 14. numer. 56. Rot. decis. 122. & 123. part. 1. diuers.*

Ex quibus priuilegiis sæpius à Rota canonizatis constat, prædictam Societatem habere exemptionem non decimandi, etiam aduersus habentem immemorabilem cum fama priuilegij: id enim important illa verba, quibus suis & quacumque, quæ tanquam vniuersalia, omnia comprehendunt. *l. omnes. C. sine cens. vel reliq. l. 1. §. quod autem de vi. & vi armat. Soccin.*

consil. 297.

consil. 297. numer. 5. volum. 2. & habent vim specialis expressionis etiam in casibus, vbi nominatio specifica requiritur. Curt. *senior consil. 49. Crauett. consil. 294. & 297. Siluan. consilio 66. numer. 13. & 14. lib. 2. Gutierrez d. consil. 5. n. 3. cum seqq.* ponderatis illis verbis, ibi, etiam si decimæ sint Papales: quæ dictio etiam stat augmentatiuè, & ampliatiuè, *l. 3. C. de testibus. Gemin. consil. 125. numer. 10.* & exprimit casum magis dubitabilem *l. etiam, ff. de verb. signific. Surd. consil. 445. numer. 28. Seraph. decis. 530. numer. 6.* & cum tenor priuilegiorum in primis ponderandus, & inspiciendus sit, cap. recipimus, cap. porro de priuileg. verba vniuersalia sunt propriè prout sonant intelligenda, vt notat Angel. *in punct. de priuileg. exemptionis in l. fin. vers. tertio queritur ff. de constitut. Princip. quem sequitur Dec. alios allegans consilio 113. numer. 6.* Vnde ab illis abhorret omnis interpretatio restrictiua. Bald. *consil. 271. col. 2. vol. 1.* Quia verba clara non mutant propriam significationem in priuilegiis, cap. ad audientiam, vbi Abb. *num. 2. de decim. Rebuff. de benefic. part. 1. tit. de decim. priuileg. & prescript. numero 8.* Sed extenduntur quoque in præiudicium tertij, cap. quamuis de rescript. *lib. 6. cui Summus Pontifex præiudicare potuit, & voluit. Dec. d. consil. 113. num. 7. Rebuff. de decim. q. 14. numer. finali,* vt patet ex clausulis derogatoriis, præsertim regulæ de iure quæsito non tollendo.

Vnde licet aliàs Rota senserit, quod similia priuilegia præiudicarent tantum illis, ad quos spectat ius decimandi de iure communi, cuius Papa scientiam habere præsumitur. Cassad. *decis. 1. de priuileg. num. 2.* non autem illis, quibus tale ius competit ex priuilegio, vel ex alio particulari titulo: & ratio est, quia prædicto iuri numquam censetur derogatum per secundum priuilegium, nisi facta de illo speciali mentione, propter præsumptam ignorantiam Pontificis. *l. decurionibus. C. de silentiar. lib. 12. Suarez alleg. 28. num. 9. nouissimè Castill. de tertijs reg. cap. 36. tom. 7. num. 29.*

Attamen re postea maturius perpenfa, & inter Dominos discussa, illis visum fuit contrarium, recedendo à decisionibus relatis in decis. huius causæ sub diebus 27. Februarij 1636. & 20. Ianuarij 1637. §. tamen, & ab aliis relatis per Castill. *suprà num. 40.* & meritò, quia cum sumus in decimis antiquis. non est facienda mentio in priuilegio exemptionis, ex eo quod Papa sciebat, vel cogitabat has decimas ab aliquo percipi, & sic quòd præiudicabat iis, quibus de iure communi, vel aliàs debebantur. Verall. *decis. 263. lib. 1. in manuscriptis,* vbi allegat Cassad. *in dicta decis. 1. num. 2. de priuileg.* Et ideo cum illa verba, aut aliàs posita sunt post mentionem iuris communis, verificari

non possunt in alio quam in iure speciali. *l. ius singulare, vbi Ant. Fab. ff. de legib. gloss. in Clem. 1. verb. debitis de decim. & propterea concludunt cum Cassad. interpretes, quod censetur derogatum habenti ius speciale super exactione decimarum, cum id potuerit Papa cogitare Abb. in cap. dudum de priuileg. numer. 1. Innoc. num. 4. Ioann. Andr. numer. 5. Ancharam. numer. 3. Butr. numer. 6. Rot. decis. 48. numer. 1. & 2. part. 1. & decis. 614. numer. 3. part. 2. recent. vbi firmatur, quòd quamuis non fuerit facta mentio quòd decimæ de iure speciali poterant spectare ad aliquem, siue ex priuilegio, donatione vel præsumptione; censetur nihilominus derogatum: & ratio est, quia cum sumus in materia de sui natura præiudiciali, iuxta d. decis. 1. Cassad. de priuileg. & Papa concesserit exemptionem à quibuscumque decimis, etiam impositis ad fauorem Imperatorum, Regum, & Ducum, ad quos spectare possunt de iure speciali; certum est, quod cogitauit de Laicis, præsertim derogando priuilegiis vniuersitatum, & quibuscumque consuetudinibus: indèque apparet voluisse eximere Societatem à prædictis decimis. Quod verò potuerit, nefas est dubitare. Crauett. *consil. 206. n. 4. & 241. numer. 5. vers. 2. cum alleg. in d. decis. Illustriss. D. mei Decani.**

Nec obstat, quod Excellentiss. D. Dux habeat immemorabilem pro se cum fama priuilegij, & ita possit allegare infeudationem ante Concilium Lateranenfe sub Alexandro III. de anno 1179 de quo tempore laici erant capaces, ex quo Episcopi, & alij Prælati inferiores poterant eis decimas in feudum concedere, cap. cum Apostolica de his, que sunt à Prælat. Hostien. *in summa tit. de decim. §. 3. queritur, circa finem, cap. 1. Episcopum, vel Abbatem, in vrbibus feud. Couarr. lib. 1. var. cap. 17. numer. 5. Guttier. lib. 1. pract. quest. 15. per tot præcipuè num. 4. Aragon. 2. 2. quest. 87. art. 2. & propterea allegando titulum infeudationis non fuerit ligatus priuileg. Ven. Societatis, ex doctrina Io. Andr. *in cap. nuper numer. 4. de decim. vbi Butr. num. 5. Anchar. numer. 8. Rot. decis. 48. numer. 9. part. 1. recent.**

Quia cum D. Dux sit Laicus, & consequenter incapax decimarum, cap. causam de prescri. cap. fin. de rer. permut. Rebuff. *in tract. de decim. quest. 10. numer. 17. Monet. cod. tractat. cap. 5. quest. 3. num. 57. ex Theolog. Diu. Thom. 2. 2. quest. 87. art. 3. Azor. moral. part. 1. lib. 7. cap. 34. quest. 7. solum potest illas habere vel ex priuilegio, cap. ex parte il. r. 70 de decim. cap. à nobis, cap. 2. §. statnimus eod. rit. in 6. Guttier. lib. 1. pract. quest. 14. numer. 1. & 2. Monet de decim. d. cap. 5. quest. 3. num. 83. Valboa in d. cap. causam de prescri. num. 30. & 51. vel ex immemorabili cum fama priuilegij, Rip. *in cap. 2. colum. fin.**

dec.

de iud. idem Monet. d. cap. 5. quest. 5. & 6. n. 118. & quest. 3. num. 74. vers. puto tamen. Rot. d. decisione 215. part. 2. diuers. vel ex infeudatione ante Concil. Lateranense, aut alio æquipollenti titulo. Rebuff. quest. 13. de decim. numer. 79. & 80. Couarr. lib. 1. var. d. cap. 17. num. 5. idem Monet. d. quest. 3. numer. 66. cum seqq. De priuilegio non constat, & quatenus de eo constaret, censeretur illi derogatum, etsi in priuilegiis Ven. Societatis illius nulla fuisset facta mentio, ex supra adductis in §. attamen numero 7.

Immemorabilis verò cum fama priuilegij licet constet ex testibus pro parte d. D. Ducis examinatis, non tamen suffragatur: quoniam allegando immemorabilem non dicitur allegare meliorem titulum de mundo, sed titulum ex priuilegio, de quo extat fama, cuique clarè derogatum fuit per Pontificem, qui sciebat has decimas antiquas de iure communi, vel speciali ad aliquem spectare. Cassad. d. decis. 1. de priuilegiis cum aliis supra allegatis.

Nec ex d. immemorabili cum fama priuilegij inferri potest ad infeudationem prætentam per D. Ducem, super qua olim, & hodie eius informantes insisterant. Quia ultra quod huiusmodi infeudatio in hoc casu videtur impossibilis, ex quo facultas infeudandi concessa Episcopis, siue fuerit prohibita per Concil. Lateranense sub Alexandro III. de anno 1179. siue secundum alios sub Urbano II. de anno 1088. vt notat Valboa lib. 2. decretal. in d. cap. causam 7. de præscript. numer. 14. 15. & 16. cum seqq. Ciaccon. de Vit. Pontif. pagin. 430. & 566. & de vtroque tempore constat Cordubam & Lucenam, de cuius decimis agitur, fuisse in potestate Maurorum, à quorum manibus fuerunt recuperatæ de anno 1240. vt testantur historici, & præcipuè Mariana de reb. Hispan. lib. 13. cap. 1. & Stephan. de Garibay lib. 13. cap. 2. & sic ad minus per 60. annos post infeudandi prohibitionem; cessat omninò difficultas, cum non doceatur de aliqua recognitione feudali: nec aliquid deducatur, ex quo appareat decimas fuisse possessas vti feudales: sed solum prætentur hoc allegari posse vigore immemorabilis. Nec sufficit ista possibilitas, nisi etiam probetur quod D. Dux eas tenuerit vt feudum cum fama inuestituræ ante Concil. Lateranense: ad quem effectum requiritur saltem quod testes deposuissent esse famam, quod Dux habuerit in feudum ab Episcopo has decimas ante Concil. Lateranense. Couarr. lib. 1. var. d. cap. 17. numer. 6. Rebuff. de decim. quest. 13. numer. 70. Valboa lib. 2. decretal. in d. cap. causam 7. numer. 30. & 51. de præscript. & bene ratiocinatur Illustriss. D. meus Decanus in prima decis. causæ §. huic fundamento in fine. Rot. decisione 215. part. 2. di-

uers. & decisione 702. numer. 1. part. 2. recent.

Nam eo ipso quòd quis se restringit ad vnum titulum, prout fecit D. Dux, ad immemorabilem cum fama priuilegij, excluditur præsumptio alterius tituli, scilicet infeudationis. Bellamer. decis. 287. & 293. Rota dec. 731. numer. 20. part. 1. diuers. Gregor. decis. 353. numero 19. vbi addent. Maxime quando vnus titulus excludit alium, prout in præfenti: quia dum obtinentur decimæ vigore immemorabilis cum fama priuilegij, tunc liberè, & tanquam allodiales possidentur à laico: quando verò possidentur iure feudi, tunc dominium directum remanet penes Ecclesiam, quæ etiam similiter possidet, & dominium vtile cum possessione naturali dumtaxat transfertur in laicum, qui possidere dicitur nomine Ecclesiæ. Berous consil. 21. numer. 1. vol. 1.

Nec suffragatur D. Duci, quod dicatur habere prædictas decimas ex titulo oneroso, propter recuperationem terrarum factam à Mauris: cui priuilegio ex tali titulo prouenienti non est verisimile Papam voluisse derogare. Gonzal. regul. 8. gloss. 25. & 28. Cassad. decis. 1. de pact. & decis. 4. de priuileg. nouissimè Castill. de tertijs reg. d. cap. 36. numer. 28. vers. tertia responsio. Nam quicquid sit, An priuilegium ex causa onerosa concessum censeatur derogatum, non facta de eo in secundo mentione: de qua re idem Gonzal. gloss. 9. §. 2. numer. 18. 29. & 49. Carol. De Tap. in l. fin. ff. de constit. Princip. num. 119. cum seqq. Greg. Acac. lib. 2. cap. 5. v. numer. 43. Ferret. consil. 129. numer. 2. lib. 3. Rolan. consil. 13. num. 69. vol. 3. Crescent. decis. 285. de Priuileg. Put. decis. 47. num. 3. lib. 1. latè Castill. supra num. 40. cum seqq. Non applicantur in præfenti ex supra adductis in §. nec ex d. immemorabili num. 11. dum ipse Dux se restringit in suis probationibus ad probandam solam immemorabilem cum fama priuilegij, cui censeatur derogatum ex supra citatis; & consequenter non potest se fundare in titulo oneroso, qui censeatur exclusus per electionem alterius tituli, ex tradit. per addent. ad Greg. XV. in dicta decis. 353. num. 19.

His igitur stantibus dixerunt DD. nihil releuare renunciationem factam per Prouincialem Priuilegiis Societatis à solutione decimarum ad fauorem D. Ducis. Quia ultra quod dicta renunciatio fuit conditionalis ob pactum in ea adiectum, quòd confirmari deberet auctoritate Apostolica; & sic conditione non adimpleta, illa imperfecta remansit; diluitur penitus obiectum ex defectu potestatis in Prouinciali transigente, qui id facere non valuit absque consensu Reuerendissimi P. Generalis, penes quem tota residet Religionis auctoritas. Vnde

Vnde cum versetur in priuilegio concessio ad fauorem totius Ordinis, non autem personæ priuatæ, statim eidem Ordini fuit ius quaesitum: vt in fortioribus terminis respondit Rot. in decis. 1422. & 23. part. 2. diuers. vbi dicitur renunciationem factam priuilegio à solutione decimarum per Carolum Quintum Imperatorem, tanquam nimis præiudiciale vniversæ militiæ non posse subsistere sine eiusdem Religionis seu militiæ consensu, quamuis fieret reditus ad ius commune: & propterea ex mera simplicitate d. Prouincialis non debet præiudicium inferri vniversæ Religioni, vt bene in decisione causæ coram Illustriss. D. meo Decano sub die 10. Maij 1635. §. Non obstat.

Nec aduersantur moderationes priuilegiorum factæ per Sanctæ mem. Leonem XI. & S. D. N. Quoniam emanarunt, ad fauorem Ecclesiasticorum, & ita non extenduntur ad laicos, qualis est Excellentiss. D. Dux de Cardona.

Et sic conclusum vtraque parte informante.

D E C I S I O

SACRÆ ROTÆ ROMANÆ
coram R. P. D. Roias.

In causa Firmana Professionis.

Veneris 2. Decembris 1639.

Introducito iudicio coram A. C. ad instantiam Pauli & Aurelij de Roscis contra Conuentum Sancti Augustini Montis Fortuni super successione q. fratris Ioannis de Roscis, pro excludendo dicto Conuentu opponeretur de inualiditate professionis per Paulum & Aurelium præfatos, & cum articulus esset exemplaris, placuit A. C. consulere Rotam, & dato dubio, an constaret de validitate, vel inualiditate professionis dicti fratris Ioannis, pro inualiditate adducebantur sequentia.

Primò, nullam esse professionem, vti factam non seruata forma Constitutionis Sixti Quinti in ordine la 71. super capienda diligenti informatione parentum, patriæ, vitæ, ac morum, cum approbatione in Capitulo Generali, vel Prouinciali, quam Constitutionem inducere formam, annullando professiones aliter factas, itaut forma ibi præscripta nõ potuerit alterari, nec immutari, vt firmavit Rota in recent. decisione 175. num. 4. part. 1. vbi refert ita fuisse decisum in vna Toletana professionis 27. Februarij 1595. coram bon. mem. Hieronymo Cardinali Pamphilio.

Secundò, non constare de professione secu-

ra, ex quo scriptura existens in libro Monasterij, ex qua probatur professio, contineat cassaturam circa diem, mensem, & annum, cum apostilla super lineata, in qua aderat 20. Octobris, in præfenti adesse 20. Nouembris, absque approbatione Notarij: quæ cassatura, & apostilla in parte substantiali, prout est dies, mensis, & annus, vitiant Instrumentum per text. in l. si vnus, vbi Bart. Bald. & alij DD. de testibus. Bero. consil. 90. numer. 7. & 14. volum. 3. vltèrius cassaturam esse diuersi atramenti, propterea reddatur suspecta fides illius, & inexecutable, cum in Ciuilibus sola suspicio falsitatis admittatur pro retardanda cuiuscumque Instrumenti executione, aut tollenda illius fidè, Surd. consil. 6. num. 4. Greg. XV. decis. 546. num. 11.

Tertiò, Instrumentum datum continens professionem esse sumptum de sumptu, non ex protocollo Notarij rogati, sed ex libro Religionis, in quo sunt registrata Instrumenta continentia interesse Monasterij, nec reperiri registratum in Protocollo, seu matrice Notarij, à quo dicitur confectum hoc Instrumentum professionis.

Quartò, non probari dictum fratrem Ioannem fecisse annum probationis, iuxta formam Sacri Concilij Tridentini, & eiusdem Regulæ Sancti Augustini, nec quod permanerit in Monasterio per annum continuum, vt requiritur, religiosè viuendo, vt firmavit Rot. decisione 175. num. 1. part. 1. recent.

Quintò, obseruantiam anni nouitiatus remanere exclusum per testes deponentes, fratrem Ioannem passim fuisse solitum vagari per Terram Montis Fortini: vltèrius non apparere vnquam intruuisse in Capitulis, nec fecisse aliquem actum conuenientem professis, nec constare de continuatione in Religione, imò nec apparere vbi nam fuerit post quatuor annos, itaut potius veniat dicendum, fratrem Ioannem obiisse extra Religionem, quàm in Religione, & cum fratres transmittantur de vno loco ad alium, & de tali transmissione non costet, ex hoc colligi dictum Ioannem non esse verè professum, & consequenter bona illius non spectare ad Monasterium. Gratian. discept. for. cap. 640. num. 5.

Supradictis tamen non obstantibus Domini hodie resolverunt Professionem esse validam, ex dicendis infra.

Primò, & principaliter quia ex publico Instrumento constat, dictum fratrem Ioannem de Roscis 20. Nouembris 1592. post annum probationis tria vota solemnia, Obedientiæ, Castitatis, & Paupertatis emisisse; cum promissione viuendi secundum Regulam Sancti Augustini ex quorum emissionem inducitur solemnitas, & expressa professio iuxta text. in cap. cum ad Monasterium in fine, de stat. Monac. cap. omnes

omnes feminæ 27. quæst. 1. Rebuff. consil. 2. numero 11. Nauarr. consil. 10. numer. 6. de Regul. Rot. decis. 216. numer. 3. part. 2. diuers. & decis. 579. numer. 1. part. 1. recent. Caualer. decis. 271. numero 2. vltius dicta vota fuisse emissa in manibus Prioris Monasterij, præuio fratrum Capitulari consensu, quo casu validissima professio reputatur, quinimo si in manibus solius Prioris Monasterij emittatur, absque licentia alterius Superioris, illa sustinetur, ex gloss. in cap. vltimo in verbo pertineat, de regul. in 6. P. Azor. instit. moral. lib. 12. cap. 5. quæst. 3. in fin. Sanchez in præcept. decalog. lib. 5. cap. 4. quæst. 2. per tot. dictamque professionem remanere plenè probatam per dictum publicum Instrumentum, cum & illa etiam probetur per aliam authenticam scripturam, per text. in cap. vidua 20. quæst. 1. gloss. in cap. 1. §. postquam à verbo in scriptis de censib. in 6. Caualer. decis. 271. n. 2. vers. minus videbitur.

Secundò, quia dictum Instrumentum remanet adminiculatum tum ex præcedenti admissione dicti fratris Ioannis ad habitum Religionis Sancti Augustini, biennio ante emissam professionem, vt in Summario dictum fuit. Tum ex testibus deponentibus, fratrem Ioannem per plures annos habitum Regularem detulisse, & in Monasterio cum fratribus vitam duxisse. Tum & etiam ex alio publico Instrumento celebrato de anno 1595. in quo de licentia Prioris Prouincialis fuit Monasterio ex persona fratris Ioannis reddita ratio, ac reliquatus bonorum eiusdem fratris Ioannis per Roscios, dum in sæculo vivebat, administratorum.

Tertiò, quia quæstio validitatis professionis non vertitur principaliter inter fratrem Ioannem, & Religionem, sed accessoriè, & incidenter inter consanguineos fratris, ac Conuentum, ad effectum successionis, nec frater est in causa, quo casu leuiore sufficiunt probationes, Gemin. consil. 27. Seraphin. decis. 1282. numero 6. & fuit dictum in Bononien. fideicommissi de Nascenoriis 19. Nouembr. 1638. coram R. P. D. meo Ghislerio.

Quartò & vltimò, quia ab anno 1592. vsque ad litem motam elapsi fuerunt anni vltra 40. ex quo vel intrat tacita professio, & præcedentis approbatio, si frater Ioannes vixit, vel præscriptio iuris succedendi, si decessit, cum hæc præscriptio 30. annis præscribatur ex gloss. in l. quamdiu la prima ff. de acquir. hered. Gozad. consil. 56. numer. 1. cum aliis adductis in Romana Diuisionis 20. Ianij 1639. coram R. P. D. meo Bichio.

Nec ob stare dictum fuit in contrarium adducta, & Primò, quod professio reputetur nulla ex non seruata forma Constitutionis Sixti Quinti la 71. quia obiectum tollitur ex verbis

Instrumenti, ibi, qui omnes informati de moribus, vita, & qualitatibus, &c. & credendum est assertioni fratrum de informatione capta, cum potuerint se extraiudicialiter, & absque aliquo processu informare. Zabarell. consil. 139. numer. 7. & fuit dictum in Narnien. seu Romana fructuum Dotis 8. Februarij 1627. coram bo. me. Card. Virili.

Minus facit quod huiusmodi informatio non fuerit approbata in Capitulo Generali, vel Prouinciali, prout requiritur in dicta Constitutione Sixtina. Quicquid enim sit, an ex hoc capite remaneat irrita professio, & negatiuam sententiam latè tueretur Rodriq. quæst. reg. tom. 3. quæst. 54. art. 5. dicta Bulla Sixti non annullat receptiones aliter factas, sed tantum imponit pœnam Superiori, licet ibi annulletur professio ex aliis capitibus vt videre est in §. 4. dictæ Bullæ, in simili Burat. decis. 688. num. 12. & 13. In omnem casum cessat difficultas, stante Constitutione Gregor. XIII. moderatoria dictæ Constitutionis Sixtinæ, relata per eundem Rodriq. post dictam quæst. 54. fol. 190. in qua Gregoriana Constitutione disponitur, quod in Religionibus, in quibus Capitula Generalia, vel Prouincialia raro fiunt, prout accidit in Religione Sancti Augustini, sufficiat informatio capta à Superiore, & Capitulo Monasterij.

Nec obstant, quæ in secundo adducuntur, desumpta ex cassatura Instrumenti etiam in apostilla, quia vltra quod testes dati in Summario Conuentus numer. 3. deponunt, dictam apostillam fuisse scriptam manu eiusdem Notarij, quæ propterea probat etiam absque eiusdem Notarij approbatione. Thob. Non. consilio 80. numer. 1. & 5. ac 6. Farinac. de falsit. & simul. quæst. 153. numer. 10. Caualer. decis. 122. numer. 6. Reuerendissimus Dominus meus Decanus decis. 467. num. 2. eò magis dum hæc veritas aliunde comprobatur, Paris. consil. 28. n. 45. cum seqq. lib. 2. Baro. consil. 91. num. 4. lib. 3. Surd. consil. 16. numer. 29. vltius hic non agitur de apostilla scripta diuerso atramento, quo apparet esse scriptum corpus scripturæ, sed eodem, prout testes dicunt, ex quibus cessat omnis suspicio falsitatis, ex congestis per Farinac. de falsitat. & simul. quæst. 153. num. 17.

Vltra quod dicta apostilla solum variaret tempus, in quo secuta fuit professio, non autem constaret de non facta: vnde cum aliunde scilicet ex toto tenore Instrumenti constet professionem fuisse secutam post annum probationis integrè elapsum, non potest dubitari de illius validitate. Et quæ dicta sunt, non fuisse emissa vota cum eisdemmet verbis descriptis in formula, ac Constitutionibus, nihil facit, dum Constitutiones non progrediuntur vltius declarando irritam professionem aliter

aliter secutam, cum benè sufficiat, quibuscumque verbis ea facta fuerit, vt in terminis dixerunt Azor. instit. moral. lib. 12. cap. 5. quæst. 7. in fin. Sanchez in præcept. Decalog. lib. 5. cap. 3. n. 4. qui allegant concordantes.

Minus obstant adducta in tertio quod sit sumptus de sumpto, & propterea non probet, quia dictum Instrumentum non est sumptus de sumpto cum fuerit extractum ab ipso originali, prout iacet cum cassatura, & apostilla, vigore litterarum compulsorialium, citata parte coram Iudice compulsoriali, cum recognitione originalis facta per testes, cum interrogatoriis partis etiam circa verba apostillæ, quamuis fuerit extractum ex libro Instrumentorum originalium Conuentus, vbi extant registrata Instrumenta concernentia interesse Conuentus in publica forma, manu Notariorum rogatorum, propterea cum habeat omnia Instrumenti requisita, non fuit dubitatum, quin sit in forma probanti, Neuizan. consil. 25. numer. 2. & 3. Seraphin. decis. 1236. numer. 1. Gregor. decis. 292. numer. 2. Quæ verò dicuntur, illud non extare in prothocollo Notarij, qui se rogauit, fuit responsum dictum Instrumentum Monasterij tamen probare, cum potuerit per incuriam Notarij, in prothocollum non redigi. Caualer. decis. 122. num. 11. & fuit dictum in Nepefina Hæreditatis 17. Nouembris 1600. coram bo. me. Lancellotto.

Nec pariter obstant quæ in quarto obiciuntur, scilicet quod non probetur fratrem Ioannem fecisse annum probationis, nec integrè per annum permanisse in Monasterio, quia cum contrarium explicitè dicatur in dicto Instrumento professionis, ibi, cumque per annum iam continuum elapsum semper steterit vna cum aliis fratribus in dicto Monasterio, & confirmatur, quia probatur fuisse receptum ad habitum, fecisse ingressum in Religionem de anno 1590. vt ex partita extracta, in qua continetur, nedum decretum de recipiendo, sed ipsa actualis receptio, & ingressus, cum alioquin non fuisset subscripta à fratribus, ibi, tutti si sotto scriuaranno quando si fara à Fratre. Professio verò eiusque Instrumentum est de anno 1592. vt in corpore ipsius Instrumenti, idè cessat obiectum, cum illud habeat pro se præsumptionem veritatis. Crauett. consil. 31. numer. 7. Dec. consil. 423. numer. 10. Caualer. decis. 205. numer. 10.

Tandem non ob stare quæ in quinto, & vltimo fuerunt in contrarium allegata, desumpta ex non obseruantia anni Nouitiatus, & fratrem Ioannem vagasse per Terram, cum aliis ibi enumeratis, quia placuerunt Dominis responsiones datæ quod in illis Terris, ac in paruis Cœnobiis non seruatur iste rigor, cum benè sufficiat, nunquam fratrem reliquisse

habitum Religiosum, & mansionem, & vitam duxisse in Monasterio, & licet Nouitiatus ibi egrediarur, vel pro necessitatibus Monasterij, vel recreationis gratia, annuente Superiore, non propterea Nouitiatus fiat irritus, ex Nauarr. consil. 32. de regul. qui refert ita censuisse Sacram Congregationem. Sanchez super Decalog. dicto lib. 5. cap. 4. numer. 27. Nec deambulatio per locum, siue Castrum excludit continuam habitationem in Monasterio: & quod facit cessare omnem difficultatem, est quod constat de permansione in Monasterio dicti fratris post susceptum habitum per tres annos, quo temporis spatio fuit inducta tacita professio, quæ pariter sufficeret pro professione inducenda, ex quo tacita operatur sicuti expressa, etiam post Concilium Tridentinum: imo ex sola tacita professione bona spectare ad Monasterium secuto obitu post annum professionis, dixit Menoch. consil. 346.

Quod dicitur, de tempore secutæ professionis non adfuisse in Conuentu Montis Fortini nisi tres fratres, nihil facit, cum satis fuerit, quod superior, qui eum recepit, haberet potestatem incorporandi Religioni, prout habebat iuxta notata in cap. porrectum de Regul. Franc. in cap. 1. numer. 2. vers. & intellige de votis: Ruin. consil. 128. num. 3. lib. 1.

Quibusstantibus, cum præsumptio stet pro validitate professionis, ex Nauarr. consil. 13. numer. 10. de regul. Sanchez super Decalog. lib. 5. cap. 4. numer. 12. præcipuè stante obseruantia postea secuta, præsumuntur omnia præcessisse requisita, quæ debent concurrere pro validitate professionis, Menoch. consil. 396. numer. vltimo, & constet de ingressu in Religionem, præsumitur in eadem continuasse vsque ad obitum secutum longè post Instrumentum professionis, præsertim non constando de contrario.

Et ita resolutum vtraque parte informatante, &c.

D E C I S I O

SACRÆ ROTÆ ROMANÆ
coram R. P. D. Merlino:

In causa Maioricens. Indultorum.

Luna 11. Aprilis 1639.

Romani Pontifices Ioannes XXII. Eugēnius Quartus, & nuper S. M. Pius V. propter benemerita Incolarum Regni Maioricens. & ex aliis rationabilibus causis concesserunt, vt beneficia solum naturalibus incolis, & Originariis dicti Regni conferrentur, ac veterunt Episcopo, & aliis Collatoribus, ne

de cætero exteris prouiderent, huiusmodique Papalia indulta inserta sunt inter Constitutiones Regni. Ortis postea diffidiis inter Episcopum, & Regnum Maioricen. & causa coram me in Rota introducta, Informantes pro Episcopo dederunt articulos in quibus probare intendebant dicta Indulta Romanorum Pontificum non fuisse vsu recepta, & allegabant plurimas collationes factas exteris, & ideo petebant remissoriam, & Domini denegandam esse dixerunt ex capite irrelevantiæ, & ex eo quod non sit necessaria huiusmodi probatio per testes.

Irrelevantiam deducebant DD. quoniam dato millies probari istas collationes factas exteris, atramen non inde infringebatur vis, & auctoritas Indultorum Apostolicorum contra quæ Indulta, & Constitutiones Apostolicas non potest dari de non vsu, Abb. in cap. fin. numer. 4. vers. Vnde ibi de treg. & pac. Felin. in cap. 2. numer. 6. vers. lex noua eod. tit. Couar. var. resol. lib. 2. cap. 16. numer. 6. vers. 5. sunt. Put. decis. 1. in fin. lib. 1. Card. Cau. decis. 77. numer. 3. & 85. numer. 2. & 91. numer. 7. & 111. numer. 1. Ratio est, quia Principes sæculares auctoritatem habent à Populo, & ab homine, & ideo eorum leges eatenus obligant, quatenus moribus vtentium, qui auctoritatem contulerunt, approbentur, l. v. in fin. ff. de Senator. Dec. consilio 162. col. pen. vers. ultimo non obstat, & egregiè explicat, D. Thom. part. 2. quest. 97. art. 3. ad tertium. Papa autem habet immediatè, & solum à Deo auctoritatem absque vlla dependentia à consensu subditorum, & ideo non exigitur pro firmitate illius Constitutionum quod alij vsu recipiendo, illas admittant, sed statim ac à Papa promulgatæ sunt, & innotuerint, etiam si in singulis Prouinciis non sint publicatæ, vim habent, & auctoritatem, & obligant. Ita Præpos. in cap. istis §. leges numer. 3. vers. nisi dato consensu Pape 4. distinct. Archid. in cap. leges promulgantur, distinct. 4. & in cap. cum de benef. circa fin. vers. nec mirevis de præben. in 6. Franch. ibidem numer. 4. Rot. apud Card. Cau. decis. 85. numer. 2. & in Conchen. beneficij de Valdeuidios 14. Nouembris 1611. coram Cardin. Sacrato, & in Foroliuini. Censur. 25. Februarij 1622. coram bo. me. Manzanedo in fine, quæ est decis. 365. post Cinc. de Cens. Molin. de contract. disput. 395. numer. 1. Cinc. de Cens. quest. 34. numer. 48. & 50. in vlt. impress. Nauarr. consil. 1. lib. 1. numer. 19. in fin. de Constit. & omnium clarius Suarez de legib. lib. 4. cap. 16. numero 2. & sic contrarius vsus Pontificij Constitutionibus non illas elidit, nisi tamen cum tali contrario vsu populi concurreret etiam positua scientia Papæ, & illius consensus, quia tali casu ipse Papa videretur abrogasse antecedentem suam Constitutionem, Archid. dd.

locis Felin. in d. cap. 1. numer. 6. de treg. & pac. Federic. consil. 117. numer. 2. Vitalin. in Clem. 1. numero 26. de probat. Franc. Aret. consil. 11. numer. 5. ante med. viden. Sot. de Iust. quest. 7. art. 2. vers. ergo scuti Gabr. concl. 2. numer. 12. eod. tit. & Rota in d. decis. coram Card. Cau. & in Rom. Societ. Officij 15. Nouemb. 1624. coram bo. me. Vbaldo. Quæ scientia hic positua Papæ non probatur, & multo minus consensus in hunc contrarium vsu, immò dissensus apparet, quia vbi Episcopus contulit extero S. D. N. inharendo indultis S. M. Pij V. concessit Michaëli originario Maioricen. cuius impetratio in contradictorio obtinuit coram Reuerendiss. D. Episcopo Meletio tunc Locumtenente A. C. cum possessione subsequuta in fauorem dicti Michaëlis, expulso dicto extero.

Et multò minus attendendus est dictus non vsus cum in Constitutione Pij V. adsint clausulæ, non obstantibus quibuscumque, &c. & decreto irritanti, per quas clausulas eneruata est omnino vis actus contrarij subsequentis, & inobseruantia Constitutionibus, vt in puncto est decisio Crescen. 4. de priuileg. numer. 3. & 4. & sequent. & Caputaq. decis. 103. numer. 1. part. 3. & decis. in Barchinon. Vicaria 7. Decembris 1616. coram bo. mem. Buratto Lott. lib. 1. de re benef. quest. 34. numer. 51. Gratian. discept. 559. numer. 35. Rot. decis. 252. numer. 4. part. 2. recent. & coram Reuerendiss. D. Decano decis. 51. numer. 2. & in Valentina Iuris Sedendi 12. Iunij 1634. coram me: Sic enim apponitur, quod Papa voluit resistere actui contrario suæ Constitutioni, & adhuc illam voluit seruari Scrad. de feud. part. 10. sect. 20. numer. 161. cum alijs supra relatis.

Nec applicari visa est immemorabilis cum constet de initio saltem respectu Constitutionis S. M. Pij V. quæ runc statim cœpit ligare, & sic contra eam non potest dari nec de Centenaria, nec de Immemorabili, vt in simili considerat Gratian. d. discept. 559. numer. 34. 35. & 36. Rota in decis. Ratibonensi Canonatus 23. Iunij 1617. coram D. meo Pirouano, quæ est decisio 542. numer. 3. part. 4. recent.

Ex alio etiam capite apparet de irrelevantia articuli circa non vsu dictæ Constitutionis, & Indulti Apostolici quoniam si huiusmodi Indultum concessum est vniuerso Corpori Ciuium, & Incolarum Regni Maioricen. quemadmodum expressus consensus particularium, non potuit præiudicare ipsi Corpori vniuersali, ita multo minus tacitus consensus qui posset resultare ex illa acquiescentia, poterit auferre beneficium dicti Indulti ab alijs Ciuibus, quibus competit, nec illis præiudicare gloss. in cap. dudum il 2. in vers. de veritate in fin. de elect. Roman. consil. 374. numer. 5. Menoch. consil. 39. numer. 55. Rot. decis. 13. de procur.

in

in nou. & in Mediolanen. Decimarum 9. Iunij 1630. coram me: Adeout ipsis Ciuibus permittatur, tam in petitorio, quàm in possessorio nomine vniuersitatis, & Regni agere, eorumque iura vindicare Caput. decis. 170. & 182. part. 3. Adden. ad S. M. Greg. XV. decis. 116. numer. 5. & in Collimoncen. præstimoniorum 27. Iunij 1633. coram Reuerendiss. D. Decano, & in dicta Valentina Iuris Sedendi 17. Iunij 1634. coram me.

Nec videbatur etiam necessaria hæc probatio per testes, quia cum super collationibus beneficiorum fiant Scripturæ, & publica Instrumenta, & in Cancellarijs conferentur memoriæ, & adnotationes, huiusmodi Scripturas Episcopus posset exhibere, & ideo dum probatio fieri potest per Scripturas non est admittenda per testes, & sic deneganda est remissoria Bellam. decis. 9. & decis. 384. Felin. in cap. 1. numer. 4. de appell. Rot. in rec. decis. 314. n. 1. part. 1. & decis. 45. numer. 2. & 589. numer. 1. part. 2. & alias sæpius.

Nec releuat subterfugium Episcopi, quod scilicet fuerint deperditæ tot Scripturæ per tot annos confectæ, quoniam vltra quod est inuicibilis talis amissio, & eo magis quia ipsi Informantes pro Episcopo dant adnotationem collationum cum certo anno, mense, & die, & alijs particularibus circumstantiis, quæ dari non possent, si verè non extarent dictæ Scripturæ. Respondebant DD. quod asserere deperditas fuisse tot Scripturas est allegare negligentiam, & delictum illius, cuius munus erat circa custodiam Scripturarum, & tale delictum non præsumitur Bart. in l. si quis ex argentariis, §. pen. ff. de eden. latè Surd. consil. 109. numer. 9. Honded. consil. 19. numer. 17. lib. 1. Rot. coram bo. mem. Buratto decis. 505. numer. 11. & 12.

Et ita vtraque parte informante resolutum fuit pro denegatione remissoriar.

D E C I S I O

S A C R Æ R O T Æ R O M A N Æ

coram R. P. D. Merlino:

In causa Corduben. Decimarum
de Lucena.

Luna 7. Februarij 1639.

PER sententiam Roralem coram Reuerendiss. D. meo Decano, præmissis multis decisionibus, fuit pronunciatum, R. P. Prouinciam Prouincie Beticæ, & Patres Societatis Iesv, ex Indultis, & Priuilegijs Apostolicis exemptos esse, & immunes à solutione Deci-

marum super bonis per dictos Patres Societatis possessis, nec eis obtare moderationes felic. Leonis XI. & Sanctissimi D. Nostri, impostumque fuit Excellentissimo D. Duci Cardonæ super petitione istarum Decimarum perpetuum silentium, hæcque sententia, iterum negotio noua disputatione discussa, fuit præcisè confirmata coram R. P. D. meo Carillo: Et hodie vnanimiter coram me, examinatis omnibus decisionibus, responsum fuit, dictas sententias Rorales esse validas, & iustas, & ideo confirmandas.

Validæ, quia seruatis omnibus rite latæ sunt, nihilque per missum quod ad telam iudicialiam requiratur.

Non obstat, quod coram R. P. D. meo Carillo institerint Agentes Excellentissimi D. Ducis pro admissione articuloꝝ, & illis denegata, & interposita appellatione deuentum fuit ad publicationem sententiæ, & idè tantquam lata pendente appositione fuerit nulla dicta sententia, Castr. consil. 281. numer. 5. in princ. vers. 2. quia lib. 1. Crau. consil. 103. numer. 5. Magon. decis. Lucen. 37. numer. 7. & dabatur appellatio ab huiusmodi denegata admissione articuloꝝ, Bald. in l. arbitrio tuo numer. 4. vers. tu ergo, ff. qui satisf. cog. Surd. decis. 36. per tot. Osasch. decis. 25. numer. 14. vers. contrarium tamen, Rota Auinionen. decis. 102. numer. 2. Quoniam hæc conclusio non procedit quando articuli continent materiam non releuantem, & probationes, quæ ex articulis debent resultare, sunt impertinentes, si enim Iudex tales articulos reiecit, non grauat, Bart. in l. 2. numero 25. vers. 3. quero, ff. de appellat. Bald. in l. 2. numero 19. quest. 13. Cod. de Episcop. aud. Si autem non grauat Iudex, nec consequenter pars legitime appellat, & in terminis admissionis articuloꝝ in Curia fuit resolutum in Maceraten. legitime 22. Iunij 1629. & 18. Febr. 1630. coram Reuerendiss. Vrgellen. quæ sunt inter eius impress. illa decis. 213. hæc decis. 239. Rot. decis. vlt. numer. 3. & seqq. part. 1. rec. & tradit Scacc. de appell. quest. 17. limit. 47. membr. 1. numer. 141. Quod autem materia articulata esset irrelevantis, & impertinens, luculenter patet ex decisione emanata in hac causa 5. Iulij superioris anni vers. irrelevantia coram R. P. D. Carillo.

Nec dicatur quod fuit petium, admitti articulos in Curia, quo casu nunquam solet denegari examen, Caputaq. decis. 47. part. 1. Rot. decis. 24. de testib. in antiq. Quia istæ decisiones intelliguntur quatenus probationes, ex d. examine faciendæ, sint profutura, vt colligitur ex ead. decis. 24. de testib. in antiq. ibi, vt tamen sint boni, & pertinentes in materia, & forma, & tradit idem Caputaq. decis. 68. part. 3. ibi, Dummodo sint releuantes, frustra enim expectamus probationes, quæ non releuant, Cassad. decis. 2.

E e 2 de

de dilat. Rot. decis. ult. numer. 5. & 6. part. 5. rec. Nec D. meus Carillus detulit appellationi, nec à se abdicauit Iurisdictionem, dum simpliciter dedit testimoniales, ex quibus solum resultat testimonium Iudicis circa illud factum, quod nempe pars appellauit, & per tales testimoniales nihil dicitur à Iudice approbatum circa admissionem appellationis, vt post alios explicat Scacc. de appell. quasi. 13. num. 6.

Iustitia autem sententiarum benè deducitur ex priuilegiis, & indultis, concessis Societati IESV per fel. rec. Paulum III. Pium IV. Gregorium XII. in quibus Societas, & singula Collegia eximuntur à quibuscumque decimis, & vberimis, & amplissimis clausulis huiusmodi indulta muniuntur, & signanter derogatur cap. nuper de decim. quod promulgatum fuit in Concilio generali, & huiusmodi indulta Societatis IESV pluries in Rota fuerunt discussa, & semper canonizata, vt in decisionibus bo. mem. Bubali, & in tribus sententiis eiusdem Bubali, Seraph. & Blanchetti, vt habetur apud Leon. in Thef. for. Eccles. part. 2. cap. 24. numer. 71. & omnes allegantur in decisione Ciuicatis Castelli decimarum 25. Iunij 1629. coram R. P. D. Ghislerio.

Neque obstat illa immemorabilis per centum, & ultra testes, iustificata, quod Excellentiss. D. Dux Cardonæ, & eius Antecessores perceperint omnes Decimas in Agro Lucen. quoniam iterum Domini pro responsione repetebant duas conclusiones à Doctores frequententer receptas, & à Rota millies approbatas.

Prima quod sola immemorabilis, & quæcumque antiquissima consuetudo, non suffragatur laico, vt decimas Ecclesiasticas recipiat, cap. ad hac de decim. cap. causam qua, de prescript. Felin. in cap. cum contingat num. 4. vers. 2. fallit, de for. compet. Marc. Mant. in cap. vigilantibus sub numer. 5. de prescript. Zabarell. consil. 88. numer. 4. Menoch. consil. 291. numer. 41. Peregr. de iur. fisc. lib. 6. tit. 8. numer. 19. & decis. 143. numer. 4. & decis. 144. numer. 3. Rota in Mediolanen. rescissionis permutationis 21. Maij 1597. coram Pamphilo, in Valentina Decimarum de Ajora 27. Nouembr. 1602. coram Penia. Cum enim à iure Diuino instituta, & præcepta fuerint in subsidium, & alimentum Sacerdotum, & Dei Ministrorum, vt Populo spiritualia ministrantes, temporalibus non egeant, & sic dicuntur de Sanctuario Dei, & sunt cibus in Domo Domini, & etiam in recognitionem Dominij vniuersalis ipsius Dei, huiusmodi Decimæ eidem Deo, & per ministerium illius Sacerdotum & Ministrorum, quasi eiusdem Dei Procuratorum, exhibendæ sunt, cap. reuertimini 16. quest. 1. cap. admonemus 16. questione 2. Abb. in cap. tua nobis numer. 4. & in cap.

in aliquibus numer. 3. & 9. de decim. Rip. resp. 26. numer. 14. Peregr. decis. 143. numer. 3. 4. Non autem laicis, qui omnino huiusmodi rerum spiritualium incapaces sunt, cap. placuit, & cap. peruenit 16. quest. 4. cap. prohibemus, de decim. cap. cum & plantare, de priuileg. Abb. in cap. quamuis numer. 1. & 2. & in cap. ad hac numer. 3. de decim. Felin. in cap. causam qua, num. 3. de prescript. Marc. Mant. d. cap. vigilantibus d. numer. 5. eod. tit. de prescript. Zabarell. d. consil. 88. numer. 3. 4. Menoch. d. consil. 291. numer. 42. Giouagn. consilio 27. num. 3. & 4. lib. 2. Peregrin. consil. 74. n. 2. & 17. lib. 1. & d. decis. 143. numer. 4.

Altera conclusio est, quod immemorabilis eatenus suffragatur laico circa perceptionem decimarum, si addatur, & concurrat, vel fama priuilegij, vel recognitio, vel aliud æquipollens probetur, ita Ioan. Andr. in cap. cum Apostolica sub num. 9. & ibidem etiam Abb. numero 12. vers. 1. quod iste laicus, de his que fiunt à Prælat. Felin. in d. cap. causam qua num. 3. de prescript. & d. cap. cum contingat d. num. 4. vers. si tamen simul, de for. compet. Rip. in cap. decernimus num. 75. vers. contrarium est verius, de iudic. & sequitur Aufrer. ad Cappell. Tholof. decisione 440. sub num. 2. vers. primum quando, Gabr. de prescript. conclus. 1. numer. 18. Menoch. de presumpt. lib. 6. presumpt. 86. num. 5. & 6. & d. consil. 291. numer. 43. Peregr. de iur. fisc. lib. 6. tit. 8. num. 22. & tenuit Rota decis. 215. num. 2. part. 2. diu. Seraph. decis. 1102. num. 1. Mant. decis. 289. numer. 2. & coram Pamphilo in illa Mediolanen. rescissionis permutationis, & coram Penia in illa Valentina Decimarum de Ajora; Monet. de decim. cap. 5. quest. 3. num. 59. vers. in concessione decimarum, & fuit doctissime explicatum in 3. decisione Reuerendissimi D. mei Decani.

Verum nullum ex præmissis in hoc casu obstat Patribus Societatis IESV quominus fruatur exemptione decimarum, sibi à tot Romanis Pontificibus concessarum.

Non fama Priuilegij, quia si, ne dum fama Priuilegij, sed etiam ipsum Priuilegium exhibeatur, adhuc Patres gauderent eorum indultis; quamuis enim aliter aliquando Rota senterit, hodie postquam diligentissime examinavit articulum, retinet sententiam, quod indulta Apostolica, circa exemptionem à solutione decimarum antiquarum, suffragentur, nedum contra Rectores, & alios, qui de iure communi percipiunt decimas, sed etiam contra illos, quibus, ex iure speciali competit tale ius decimas exigendi, & sunt in possessione istius iuris decimandi, Papa quippe sciebat alicui præiudicare, dum exemptionem concedat à solutione decimarum, nec distinguebat in quem caderet præiudicium, solumque præ oculis habebat fauorem illius, cuius meritis erga Ecclesiam, rependebat, dum immunem fecit à decimis,

mis, ita duce Cassad. decis. 1. num. 1. de priuileg. perpenfis illis verbis, quia Papa Iulius sciebat, quod præiudicabat his, quibus de iure communi, vel alias, decima erat debita, & Caputaq. decis. 263. lib. 1. in manuscript. firmavit, Rota in Valentina decimarum 10. Decembr. 1601. coram bo. mem. Litta, qua est decis. 48. part. 1. recent. in Gerunden. Decimarum 5. Iulij 1621. coram bo. mem. Manzanedo, in Placen. Canonizatus 5. Decembr. 1614. coram Reuerendissim. Domino meo Decano, & sequuta est in hac causa in omnibus decisionibus tam coram Reuerendiss. D. meo Decano, quàm coram R. P. D. meo Carillo, & est etiam decis. in Conchen. exemptionis decimarum 30. Ianuarij 1589. coram Orano. & prius etiam idem sentit Abb. in cap. 1. dudum numer. 1. vers. & potest esse de priuileg. ibi, Papa, concedendo priuilegium, voluit derogare possessoribus, & ibi, Hostien. numer. 6. vers. nec obstat, Ioan. Andr. numero 5. circa fin. & Zabarell. numer. 1. circa fin. vers. ubi quero, & alij, quos allegat d. decis. 48. numer. 1. part. 1. recent. Egrege vident. Zaf. consil. 16. per tot. præcipue numer. 7. 12. & 18. vers. quod si etiam, qui loquitur etiam stante immemorabili præscriptione exigendi decimas vt patet ex principio ante numer. 1. Sique tota vis istius articuli consistit in voluntate Papæ, scilicet, quibus voluerit præiudicare, dum alteri concessit immunitatem à solutione decimarum; certè, si indubitanter intellexit præiudicare illis, quibus de iure communi, & quidem Diuino, competit decima, nempe Rectoribus Ecclesiarum, qui etiam ex causa onerosa, nempe administrationis Sacramentorum, exigunt decimam, & qui perpetuò sustinent pondus diei, & æstus, multo magis dicendum est voluisse præiudicare laicis, & quibus solum ex priuilegio, & sic iure positiuo, quamuis etiam ex causa semel onerosa præsumpta, concessum fuit ius decimandi, vt perpendit d. decis. 48. numer. 1. part. 1. recent. & in simili etiam Rota in Mantuana pensiois 13. Nouemb. 1626. coram me, qua est decis. 24. part. 5. recent.

Nec infeudatio seu recognitio potest suffragari Excellentiss. D. Duci, quia non probatur; nec potest deduci ex sola immemorabili, quæ quidem valet producere meliorem ritulum de mundo, sed hoc intelligitur, quatenus titulus allegatus, sit congruus, possibilis, & proportionabilis, vt dixit Rot. in Cracouien. Iurislegendi 21. Maij 1627. coram Reuerendissimo D. meo Decano, qua est decis. 71. part. 5. recent. & in eadem 3. Decembr. 1629. coram Reuerendissimo P. D. meo Ghislerio qua est decis. 325. ead. part. 5. Hic autem titulus infeudationis non est proportionabilis, quia, si D. Dux vult allegare maiores suos fuisse infeudatos de hoc iu-

re decimandi, deberet constare, quod recognouerint dominium directum Ecclesiæ, & quod ipse, & Antecessores sui se profitebantur Vassallos Ecclesiæ, ratione istius Iurisdicimandi, Ioan. Andr. in d. cap. cum Apostolica sub numer. 9. vers. ad alias dic, ibi, ubi non possedit, set vt Vassallus, & ibidem Abb. numer. 12. Rebuff. de decim. quest. 13. numer. 76. Peregrin. de Iur. fisc. lib. 6. tit. 8. numer. 22. & decis. 144. numero 12. Menoch. d. consil. 291. numer. 43. & 44. Infeudatio enim est contractus vtrocitroque obligationis, Abb. in cap. qua Ecclesiarum numero 15. de constit. Paris. consil. 22. numer. 47. & consil. 23. numer. 79. lib. 1. Ruin. consil. 7. num. 3. lib. 1. & sic, si Ecclesia infeudauit, debet etiam doceri de adimplemento Vassali per recognitionem, argum. I. Iulian. §. offerre, ff. de act. empti & ex not. per Bart. in l. quero, §. inter locat. ff. locat. & facit d. decis. 215. numer. 4. 5. 6. part. 2. diu.

Præterea, aut istam infeudationem Excellentiss. D. Dux deducit post Concilium Lateranense, quod sub Alexandro III. editum fuit anno 1179. & talis titulus non suffragatur, quia ibi acerrimè impugnata fuit, & prohibita infeudatio decimarum, nec ideo tenet infeudatio laicis facta post d. Concilium d. cap. cum Apostolica de his, que fiunt à Prælat. d. cap. prohibemus, de decim. & cap. 2. §. sanè, eod. tit. in 6. Couarr. var. resolut. lib. 1. cap. 17. numer. 4. vers. olim sanè, Azor. in summa part. 1. lib. 7. cap. 36. alias 25. quest. 13. Monet. de decim. dicto cap. 5. quest. 3. numer. 66.

Aut vult allegare infeudationem ante d. Concilium, quæ illo tempore omnino non erat interdicta infeudatio decimarum in fauorem laicorum, vt per Couarr. & alios præalleg. Doctores; Et hæc possibilitas non congruit casui nostro, quia ante, & de tempore Concilij Lateranensis Corduba, & Lucena laborabant sub tyrannide Maurorum, à quibus solum vindicata fuerunt longè post expletum Concilium Lateranense, nempe de anno 1240. vt eleganter ex temporum Chronologia, & rerum Hispaniarum Scriptoribus deducitur in ult. decis. 29. Maij præteriti coram R. P. D. meo Carillo.

Nec releuat, si diceretur, ex illa immemorabili potest allegari, quod istud ius decimandi fuerit infeudatum priusquam Corduba, & Lucena in seruitutem Maurorum incidere, & sic ante Concilium Lateranen. libertate verò vindicata, post Concilium, iterum laicis fuerunt infeudatæ decimæ, quoniam nec talis titulus sufficeret; licet enim in aliquibus casibus posset ante Concilium Lateranense fieri laicis infeudatio decimarum, attamen post Concilium non potest repeti infeudatio decimarum, eorumdem etiam bonorum, vt bene

explicat Felin. in d. cap. causam que, sub num. 4. vers. facit etiam, de prescript. Imol. in cap. cum Apostolica numer. 19. & seqq. de his, quae fiunt à Prælat. Bero. consil. 21. numer. 9. 12. & 19. lib. 1. Couar. var. resolut. d. cap. 17. sub numer. 5. vers. præter hæc, Menoch. d. præsumpt. 86. sub num. 5. Rebuff. de decim. quest. 10. numer. 12. & seqq. Monet. eod. tract. d. cap. 5. quest. 3. numer. 73. Giouagn. d. consil. 27. num. 38. lib. 2.

Denique nec suffragari potest aliud æquipollens, quia nullum deducitur sufficiens, & Canonistæ nullum efficaciorum titulum deducunt, quàm infeudationem, & tamen, ut supra ostensum fuit, hic non sufficit. Nectitulus diuinatus ab informantibus pro D. Duce, scilicet, titulus ex causa onerosa, cui non intelligitur in dubio derogatum, potest excludere Patres Societatis IESV; quoniam quod Antecessores D. Ducis habere poterunt hocius decimandi ex causa onerosa, facit quidem, ut ipse D. Dux possit exigere decimas, & si Papa alteri concederet priuilegium exigendi decimas, non censeretur in dubio tollere ius ex causa onerosa, prius competens ipsi Excellentiff. D. Duci circa exactiorem decimarum, sed hæc causa onerosa non facit, nec impedit, quin Papa alteri amplissimis clausulis, & derogatoriis, concedendo exemptionem à solutione decimarum voluerit præiudicare ipsi, etiam habenti ex causa, præsumpta tamen onerosa, quia, concedendo exemptionem, intelligebat præiudicare illi (qualicumque ille sit) qui decimas exigebat. Nec de defectu intentionis Papæ hic potest dari, cum ipsa materia exemptionis à solutione decimarum sit sui natura præiudicialis. Nec distinctio facienda est personarum, quæ percipiunt decimas, immò credendum est, Papam facilius voluisse præiudicare laico, cui impropria, & incongruissima est exactio decimarum spiritalis, quamuis habeat ex titulo præsumpto oneroso, quàm Rectoribus Ecclesiarum, quibus ab ipso Deo ex titulo vero, & ob continua onera Ecclesiastici Regiminis, Decima assignata fuit: Et esset absurdissimum, quod ius decimandi esset potentius, & efficacius penes laicos ex titulo præsumpto, quàm penes Parochos, qui titulum verum habent, ut optimè considerat Za. d. consil. 16. numer. 12. viden. quod absurdum sequeretur, dum Patres Societatis IESV essent immunes à solutione decimarum respectu Parochorum, & non essent immunes respectu laici, qui tamen plus iuris in istis decimis habere non potest, quàm habeat Parochus, in cuius locum, ex quocumque titulo præsumpto oneroso, successit, & est subrogatus.

Nec prædictis obstare videntur tradita per Ioan. Andr. in cap. nuper numer. 4. de decim. & alios concord. quoniam videntur loqui contra

communem, & à Rota approbatam opinionem, quæ est, ut priuilegia Papalia, circa exemptionem à decimis soluendis, faueant contra quoscumque etiam titulo speciali decimas percipientes, & Ioan. Andr. loquitur in laico, qui titulum verum & patentem haberet ante Concilium Lateranense, Excellentiff. autem D. Dux habet solum titulum præsumptum, & est impossibile, vel saltem multum inuicem simile, quod ei competat ante d. Concilium, ex supra deductis. Præferim, cum priuilegium concessum Patribus Societatis IESV, sit etiam concessum ex causa onerosa, intuitu nempe laborum, quos egregiè sustinent ipsi, & vtiliter pro Christiana Republica; Vnde facilius etiam censeretur derogatum cuiuscumque iuri, etiam ex causa onerosa, laicis competenti, circa exactiorem decimarum, ex tradit. per Gonzal ad reg. 8. gloss. 28. numer. 26. Maximè, quia per hoc priuilegium exemptionis non multum læditur ius laici, & priuilegium Societatis IESV habet clausulas, & derogationes amplissimas, etiam si à Regibus, & quibuscumque Principibus exigantur; Placueruntque Dominis aliæ responsiones circa hunc titulum præsumptum ex causa onerosa, datæ in prædictis decisionibus coram Reuerendissimo D. meo Decano, & R. P. D. meo Carillo.

Et ita, vtraque parte informante, fuit resolutum, sententias Rotaes esse validas, & iustas, & ideo confirmandas.

DECISIO

SACRÆ ROTÆ ROMANÆ
coram R. P. D. Coccino Decano:

In causa Toletana Nullitatis
Matrimonij.

Veneris 18. Februarij 1639.

Domina Antonia cum esset annorum decem; mensium quatuor, & dierum viginti octo, ut constat ex partita libri baptismi qui probat ætatem. Rota decis. 643. numer. 4. part. 1. in posthum. ult. die Octob. 1629. non adhuc pubes, quia pubertas in muliere requirit ætatem annorum 12. cap. continebatur de desponsat. impuber. Sanchez de matrimon. lib. 7. disput. 104. numer. 1. contraxit matrimonium cum D. Didaco præuia dispensatione, ut deponunt testes, quia malitia supplebat ætatem, hoc est aderat potentia generandi, & sufficiens discretio ad obligandum, quo casu validum est matrimonium cap. de illis il. 2. cap. puberes, & cap. fin. de despons. impub. Sanchez loc. citat. numer. 5. Et die 30. Septembr. 1632. quæ est dies

dies festiuitatis S. Hieronymi, quo tempore d. D. Antonia erat ætatis annorum 13. mensium quatuor, & dierum 25. vir, & vxor ceperunt simul cohabitare, dormientes in separato lecto, sed cum facili, & libero transitu de vno ad alium; quia camerae erant contiguæ, & illarum fores apertæ, ut probatur ex confessione d. Antonia facta coram Vicario, & etiam ex testibus examinatis.

His ita se habentibus D. Antonia 4. Maij 1633. introduxit iudicium coram D. Vicario Matriti super dissolutione matrimonij ob impotentiam perpetuam D. Didacii coeundi, & Vicarius, adhibitis quatuor Medicis, ac duobus Chirurgis inspicere fecit d. Didacum, & Medici prædicti præuio iuramento retulerunt die 19. Augusti 1633. quod ille non patiebatur defectum potentia naturalis, quæ posset videri; aut cognosci ex dicta inspectione, quæ fieri debet de iure argum. text. in cap. fin. vers. postmodum de frigid. & malef. & ita fuit seruatum in caus. Taurinen. Nullitatis Matrimonij 2. Decemb. 1591. coram bon. mem. Card. Blanchetto, & superioribus annis in Causa Romana Nullitatis Matrimonij coram bon. mem. Francisco Peniatunc Rotæ Decano, quæ est decis. 226. post. 2. volum. consil. Farinac. Vnde vicarius præfatus 6. Nonemb. 1634. decretum fecit, quod præfati coniuges continuarent suam cohabitationem ceptam in d. die S. Hieronymi anni 1632. vsque ad diem S. Hieronymi 1635. & commisit eorum conscientias, quod procurarent, quantum in ipsis erit, consummare matrimonium, & interim frequentarent Sacramenta, & offerrent sacrificia, elargirentur elemosynas, & operarentur opera pia loco penitentia.

Hoc Decretum in aliqua parte visum fuit Dominis iuridicum, & iustum, sed non in ea parte, in qua decernit cohabitationem triennalem incepisse, & esse computandam à die primæ cohabitationis ante decretum: Quia licet in hac materia quando fuit habitatio Mediorum, & apparet impedimentum esse naturale, non sit necesse quod coniuges confiteantur peccata sua antequam deueniant ad cohabitationem triennem, Hostien. in cap. fin. numer. 5. de frigid. & malef. Attamen si dubitatur, An impedimentum sit naturale, vel accidentale, vel à maleficio opera demonum, vel Magorum perpetrato, vbi non apparet de vitio, aut morbo, vel defectu membrorum genitalium visibili ad remedia naturalia, diuina, & Ecclesiastica recurrendum est cap. si per sortiaras 33. quest. 1. vbi DD. & concordant Theologi super 4. sent. S. Thom. S. Bonauent. Petrus de Palude, Sorus, Durandus, & alij, Ioannes Hider. in fornicario lib. 5. cap. 6. vers. pro solutione, Martinus del Rio tom. 3. disquisit. magicar.

lib. 6. cap. 2. sect. 3. & debet etiam deueniri ad exorcismos, qui quomodo sint faciendi, praxim ponit Frater Hieronymus Menguas in suo fuste demonum, siue flagello demonum exorcismo 6. sed doctius & melius theoreticam ponit Siluester de strigibus lib. 2. cap. 12. & omnia debent fieri iussu Iudicis, & sic in isto casu cum dubitaretur. An impedimentum esset perpetuum naturale vel accidentale benè fecerit Vicarius deuenire ad cohabitationem triennem cum requisitis dicti cap. laudabilem, & ibi Præposit. numer. 4. in opposit. de frigid. & malef. Cardin. in cap. 1. eod. tit. & ibi etiam Præpositus numer. 7. Brunell. de sponsal. conclusione 28. limit. 1. & fuit resolutum in d. causa Taurinen. Matrimonij 27. Aprilis 1592. coram bon. mem. Blanchetto. Sed dictam cohabitationem triennem incipere, & computari debere à die Decreti Iudicis, non obstante quod multi DD. teneant contrarium ex allegatis per Sanchez de matrimon. lib. 7. disputat. 110. numer. 4. & 5. tutius esse dicunt Hostien. in d. cap. fin. de frigid. & malef. numer. 10. & in summa eod. tit. §. qualiter & quando numer. 12. vers. verum dici potest, Ioan. Andr. in d. cap. fin. numer. 8. & 11. Ancharan numer. 9. Butr. numer. 10. vbi dicit; hanc opinionem esse veriore. Hentich. Boich. numer. 1. & 2. Brunel. de sponsal. d. conclusione 28. num. 10. & 14. Capel. Tholof. decis. 381. numer. 6. in fin. Et hanc sententiam perpetuò Rota seruauit, ut in decis. 192. numer. 4. & 5. & decis. 226. numer. 1. post 2. volum. consil. Farinac. & decis. 277. numer. 13. part. 4. coram bon. me. Buratt. decis. 763. numer. 12. & 14. & propterea cum à die Decreti non adsit cohabitatione triennalis DD. responderunt non constare de triennali cohabitatione, quæ suffragaretur.

Non obstat, quod videatur arbitrium esse Iudici posse vti habitatione præcedenti decreto, ut in d. decis. 226. numer. 1. vers. nihilominus post 2. vol. consil. Farin. Quia est aduertendum quod in maleficio semper expectatur lapsus triennij: in frigido non semper Hostien. in d. cap. laudabilem de frigid. & malef. numer. 1. Ioan. Andr. numer. 8. Abb. numer. 2. Alexander de Neuo numer. 3. Præposit. numer. 2. vers. secus est in maleficio, Butr. numer. 15. vers. quod autem in maleficio. Rota d. decis. 192. numer. 2. vers. propterea post 2. volum. consil. Farin. & in casu nostro cum Didacus potens sit cum aliis mulieribus coire, ut ex multis constat, eius impotentia cum vxore potius est iudicanda accidentalis quàm naturalis ex frigiditate, Capel. Tholof. decisio- ne 381. vers. ad primum, & fuit resolutum in causa Bononien. rescissionis Matrimonij 12. Ianuarij 1596. coram bon. me. Cardin. Blanchetto; & propterea cessat dictum arbitrium abbreviandi triennium, sed illius lapsus expectandus est, ut patet ex prædictis & ex Petro

Ledesma de matrim. quest. 18. art. 2. & dicitur in d. Bonopien. remoueturque omnis difficultas; ex eo quod in casu decisionis bon. mem. Penae constabat ex relationibus, maritum esse frigidum, & debilem: non maleficiatum; ut patet ex lectura decisionis.

Et ita conclusum vtraque parte informante, &c.

D E C I S I O

SACRAE ROTAE ROMANAE
coram R. P. D. Peutingero:

Maioricen. Indultorum.

Veneris 16. Nouembris 1640.

Quamuis Domini sub die 11 Apr. 1639. coram D. meo Merlino, indulta à Romanis Pontificibus Ioanne XXII. Eugenio IV. & S. m. Pio V. propter benemerita, aliisque de causis concessa incolis regni Maioricen. prohibendo ne de cætero exteris, sed originariis eiusdem regni beneficia Ecclesiastica conferantur, Episcopo per remissionem probare contentente, vsu non fuisse recepta, & contrariis actibus præscripta; hanc denegandam esse respondissent ex fundamentis in eadem decisione luculenter deductis: Placuit tamen Episcopum remissionem denuò vrgentem hodie coram me iterum audire. Quare dubio accuratè discusso iterum resolutum fuit remissionem ex capite irrelevantiæ esse denegandam.

Nam quicquid sit, & circumscripta consideratione, An indulta hæc sonent in priuilegium, vel legem vniuersalem, ut etiam ex hoc capite contraria quælibet probatio excludatur, de quo satis in d. decis. D. mei Merlini; nihilominus articulos pro parte Episcopi datos de non vsu, & contrario vsu supradictorum priuilegiorum, ut exinde amissio eorundem resultare possit, censuerunt esse omnino irrelevantes.

Quia licet verum sit, quod tam Vniuersitas, quam plures particulares proprio priuilegio per non vsu, & contrarium vsu possint renunciare, cum ex pluribus actibus pluries repetitis plurium particularium resultet notitia, & consensus ipsius Vniuersitatis, ut tradit Abb. consil. 18. numer. 4. & 7. vers. non obstat circa med. & consil. 61. numer. 7. part. 2. Gail. obseru. 60. numer. 12. lib. 2. Attamen quotiescunque in priuilegio adest decretum prohibitionum, ac clausula irritans, prout legitur in Indulto Pij V. directo Ordinario Maioricen. sicut cessat effectus non vsus, seu contrarij

vsus, ut bene aduertit Felin. in cap. cum accessissent numer. 30. vers. quarto limita de constitut. Innocent. in cap. accedentibus de priuileg. Rot. decis. 3. de priuileg. in antiq. Gab. consil. 151. n. 16. & 17. lib. 2. Talienim casu nec per contrauentionem, nec per præscriptionem priuilegiū potest amitti, ut habet Archidiacon. in c. cum de benef. n. 2. vers. sed pone, quod Papa de præben. in 6. Ioan. Andr. ibidem ante numer. 1. vers. si Papa: qui ponunt exemplum, si Papa dat priuilegium prohibendo Abbati ne beneficia monastica conferat sæcularibus, non est huic priuilegio derogatum per contrauentionem, quia quando de Superioris intentione constat, tunc inferioris contrauentio nihil operatur c. dilecto de præben. & ibi gloss. in verb. clausula. Gail. obseru. 60. n. 12. lib. 2. ac idem determinat Crescent. decis. 6. de priuileg. Adeo ut populus Maioricen. sicut, quamuis passus fuerit ab Ordinario conferri beneficia exteris, nec reclamasse prætendatur, prout poterat; nihil per hoc egerit contra Indultum, nec priuilegium amississe dici possit per non vsu, cuius executio non à positio aliquo actu Maioricen. sed à solo dependebat Episcopo, ad quem beneficia incolis conferre spectabat, ut in puncto Crescent. d. decis. 4. de priuileg.

Propterea bene evitantur rationes Abbatis de consil. 18. & 61. multum enim interest, quod Episcopus acquirat libertatem contra indultum per actus positiuos conferendi exteris beneficia regni contra prohibitionem Papæ, in quibus terminis loquuntur Felin. & Crescent. supra allegari propter contrariam Papæ intentionem, & dispositionem, aut quod ipsimet Incolæ, & Regnicolæ siue tanquam particulares, siue ut vniuersi propter possibilem, vel præsentationem, aut nominationem, aut electionem ipsis respectiuè competentem præsentauerint, nominauerint, aut elegerint exteros: nam tunc bene procederent rationes. Abb. in consil. 18. & 61. quoniam prohibitio Papæ cum decreto irritanti non se extendit contra voluntatem personæ priuilegiatæ, in quibus terminis nos versamur, quia neque particulares, neque vniuersitas regni deuenit ad actum positiuum, sibi respectiuè præiudiciale, sed tantummodo asseruerunt non reclamasse.

Non obstat, quod indulta Apostolica regno concessa non legantur derogare immemorabili, adeo quod immemorabilis articulata per Episcopum sit releuans, quia ipsi non est expressè derogatum, ut requirit Gonzal. ad reg. 8. gloss. 33. numer. 2. cum aliis ibi per eum cumulatim ob eius prærogatiuam, & excellentiam, de qua per gloss. in auth. de cætero cum mutationes. §. de cætero verb. præscriptione collat. 5. & immemorabilis consuetudo nunquam censetur sublata, nisi specialiter exprimat. Immo suffragatur

suffragatur etiam contra ius ad text. in c. 1. de præscript. in 6. sic multò magis in præfenti casu iuri conformi suffragari debet: cum quilibet iure sit capax beneficij vnde cuncte sit cap. ad decorem de instit.

Quia, vltra quod per actus contrarios pro obseruatione indulti, qui pro regno dantur, immemorabilis destruitur, quippe quæ nihil debeat habere in contrarium; Firma semper remanet supradicta conclusio, quod vbi adest decretum irritans, & prohibitium per quoscunque actus contrarios inferioris, priuilegium non amittitur, cum illud decretum tollat, & inficiat, quæ deinde sequuntur cap. si eo tempore de elect. in 6. Cassad. decis. 11. numer. 5. ad reg. Cancell. & fuit dictum in Oueton. Canonatus 7. Iunij 1638. coram D. meo Verosio relata per Posthu. de manu. decis. 279. num. 3. & in Vlixbonen. declarationis concordia 5. Maij 1599. coram Iusto, & in Corduben. Cappellanæ 24. Maij 1596. coram Corduba, & in Treueren. Abbatia S. Maximini 20. Nouembris 1624. coram Reuerendiss. D. meo Decano. Adeo quod præscriptio impeditur, ut docet Felin. in d. cap. cum accessissent numer. 30. vers. quarto limita de constit. ac in puncto similis indulti conferendi beneficia tradit Lotherus de re benefic. quest. 34. numer. 51. & Crescent. d. decis. 4. numer. 6. de priuileg. vbi expressè habetur, quod prouisiones factæ forensibus obstant dicto decreto sunt nullæ. Vnde actus contrarij Indulto, qui dantur pro Episcopo Maioricen. ob eandem clausulam remanent nulli, nec propterea potest dici per illos fuisse quæsitam Episcopo possessionem conferendi beneficia exteris: sine possessione autem non datur præscriptio, cap. sine possessione de reg. iur. in 6. c. causam. de præscript. Abb. in cap. querelam sub numer. 9. de elect.

Nec in contrarium facit ponderatio Gabr. consil. 162. numer. 10. lib. 1. vbi vult decretum irritans non aliter operari suum effectum, nisi quando Priuilegium per vsu est acquisitum, aliàs quando non constat de iure quæsito, contrarius vsus semper releuat contra priuilegium: Nam responderetur quod incolis regni Maioricen. & regno fuit ius quæsitum eodem instanti quo priuilegia à Pontificibus fuerunt concessa per ea, quæ tradit Crescent. decis. 4. de priuileg.

Nec releuat quod contrarius vsus, vel non vsus particularium personarum maxime spatio vltra 40. ann. tollit priuilegium concessum Vniuersitati, & sic Incolæ Maioricen. permittendo per tot annos Episcopum alienigenis beneficia conferre non reclamando, censentur præiudicare regno.

Quia clausula facultatiua, quæ legitur in indulto Pij Quinti reintegrationis, & electio-

nis nouæ datæ, est tantæ efficacitæ, ut priuilegium sic concessum nunquam tolli possit, nec etiam per subsequentes derogatorias Papæ, nisi specialiter de hac speciali clausula in derogatione fieret mentio ad trad. per Seraphin. decis. 1271. numer. 3. Adde quod multò minus poterit tolli per solam patientiam Incolarum, qui licet non reclamasse dicantur contra Ordinarium introducentem vsu priuilegio contrarium, saluum tamen ipsorum ius remanebat per prohibitionem Papæ: per quam cum efficiatur, ut nullus sit locus probationi contrariæ priuilegio, remissoria videbatur omnino deneganda. Rot. decis. 720. numero 3. part. 2. recent.

Quamquam in casu proposito allegata pro parte Episcopi præscriptio corrumpitur etiam ex alio capite, nimirum defectu lapsus temporis ad præscribendum, dum ex tenore Indulti Pij Quinti apparet Pontificem nullo vnquam modo, nec temporis tractu voluisse priuilegium hoc in controuersiam posse deduci, nec per quamcunque derogatoriam, vel reuocatoriam etiam expressam sub quibuscunque clausulis insolitis, & irritantibus decretis, per se, vel successores suos posse abrogari; iubendo his non obstantibus in suis vigore & efficacitæ remanere, ac si contra fuerit attentatum, toties quoties, denuò esse restituta, ac reintegrata: Immo sub noua data per Iuratos, & Incolas regni Maioricen. eligenda, de nouo censi concessa: qua via semper impeditur initium, ac progressus præscriptionis ad trad. per Seraph. alleg. decis. 1271. numer. 2.

Deinde alia etiam ratione, articulata per Episcopum immemorabilis est irrelevans, quia si intelligatur post Indultum Pij Quinti implicat contradictionem, si verò ante, nihil prodest: quando quidem collationes ab Episcopo factæ de beneficiis ante indultum processerunt ex dispositione Iuris communis cap. ad decorem de Instit. cui fuit per indultum derogatum Cassad. decis. 38. ad reg. Cancell. numer. 11. Rot. in Ferrarien. Canonatus 30. Mari. 1626. coram D. meo Decano.

Quare cum datis etiam omnibus pro parte Episcopi articulis pro probatis; nihil releuarent, nec daretur remissoria ad probandum id, quod probatum non releuaret: Domini vtraque parte acerrimè informante dixerunt ex articulataram materiarum irrelevantia remissoria esse denegandam.

Et ita, &c.

D E C I S I O

D E C I S I O

S A C R Æ R O T Æ R O M A N Æ
coram R. P. D. Roias

In causa Romana Donationis.

Mercurij 1. Februarij 1640.

Camillus Latinus, dum erat ætatis 15. annorum cum narratiua, quod volebat ingredi Religionem, donauit Virginie matri omnia bona sua præsentia, & futura, iura, & actiones: reseruatis sibi scutis 25. annuis vita sua durante per dictam Virginiam suòsque hæredes soluendis post emissam professionem cum protestatione, quod donatio & renunciatio nullo modo valeat, nec suum fortiatur effectum, nisi emissa & secuta professione, & non alias aliter nec alio modo. Vterius se obligauit dictam donationem non reuocare etiam ex causa ingratiudinis, &c.

SUCCESSIUE Camillus ingressus fuit Religionem Cœlestinorum, & in præsentem vocatur D. Virginus, emisitque professionem in dicta Religione: sed prius reuocauit dictam donationem præcedente absolutione à iuramento præstito in dicta donatione facta ad fauorem matris, aliamque fecit donationem ad fauorem Monasterij: discussa causa coram A. C. super validitate dd. donationum fuit ab eo pronunciatum pro prima donatione ad fauorem matris: causa in gradu appellationis ad Rotam deuoluta, & commissa Reuerendiss. Virgellen. in cuius locum subrogatus proposui pluries dubium, an sententia A. C. esset confirmanda necne, & hodie tandem esse confirmandam censuerunt Domini.

Pro cuius resolutione Domini voluerunt plures videre inspectiones. Prima an dicta donatio facta matri sit irrita, ex quo non fuit seruata forma Concilij Tridentini *sess. 25. cap. 16. de Regul.* Secunda quatenus non, an in hac facti specie potuerit reuocari. Tertia an validè fuerit reuocata. Quarta quatenus sic, an donatio facta Monasterio sustineatur. Quinta quatenus non, an nihilominus bona prædicta spectent de iure communi ad Monasterium.

Deueniendo igitur ad primam inspectionem DD. non discrepant, quod donatio facta ante ingressum non facta mentione ingressus sustineatur etiam non seruata forma Concilij Tridentini *sess. 25. cap. 16. de Regul.* vt tradunt Mand. *consil. 22. numer. 8.* latè Ceuall. *pract. concl. comm. contra comm. quest. 806. numer. 14.* qui dicit, quod hoc habuit in practica, & ita per ipsum obseruatum fuisse tamquam arbi-

trum, & sic etiam fuisse iudicatum, & pro absoluto tenet Sanchez *in summa lib. 7. cap. 1. numer. 2.* Hector Capicius *Latro decis. Neapol. 31. numer. 2.*

Sed controuersia fuit inter DD. an dispositio facta ante ingressum Religionis facta tamen mentione ingressus, eiusque intuitu subiaceat dispositioni dicti Concilij Tridentini. & affirmatiuam sententiam tenuerunt Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 41. numer. 39.* Nauarr. *consilio 81. & 82. de Regul. lib. 3.* Flamin. *Parisi. de resignat. lib. 3. quest. 13. numer. 9.* qui refert per S. Congregationem ita fuisse declaratum, Rojas *in Epitom. success. cap. 7. numer. 30.* Spin. *in specul. testament. gloss. 12. in princ. numer. 50.* Menoch. *consil. 388. numer. 7.* Emanuel Sà *in summa in ver. Religio. Lælius Zecchius de republ. Eccles. tit. de Regul. cap. 3. num. 10.* Azor. *instit. Moral. tom. 1. lib. 13. cap. 9. vers. secundò queritur circa fin.* qui dicit, quod quotiescunque est facta renunciatio siue donatio intuitu ingressus Religionis eam esse factam in fraudem, & non valere dixerunt Lopez *de contract. lib. 2. cap. 39. not. 5.* Paulus Fufcus *de Visit. lib. 2. cap. 18. numer. 37.* Mari. Ant. *macerat. var. resolut. lib. 1. resolut. vltim. cap. 62.* Miranda *in Manual. Pralat. quest. 23. ar. 2. & 3.* Molin. *de iust. & iure disput. 139. tract. 2. vers. ambigetur rursus numer. 14. & disput. 149. numer. 4. vers. ad Ecclesiam.* Cancet. *var. resolut. lib. 2. cap. 8. num. 81.* Guttier. *in cap. quamuis pactum. S. dum nuptui tradebatur in fin. de pact. in 6.* Cauall. *comm. contra comm. quest. 12. numer. 4.* Layman. *tractat. 5. cap. 6. de vltim. volunt. cap. 7. & dixit Rot in causa Rom. de Mongellinis 14. Ianuarij 1636. coram R. P. D. meo Carillo* quæ habetur apud Tambur. *de iur. Abbatis. decis. 8.* Est etiam declaratio Concilij per hæc verba: *Si donatio aut renunciatio facta fuerit intuitu Religionis ingrediendæ semper tamquam facta in fraudem huius Canonis videtur subesse illius dispositioni, vt refert in declarationibus ad dictam sess. 25. cap. 16. de Regul. Marfilla.*

Supradicta sententia firmatur duplici fundamento. Primo, quia aliter dicendo redderetur elusoria dispositio Concilij, semper enim procuraretur donatio vel renunciatio ante ingressum, consequenter fieret in fraudem dicti Concilij, quæ fraus irritat dictam donationem.

Secundo, quia licet Concilium loquatur de ingressis in Monasterium, attamen lex etiam exorbitans, & poenalis extenditur ad alium casum, ad quem si non extenderetur, redderetur frustratoria eius dispositio. Ita Nauar. *d. consilio 81. & 82.*

Contrariam tamen sententiam quod dispositio dicti Concilij Tridentini non habeat locum, quando donatio, vel renunciatio fit ante ingressum

ingressum intuitu ingressus reuocando antiquas declarationes tenet Sac. Eminentissim. Congreg. Concilij vt referunt, eamque sequuntur infrascripti DD. Quarant. *in summa Bullar. in ver. dubium pag. 330.* Passarel. *de priuileg. Minor. cap. 37.* qui refert, quod pro hac opinione fuit iudicatum, Gratian. *decis. March. 37. per tot.* vbi hanc opinionem ex multis comprobatur, Add. ad Nauarr. *in d. consil. 81. & 82. in fin.* Bened. Egid. *in repet. l. 1. §. 4. numer. 22. in fin. Cod. de sacrosanct. Eccles. August. Barbof. in remiss. DD. ad concil. Trident. d. sess. 25. cap. 16. de Regul. & de potest. Episc. alleg. 99. numer. 1. & per tot.* Riccius *coll. 454. & decis. 295. part. 2. numer. 10.* Borgn. *decis. 11. numer. 113. part. 3.* Vega *in summa tom. 1. cap. 91. cas. 4. & tom. 2. cap. 50. cas. 3.* Confect. *in priuileg. mendic. in notab. posit. post Bullas Apostolicas tit. 13. cap. 12. in fin. & cap. 13.* Gotta *de remed. subsid. remed. 85. in fin.* Menoch. *sibi contrarius de arbitr. iudic. cap. 436. numer. 4. & in addit. ad lib. 2. cap. 430. numer. 3. vbi miratur de Nauarr. & Molin. qui contrarium tenuerunt.* Garz. *de benef. part. 11. cap. 9. numer. 15.* Pater Dian. *resol. moral. tom. 3. tract. 2. de dubijs Regul. cap. 55.* vbi quod hæc opinio verior sibi videtur, & refert de verbo ad verbum declarationem Concilij Vgolin. *de potest. Episcop. cap. 20. §. 7. numer. 3.* Villalob. *in summa tom. 2. tract. 5. differ. 17. numer. 4.* Armentar. *in addit. ad recompil. ll. Nauarr. lib. 2. tit. 18. l. 7. de Relig. numer. 20. & 23.* Galleg. *in margar. cas. conscient. in ver. Religiosus pag. 116. col. 1. ver. Nouitius.* Marta *de success. legal. part. 3. quest. 13. art. 1. sub numer. 23.* Mandof. *consil. 22. n. 8.* Zannard. *in direct. Theol. part. 2. cap. 17. vers. primo si facta Thesaur. qq. for. lib. 2. quest. 56. num. 8.* Magal. *lib. 1. cap. 2. & l. 2. c. 27. numer. 24.* Cutell. *de donat. contem. matrim. tractat. 1. discuss. 2. part. 3. numer. 153.* Nald. *tit. Religiosus numer. 1.* Fr. Bartholom. de Vecchis Capuc. *in prax. obseru. in admitt. nouit. disput. 8. dub. 8. num. 4.* Franc. Molin. *de rit. nupt. quest. 99. lib. 3. numer. 4.* Campan. *in diuers. iur. Canon. rub. 12. cap. 3. num. 17.* Bartholom. de S. Fausto *in thesaur. Relig. lib. 5. quest. 183.* qui DD. cumulat. Sorb. *in addit. ad compend. mendic. ver. Nouitius, & vers. sed hic sunt aliqua aduertenda.* Roder. *qq. Regul. tom. 2. quest. 47. art. 8.* vbi quod pro hac opinione fuit iudicatum, & refert quod pro ea consuluerunt quam plures ibi nominati Cened. *quest. 6. num. 8.* vbi de veriori. Negusant. *Iun. consil. 10. numer. 49.* Molin. *de rit. nupt. lib. 3. quest. 99. num. 29. vers. his non obstantibus, & numer. 39. & 40.* Cauagnol. *consil. 17. num. 22. lib. 1.* qui refert in praxi receptam esse istam sententiam Sanchez *in summa tom. 2. lib. 7. cap. 5. numer. 4.* Aldana *in compend. canon. resolut. lib. 2. tit. 8. num. 5.* Hector Capicius *Latro decis. 31. numer. 7.* vbi quod hæc opinio fre-

quentiori DD. calculo est approbata, decisionibus supremorum tribunalium roborata, & declarationibus Eminentissimorum Cardinalium sic Sac. Conc. est interpretatum. Rota in Tarentina donationis 3. Februarij 1607 coram Sacrato, & in Parmen. Transactionis coram Duarn *decis. 121. num. 37. in impress. in Perusim. hereditatis 10. Decemb. 1628. coram bon. mem. Card. Virili.*

Cuius opinionis ratio præcipua est, quia dictum Conc. est correctorium iuris communis, & proinde non potest intelligi, nisi in casu, de quo loquitur, qui est, quando ingressus Monasterium vult renunciationem, seu donationem facere.

Neque ob stare videntur in contrarium adducta; ex quo dispositio Concilij redderetur elusoria, & quod lex etiam exorbitans deberet extendi, quando frustraretur illius dispositio.

Quia cum Concilium voluerit disponere tantum post ingressum dando formam renunciationibus, vel donationibus faciendis post ingressum, & nihil dixerit de donationibus factis ante, propterea non debet talis dispositio extendi ad casum non expressum, quia redderetur frustratoria cum illa procedat in propriis terminis, in quibus loquitur, ex supradictis DD. & aduertebant Domini textum prædictum Concilij Tridentini *sess. 25. cap. 16. reperiri positum in tit. de Regul. numer. 20.* propterea non esse aptum comprehendere meros sæculares, quales sunt, qui habitum nondum susceperunt, qui inter nouitios adhuc non sunt adscripti. Ita Sanchez *in summa tom. 2. lib. 7. cap. 5. num. 4.* nec esse curandum de illis DD. tenentibus, quod talis donatio, vel renunciatio facta ante ingressum non sit valida non seruata forma Concilij, cum eorum dictum reproberetur ex eo quod Concilium in tali dispositione exorbitaret à iure communi, propterea non esse extendendum ad casum non expressum.

Supradictis stantibus Domini hodie resolverunt pro hac secunda opinione, vt magis æqua, & quæ minus aberrat à iure communi, & quamuis pro prima sententia adsint ultra viginti DD. qui expressè eam sequuntur, ac etiam Rotæ decisio in Romana de Mongellinis, tamen quia pro hac secunda adsunt duo, & quadraginti DD. & tres Rotæ decisiones omnes validissimis fundamentis munitæ tuentes hanc sententiam magis æquitati adhærentem & declarationes recentiores Sac. Congreg. Eminentissimorum Cardinalium Concilij interpretum, vt supradixi, & referunt dicti DD. ac Rotæ decisiones, ideo ab hac secunda opinione in iudicando non est recedendum, & sufficeret solum, quod sic hodie teneat d. Sac. Congreg. Concilij, cum agatur

tur de faciendi illius interpretatione. Duran. *d. 37. numer. 3.*

Deueniendi igitur ad secundam inspectionem scilicet an in hac facti specie prima donatio facta matri potuerit reuocari, Domini tenuerunt, ex duobus fundamentis dictam primam donationem potuisse reuocari. Primum deducitur ex eo, quod nos versamur in donatione proveniente matri ex mero titulo lucratiuo, & facta cum clausula quatenus donans professionem emittat, & non aliàs, quo casu ista conditio suspensiuua non est casualis, vel mixta sed merè protestatiua, à qua propterea benè potuit D. Virginius recedere, prout ab ea recessit. Ita Menoch. *consil. 388. numer. 34. 35. & 40.* Molfel. *consil. 1. numer. 31. & 32.* Burat. *in puncto decis. 581. numer. 12. & 13.* & fuit dictum in Romana de Mazzatoftis 22. *Iunij 1626. coram Reuerendiss. D. meo Decano.*

Secundum fundamentum deductum fuit ex eo, quod prima donatio facta matri non fuit valida, vti donatio omnium bonorum, iuriũ, & actionum, præsentium & futurorum, quamuis adfuerit iuramentum, cum sibi non reseruauerit aliquam portionem pro facultate testandi, propterea non tenuit, vt post Bart. *in l. fin. n. 12. C. de pact. tenent.* Guidop. *consil. 214. numer. 5.* Grauet. *consil. 139. numer. 8.* & hanc esse communem opinionem testatur Iulius Clarus *in §. donatio quest. 20. numer. 1.* Bald. *in d. l. fin. numer. 19. vers. communis opinio. C. de pact. Abb. consil. 48. numer. 1. vers. sed his lib. 1.* Rom. *consil. 171. in princ.* Rouit. *consil. 171. in princ.* Aldobr. *cons. 23. numer. 2. lib. 2.* Seraph. *dec. 1219. numer. 6.* quæ conclusio locum, habet etiam si fuerit sequuta donatio omnium bonorum præsentium & futurorum, quia nihilominus nec sustinetur quoad bona præsentia tantum, nec quoad bona futura tantum iuxta communem opinionem de qua Clarus *l. c. n. 2.* Guidop. *de consil. 214. post. n. 5.* Duenas *in reg. 219. in 5. ampliatione.*

Nec obstat pactum appositum in prima donatione ad fauorem matris de ea non reuocanda cum iuramento; tum quia à iuramento fuit absolutus antea, & pactum huiusmodi tanquã positum in clausulis exequutiuis non alterat qualitatem contractus, nec obligat ultra eius naturam, prout in terminis donationis dixerunt Michaël Crassus *in §. donatio causa mortis quest. 1. numer. 6.* Menoch. *presumpt. 35. numer. 28. lib. 3.* Mantica *de tacit. lib. 1. tit. 13. numer. 7.* Ad dent. ad Buratt. *decis. 581. numer. 18. vers. hæc tam en.* Tum etiam quia illud prout assertio irreuocabilitatis intelligendum venit eueniente ipsa conditione, hoc est post sequutam professionem. Menoch. *consil. 388. numer. 43.* Tum denique quia pactum loquitur de ea non reuocanda ex capite ingratitudinis, &c. & consequenter ex causis, quibus regulariter donatio pura

reuocatur, non tamen comprehendit reuocationem proveniente ex natura contractus, prout erat dicta donatio facta matri iuxta notata per Add. ad Burat. *decis. 442. numer. 6.* & dixit Rot. in Rom. de Mazzatoftis 7. *Maij 1618. coram bo. me. Card. Verospio.*

Nec pariter obstat, quod in d. prima donatione D. Virginius matri promiserit donationem habere ratam, gratam, & non contraface-re, &c. Quia cum ex suprascriptis reuocatio veniat ex natura dictæ donationis, donans reuocando non dicitur contrauenisse ex Bald. *in l. cum qui numer. 2. ff. de condit. caus. dat. Angel. consilio 254. numer. 5.* Gabr. qui testatur de communi *consil. 96. numer. 6. lib. 2.* Rot. *d. decis. 581. numer. 6. coram Burat.*

Nec aliquid facit quod Fontanella *de pact. nupt. part. 1. claus. 4. gloss. 21. numer. 68. cum seqq.* teneat quod donatio omnium bonorum præsentium, & futurorum sustineatur, quando adest iuramentum quoad bona præsentia: tamen pace illius loquitur contra communem, vt dixit Clar. *in d. §. donatio, quest. 20. numer. 2.* qui allegat concordantes, quæ opinio in iudican. est tuenda.

Minus facit, quod D. Virginius reseruauerit sibi vita sua durante annua scuta 25, quia ex quo in dicta reseruacione conuentum fuit, quod d. scuta 25. donatori præstarentur tantummodo post emissam professionem, quo tempore nemo est, qui dubitat, quin de illis non posset testando disponere *iuxta text. in cap. quia ingredientibus 19. quest. 3. auth. ingredi sybi Bald. numer. 3. & 4. l. a. numer. 7. Dec. numer. 10. C. de sacrosanct. Eccles. Crass. in §. testamentum questione 39. numer. 1. & 2.* Couarr. *in cap. 2. numer. 3. in fin. vers. secunda autem obiectio de testam. Rot. decis. 76. numer. 1. & decis. 87. numer. 1. part. 2. recent.* propterea dicta reseruatio scutorum 25. nihil operatur, cum fuerint ea promissa post emissam professionem, & sic tempore quo non poterat disponere, vt autem donatio suffragaretur, erat opus, quod valuisset de illis scut. 25. testari, & in eis hæredem instituere. Ita Bald. *in d. l. fin. numer. 19. vers. alioquin diceremus. & vers. quia licet Cod. de pact. & instit. ad l. Falcidiam in princ.*

Quo verò ad tertiam inspectionem, an donatio facta matri fuerit validè reuocata, affirmatiuè responsum fuit, ex quo præcessit absolutio à iuramento, quæ operatur ad effectum agendi, & dicendi de nullitate. Vterius obtinuit sibi dari curatorem, & postmodum de consensu Vicarij Episcopi & dicti curatoris donationem prædictam reuocauit.

Deuenien. igitur ad quartam inspectionem scilicet an donatio facta Monasterio sustineatur. Domini non sustineri respondebant, quia donatio fuit facta Monasterio 13. *Martij 1626.*

&

& postea dictus D. Virginius, qui fecit donationem, emisit professionem 26. *Maij* eiusdem anni, & sic per 13. dies ante duos menses, & propterea esse contra formam præscriptam à Conc. *in d. sess. 25. cap. 16. de Regul. quæ annullat cessiones, & donationes factas ab illo, qui ingressus fuit Religionem, & professionem emisit ante duos menses à die factæ donationis, cum d. Conc. videatur statuere certum determinatum tempus, Sanchez in præcept. decalog. tom. 2. lib. 7. cap. 5. numer. 82.* Fr. Bartol. de Vecchis *in prax. admitt. nouit. disput. 8. dub. 9. numer. 5.* Aug. Barbof. *de offic. & potest. Episcop. alleg. 99. numer. 11.* cum in Concil. adsit decretum irritans, quo non seruato actus corruit. Felin. *in cap. cum dilecta, numer. 6. de rescript. Guttier. lib. 3. præct. quest. 15. numer. 3.* Menoch. *de arbit. quest. 30. numer. 5.* Cenod. *præct. quest. 6. numero 4.*

Tandem & vltimò quantum attinet ad quintam inspectionem, an alia via sit succurren. Monasterio, dictum fuit quod sic. Ex quo de iure communi successio Monachorum non disponen. de bonis suis salua legitima debita ascendentibus, & descendentibus spectat ad Monasterium *per text. in auth. ingressi Cod. de sacrosanct. Eccles. cap. quia ingredientibus 19. quest. 3. Auth. si qua mulier §. nunc autem C. de sanctis Episc. Innoc. in cap. in presentia, numer. 4. vbi Ioan. Andr. numer. 13. 16. 20. & 21.* Bald. *numer. 4. Abb. numer. 2. de probat. Nauarr. de Regular. comm. 2. numer. 5.* Sanchez *in summa lib. 7. cap. 12. numer. 4.* Molin. *de iust. & iur. disput. 140. lib. 2. vers. à regula numer. 6.* Et quis est, qui dubitet, quod statim atque D. Virginius professionem emisit dicatur mortuus ita & taliter quod statim bona peruenerint ad Monasterium vti eius hæredem.

Quibus stantibus benè Domini hodie censuerunt sententiam A. C. contrarium firman-tem approbando primam donationem factam ad fauorem matris esse vti iniustam reuocandam.

Et ita resolutum, &c.

DECISIO

SACRÆ ROTÆ ROMANÆ
coram R. D. Merlino:

In causa Perusina Oblationum.

Veneris 27. Ianuarij 1640.

Timothæus, Rector Capellæ S. Antonij locauit Monachis Oliuetanis nonnullos prouentus ad suam Cappellam spectantes, pro triennio, & ultra; Vix inchoata conductione,

reclamarunt Patres, & denegarunt pensionem. Iudices Commissarij Perusini pro primo triennio condemnarunt Monachos ad soluendum pensiones; Pro aliis verò, post dictum triennium decursis, & decurrendis, absoluerunt Monachos; super qua sententia hodie proposito dubio; Domini dixerunt esse reuocandam in prima parte, in quantum condemnat pro primo triennio, & confirmandam in secunda parte, in qua absoluit post triennium. Et moti sunt Domini; quia Iudices debebant absolute pro toto tempore, & sic etiam pro primo triennio, absoluerunt Monachos, & declarare nullam, & inuolidam dictam locationem, cum non fuerit obtentum beneplacitum Apostolicum, quod necessarium erat, etiam in locatione, & conductione, vt in verbis cauetur in *Extranag. Ambitiosa de reb. Eccles. non alienan. Azor. instit. moral. part. 2. lib. 7. cap. 10. vers. Tertiò queritur, Quarant. summ. Bullar. verb. alienatio rerum Eccles. n. 18.* P. Molin. *de contract. disput. 466. numer. 5. & 8.* Carocc. *de locat. & conduct. part. 2. quest. 4.* Dixitque Rota in Tiburtina locationis 5. *Decembris 1597. coram bo. mem. Card. Millino, & in Comen. locationis 20. Martij 1600. coram bo. mem. Card. Pamphilio, etiam si contractus fuerit celebratus cum alia Ecclesia, vt in Treueren. bonorum 15. Martij 1621. bon. me. Reuerendiss. Seleucien. benè facit Nauarrus consil. 10. de reb. Eccles. non alien.*

Et quamuis inter se Doctores certauerint, an contractus locationis de bonis Ecclesiasticis, ultra triennium, sustineatur saltem pro primo triennio, cum ad tale tempus sit permissa locatio, absque beneplacito, & multi tenuerint sustineri tanquam contractum, ratione temporis diuiduum, Attamen Rota contrarium semper censuit, & in totum locationem improbauit, vt nec etiam pro primo triennio sustineatur, prout in *decis. 709. numer. 6. part. 1. diuers. in Brixien. locationis coram bo. me. Penia, Quæ est apud Marches. de commiss. par. 1. fol. 118. & ead. cum decis. 30. part. 1. recent.* licet posita sub diuersa die, & mense, ac in ead. Brixien. 17. *Maij 1595. coram Orano, & in d. Tiburtina locationis coram Card. Millino; in d. Comen. locationis coram Card. Pamphilio, in Ferrarien. bonorum coram Reuerendiss. Seleucien. quæ est decis. 631. numer. 7. part. 2. recent.* ac in Aretina bonorum coram Reuerendiss. D. meo Decano, quæ est 436. numer. 3. part. 3. recent. & in Romana, seu Terracinen. Affictuum 27. *Ianuarij 1627. coram R. P. D. meo Pirouano, in Regien. prædij 6. Martij 1637. coram eodem.*

Requiritur enim pro forma beneplacitum Apostolicum; vnde non potest euitari hæc forma, diuidendo in plura tempora, nec possunt contrahentes illudere præscriptum Papæ in *d. Extranag. Ambitiosa, ne vtile per inutile tali*

Ff casa

casu vitietur, & intrat regula, quod potui nolui, quod volui, adimplere nequii, *Et cum hac opinio semper recepta fuerit in hoc sacro nostro Tribunali, non est amplius de ea dubitandum, quam, & etiam viri grauiissimi amplexi sunt, vt prater multos relatos in d. Brixien. & in d. Aretina bonorum coram R. D. meo Dec. 435. part. 3. rec. Eandem Rotae sententiam tenuerunt Couar. var. resol. lib. 2. c. 16. n. 5. vers. tandem, vt liberè sententiam dicam. Ia. in autb. qui rem. n. 21. vers. teneo in Ecclesia, C. de sacros. Eccl. & in l. 1. §. Sed & si mihi n. 10. ff. de verb. oblig. Gratian. discept. forens. c. 162. n. 22. Garz. de benef. part. 2. cap. 1. num. 55. & 56. & facit in simili Andr. Ifern. in cap. 1. §. profecto, de lege Corradi.*

Non obstat, quod non fuerint locata bona Ecclesiae, sed fructus, & prouentus; Quia haec cautela sublata est ex verbis *d. extrauag. Ambitiosae*; Vbi prohibetur locatio ultra triennium, & in locatione non transferuntur, nec venduntur bona, sed solū fructus, & redditus, & ibi solū permittitur alienatio fructuū, qui seruado seruari non possunt, & in puncto fuit consideratum in d. Comen. locationis corā bo. me. Card. Pamphilio, & in praesenti cessat omnis difficultas, quia, nedum concessi fuerunt prouentus, sed omnis actio, & sic ius ipsum illos percipiendi, quod sane non potuit in alium transferri sine beneplacito Apostolico, quatenus etiam sola commoditas transferri potuisset Garz. de benef. part. 1. c. 1. n. 28. & 29. & ponderauit Rot. in Ferrarien. Decimarum 23. Iunij 1617. coram Eminentiss. D. Card. Pamphilio, quae est dec. 545. n. 2. part. 4. rec. Priusque etiam considerauerat in Mediolanen. rescissionis permutationis 21. Maij 1597.

Non obstat, quod Monachi Oliuetani non reclamauerint, immo prouentus illos locatos, perceperint, & contractus factus ab Ecclesia, etiam sine beneplacito Apostolico, sit in implicito statu validitatis, & eatenus non sustineatur, quatenus Ecclesia nolit stare contractui. Rota part. 2. diu. dec. 133. n. 11. dec. 1. de locat. in Perusina rescissionis contractus 24. Febr. 1588. post Pacific. de Saluian. dec. 34. in Vlixbonen. nullitatis locationis 1. Iulij 1596. & dec. 201. n. 1. cum alijs. Quonia reclamatio Monachorum est clara, qui statim dixerunt de nullitate contractus, & noluerunt soluere pensionem locationis, etiam pro primo triennio, nisi coacti ex mandato Vicarij Perusini; Quod autem exegerint prouentus, vel non probatur, vt ostenditur in responsione facti pro Monachis; Vel, quatenus probaretur non obstaret; quia asseritur dicta perceptio facta à famulo dd. Monachorum, vel ab vno, vel alio ex Monachis, quorum nemo habebat auctoritatem praediciandi Monasterio, vt in his terminis dixit Rota in d. Tiburtina locationis 5. Decemb. 1597. vbi affectus fuerant soluti Cellerario Monasterij; & cum d. perceptio possit

intelligi facta citra animum ratificandi contractum, quaecumque alia interpretatio est accipienda, nempe, vel vt euitaretur scandalū, quod sequeretur, si sponte pro pietate oblatum recusaretur, vel vt aliquo modo Monachi se releuarent pro pecuniis, quas in vim mandati Vicarij soluerant, vel dubitabant se soluturos Timothæo, & istae receptiones factae per Monachos omnes emanarūt, pendente lite, & sic, dū Monachi acriter impugnabant validitatem locationis; & faciēda est interpretatio, vt talis receptio non sit contraria liti, quam sustinebat, & ne Monachi vno, eodemque tempore sibi contrarij essent, adnotat. per Bald. conf. vlt. n. 4. vers. quando factum, lib. 3. Angel. in l. si quis, §. prator, n. 2. vers. solū ergo, de acquir. heredit. & Rota coram S. mem. Gregor. XV. decif. 7. num. 9.

Et ita vtraque parte, &c.

DECISIO

SACRAE ROTAE ROMANAE
coram R. P. D. Dumozet:

Pampilonen. electionis Canoniorum.

Veneris 11. Maij 1640.

EX nouem Canonice Ecclesiae Regulatis Pampilonen. quae dicitur esse receptitia, quinque nempe D. Martinus de Argais Prior, & confortes sub die 8. Aprilis 1638. elegerunt alios vndecim Canonicos, reliquū verò quatuor, nempe D. Michaël de Lebrixa, & confortes die sequenti elegerūt alios quindecim Canonicos, connumeratis inter eos septē ex prioribus vndecim Canonice ab altera parte electis: Hinc orta controuersia, dictus Michaël, & confortes appellarunt extraiudicialiter à priori electione, causamque huiusmodi appellationis coram Nuntio Apostolico introducere, qui inhibitionem vigore dictae appellationis simpliciter relaxauit, eamque deinde sub die 26. Iunij eiusdem anni moderatus fuit quoad effectum suspensiuum sine praedicio iurium partium tam in petitorio, quam in possessorio: mandauitque vltius procedi ad receptionem Canoniorum prius electorum, quorum nonnulli vigore dicti decreti habitum susceperunt; Appellarunt ab isto decreto Nuntij dictus Michaël, & confortes, ac deinde causam in Rota mihi committi simpliciter obtinuerūt, interim autem cum Nuntius eorum appellationem non nisi quoad effectum deuolutiuum admisisset, recursum habuerunt ad Regium Consilium Nauarrae, & deinde ad supremum Consilium Castellae, à quo emanauit praecipuum contra Nuntium Apostolicum, vt deferret dictae appellationi quoad vtrumque effectum, & omnia gesta reuocaret, in cuius praecipui executionem Nuntius appellationem praedictam ad vtrumque

vtrumque effectum admisit, ac successiuè in executionem aggrauatoriae, & reaggrauatoriae relaxauit censuras contra Canonicos electos, ad hoc vt habitum canonicalem dimitterent prout cum effectu dimiserunt. Quocirca d. Michaël & confortes obtinuerunt à Sanctissimo Breue de absoluen. à censuris ob huiusmodi recursus mihi directum cum clausulis renunciatō prius recursui, & sine litis ac litigantium praedicio, ac dummodo exponentes nullum ius de nouo propterea acquirant. Quapropter dato dubio, an danda esset absolutio, & quomodo, illam non esse dādam hodie responsum fuit. Quoniam facultas absoluendi d. Michaëlem, & confortes fuit concessa non simpliciter, sed cum dd. clausulis, renunciatō prius recursui, &c. quae cum inducant conditiones iuxta l. à testatore, ff. de condit. & demonstr. Paris. consil. 41. n. 14. lib. 4. Seraph. dec. 615. n. 4. & in terminis de clausula renunciatō prius recursui. Rot. dec. 173. n. 1. part. 6. rec. & de clausula dummodo, Gabr. consil. 65. n. 1. lib. 1. Rota coram Greg. XV. decif. 311. numer. 12. & decif. 110. num. 6. part. 5. rec. Vtique non est locus petitiuae absolutioni, nisi doceatur dd. conditiones adimpletas fuisse, cum facultas, seu iurisdicctio concessa sub certa conditione adimplenda: ea non adimpleta perinde habeatur, ac si data non fuisset Mant. dec. 343. numer. 1. Greg. X V. decif. 378. num. 1. & in his terminis Rot. in d. decif. 173. num. 1. part. 6. rec. & fuit dictum in Vlixbonen. professionis 27. Martij 1637. coram R. P. D. meo Carillo, de quarum tamen conditionum adimplemento non visum fuit consistere sufficienter.

Non obstat, quod Michaël de Bidaxū vnus ex electis à d. Michaële de Lebrixa, & confortibus in Vrbe praesens tam suo nomine, quam aliorum absentium renunciauerit in actis omnibus recursibus, & quibuscumque actibus illorum vigore gestis, ac declarauit illis se vti nolle. Quoniam ommissa inspectione respectu aliorum absentium, de quorum speciali, & sufficienti mandato non constat, adhuc respectu d. Michaëlis commorantis in Vrbe, talis renunciatō non visa fuit suffragari ad effectum obtinendi absolutionem, quia cum ex praedicta facti serie ac iuribus datis in Summario appareat Canonicos prius electos vigore decreti lati à Nuntio Apostolico habitū canonicalem suscepisse, illumque deinde fuisse coactos dimittere ob reiteratos recursus ex aduerso habebat ad consilia Regia, dicebant DD. non esse satisfactum dd. clausulis, nisi d. Michaël, & alij recurrētes curent, quod iidem Canonice electi reassumant habitum Canonicalem, & reponantur in eodem statu, in quo erant ante dd. recursus, ex quorum causa fuerunt coacti habitum dimittere, cum huiusmodi recursus; omniaque illorum vigore gesta purgari debeant in odium

recurrentium ad instar attentatorum, quae regulariter operantur, vt omnia in pristinum restituantur Rot. coram Buratt. decif. 346. n. 1. & d. decif. 173. num. 13. part. 6. rec. aliās enim huiusmodi renunciatō esset solū verbalis, quae non sufficit ad hoc vt quis dicatur renunciauere recursibus, sed vera & effectualis requiritur, adeo vt omnia impedimenta illata vigore recursuum in partibus sublata sint, illaque nec de iure, nec de facto nocere possint, vt in his terminis fuit aliās resolutum in Calaguritana de Brancauilla 9. Iunij 1603. coram Sacrato, & in Regien. Capellae 1. Iulij 1630. coram R. P. D. meo Pirouano, cum alijs relatis in d. decif. 173. num. 10. cum trib. seqq. part. 6. recent.

Idque comprobatur ex alijs clausulis in eodem Breui adiectis, & sine litis & colligatum praedicio, ac dummodo exponentes nullum ius propterea acquirant. Etenim si dd. Recurrentes consequerentur absolutionem non restituta Canonice in statu, in quo erant ante recursus, acquirerent saltem per indirectum aliquod ius ex dd. recursibus, nempe priuationem dd. Canoniorum, quoad habitum, & possessionem Canonicalem contra mentem Pontificis, qui cenferur d. absolutionem demandasse iuxta iuris communis dispositionem, cap. causam, quae, & ibi Felin. num. 5. de rescript. Rom. consil. 334. num. 1. Ferret. consil. 308. num. 5. & fuit dictum in Ianuen. pecuniaria seu praesentorum attentatorum 20. Aprilis 1640. coram me, quo attentato absolutio à censuris ob recursus ad Iudices laicos non conceditur, nisi praecedat satisfactio de iniurijs, damnis & interesse, quae pars ob huiusmodi recursus passa fuit. Quoniam, §. si quis vero, & ibi gloss. in verbo satisfactum de immun. Eccl. in 6. Anchar. num. 2. in 7. not. ab. Monach. numer. 19. Archidiacon. in c. quamquam ad fin. in verb. restituat de cens. in 6. & fuit dictum in Vlixbonen. professionis 27. Martij 1637. coram R. P. D. meo Carillo.

Non obstat, quod reassumptio habitus vt pendens non à potestate d. Michaëlis aliorumque recurrentium, sed à voluntate Iudicum laicorum, iudicetur ferè impossibilis, & ideo sufficiat simplex renunciatō iuxta decif. 64. n. 2. vers. & licet part. 3. rec. Quia vltra quod non omnia, quae pendunt à voluntate Principis iudicantur impossibilia, cum ea facilitate, qua consilium Regium ad instantiam, & preces d. Michaëlis, & confortum praecipua pro dimissione habitus relaxauit, ea pariter ad contrarias preces eorundem eadem praecipua forsan reuocaret, vt in proposito ponderauit Rot. d. decif. 173. numer. 14. & sequent. adhuc admittitur huiusmodi impossibilitate dd. Recurrentes tenentur facere, quantum possunt ex eorum parte, & sic specialiter & indiuiduè renunciare omnibus, & singulis in vim Regiarum prouisionum

fionum gestis & consequenter consentire reasumptioni d. habitus adeo vt dd. Canonici quoad omnes iuris effectus habeantur pro illis possessoribus, qui erant ante prouisiones Regias, vt dixit Rot. in ead. decis. 64. numer. 2. vers. *uoluerunt tamen DD. part. 6. recent.*

Non obstat praetensio, quod assumptio habitus Canonialis fuerit attentata tam ex eo quod illa fuit sequuta post appellationem extraiudicalem ab electione dd. Canonorum, quam etiam ex eo, quod deinde fuit appellatum iudicialiter à decreto Nuntij mandantis procedi ad receptionem eorundem Canonorum, & Signatura causam deinde simpliciter commiserit. Quoniam omnia huiusmodi inspectione, fat esse dicebant DD. quod ante dd. recursus Canonici electi erant in habitu Canonicali, illumque deinde fuerunt coacti dimittere vigore dd. recursuum, ad hoc vt d. Michaël, & alij recurrentes teneantur curare, quod omnia reducantur ad primæuum statum, in quo erant ante dd. recursus, cum sola detentio, seu status, qualiscumque ille sit siue bonus, siue malus, in quo quis reperitur tempore attentatorum sufficiat, vt illi competat restitutio Rota decis. 11. incip. nota quod ubi aliquis post appellationem numer. 1. de appell. in antiq. Lancellot. de attent. part. 3. cap. 24. quest. 8. numer. 7. & sequentibus. cum aliis relat. à Rot. decis. 393. numer. 1. part. 2. recent.

Sed visa fuit cessare difficultas, quia cum attentata ex aduerso commissa in vim dd. recursuum, sint posteriora, intrat conclusio quod vltima attentata sunt prius purganda. cap. fin. de ord. cognit. Lancell. de attent. part. 3. cap. 24. quest. 8. numer. 29. Rot. decis. 27. in fin. de appellat. in nou. & decis. 860. numer. 2. part. 4. diuers. & coram Gregor. XV. decis. 500. numer. 10. & in Mantuana iuris patronatus 26. Iunij 1628. coram bon. mem. Card. Virili.

Et ita vtraque, &c.

DECISIO

SACRÆ ROTÆ ROMANÆ
coram R. P. D. Carrillo:

In causa Vlixbonen. nullitatis
Professionis.

Veneris 17. Maij 1641.

Françisca Coronella postquam vti expressè professâ spatio 24. annorum permanerat in Monasterio S. Dionysij de Odiuellas Ordinis S. Bernardi sub pretextu, quod professio ibidem emissâ secuta fuisset ob vim, & metum obtinuit de anno 1628. à Sanctissimo

D. N. breue restitutionis in integrum aduersus lapsum quinquennij à Concil. Tridentin. præscripti in sess. 25. cap. 19. de regular. cum solita clausula (dummodo professionem huiusmodi tacitè, vel expressè non ratificauerit) causamque præsentem restitutionis in integrum in Rota introduci curauit cum clausula (appellatione remota) contra d. Monasterium, & Antonium & Ioannem eius fratres factisque hinc inde probationibus proposui dubium, An constet de nullitate professionis.

Pro cuius affirmatiua resolutione informantes pro d. Francisca dicebant expressam professionem per eam in manibus Superioris emissam anno ætatis suæ 16. nullius esse momenti ob metum reuerentialem patris sibi incussum cum minis mortis vt disertè deponunt plures testes de visu, & auditu proprio, & præcipuè 3. 6. 7. & 10. Summ. d. Francisca numer. 6. & seqq. & signanter numer. 10. qui metus dicitur iustus, & irritat professionem. Abb. in cap. cum virum numer. 8. de regular. Felin. in cap. causam matrimonij numer. 5. de offic. delegat. Couart. de sponsal. 2. part. cap. 3. §. 6. numer. 8. Azor. institut. moral. lib. 12. cap. 5. quest. 4. vers. Si roges part. 1. Sanchez de matrim. lib. 4. disput. 6. numer. 36. & in præcept. decalog. lib. 4. cap. 3. numer. 26. Rota decis. 779. numer. 10. part. 3. recent. præsertim in muliere, & minore, & de muliere in qua requiritur minor metus quàm in masculo tradunt gloss. & Doctor. in cap. cum locum de sponsal. Innocent. & alij in d. cap. causam matrimonij de offic. deleg. Calderin. consil. 1. vers. tertio quid sub tit. quod met. caus. Anchar. consil. 24. numer. 7. Abb. consil. 4. numer. 5. lib. 1. & de minore, in quo minor metus exigitur quàm in maiore perfectæ ætatis notant Paul. de Caltr. consil. 174. post numer. 3. lib. 1. Purpurat. consil. 579. numer. 7. & Rimin. Sen. consil. 15. numer. 22. concurrentibus præcipuè tum explicita protestatione, quam eadem Francisca fecit coram Sanctissimo crucifixo in Choro existente dum accedebat ad profitendum, quod scilicet benè idem Crucifixus sciebat non sua propria voluntate, sed per metum patris erat professura, vt vno ore concludunt vndecim testes d. Summ. numer. 13. & sequent. ad text. in l. qui in aliena in fin. ff. de acquir. heredit. benè Rebuff. consil. 69. numer. 9. tum, & etiam successiuis lamentationibus de professione per metum emissâ vt dicunt iidem testes d. Summ. numer. 12. quæ probationem metus valdè coadiuant Angel. in l. metum la 3. ff. quod met. caus. Dec. in cap. fin. numer. 21. vers. benè verum est de appell. Couart. in epitom. de sponsal. part. 2. cap. 3. §. 5. numer. 12. Rebuff. d. consil. 69. numer. 10. vers. quod etiam factus, Rota coram S. mem. Gregor. XV. in decis. 326. numer. 25. & 26.

Prout nec tacitam professionem adesse iidem

iidem informantes subiungebant ex eo, quod d. Francisca postea receperit velum nigrum à veris professis recipi solitum, quia vltra quod ad illius susceptionem fuit pariter coacta vt deponunt testes de Summ. numer. 19. quatenus etiam actus videretur spontè factus adhuc non obstaret cum tunc temporis viueret pater, & sic vigeat quoque eiusdem metus causa, quæ facit vt actus succedant ea durante facti pariter meticolosi dicantur Bart. in l. penult. ff. de condit. ob turpem causam. & passim DD. in l. 2. Cod. quod met. caus. Abb. in cap. consultationi de sponsal. lib. Couart. in epitom. 4. decretal. d. part. 2. cap. 3. §. 5. numer. 1. Rolan. consil. 2. numer. 86. lib. 1. Paris. consil. 60. numer. 34. lib. 4. Rota coram Seraph. decis. 771. numer. 8. & 9. in fin. attentis præcipuè lamentationibus, & expressis declarationibus à d. Francisca factis tam ante, quàm post emissam professionem, ac etiam post mortem patris, & fratris, & omni tempore vt asserunt testes d. Summ. numer. 22. vsque ad fin. deponentes cum dictionibus (vnquam) & (semper) quæ omne tempus includunt l. 1. vbi gloss. & DD. ff. de solut. matrim. l. quia semper ff. de in ius vocan. Rot. decis. 24. numer. 14. part. 1. recent. istæ namque lamentationes, & declarationes excludunt tacitam, & præsumptam professionem resultantem ex delatione habitus per 20. annos, & vltra ex hilaritate, ac ex exercitio actuum professis priorum, quia præsumptio cedit veritati in dd. declarationibus expressæ vt notant Innocent. & alij communiter in cap. 1. de eo quod met. caus. Suarez de regular. tit. 3. quest. 17. art. 15. in princip. Barbat. consil. 59. col. 2. lib. 2. Decian. consil. 18. numer. 5. & seqq. lib. 3. Honned. consil. 78. numer. 25. lib. 2. in puncto Rota decis. 533. numer. 4. & 5. part. 4. rec. & in terminis professæ, quæ per plures annos permanerat in Monasterio Rebuff. in consil. 68. numer. 26. in fin. & numer. 29. Rota decis. 397. sub. numer. 6. vbi quod Monialis præsumitur interuenisse actibus iussu, & ob reuerentiam Abbatissæ part. 4. recent. latè Adde. ad Gregor. XV. in decis. 385. numer. 6. vers. excluditur, quicquid esset dicendum si professâ animum suum in contrarium non aperuisset, in quibus terminis loquuntur decis. Meten Professionis 2. Iunij 1636. coram me. impress. apud Modern. de iure Abbatissæ. quæ est 3. in ordine, & decis. Messanen. professionis 5. Decemb. anni proximè præteriti coram R. P. D. Peutingero.

Nec contrarium elici asserbatur ex reditu dictæ Francisca ad Monasterium vnde egressa fuerat ad curandam ægritudinem, nec ex confessionibus emissis in dispensationibus obtentis vbi ipsa enunciatur professâ. Nam quoad reditum ad Monasterium testes probant eam fuisse coactam à D. Collectore Lusitanæ ad redeundum mediantibus comminationibus

cenurarum, confessiones verò quatenus demonstrant professionem fuisse emissam, non ideo important eius validitatem, vel quod Francisca illi consentiat, sed restringuntur ad illam causam pro qua emanarunt ad l. si de certa, vbi Bart. & DD. Cod. de transact. Aym. consil. 407. numer. 30. Nat. consil. 546. numer. 12. & facit Decisio Meliten. pensionis 7. Iunij & 9. Decembris 1630. coram bo. me. Coccino.

Quibus non aduersari dicebatur testes contra dictam Francisca examinatos ad probandum, quod ipsa verè, & realiter professionem emisit absque vilo metu, tum quia sunt Moniales eiusdem Monasterij, cuius interest professionem esse validam, & ideò non sunt integræ fidei dum ad sunt alij testes iuxta magistralem distinctionem, quam secuta est Rota in Calaguritana Parochialis de Alzola 20. Martij & 22. Iunij 1620. coram bo. me. Coccino, Tum etiam quia in hac materia magis creditur duobus testibus affirmantibus metum quàm mille dicentibus actum fuisse spontè factum ea ratione, quia deponentes super metu deponunt super actu perceptibili sensu corporeo. Sed alij de actu imperceptibili, nempe de intrinsicis cordis, vt post Abb. notat in specie Innoc. in cap. 1. sub. numer. 10. vers. imo plus de his, quæ vi metus ve caus. Guttier. consil. 14. n. 9. & consil. 16. numer. 4. Rebuff. d. consil. 68. numer. 33. Sanchez de matrim. lib. 4. disput. 27. numer. 1. & sequuntur quam plures relati in d. decis. 326. numer. 46. coram Greg. XV.

Absque quod aliquid releuet nullitas opposita contra aliquos ex dictis testibus pro Francisca examinatis, eo quod aliqui eorum fuerint examinati extra diem citationis, alij verò extrâ dies præfixos in remissoria cuius forma debebat ad vnguem seruari cap. cum dilecta, & ibi notat. de rescript. cap. statutum cod. tit. in 6. l. aut, qui aliter in princip. & ibi Bart. ff. quod vi, aut clam. Caputatq. decis. 143. numer. 5. part. 3. Rot. decis. 466. numer. 1. part. 2. rec. Quia cum testes Francisca iurauerint præsentem procuratorem partis aduersæ, vt in process. de part. ib. fol. 71. à tergo in fi. vsque ad fol. 76. dicuntur ritè examinati, talis enim præsentia supplet defectum citationis ad text. in l. de vno quoque, ff. de re iud. Rot. coram Seraph. in decis. 388. n. 4. & inter rec. decis. 79. numer. 15. part. 5.

Prædictis tamen minimè obstantibus articulo per plures positiones ab omnibus Dominis exactè discussio contrarium fuit resolutum hoc est constare de valida professione ea præcipua ratione, quia quidquid sit, an realiter dd. Testes sint validè omnes examinati, & concludant præsentem metum continuum. prout requiritur, & non conquassentur ex aliis pro monasterio, & fratribus eiusdem Francisca examinatis contrarium deponentibus, super

quo Dominon fuerunt concordēs, certum est, quòd dicta Francisca post diu agitatam litem super hac præsentia nullitate professionis pendente examine testium remissorialium in partibus positiuè liti huiusmodi renunciauit, professionemque ratificauit coram Vicarij Ordinarij Notario, & testibus in hæc verba, *ibi, quamuis monialis non esset, hodie monialis esse volebat*, quod sufficit ad hoc, vt ipsa professionem amplius impugnare nequeat, vt de muliere, quæ dixerat se velle esse monialem ex doct. Hostien. *in cap. porrectum, col. 1. & ibi Abb. in 3. notab. firmavit Rot. in decis. 216. part. 2. diuers. numer. 10.* etiam si non interuenierit noua acceptatio Monasterij cum aliis solemnitatibus, nam quando prout hic professio fuit ab initio solemniter emissa, sed solum inualida ob defectum consensus profitentis per vim, & metum eo ipso dicitur validè ratificata, quo superuenit consensus eiusdem monialis sic professæ, vt tenent P. Suar. *tom. 3. de Relig. lib. 7. cap. 1. Emanuel Rodrig. 2. tom. Summa cap. 9. 2. concl. 5. numer. 5. Angles. in Flor. tit. de regular. consil. 2. 4. in priori editione, & 50. in posteriori Sanctarel. variar. resolut. quest. 48. n. 30. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 41. numer. 67. Barthol. de Vecch. in praxi obseruand. in admittent. ad relig. disput. 14. dub. 4. numer. 7. Sanchez de matrimo. lib. 2. disp. 32. numer. 9. vers. ergo satis & numer. 14. & in lib. 7. disput. 37. numer. 60. & 61.*

Et ratio est quia quatenus noua acceptatio requireretur ea suppletur à Papa, qui est supremus Religionum Prælati, & media religio semper acceptat, suumque consensum de facto præstat quoties professus suum præstiterit, & religio expressè non contradixerit, vt colligitur ex *cap. ad nostram, & cap. significatum de regular. & cap. 1. eod. tit. in 6. & ex concil. Trid. sess. 25. cap. 19. de regular. & expressè docent Sanch. d. lib. 7. disput. 37. numer. 64. & Ferdinand. de Castr. Palao tom. 3. disput. 2. punct. 5. numer. 4. in fin. quod proculdubio procedit in præsentia ex eo, quòd Sanctissimus in commissione restitutionis in integrum excepit professionem tacitam, in qua non requiritur noua, & solemnitas Monasterij acceptatio, cum ea inducatur ex sola delatione habitus professorum, *cap. vnica vers. si verò de regular. in 6. clem. eod. tit. ac ex eorum exercitiis, cap. vidua 4. de regular. Sanch. super decalog. lib. 5. cap. 3. numer. 10. & 13. ergo multò magis censetur inducta ex expresso consensu apertis verbis declarato per Francisca in actu d. renunciationis, vt admonet ad hunc propositum Henric. Boic. in cap. 1. numer. 5. in fin. de his, quæ vi, metu, & causis sunt.**

Hincque patet non applicari d. decisionem 395. coram Gregorio X V. in qua fuit dictum matrimonium non esse ratificatum ex simulta-

nea cohabitatione, nec ex superuenientia consensus alterius coniugis, vel ex aliis actibus, & quod ad illius ratificationem requirerentur eadem solemnitates, quæ requirebantur in ipso contractu; quia licet in reliquis valeat argumentum à matrimonio carnali ad spirituale quale dicitur professio *cap. inter de translat. Episc. Rebuff. de consil. 69. numer. 9.* Non valet tamen in hoc articulo stante diuersitate rationis ex eo resultante, quod Pontifex seu Ecclesia non potest supplere alterutrum coniugis consensum, Petr. de Ledesma *de matrim. q. 45. art. 3. in solut. ad vlt. secus verò in professione, vt constat ex superius allegatis, & tradit in puncto Sanchez de matrimo. d. lib. 7. quest. 7. disp. 37. numer. 64. vers. est enim.*

Non obstat, quòd Monasterium suum consensum reuocauerit, & contradixerit ante superuenientiam noui consensus d. Francisca, vt probari prætenditur, ex fidibus extraiudicialibus 76. Monialium attestantium se non habuisse Francisca pro Moniali, & quod nomine Abbatissæ id ipsum fuerit Sanctissimo expositum, vt in summario Francisca *num. 7.* quo casu limitatur conclusio supra firmata, cum Pontifex non intendat admittere ratificationem superiore id est eodem Monasterio repugnante. Less. *de iust. & iur. d. lib. 2. cap. 41. dub. 7. in fin. Barthol. de Vecch. in praxi d. disputat. 14. dub. 4. num. 3. in fi.*

Quoniam licet vera sit limitatio, non tamen potest applicari huic casui cum dictæ Moniales Sanctissimo scripserint, & dictas fides fecerint absque consensu Capituli, & ideo reuocatio, seu contradictio ex eis desumpta nullius est momenti. Nam sicuti in prima acceptatione adhibitus fuit capitularis Monialium consensus sine quo, nec satis fuisset consensus Superioris. gloss. *in cap. porrectum verb. Monachum de regular. Anchar. ibid. num. 6. & in cap. fin. in 2. not. eod. tit. in 6. Nauarr. consil. 9. numer. 12. de constitut. lib. 1. Roderic. quest. regular. tom. 3. quest. 17. art. 7. Lap. allegat. 31. numer. 1. & 3. ibique Adden. lit. A. vbi quod receptio monialis spectat ad Abbatissam, & conuentum, vt ad Collegium, Sanchez *in præcept. decalog. lib. 5. cap. 4. quest. 2. numer. 65.* ita requirebatur vel consensus capitulariter præstitus in eiusdem acceptationis reuocatione iuxta vulgat. regulam, quod actus eodem modo destruitur, quo constituitur, *l. 2. C. si aduers. donat. aut. contra C. de repudiat. Pinell. in l. 1. numer. 4. vers. quæro cum donat. Cod. quando lic. ab empt. disced. Menoch. consil. 1095. numer. 24. Surd. decis. 128. numer. 14. & 15. vel quod Superior reuocasset præuio Monialium capitulari consensu, quem non inducunt dictæ attestations, seu declarationes ab Abbatissa, & Monialibus emissæ vt singulis, non autem in loco capitulariter congregatis.**

Bald.

Bald. *in l. & suum. §. die tamen vers. notat, Angel. ibidem numer. 1. ff. de pact. Felin. in cap. cum omnes. numer. 24. de constitut. Rot. decis. 484. n. 6. part. 1. recent. & decis. 351. numer. 11. coram Buratto. ibique adden. numer. 13. litt. C.*

Nec dicatur, quòd ad effectum, vt ratificatio sit valida, requiratur scientia nullitatis professionis præcedentis. Caietan. *in 2. 2. quest. 189. art. 5. Nauarr. consil. 28. numer. 7. & consil. 89. n. 3. de regular. & in manual. cap. 12. numer. 71. Rota decis. 179. numer. 7. & decis. 397. numer. 5. part. 4. recent. Quia vltra quod prædictam opinionem vt minus tutam Sacra Congregatio Eminentiſſ. Cardinalium Sacr. Concil. Interpr. non amplectitur, sed potius contrarium pluries tenuit, vt in declarationibus relatis in d. Meten. professionis coram me impress. apud Modern. de iur. Abbatiss. sub numer. 12. cum seqq. vbi quod Sanctiss. D. N. Urbanus V I I. huiusmodi declarationes obseruari mandauit 1. Februarij 1631. in vna Romana nullitatis professionis, cessat in præsentia omnis scrupulus cum ex testibus pro Francisca examinatis, & supra in principio ponderatis probetur ipsam nunquã se habuisse pro Moniali, nec ab aliis Monialibus pro tali reputatam, quod clarius patet, ex propria confessione emissa in actu renunciationis, *ibi, quamuis Monialis non esset, hodie Monialis esse volebat*, qua nulla datur maior probatio, *l. cum te C. de transact.**

Minus obstat, quòd d. ratificatio desumatur ex dictis verbis in renunciatione liti prolatis, & ideo sicuti d. renunciatio corruit, ita corruere debeat ipsa ratificatio vt accessoria, quia renunciatio liti corruit ex quo pars, ad cuius fauorem fuit renunciatum, non fuit præsens, nec aliquis pro ea stipulatus fuit, prout requirebatur *in text. in l. certum, §. si quis absent, ff. de confess. & notat. in specie. Iaf. in l. postquam liti numer. 1. in fin. Cod. de pact. & propterea meritò potuit reuocari ante acceptationem. Alciat. in d. l. postquam liti, numer. 19. vers. sed tamen, cum aliis allegat. in particulari decisione super d. renunciationis nullitate emanata sub die 30. Ian. anni proximi præteriti. quæ quidem ratio cessat in ratificatione professionis, quæ fit Deo vbi que præsentia, & sic parum refert, quòd non fuerit acceptata à parte colligante, imò cum religio suum ab initio præstiterit consensum cuius preuocantia præsumitur ex retentione eiusdem professæ in Monasterio. Nauarr. consil. 50. sub numer. 1. vers. nec potest dici de regular. lib. 3. Rodrig. quest. regular. tom. 3. quest. 17. ar. 3. vers. aut nullitas, sufficit, quòd Papa Religione non contradicente de facto acceptet, prout acceptasse præsumitur eò ipso, quo professæ suum præstitit consensum, vt supra fuit firmatum ex doct. Ferd. de Castr. Palao *tom. 3. moral. disp. 2. punct. 5. numer. 4.* vbi concordantes cumulantur.*

Nec est nouum, quod idem actus possit valere respectu vnus, licet sit nullus respectu alterius, quando prout hic est de sua natura diuiduus, vt tradunt Alban. *consil. 38. numer. 8. Gabr. consil. 36. numer. 45. & 46. vol. 1.* quos refert, & sequitur Ciriac. *controuerſ. 198. numer. 23.* ex regula, quod indiuiduis vtile per inutile non vitietur, *cap. si confirmationem 39. vbi Gemin. notat. 3. de elect. in 6. cap. vtile 37. vbi Rin. nume. 7. de regul. iur. in 6. Surd. consil. 428. numer. 20.*

Et quamuis in eadem decisione 30. Ian. subiungatur ex d. renunciatione liti non posse inferri ad ratificationem professionis cum Francisca non dixerit velle ratificare professionem, sed potius declarauerit per antea se non fuisse Monialē, vt colligitur ex sæpius recitatis verbis, *ibi, quamuis Monialis non esset, hodie Monialis esse volebat*, & ideo dū constat ipsam non fuisse Monialem non possit intrare ratificatio professionis, ex quo nõ detur ratificatio eius, quod non est, vt notat Bart. *in l. obseruare 4. §. fin. n. 6. de offic. Procons. & legat. non obstantibus illis verbis hodie Monialis esse volebat*, quia concessio, quod non fuisset Monialis, prædicta verba importarent tantum nouam professionem, & consequenter nullam ob defectum solemnitatum requisitarum ex *cap. porrectum de regul. rel. per Azor. instit. moral. part. 1. lib. 2. cap. 5. q. 7.*

Tamen hodie melius negotio per D. D. examinato recedendo in hac parte à dicta decisione, responsum fuit, quod dum d. Francisca habitum monialem gestauit professionemque solemniter emisit, & spatio tanti temporis in Monasterio permanſit faciendo actus professis conuenientes negari non possit, quin ipsa saltem apparenter Monialis reputari deberet, licet inualidè professæ ob metum sibi incussum, & propterea quando dixit, quamuis Monialis non esset, dicendum est intellexisse de vera Moniali, non autem de Moniali, saltem habitu, & consequenter retorquetur conclusio in dicta decisione firmata, quod scilicet illud quod est, sed ab initio nullum postea ratificari possit, quando prout hic actus peccat in his, quæ pendent à solo consensu ratificantis, vt post Abb. tradit Felin. *in cap. nonnulli, §. sunt. & alij col. 3. de rescript. in 3. ampliat. quam ibi ponit vers. pro ista ratione, bene Nacl. consil. 262. numer. 10. Surd. consil. 28. numer. 123. in fin. quo supposito stante, non debet dici, quod Francisca in illis verbis, hodie Monialis esse volebat, voluerit nouam professionem emittere, sed tantum præcedentem nullam ratificare, in qua non requiruntur aliæ solemnitates, vt fusè supra fuit ostensum ex dispositione Sac. Concil. Trident. *d. sess. 25. cap. 19. de regularib. & ex text. in cap. ad nostram, & cap. significatum eod. tit.**

His igitur sic positis non vrget, quòd Francisca seducta fuerit ad professionem ratificandam

dam

dam illecebris, & promissionibus Antonij fratris, quia omisso, quod testes ad id examinati deponunt promissiones fuisse factas, mediantibus Fr. Iacobo Peregrino, Fr. Didaco de Aredda, & Fr. Emanuel de Vasconcellos, qui tamen medio iuramento contrarium attestati, sunt, quod confirmatur ex ipso euentu, dum ratificatio purè, & simpliciter facta fuit, quæ propterea debet attendi, quidquid antea tractatum fuerit, *cap. dudum. §. sed ad ista vers. in super de conuers. coniugat. Sanch. in præcept. de catalog. lib. 6. cap. 2. num. 40.* & in terminis matrimonij carnalis idem Sanch. *de matrim. lib. 2. disput. 45. num. 19.* ubi plures cumulat, & nuperrimè fuit in Rota decisum in Romana matrimonij 10. mensis currentis coram Reuerendissimo Patre Domino meo Decano.

In omnem euentum non inde inferri posset ad conditionem suspensiuam eiusdem ratificationis, nam cum promissorum executio deberet subsequi actum ratificationis importat modum dumtaxat, non autem conditionem, *l. cum tale §. i. ff. de condit. & demonstrat. Bart. in l. quibus diebus, §. Terminus, n. 11. ff. eod. Nat. consil. 313. n. 28. Rota decis. 293. num. 14. & 15. part. 5. rec.* & in puncto quod matrimonium sic contractum dicatur purum, cum obligatione tamen præstandi, quod promissum est, tradit Basil. à Ponte *de matr. lib. 3. c. 13. n. 4. vers. deinde,* modus enim non suspendit actum, neque illum si deficit, resoluit, sed ad promissorum adimplementum est agendum, ut inter modum, & conditionem distinguit Bart. *in l. sicut §. videmus. ff.*

quibus mod. pign. & hypotec. solut. Negul. de pignor. mem. 3. part. 6. n. 31. vers. secus autem, Surd. decis. 156. n. 6. & 7. & in terminis matrimonij notat Sanch. lib. 5. de matrim. disput. 19. n. 9. ubi plures concordantes refert.

Denique non releuat, quod Francisca protestata fuerit se accedere ad ratificandum tanquam ad malam crucem, ut se subleuaret ab ære alieno, quo validè grauata reperiebatur, quia præterquam quod de hac protestatione non deponit, nisi vnicus testis, & per consequens nihil probans *cap. veniens 10. & cap. licet ex quadam 47. de test. Liuris iurandi, 8. Cod. eod. tit. adhuc non releuaret cum non doceatur emissa coram Iudice, vel coram ipso promittente, seu merum inferente, Bart. & alij in l. qui in aliena, §. final. ff. de acquir. hered. Abb. in cap. tua nos de sponsal. Aym. consil. 120. n. 3. & 5. Paris. consil. 10. n. 42. & seqq. lib. 1. Dec. consil. 41. num. 122. & seqq. lib. 2. Menoch. præsumpt. 127. n. 9. & 10. lib. 2. & eo minus, quia post prætentam protestationem purè ratificauit, quo fit, ut etiam si errasset in spe maioris fortunæ, seu diuitiarum, valeat nihilominus ratificatio, ut in puncto professionis tradit Nauar. *in consil. 50. num. 2. de regularib. ex cap. constituit, 20. quest. 3. & in matrim. carnal. idem Nauar. notat. in manual. c. 22. num. 32 & semper in dubio est facienda interpretatio, ut professio sustineatur. Nauar. consil. 13. num. 10. de regular. Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 37. num. 12. in fin. Rot. coram Seraph. decis. 1361. in fin.**

Et ita vtraque parte, &c.



INDEX



INDEX RERVM OMNIUM NOTABILIVM QVÆ IN HAC SEXTA PARTE CONTINENTVR.

<p style="text-align: center;">A</p> <p style="text-align: center;"><i>Aborsus.</i></p> <p>A B O R S V S an licitè procurari possit, si fœtus non sit animatus, ad euitandum periculum vitæ, & infamiæ puellæ prægnantis. tract. 8. resol. 37 pag. 298.</p> <p style="text-align: center;"><i>Abolutio</i></p> <p>Abolutio violentium immunitatem Ecclesiæ an sit referuata Summo Pontifici. tract. 1. resol. 34. verf. <i>Dico.</i> p. 62.</p> <p>Abolutio casus referuati, quem pœnitens bona fide confitetur, nesciens esse referuatum, an sit valida. tract. 6. resol. 40. p. 180. Et quid si dubitet an sit referuatus, & post abolutionem nouit esse talem. <i>ibid.</i> verf. <i>Ad secundum.</i> p. 181.</p> <p>Abolutio ab hæresi occulta an possit dari à Regularibus. tract. 6. resol. 54. verf. <i>Sed si.</i> p. 197.</p> <p>Abolutio à casibus referuatis an possit dari Religioso à Confessario Regulari, si Prælatus neget licentiam illum absoluedi. tract. 6. resol. 56. p. 198.</p> <p>Abolutio casuum referuatorum ex præsumptione ratihibitionis an sit valida. tract. 6. resol. 57. verf. <i>Sed sententiam.</i> p. 200.</p> <p>Abolutio an sit imperianda Blasphemo consuetudinario, qui emendationem proposuit nec est emendatus. tract. 7. resol. 49. verf. <i>Sed.</i> p. 243.</p> <p>Abolutionem ab hæresi occulta an possint dare Prælati Regulares suis subditis. tract. 7. resol. 63. verf. <i>Sed hæc sententia.</i> p. 256.</p> <p style="text-align: center;"><i>Actus</i></p> <p>Actus iudiciales an requirantur ad stabiliendam consuetudinem. tractat. 5. resol. 8. verf. <i>Sed opinio.</i> p. 129.</p> <p>Actus voluntarij an requirantur ad stabiliendam consuetudinem. tract. 5. resol. 9. p. 129. Et an tales actus, ex quibus consuetudo constat, debeant catere omni malitia. <i>ibid.</i> verf. <i>Notandum.</i></p> <p>Actus ex quibus consuetudo constat an debeant procedere ex intentione introducendi obligationem. tract. 5. resol. 10. p. 130.</p> <p style="text-align: center;"><i>Adulter.</i></p> <p>Adulter an gaudeat immunitate. tract. 1. resol. 26. verf. <i>Quaro septimo.</i> p. 38.</p> <p style="text-align: center;"><i>Ætas.</i></p> <p>Ætas 35. annorum an sit necessaria pro Magistro nouiter Professorum in Religione, sicut est necessaria pro Magistro Notitiorum iuxta Constitutionem Clementis VIII. tract. 6. resol. 29. p. 172.</p> <p style="text-align: center;"><i>Affinitas.</i></p> <p>Affinitas an oriatur ex matrimonio rato & non con-</p>	<p>summato. tract. 8. resol. 25. p. 287.</p> <p>Affinitatis impedimentum an dispensari possit à Regularibus ad petendum debitum inter coniugatos. tract. 8. resol. 32. p. 294.</p> <p style="text-align: center;"><i>Alimentum.</i></p> <p>Alimenta an sint præstanda reis dum existunt in Ecclesia. tract. 1. resol. 33. verf. <i>Et tandem.</i> p. 60.</p> <p>Alimenta an debeantur filiis spuriiis. tract. 7. resol. 28. p. 227.</p> <p style="text-align: center;"><i>Altare.</i></p> <p>Altaria priuilegiata an sub generali communicatione priuilegiorum Mendicantium veniant communicata. tract. 7. resol. 39. p. 234.</p> <p style="text-align: center;"><i>Anniuersarium</i></p> <p>Anniuersaria & officia Defunctorum an comprehendantur in prohibitione moderandi Missas facta Episcopis in decreto de celebratione Missarum. tract. 7. resol. 40. p. 235.</p> <p style="text-align: center;"><i>Apostata.</i></p> <p>Apostata à Religione an gaudeat immunitate. tract. 1. resol. 26. verf. <i>Quaro decimo.</i> p. 38.</p> <p style="text-align: center;"><i>Appellatio.</i></p> <p>Appellatio prohibita reo per Bullam Gregorianam à sententia de tradendo illum Curia seculari, an censetur etiam denegata fisco vel Actori. tract. 1. resol. 30. verf. <i>Quaro quimo.</i> p. 50. Et quid si constaret notoriè de iniusta sententia. verf. <i>Vnde.</i> <i>ibid.</i> Vbi etiam, an, si iudex Ecclesiasticus ex præparatoris informationibus inaudito Reo declarauit immunitate non gaudere, possit reus appellare. <i>ibid.</i></p> <p style="text-align: center;"><i>Armatus.</i></p> <p>Armatus, confugiens ad Ecclesiam an gaudeat eius immunitate. tract. 1. resol. 8. p. 15. Et an sic confugiens possit à Ministris Laicis armis prohibitis spoliari. <i>ibid.</i> verf. <i>Neque.</i> An saltem bonis furatis. <i>ibid.</i> p. 16.</p> <p style="text-align: center;"><i>Assassinus, Assassinium.</i></p> <p>Assassinus an gaudeat immunitate Ecclesiæ; si mors non sit sequuta. tract. 1. resol. 11. verf. <i>Sed deueniendo.</i> p. 19.</p> <p>Assassinium an etiam dicatur in occisione hominis infidelis. <i>ibid.</i> verf. <i>Sed quoad. & verf. Tamen.</i></p> <p>Assassinorum nomine an designentur quicunque pacto pretio, aut mercede ad necandum hominem immittuntur. Vbi limitat quinque modis. <i>ibid.</i> verf. <i>Notandum.</i> p. 20.</p> <p>Assassinium an committat promittens dare sicario aliquod officium, vxorem, &c. ut ille perpetret homicidium. <i>ibi verf. Sed non desinat.</i> p. 20. & verf. <i>Verum tunc.</i> p. 21.</p>
---	--

Index Rerum VI. Partis.

Affassinij mediator an gaudeat immunitate Ecclesiarum, ibid. *vers. Nota.*

Affassinus an dicatur qui animo complacendi tantum alicui, homicidium perpetravit. ibid.

Afylum.

Afyla Gentium an conferrent immunitatem confugientibus, cuiuscunque essent Religionis. tractat. 1. resolut. 23. *vers. Nec.* p. 32

Attentans.

Attentans occidere aliquem per insidias & proditorie, morte non sequuta, an gaudeat immunitate. tract. 1. resolut. 12. *vers. Nota.* p. 22

B

Bannitus.

Banniti confugientes ad Ecclesiam, an gaudeant eius immunitate; si non commiserunt delicta in iure exceptuata. tractat. 1. resolut. 21. *vers. Verum.* p. 30. Et an possint in Ecclesia occidi. *vers. Notandum.*

Baptismus.

Baptismus an in casu necessitatis possit conferri sub conditione, cum aqua rosacea vel ex herbis extracta. tractat. 7. resolut. 18. *vers. Quare igitur primo.* pag. 219

Baptismus reiterans propter eleemosynam acquirendam an debeat abiurare. tract. 8. resolut. 9. *vers. Sed hec.* p. 276

Barbaries.

Barbaries inepta ad Politiam an sit iusta causa belli. tract. 4. resolut. 3. *vers. Non desinam.* p. 97

Bellum.

Bellum offensiuum quis possit indicare. tract. 4. resolut. 1. p. 96. Et quæ sint causæ iustæ inferendi bellum. resolut. 3. p. 97

Bellum an sit iniustum si desit recta intentio inferentis; etsi non desit iusta causa inferendi. tractat. 4. resolut. 5. p. 98

Bellantibus, an aliquando possit denegari transitus per alienas terras pro bello inferendo alicui Principi. tract. 4. resolut. 5. ibid.

Bellum an iustè indicere possit Princeps læsus, si auctor iniuriæ morte plectendus ei non offeratur. tract. 4. resolut. 6. p. 98

Bellum an possit indicare Princeps habens causam iustam inferendi: Etsi ex illo in perniciem Regnorum maxima damna timerentur. tract. 4. resolut. 7. p. 99. Et an in tali casu Princeps teneatur ad restitutionem. ibid. *vers. Sed an.* p. 100

Bellum inchoatum an possit prosequi, si alius Princeps offerat condignam satisfactionem. tractat. 4. resolut. 8. ibid.

Belli iustitiam an milites teneantur examinare. tract. 4. resolut. 9. p. 101

Bellum dum geritur, an in eo liceat uti insidiis, & stratagematis: & sit standum promissis resolut. 10. ibid.

Bellum dum geritur, an liceat in eo innocentes occidere. tract. 4. resolut. 11. p. 101. Et an innocentium bona possint in bello diripi & deuari. resolut. 12. p. 102. Vbi etiam, an huiusmodi bona ipsis postea sint restituenda. ibid. *vers. Sed difficultas.* Et an innocentes possint in seruitutem redigi. resolut. 13. p. 103

Bello iusto capti, an possint fugere. tract. 4. resolut. 14. *vers. Sed ego.* p. 105

Bellum an licitè possit inferri infidelibus propter solam infidelitatem. tract. 4. resolut. 15. *vers. Ego verò.* pag. 106

Bellum an licitè possit inferri infidelibus commit-

tentibus idololatriam; & violentibus iura naturalia, maxime si accedat auctoritas summi Pontificis. tract. 4. resolut. 16. *vers. Verum.* p. 108

Bellum an iustè indicere possit infidelibus, si nolint excipere Prædicatores fidei; sed illos occidant, & liberum transitum in alias Prouincias ad prædicandum denegent. tractat. 4. resolut. 17. p. 108. Vbi etiã enumerantur septem casus, in quibus licitum est inferre bellum infidelibus. *vers. Et ad confirmationem.* p. 109

Bellum an licitè indicitur contra infideles, ex titulo donationis obtentæ à Pontifice de eorum Prouinciis. tract. 4. resolut. 18. *vers. Dicendum.* p. 110

Bellum an licitè indicitur hæreticis propter solam hæresim. tract. 4. resolut. 19. p. 110

Belli tempore an aliquando sit licitum obsides occidere. tractat. 4. resolut. 20. *vers. Sed contrariam.* p. 110

Belli Duces an licitè possint totam ciuitatem Militibus diripiendam dare. tract. 4. resolut. 21. p. 111

Belli Duces, obtentâ iam victoriâ quam satisfactionem possint petere. tract. 4. resolut. 22. p. 111

Belli spolia, seu bona capta in bello, ad quem pertineant. tract. 4. resolut. 23. p. 111. Et quid, si bona, quæ ab hostibus eripiuntur, sint furto sublata: An ista restituenda sint veris dominis, vel possint Milites illa retinere. ibid. *vers. Sed difficultas.* Et an solis militibus liceat bona hosti eripere. ibid. *vers. Verum.* p. 112

Bellum an possit esse ex vtraque parte iustum. tract. 4. resolut. 24. *vers. Sed contrariam.* p. 113

Belli Duces in quibus peccent in exercitu regendo. tract. 4. resolut. 27. per totam. p. 115. In quibus etiam peccent alij Officiales in exercitu commorantes. resolut. 28. per totam. p. 116

Bellum iniustum qui bona fide gessit; cognita iniustitia belli an teneatur resarcire omnia damna quæ intulit. tract. 4. resolut. 30. p. 117

Bellare quo tempore licitum sit. tractat. 4. resolut. 32. p. 118. Et an diebus festis liceat. *vers. Verum difficultas.* ibid. Vbi etiam, an in die festo, quando prælium est in procinctu, ad Missam audiendam milites teneantur. *vers. Quæres.* ibid.

Bellare an solo iure positio, vel etiam naturali interdictione sit Clericis. Vide *Clerici.*

Bello capti inter Christianos an licitè possint redimi, & an in conscientia teneantur soluere pretium promissum suæ redemptionis. tract. 7. resolut. 16. *vers. Verum.* p. 218

Bellum nauale gerentibus an sit licitum, quando aliter manus hostium effugere non possunt, ignem iniicere pulueri tormentario ut ipsi & naues absumantur. tract. 7. resolut. 48. p. 241

Blasphemia, Blasphemus.

Blasphemia non hæreticalis an gaudeat immunitate Ecclesiarum. tract. 1. resolut. 26. *vers. Quare octauo.* pag. 38.

Blasphemus consuetudinarius, & admonitus sæpè in aliis Confessionibus, an sit statim absolendus. tractat. 6. resolut. 30. *vers. Sed ego.* p. 172. Et an teneatur acceptare aliquam pœnam, si fortè postea blasphemet. ibid. *vers. Quoad secundam.* p. 172. & 173

Blasphemus consuetudinarius, qui emendationem proposuit nec est emendatus, an sit absolendus. tract. 7. resolut. 49. *vers. Sed.* p. 243

Blasphemus hæreticalis an sit censendus si quis dicat *Potta di Di,* &c. omiffa littera O. tract. 8. resolut. 38. p. 299

Bona.

Bona capta in bello ad quem pertineant. Vide *Bellum.* *Bulla.*

Index Rerum VI. Partis.

Bulla.

Bulla Gregorij XIII. de datis & promissis in Romana Curia, an sub nomine gratiarum includat absolutiones, indulgentias, dispensationes, beneficia & alias gratias quæ solo verbo perficiuntur. tractat. 7. resolut. 14. p. 216

C

Campana.

Campanas an sit licitum pulsare in signum quoddam aliquis malefactor sit mortis supplicio plectendus. tract. 7. resolut. 37. p. 233

Canonici.

Canonici sæculares an satisfaciunt obligationi psallendi in Choro si canant in sacristia ex aliqua iusta causa. vide *Hora Canonica.*

Capellanus.

Capellanus quando nullo modo constat de oneribus foundationis, an teneatur applicare valore Missæ pro fundatore Capellaniæ. tract. 6. resolut. 13. p. 161

Capitulum.

Capitulum an possit Sede vacante, post electionem Vicarij exercere aliquam iurisdictionem. tractat. 7. resolut. 41. p. 235

Cardinalis.

Cardinalium Palatia, vbicumque ipsi extra Romam existant, an gaudeant immunitate. Vide *Palatium.*

Cardinalium Capellani an possint in Capella Palatij ante auroram, & post meridiem tam pro Domino suorum seruitio, quam familiæ seorsim, celebrare. tract. 8. resolut. 40. *vers. Huius promissis.* p. 301. Et an plures Missæ à diuersis Capellanis in eadem Capella celebrari possint. ibid. *vers. Ad secundam.* c. 305.

Cardinalis si sit absens, an in eius absentia possit in sacello Palatij celebrari à Capellanis. ibid. *vers. Ad tertiam.* p. 304

Cardinalium familiares non domestici, si sacris intersint in Capella Palatij, diebus festis, an præcepto satisfaciunt. ibid. *vers. Ad quartam.* p. 304

Castratio.

Castratio filiorum ex ipsorum consensu an sit licita parentibus ad conferuandam vocem. tract. 8. resolut. 36. *vers. Sed his.* p. 297

Casus referuatus.

Casus referuatus bona fide confitens, nesciens esse talem, an validè absoluitur. tract. 6. resolut. 40. p. 180

Et quid si dubitet an sit referuatus, & post absolutionem nouit esse talem. ibid. *vers. Ad secundam.* p. 181

Casus referuati an expirent mortuo Episcopo, itaut quilibet Confessarius possit ab ipsis absolueret. tract. 6. resolut. 41. p. 182

Casus referuatum qui ignorat, an in illam incurrat. tract. 6. resolut. 42. ibid.

Casus referuati in vna Diocesi an possint absolui à Confessario alterius Diocesis in qua non suat referuati tract. 7. resolut. 57. *vers. Sed contrariam.* p. 246 & 247

Casuum referuatorum absolutio an ex præsumptione rati habitationis sit valida. Vide *Absolutio.*

Christina.

Christina an censeatur benedictum, etiam si in illius benedictione Episcopus omitat aliquam ceremoniam appositam in Pontificali. tract. 8. resolut. 21. p. 285.

Christiani.

Christiani à Turcis capti an possint fugere. tractat. 4.

resolut. 14. *vers. Et omnia.* p. 106. Et an bona Turcarum in quacunque quantitate diripere. ibid.

Christianus se fingens infidelem, & petens iterum baptizari propter eleemosynam acquirendam, an debeat abiurare. tract. 8. resolut. 9. *vers. Sed hac.* p. 276

Circumstantia.

Circumstantiæ peccati dubij an sint in Confessione aperiendæ tract. 6. resolut. 31. *vers. Verum in.* p. 173

Circumstantia numeri personarum, & speciei peccati, ad quod quis prauo suo exemplo alios induxit, an sit in Confessione explicanda. tractat. 6. resolut. 33. *vers. Verum.* p. 175

Circumstantiam impotentiae an teneatur Eunuchus aperire in Confessione, quando accusat se fornicatum fuisse. tract. 6. resolut. 35. p. 176

Circumstantia contraria Religionis an sit in Confessione aperienda, si quis v. g. recitando officium videt mulierem & concupiscit eam, an teneatur non solum illam prauam concupiscentiam confiteri: sed etiam dicere, quod tale peccatum admisit psallendo vel orando. tract. 7. resolut. 36. p. 232. & 233

Ciuitas.

Ciuitas aut Magnates an possint indicare bellum tractat. 4. resolut. 1. p. 96

Clausula.

Clausula in breui indulgentiarum apponi solita, *Volumus autem quod si alius Christi fidelibus dictam Ecclesiam visitauerit, aliquam aliam indulgentiam, &c.* quomodo sit intelligenda. tract. 8. resolut. 31. *vers. Ad primum.* p. 294

Clericus.

Clericus interdictus retinet sua priuilegia. tractat. 1. resolut. 1. *vers. Nota secundo.* p. 3

Clerici an gaudeant immunitate. tract. 1. resolut. 25. *vers. Notandum.* p. 36.

Clericis an solo iure positio, vel etiam naturali interdictione sit militia. tract. 4. resolut. 33. *vers. Est tamen.* p. 119.

Clerici in minoribus constituti, vel beneficiati, an licitè possint pugnare. tractat. 4. resolut. 34. pag. 119

Et an Monachi conuersi, vel etiam Choro mancipati etiam si sacris ordinibus non sint initiati, aut Clerici in Minoribus constituti peccent se adscribendo militia. *vers. Verum circa.* pag. 120

Clericis an in aliquo casu licitum sit pugnare. tract. 4. resolut. 35. p. 120

Clerici an sine superioris licentia in aliquo casu possint bello interesse absque peccato. tract. 4. resolut. 36. *vers. Sed ego.* p. 120

Clerici licitè bello assistentes an spolia aduersariorum accipere & retinere possint. tractat. 4. resolut. 37. p. 121

Clerici qui in graui necessitate pugnant in bello, an incurrant irregularitatem. tract. 4. resolut. 38. p. 121.

Et quid de Clericis ex licentia summi Pontificis bello assistentibus. *vers. Ad secundum.* ibid.

Clerici bello assistentes pro spiritali Militum auxilio, si illos in conflictu incitent ad præliandum, an incurrant irregularitatem. tractat. 4. resolut. 39. p. 122

Vbi, an necessaria sit licentia Prælati ad existendum in exercitu absque irregularitate. *vers. Sed si.* ibid.

Clerici assistentes in bello, sine licentia Pontificis, an teneantur restituere prædam captam. tractat. 4. resolut. 40. p. 122

Clerici an teneantur seruare consuetudines Laicorum. tractat. 5. resolut. 16. p. 135

Clericus conducens agros alienos, an teneatur soluere gabellam ex fructibus inde perceptis. tractat. 7. resolut. 11. p. 214

Clericus qui manè antequam subdiaconatum recipere, recitauit officium, an teneatur hoc non obstante, illud iterum recitare. tractat. 7. resolut. 38. p. 234

Clericus in Minoribus constitutus an possit exercere Medicinam sine alia Pontificia dispensatione. tract. 7. resolut. 50. p. 243

Clerici an possint extrahere vel introducere in ciuitate vinum, frumentum, &c. non obstante Statuto prohibente. tractat. 8. resolut. 4. vers. *Verum*. p. 267

Clericis an sit interdicta omnis negociatio lucratua, & an possint introducere in locum aliquem, vinum, frumentum, &c. ut ibi carius vendant. tractat. 8. resolut. 4. vers. *Et tandem*. in princip. p. 271

Clerici transgredientes leges ciuiles, an peccent mortaliter. *ibid.* vers. *Et tandem*. in fine.

Cœmeterium.

Cœmeteria an gaudeant immunitate Ecclesiarum. tractat. 1. resolut. 6 pag. 11. Et an Cœmeterium separatum ab Ecclesia. *ibid.* vers. *Et hac opinio*. Et quid de eius ostio & portico. *ibid.* Vbi etiam, an Cœmeterium benedictum à simplici Sacerdote: vel etiam à nemine benedictum, si Christianus ibi sepultus sit, gaudeat priuilegio immunitatis. *ibid.* p. 11.

Cœmeterium pollutum, vel interdictum an gaudeat immunitate. *ibid.* vers. *Nota*.

Commenda.

Commenda Militares Equitum Hierosolymitanorum an sint materia Simonie tractat. 8. resolut. 17. p. 280 & seqq.

Commenda Equitum D. Iacobi Alcantaræ & Caltrauæ an sint beneficia Ecclesiastica. *ibid.* vers. *Notandum*. p. 283. Et an Commenda Equitum Melitenisum. *ibid.* vers. *Et tandem* p. 284

Complex

Complicem criminis an aliquando teneatur poenitens in Confessione declarare. tractat. 7. resolut. 2. p. 207

Complex criminis ne manifestetur in Confessione, an teneatur poenitens adire alium Confessarium, cui confitendo in cognitionem criminis venire non possit tract. 7. resolut. 9. p. 213

Confessarius

Confessarius an possit exigere à suis poenitentibus iuramenta vel vota desistendi ab aliquo crimine. tract. 6. resolut. 30. vers. *Non desinam*. p. 173

Confessarius quilibet an mortuo Episcopo possit absoluere à casibus ipsi reseruat. tract. 6. resolut. 41 p. 182

Confessarius voluntariè omittens imponere poenitentiam in Confessione peccatorum tantum venialium, an peccatum mortale committat. tract. 6. resolut. 44. p. 183

Confessarius an possit extra confessionem poenitentiam à se impostam commutare. tract. 6. resolut. 46. p. 184.

Confessarius an aliquando possit obligare poenitentem ad declarandum complicem. tract. 7. resolut. 2. p. 207.

Confessarius an excusetur à culpa si imponat leues poenitentias propter illa verba quæ in absolutione semper adduntur: *Quidquid boni feceris, aut mali sustinueris*, &c. maxime si hoc poenitenti explicet. tract. 7. resolut. 5. p. 208. & 209.

Confessarius an debeat iniungere poenitentiam scrupuloso frequenter intra eandem horam accedenti ad Confessionem peccatorum. tract. 7. resolut. 6. p. 209. & 210.

Confessarius an querendus qui in suspicionem Complicis venire non possit. Vide, *Complex*

Confessarius habens licentiam audiendi Confessiones ad tempus, an possit eo transacto peccata tunc oblita audire & absoluere, etiam non obtenta noua approbatione. tract. 7. resolut. 46. vers. *Sed quia*. p. 239

Confessarium extraordinarium an possint Episcopi ultra tertiam vicem concedere subditis Monialibus. tract. 8. resolut. 28. p. 290

Confessarius an possit eligi à Vicariis Superiorum localium, etiam præsentate Superiore extra Religionem. Vide, *Vicarius*.

Confessio.

Confessio facta simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo an sit nulla. tract. 6. resolut. 52. vers. *Sed hac*. p. 193

Confessio in articulo mortis an requirat necessariò propositum expressum & formale de cætero non peccandi. tract. 7. resolut. 34. p. 231

Confiteri an teneatur qui ante Communionem dubitat, an commiserit aliquod mortale. tractat. 6. resolut. 32. vers. *Sed hanc* p. 174

Coniux

Coniuges habentes copulam eodem die quo susceperunt sacram Eucharistiam, an peccent venialiter. tract. 6. resolut. 14. vers. *Verum*. p. 162

Coniux, qui propter morbi periculum se retrahit ab actu coniugali iam inchoato, si ex hoc aliquando sequatur pollutio, an peccet. tractat. 6. resolut. 37. p. 177

Coniux an propter notabile dānum salutis corporeæ possit negare debitum perenti, etiam si in illo adsit periculum incontinentiæ. tract. 7. resolut. 64. vers. *Sed mihi* p. 257

Coniugi ebrio an possit negari debitum. tractat. 7. resolut. 64. vers. *Sed hic obiter*. p. 257.

Consecratio.

Consecratio an effectus valida, si quis in Missæ sacrificio parum aquæ rosacæ aut extractæ ex aliis floribus, pro aqua naturalis, vino misceret. tract. 7. resolut. 18. vers. *Quaro tertio*. p. 210

Consecrare an liceat Sacerdoti particulas quæ illi dantur non solum post Offertorium, sed etiam post Præfationem. tractat. 6. resolut. 7. p. 158.

Constitutio.

Constitutio Pap. Gregorij XIV. septem tantum casus excludit ab immunitate Ecclesiarum. tractat. 1. resolut. 13. vers. *Sed hoc*. p. 23

Constitutio Pap. Gregorij XIV. de immunitate Ecclesiarum an derogat iuri communi. tract. 1. resolut. 15. vers. *Sed tu* p. 26. Et an tollat omnes consuetudines. tract. 1. resolut. 29. p. 46

Constitutio PP. Clementis VIII. de ætate 35. annorum necessaria pro Magistro Nouitiorum, an sit extendenda ad Magistrum nouiter Professorum. Vide, *Ætas*.

Crimen

Crimen læsæ Maiestatis committens in personam ipsiusmet Principis an gaudeat immunitate Ecclesiarum. Vide, *Immunitas*.

Consuetudo.

Consuetudo extrahendi fures simplices ab Ecclesia, itaut eius immunitate non gaudeant, an sit licita. tract. 1. resolut. 9. vers. *Sed an, & sequent*. p. 16. & 17

Consuetudo nihil operatur, quando adest præiudicium Ecclesiasticæ libertatis, etiam si Clerici in illam consentiant. tractat. 1. resolut. 9. vers. *Et tandem*. pag. 17.

Consuetudines contra Ecclesiarum immunitatem sunt inualidæ, & reprobata à sacro Concilio Tridentino

dentino, & Constitutione Gregorij XIV. tractat. 1. resolut. 29. vers. *Quinto*. p. 45. & vers. *Et tandem*. p. 46

Consuetudo quænam dicatur rationabilis. tractat. 5. resolut. 1. vers. *Sed mihi*. p. 123

Consuetudo si obstruetur à posteris, an ipsi à culpa excusentur, nec teneantur inuestigare de illius iustitia. tractat. 5. resolut. 1. vers. *Et tandem*. p. 124

Consuetudo ut dicatur legitime præscripta, quod temporis spatium sit necessarium. tract. 5. resolut. 2. vers. *Sed quicquid*. p. 125

Consuetudo ut inducatur, an tempus decem annorum sufficiat non solum inter præsentates: sed etiam inter absentes. tractat. 5. resolut. 3. pag. 125. & 126

Consuetudo decennalis, vel quadragenaria an interrumpatur per vnicum actum. tractat. 5. resolut. 4. p. 126

Consuetudo an possit in conscientia seruari ante tempus determinatum ut sit legitime præscripta. tract. 5. resolut. 5. p. 126

Consuetudo non legitime præscripta an sufficiat ad legem abrogandam ex conuientia Principis. tract. 5. resolut. 6. p. 127

Consuetudo ut introducatur, quot actus requirantur. tract. 5. resolut. 7. p. 127

Consuetudo ut stabilietur an requirantur saltem aliqui actus iudiciales. tract. 5. resolut. 8. vers. *Sed opinio*. p. 129.

Consuetudo ut obliget non debet esse inducta errore facti vel iuris. tract. 5. resolut. 9. p. 129. vbi etiam, quales actus ad stabilendam consuetudinem requirantur. *ibid.* Et an requiratur quod actus, ex quibus consuetudo constat, careant omni malitia. *ibidem*. vers. *Notandum est*.

Consuetudo an debeat introduci animo obligandi ut obliget. tract. 5. resolut. 10. p. 130

Consuetudinem introductam esse animo obligandi, vnde constare possit. tract. 5. resolut. 11. p. 131

Consuetudo, an in dubio, si sit inducta animo obligandi obliget. tract. 5. resolut. 12. p. 131

Consuetudo ut stabilietur, an requiratur expressus, vel saltem tacitus Principis consensus. tract. 5. resolut. 13. p. 131. 132. 133

Consuetudo contra Canones non potest induci absque scientia, & expresse consensu summi Pontificis. *ibid.* vers. *Et ideo*. p. 133

Consuetudo cui Princeps resistit an sit irrita. *ibid.* vers. *Notandum*. pag. 134. Et quid si consentiat coactus, an consuetudo stabilita maneat. *ibid.* Et an si ex desidia annuat & non reprimat transgressores. vers. *Nota etiam*. *ibid.*

Consuetudinem quis possit introducere. tract. 5. resolut. 14. p. 134. Et an possit introduci à minori parte Communitatis, si sint seniores, prudentiores, &c. *ibid.* vers. *Nota tamen*.

Consuetudinem an mulieres possint introducere. tract. 5. resolut. 15. p. 134. & 135

Consuetudo Laicorum an obliget Clericos. tractat. 5. resolut. 16. p. 135

Consuetudo quas obliget personas tractat. 5. resolut. 17. p. 135

Consuetudo an obliget Principem. *ibid.* vers. *Aliqua verò*. p. 136

Consuetudo ciuitatis vel territorij an obliget fortenses. *ibid.*

Consuetudo an possit introduci per non vsum. tract. 5. resolut. 18. vers. *Sed manifestum*. p. 137

Consuetudo an possit abrogare penam legis, manente obligatione legis. tract. 5. resolut. 19. vers. *Sed*

contrariam. p. 137

Consuetudo an possit abrogare legem quoad culpam manente obligatione quoad penam. tractat. 5. resolut. 20. p. 137

Consuetudo an possit abrogare legem prohibentem consuetudinem contrariam. tractat. 5. resolut. 21. p. 138

Consuetudo prior an remaneat abrogata per legem, si in ipsa non efficitur mentio de consuetudine in contrarium. tractat. 5. resolut. 22. p. 139

Consuetudo si improbetur à lege per verba generalia, an non solum de consuetudine præterita, sed etiam de futura intelligatur. tractat. 5. resolut. 23. p. 139

Consuetudo an habeat vim interpretandi legem. tract. 5. resolut. 24. p. 140

Consuetudo an possit lege abrogari. tract. 5. resolut. 25. *ibid.* Et an hoc procedat quoad consuetudinem alicuius loci. *ibid.* vers. *Nota secundò*.

Consuetudo qualis esse debeat ut lex non censeatur illam abrogare ex præcisa positione legis, sed addenda sit clausula derogatoria. tract. 5. resolut. 26. p. 141

Consuetudo legitime præscripta an possit abrogare aliam consuetudinem. tractat. 5. resolut. 27. p. 141. Vbi de tempore ad hoc requisito, præcipue in Ecclesiasticis consuetudinibus. *ibid.* vers. *Sed difficultas*.

Consuetudinem esse si affirmet præcellens Doctor an sufficiat illius testimonium. tract. 5. resolut. 28. p. 142

Consuetudo an in materia præcedentiæ sit attendenda. tract. 5. resolut. 29. p. 143

Consuetudo an valeat, quod minor numerus testium quam septem in testamento sufficiat. tract. 5. resolut. 30. *ibid.* Et an talis consuetudo possit dici contra ius. *ibid.* vers. *Notandum*.

Consuetudo particularis an sit attendenda, vbi adest vniuersalis. tract. 5. resolut. 31. p. 144

Consuetudo an sit extendenda de loco ad locum. *ibid.* vers. *Quoad secundam*.

Consuetudo immemorialis an censeatur derogata per clausulam generalem reuocantem consuetudines. tractat. 5. resolut. 32. vers. *Sed negatiua*. p. 145. Et quid si talis consuetudo est iniqua & irrationalis. *ibid.* vers. *Non desinam*.

D

Damnatus.

Damnatus ad triremes an gaudeat Ecclesiarum immunitate. Vide, *Immunitas*.

Declaratio.

Declaratio sacre Congregationis Concilij excludens ab immunitate Ecclesiarum eos qui committunt homicidium veneno, quomodo sit intelligenda. tract. 1. resolut. 12. vers. *Sed ego*. pag. 22.

Delictum.

Delictum cuiuscunque generis an loco sacro protegi possit. tract. 1. resolut. 7. p. 13

Delinquens.

Delinquens in Ecclesia an immunitate gaudeat. tract. 1. resolut. 7. vers. *Sed contrariam*. p. 13. & resolut. 8. vers. *Sed contrariam*. p. 15

Delinquens in Ecclesia an capi possit à Ministris Ecclesiasticis, etiam extra Ecclesiam. tractat. 1. resolut. 9. vers. *Notandum*. p. 17

Delinquens prope Ecclesiam sub spe ad Ecclesiam confugiendi, an gaudeat eius immunitate. tract. 1. resolut. 10. p. 18

Index Rerum V I. Partis.

Dispensatio.
 Dispensatio in voto castitatis absolutæ an possit fieri à Regularibus, ratione alicuius vtgentis necessitatis. tract. 6. resol. 50. p. 188
 Dispensatio irregularitatis quam nemo scit nisi ipse homicida an possit fieri ab Episcopo. tract. 6. resol. 5. vers. *Quoad secundum.* p. 190
 Dispensatio an sit valida in voto, si bona fide dispensans existimat adesse causam, cum tamen non sit. tract. 7. resol. 23. vers. *Sed ego.* p. 223
 Dispensatio an leuitas in vouendo præter sufficientem causam: etiam si vouens non habeat difficultatem exequendi votum. tract. 7. resol. 24. vers. *Sed affirmatiuam.* p. 224
 Dispensatio an perseueret cessante causa dispensationis tract. 7. resol. 45. p. 239
 Dispensatio voti conditionalis postea confirmati an possit fieri ab Episcopo. tract. 8. resol. 16. p. 280
 Dispensatio vt fieri possit in interstitiis pro Sacerdotio assumendo, quæ causa requiratur. tract. 8. resol. 23. p. 286
 Dispensare an possint Regulares in impedimento asinitatis ad petendum debitum inter coniugatos. tract. 8. resol. 32. p. 294
 Dispensare an possit Vicarius Capituli, Sede vacante, sine speciali mandato, in casibus in quibus Episcopus dispensat. Vide, *Vicarius.*
Dos.
 Dos an debeatur filio spurio. tract. 7. resol. 28. p. 227
Dux.
 Duxes in quibus peccent in exercitu regendo. tract. 4. resol. 27. per totam. p. 115
 Duxes exercitus naualis, quando aliter manus hostium effugere non possunt, an licite ignem adhibeant, vt ipsi & naues absumantur. tract. 7. resol. 48. p. 241
Duellum.
 Duellum an in aliquo casu possit permitti à Principibus absque incurfu censurarum. tract. 6. resol. 20. p. 166
 Duellum an censeatur, si conuentio de pugnando facta sit in rixa, & inter conuentionem & pugnam intercedat tempus, & an incurrat in pœnas latus contra duellantes. tract. 6. resol. 21. p. 167
 Duellum consulens, si reuocet consilium an incurrat excommunicationem. tract. 6. resol. 21. vers. *Notandum.* p. 168
 Duellantes an gaudeant immunitate si occidant aliquem in duello. tract. 1. resol. 26. vers. *Quaro decimo tertio.* p. 39
E
Ebrietas, Ebrius.
 Ebrietatem an liceat suadere Titio ad vitandum maius peccatum. tract. 7. resol. 43. p. 237
 Ebrietas an sit licita ad vitandam mortem ab alio intentatam. tract. 7. resol. 44. p. 238
 Ebrio coniugi an vxor possit negare debitum. tr. 7. resol. 64. vers. *Sed hic obiter.* p. 257
Ecclesia.
 Ecclesia quælibet, an tribuat confugientibus immunitatem. tract. 1. resol. 1. pag. 2. Vbi, quid requiratur vt Ecclesia gaudeat priuilegio immunitatis. vers. *Verum.* Et quid si Ecclesia non est perfecte constructa: imò si eius constructio intermitteretur. ibid. p. 3
 Ecclesia polluta & interdicta an gaudeat priuilegio immunitatis. tract. 1. resol. 1. vers. *Nota secundò.* p. 3
 Ecclesia destructa & diruta an gaudeat immunitate. ibid. vers. *Verum.*

Ecclesiæ Porticus an gaudeat eius immunitate. ibid. vers. *Sed quaro.*
 Ecclesia an immunitate gaudeat non solum quoad ambitum eius internum, sed etiam quoad totam suam fabricam, vel habitationem coniunctam, vt turres cymbalorum, &c. tract. 1. resol. 1. vers. *Sed hic non obstantibus.* p. 3. & 4
 Ecclesiæ, ad effectum pollutionis, solus internus ambitus spectandus est: secus quoad priuilegium immunitatis. ibid. vers. *Nec obstat.* p. 4
 Ecclesia an polluat ex copiosa effusione sanguinis, quæ de naso profluit ex percussione iniuriosa, videlicet, pugno, alapa, &c. tract. 6. resol. 24. vers. *Sed ego.* p. 170
 Ecclesia an polluat ex effusione sanguinis per iniuriam illatam homini iam iam mortuo in Ecclesia ipsa existente. tract. 6. resol. 25. vers. *Sed quia.* p. 170
 Ecclesia an polluat ex qualibet minima sanguinis effusione. ibid. vers. *Notandum est.*
 Ecclesia an polluat ex mortifera contusione hominis in ipsa Ecclesia facta, si mors extra illam eueniat. tract. 6. resol. 26. p. 170. & 171
 Ecclesia an violetur si quis vino consecrando immisceat aliquid veneni, vnde Sacerdos domum reuersus moriatur. ibid. vers. *Vnde.* p. 171
 Ecclesia an non censeatur polluta per quamcunque delicti notitiam, nisi hoc fuerit per sententiam Iudicis declaratum. tract. 6. resol. 27. ibid.
 Ecclesia polluta, si quis in ea celebret, an remaneat consecrata. tract. 6. resol. 28. vers. *Sed nimis.* p. 171. Et an si Sacerdos celebret in Ecclesia polluta, mala fide. ibid. Et si celebret ante reconciliationem, an sit irregularis. ibid. vers. *Notandum.*
 Ecclesia an polluat, si in ea vulneratus, persequens inimicum fugientem, magnam copiam sanguinis fudit extra Ecclesiam. tract. 6. resol. 47. vers. *Sed pro.* p. 185
 Ecclesiæ Romanæ an adhuc competat priuilegium præscriptionis centum annorum. tract. 7. resol. 8. vers. *Sed iste Author.*
Electores.
 Electores ad Maioratum, ad Cathedram, Capellam, &c. Et qui debent eligere pauperes pro diuidenda elemosyna, an possint sine onere restitutionis aliqua munera recipere. tract. 6. resol. 59. vers. *Sed re.* p. 203
Episcopus.
 Episcoporum Palatia an gaudeant Ecclesiæ immunitate. Vide, *Palatium.*
 Episcopi Diocesani an iudicent de delictis familiæ Episcoporum Titularium: & extra Diocesim commorantium: & de reis in eorum domos confugientibus. tract. 1. resol. 5. vers. *Dicendum est.* p. 10
 Episcopus electus & confirmatus; nondum autem consecratus an possit definire in dubio, An reus debeat gaudere immunitate Ecclesiastica, necne. tract. 1. resol. 30. vers. *Quaro secundò.* p. 49
 Episcopus, vt ferat sententiam, si reus debeat, necne, gaudere immunitate Ecclesiasticam, an debeat stare processui facto à Iudice Laico: & an requiratur plena delicti probatio. tract. 1. resol. 31. pag. 51
 Episcopus an possit absoluere violantes Ecclesiasticam immunitatem. tract. 1. resol. 34. vers. *Et tandem.* p. 62
 Episcopi an possint habere familiam armatam. tract. 2. resol. 5. p. 75
 Episcopi an possint esse Iudices in delictis suorum famulorum. tract. 2. resol. 9. p. 79
 Episcopis an liceat esse Duxes supremos in aliquo exercitu

Index Rerum VI. Partis.

exercitu terrestri vel maritimo. tract. 4. resol. 33. p. 119
 Episcopis quænam facultas per decreta sacre Congregationis de celebratione Missarum sublata sit reuocandi Missas ad minorem numerum. tract. 6. resol. 10. p. 160
 Episcopus an teneatur in sua Diocesi curare, vt leges Pontificiæ publicentur & obseruentur. tract. 6. resol. 38. p. 178
 Episcopus an possit dispensare in irregularitate quam nemo scit nisi ipse homicida. tract. 6. resol. 51. vers. *Quoad secundum.* p. 190
 Episcopus an possit dispensare in voto conditionali postea consummato. tract. 8. resol. 16. pag. 280
 Episcopus si omitat aliquam cæremoniam appositam in Pontificali pro benedictione Christifatis, an dicatur hoc non obstante Christifata benedictum. tract. 8. resol. 21. p. 285
 Episcopus vt possit aliquem ordinare ratione beneficij existentis in sua Diocesi, an sufficiat vt beneficium sit simplex. tract. 8. resol. 24. pag. 287
 Episcopi an possint vbi Concilium Tridentinum non est vsu receptum, vt facultate dispensandi eis concessa per dictum Concilium in sess. 24. cap. 6. de Reformatione. tract. 8. resol. 27. p. 289
 Episcopi an possint vltra tertiam vicem concedere subditis Monialibus Confessarium extraordinarium. tract. 8. resol. 28. p. 290
Eques.
 Equitum Hierosolymitanorum quædam conuentio excusatur à labe Simonie. tract. 8. resol. 17. p. 280 & seqq.
Eucharistia.
 Eucharistia iam suscepta; an sit peccatum veniale in eadem die petere debitum causa captandæ voluptatis. tract. 6. resol. 14. vers. *Verum.* p. 162
 Eucharistiæ reliquiæ an possint dari Laicis, qui Communionem acceperunt, post sumptam abluitionem. tract. 6. resol. 23. vers. *Non desinam.* p. 169
 Eucharistia an possit eadem die sumi ab eo qui mane communicauit, si post prandium incidat in articulum mortis. tract. 6. resol. 18. vers. *Dico.* p. 165
 Eucharistiam sumere an sit licitum feria sexta Parasceues. tract. 6. resol. 19. p. 165
 Eucharistia an possit sumi die sequenti ab eo qui comedit vel bibit vsque ad vltimum ictum horologij designantis horam mediæ noctis. tract. 6. resol. 34. p. 176. Et quid si quis comedit, vel bibit post primum pulsus horæ quadrantis. vers. *Non desinam.* ibid.
 Eucharistiam an possit sumere qui cum cubito irret, ori saccharum imposuit, & nescit postea an ante mediam noctem liquefactum fuerit. tract. 7. resol. 15. vers. *Hic tamen.* p. 217
 Eucharistiæ materia an possit esse panis ex aqua rosacea factus. tract. 7. resol. 18. vers. *Quaro secundò.* p. 219
 Eucharistia an possit tempore Paschali sumi à secularibus in Ecclesiis Regularium, vt adimpleant præceptum Ecclesiasticum annuæ Communionis. tract. 7. resol. 58. p. 247. Et an ipso die Paschæ. ibid. vers. *Additum.*
Eunuchus.
 Eunuchus accusans in confessione se fornicatum fuisse, an teneatur explicare circumstantiam impotentie. tract. 6. resol. 35. p. 176

Excommunicatio, Excommunicatus.
 Excommunicatus declaratus an gaudeat immunitate. tract. 1. resol. 26. vers. *Quaro tertio.* p. 37
 Excommunicatio lata per Bullam Gregorij X I V. contra violantes immunitatem Ecclesiasticam, an sit referuata soli summo Pontifici. tract. 1. resol. 34. vers. *Dico.* p. 62
 Excommunicationem Bullæ Cœnæ an incurrat Hæreticus externus per accidens occultissimus. tract. 6. resol. 51. vers. *Sed hanc.* p. 189
 Excommunicationem Bullæ Cœnæ an incurrat legens libros Hæreticorum de Religione tractantes, hæresim tamen non continentes. tract. 6. resol. 55. vers. *Sed hæc.* p. 197
Extrahens.
 Extrahens aliquem ab Ecclesia violenter, & illum extra Ecclesiam occidens vel mutilans, an gaudeat immunitate. tract. 1. resol. 7. vers. *Et tandem.* Et vers. *Hic tamen.* p. 14
Exul.
 Exules, confugientes ad Ecclesiam, an gaudeant eius immunitate; si commiserunt delicta in iure exceptuata. Vide, *Banniti.*
F
Familia.
 Familia Laica Episcopi Titularis an gaudeat priuilegio fori. tract. 1. resol. 5. vers. *Tertio.* p. 9
 Familia Laica Episcoporum extra Diocesim commorantium an gaudeat priuilegio fori. ibid. vers. *Tertio.* p. 10
 Familia Laica Nuntij Apostolici, an gaudeat priuilegio fori. tract. 2. resol. 2. p. 70
 Familia Laica Episcopi an gaudeat priuilegio fori. tract. 2. resol. 2. vers. *Sed protus.* p. 70. & seqq. Et an in delictis extra officium commissis gaudeat eodem priuilegio. tract. 2. resol. 6. p. 76
 Familia Laica Episcoporum Titularium an gaudeat priuilegio fori. tract. 2. resol. 4. p. 72
Famulus.
 Famuli Clericorum an gaudeant priuilegio fori. tract. 2. resol. 3. *Nec obstat.* p. 72
Fautor.
 Fautores Hæreticorum an gaudeant Ecclesiæ immunitate. Vide, *Hæreticus.*
Festum.
 Festis diebus an liceat bellare. tract. 4. resol. 32. vers. *Verum difficultas.* p. 118
 Festis diebus an sit licitum occupare puellas in faciendis Recamaturis. tract. 6. resol. 15. p. 162
Filius.
 Filius occidens patrem an gaudeat immunitate. tract. 1. resol. 26. vers. *Quaro primo.* p. 36
 Filius succedens patri per intermediam personam, hæreditans tantum maioratus, vel bona vinculata, an teneatur soluere debita parentum post eorum obitum. tract. 7. resol. 20. vers. *Verum.* p. 221
 Filius an peccet mortaliter si non ducat dignam quæ pater vult, sed aliam ducat æquè dignam. tract. 7. resol. 21. p. 222
 Filiis spuris an debeantur dos & alimenta. tract. 7. resol. 28. p. 227
 Filiis an debeatur legitima statim post professionem Patris. tract. 7. resol. 55. p. 245. & 246
 Filios castrare an liceat parentibus ad conseruandam vocem. tract. 8. resol. 36. vers. *Sed hic.* p. 297
Fraudans.
 Fraudans regia Tributa an gaudeat immunitate Ecclesiæ. Vide, *Immunitas.*
 G g 4 Frigidus.

Index Rerum VI. Partis.

Frigidus.
Frigidus accusans in confessione se fornicatum fuisse, an teneatur explicare circumstantiam impotentiae. Vide, *Eunuchus*.

Fugiens.
Fugiens è carceribus ad Ecclesiam, an per iudices Laicos possit abstrahi ab Ecclesia. Vide, *Iudex*.

Fugiens ad Ecclesiam gestando secum arma, an gaudeat immunitate Ecclesiae. tract. 1. resol. 8. pag. 15

Fugiens ad Ecclesiam an possit per Iudices Laicos armis prohibitis spoliari. ibid. vers. *Neque*. Et an bonis futatis. ibid. p. 16

Fur.
Fures an debeant immunitate Ecclesiarum gaudere. tractat. 1. resol. 9. p. 16. Et quid, si furtum commissum fuerit in Ecclesia. ibid. vers. *Sed affirmatiuam*. Et an si cum furto ad Ecclesiam confugiunt, & intra Ecclesiam illud contrectauerint. vers. *Verum pro*. p. 17

Furantes in Ecclesia Pixidem sanctissimi Eucharistiae Sacramenti, an gaudeant eius immunitate. tract. 1. resol. 9. vers. *Sed non*. p. 16

Fures simplices an possint licite, saltem ex consuetudine extrahi ab Ecclesia; itaut eius immunitate non gaudeant. tract. 1. resol. 9. vers. *Sed an, & sequens*. p. 16. & 17.

Furantes in Ecclesia an capi possint à Ministris Ecclesiasticis, etiam extra Ecclesiam. Vide, *Delinquens*.

G

Gabella.
GABELLAM an teneatur soluere Clericus conducent agros alienos. tract. 7. resol. 11. p. 214.
Gabella an sit soluenda ab vxoribus Equitum D. Iacobi Alcantarae, Calatrae, &c. tract. 8. resol. 6. vers. *Sed quid*. p. 274

Gabellas an teneantur Nouitij in Religione Clericorum Regularium soluere tempore hospitij. tract. 8. resol. 7. vers. *Sed difficultas*. p. 275

Generalis.
Generalibus Ordinum quantum facultas sublata sit reducendi Missas ad minorem numerum. tract. 6. resol. 10. p. 160

Generalis Religionis an possit praecipere subdito vt Episcopatum acceptet. tract. 8. resol. 33. p. 295

Generalis Minimorum an possit dispensare subditos in voto vitae Quadragesimalis; & idem quaeritur de votis specialibus aliarum Religionum. tract. 8. resol. 34. p. 296

Generales Religionum an possint auocare ad se causas pendentes coram inferioribus Praelatis. tract. 8. resol. 35. p. 297

Grangia.
Grangiae Religiosorum an gaudeant immunitate. Vide, *Monasteria*.

H

Hæresis.
Hæresis an sit iusta causa inferendi bellum. tract. 4. resol. 19. vers. *Sed magis*. p. 110

Hæresis occulta subditi Regularis an possit absolui ab illius Praelato Regulari. Vide, *Abolutio*.

Hæresis suspicionem inducens, ex reiteratione Baptistini propter eleemosynam acquirendam, an debeat abiturare. tractat. 8. resol. 9. vers. *Sed hac*. p. 276

Hæreticus.

Hæreticus secluso crimine hæresis, an gaudeat immunitate Ecclesiae quoad alia delicta. tractat. 1. resol. 24. vers. *Sed*. p. 33

Hæreticus externus per accidens occultissimus an incidat in excommunicationem Bullae Cœnæ. tract. 6. resol. 5. vers. *Sed hanc*. p. 189

Hæreticum semel condemnatum, sed emendatum an coniux teneatur recipere & secum cohabitare. Vide, *Vxor*.

Homicidium.

Homicidium in Ecclesia commissum an gaudeat immunitate. tractat. 1. resol. 7. vers. *Sed contrariam*. p. 13

Homicidium proditorium quando dicatur. tractat. 1. resol. 12. vers. *Ad auctoritatem & seq.* p. 22. & 23

Homicidium esse illicitum, an inculpate possit ignorari. Vide, *Ignorantia*.

Horæ canonica.

Horæ vnus canonicæ & quidem integræ, sed parua omisso an sit pars notabilis ad constituendum peccatum mortale. tractat. 6. resol. 6. pag. 158

Horas canonicas qui priuatim recitat; an satisfaciatur vocem formans labia mouendo, etiam si seipso audiri non possit. tractat. 7. resol. 10. vers. *Sed ego*. p. 214

Horas canonicas recitando, si quis videt mulierem & concupiscit eam, an teneatur non solum illam prauam concupiscentiam confiteri: sed etiam dicere, quod tale peccatum admisit psallendo vel orando. tract. 7. resol. 36. p. 232. & 233

Horas canonicas si recitauit Religiosus manè ante Professionem, vel Clericus antequam susciperet subdiaconatum, an teneatur illas iterum recitare. tractat. 7. resol. 38. p. 234

Horas canonicas an teneantur Religiosi nondum in sacris constituti, quando à Choro absunt priuatim recitare. tract. 8. resol. 12. p. 278. Et an Moniales. ibid.

Horas canonicas an teneantur Regulares in Choro recitare, quando sunt quatuor in Conuentu. tract. 8. resol. 12. vers. *Notandum*. p. 279

Horæ canonicæ an possint ex aliqua iusta causa persolui in sacristia, & sic satisfiat obligationi psallendi in Choro. tractat. 8. resol. 13. p. 279

Hospitalia.

Hospitalia an gaudeant immunitate. tractat. 1. resol. 6. vers. *Sed transeamus*. p. 11. Et an, etiam si ibi sacrificium Missæ non celebretur. ibid. p. 12. Et quid si in Hospitali non sit campanile, altare, neque Ecclesia. ibid. vers. *Dicendum*.

Ieiunium.

Ieiunium Eucharisticum an excludat omnem paruitatem materiae, & supponat in quantumuis parua quantitate, semper peccatum mortale. tractat. 8. resol. 8. p. 275

Ignorantia.

Ignorantia inuincibilis an possit dari quod in aliquo casu homicidium sit licitum. tractat. 7. resol. 47. p. 240. & 241

Immunitas.

Immunitate Ecclesiarum an gaudeant Oratoria. tractat. 1. resol. 1. vers. *Sed non est verum*. p. 2

Immunitate an gaudeat Porticus Ecclesiae. tractat. 1. resol. 1. vers. *Sed quæro*. p. 3

Immunitatis priuilegium an etiam extendatur ad scabellas ipsius Ecclesiae, ad turres cymbalorum, claustrum, hortos & similia. ibid. vers. *Sed hic non obstant*. p. 3. & 4.

Immuni

Index Rerum VI. Partis.

Immunitate Ecclesiarum an gaudeant Domus Clericorum in communi videntium: Domus seminarij: Domus puellarum, vel orphanorum auctoritate Episcopi fundatae. ibid. vers. *Et tandem*. p. 4

Immunitate an gaudeant fines Ecclesiae per aliquem circuitum. tractat. 1. resol. 2. p. 4. Et an sit verum saltem ratione consuetudinis Ecclesias amplius non gaudere triginta passuum immunitate. vers. *Sed videamus*. Vbi tria valde notabilia circa hanc materiam. vers. *Primum*. Quod. p. 5. Et quid de domibus Clericorum iunctis Ecclesiae, vel intra triginta, vel quadraginta passus constructis. Et de domo ipsius Ecclesiae coniuncta, vel existente intra dictos passus. vers. *Relictam*. p. 5

Immunitate an gaudeat domus Ecclesiae intra eius confines existens, concessa tamen Laicis ad Emphyteusim. tractat. 1. resol. 2. vers. *Sed ex his*. pag. 5.

Immunitate Ecclesiae an gaudeat qui adhæret ostio clauso Ecclesiae. tractat. 1. resol. 3. pag. 6. Et an tangens parietes Ecclesiae. vers. *Ad argumentum*. pag. 7. Et quid si confugiat supra tectum. vers. *Quod autem*. ibid.

Immunitate Ecclesiae an gaudeant Palatia Episcoporum. Vide, *Palatium*.

Immunitate an gaudeat Palatium Episcopi Titularis. tract. 1. resol. 5. p. 9

Immunitate Ecclesiarum an gaudeant Cœmeteria, Hospitalia, & Monasteria. tractat. 1. resol. 6. p. 11

Immunitate Ecclesiarum quantum personarum conditio gaudeat, & quodnam delicti genus loco sacro protegi, aut non protegi possit. tract. 1. resol. 7. pag. 13.

Immunitate an gaudeat occidens aliquem in Ecclesia vel Cœmeterio in rixa orta per accidens. tractat. 1. resol. 7. vers. *Sed quid*. p. 13

Immunitate an gaudeat qui confugit ad Ecclesiam armatus. tract. 1. resol. 8. pag. 15

Immunitate an gaudeat qui deliquit prope Ecclesiam sub spe ad Ecclesiam confugiendi. tract. 1. resol. 10. pag. 18.

Immunitas Ecclesiae occasionem non præbet perditis hominibus liberitatis viuendi, neque inde sit Ecclesia spelunca latronum. ibid. vers. *Nec valet*.

Immunitate an gaudeat qui proditoriè conatur aliquem occidere, si mors non sequatur. tract. 1. resol. 12. vers. *Sed*. p. 21

Immunitate Ecclesiarum an gaudeat Assassinus; etiam homicidio non sequuto. Vide, *Assassinus*.

Immunitate Ecclesiarum an gaudeat, qui aliquem per insidias deducit, vt ab alio occidatur. tractat. 1. resol. 12. vers. *Notandum est tamen*. p. 23

Immunitate an gaudeat occidens inimicum à tergo cum sclopo. Vide, *Occidens*.

Immunitate Ecclesiarum an gaudeat occidens aliquem appensatè & animo præmeditato. tract. 1. resol. 13. vers. *Sed hoc, & seqq.*

Immunitate Ecclesiae an gaudeant Raptores Virginum. Vide, *Raptores*.

Immunitate Ecclesiarum an gaudeat Monialium deflorans. Vide, *Monialis*.

Immunitate Ecclesiarum an gaudeant publici latrones, & grassatores viarum. tract. 1. resol. 15. p. 25

Immunitate Ecclesiarum an gaudeat diurnus agrorum depopulator. tractat. 1. resol. 15. vers. *Verum*. pag. 26.

Immunitate Ecclesiarum an gaudeant captiuantes personas, & eas componentes. vers. *Sed hic obiter*. ibid.

Immunitate Ecclesiarum an gaudeant incendiarij.

tractat. 1. resol. 16. vers. *Sed hæc*. p. 27

Immunitate Ecclesiarum an gaudeant comburentes fores Ecclesiae ad eam prædandam. vers. *Vnde*. ibid.

Immunitate Ecclesiarum an gaudeant decōctores. tract. 1. resol. 17. vers. *Sed ego*. p. 27

Immunitate Ecclesiarum an gaudeat Reus criminis læsæ Maiestatis in personam Principis. tract. 1. resol. 18. vers. *Verum*. p. 28

Immunitate Ecclesiarum an gaudeat offendens Statuas Principum. Et quid is, qui se Regem facit, cum non sit. Quid, offendens habentem saluum conductum. Quid, rebellionem committens contra suum Principem, contra statum, seu Prouinciam. Quid, occidens vxorem, filios, & fratres Principis: item suos Proreges, Consiliarios, Oratores, &c. vers. *Sed*. Et an sciens & non reuelans crimen læsæ Maiestatis in ipsam personam Principis gaudeat immunitate. tract. 1. resol. 18. vers. *Notandum est hic*. p. 28

Immunitate Ecclesiarum an gaudeant Monetarij. Vide, *Monetary*.

Immunitate Ecclesiarum an gaudeant fraudantes Regia Tributa. tract. 1. resol. 20. vers. *Verum*. p. 29

Immunitate Ecclesiarum an gaudeat obligatus ad reddenda ratiocinia ratione alicuius administrationis. ibid. vers. *Vnde*. p. 30

Immunitate Ecclesiarum an gaudeant exules, seu Banniti confugiens ad Ecclesiam. Vide, *Banniti*.

Immunitate Ecclesiae an gaudeat damnatus ad tritremes. tract. 1. resol. 22. vers. *Sed*. p. 31

Immunitate an gaudeant Iudæi, & alij infideles, si ad Ecclesiam confugiant. Vide, *Iudæi*.

Immunitate Ecclesiae an gaudeat hæreticus quoad alia delicta. tract. 1. resol. 24. vers. *Sed*. p. 33

Immunitas Ecclesiarum an neganda sit aliquibus Reis, etiam si non commiserint delicta in iure exceptuata. tract. 1. resol. 25. vers. *Sed contrarium*. p. 34

Immunitate Ecclesiarum an gaudeat filius occidens patrem. tractat. 1. resol. 26. vers. *Quæro primo*. p. 36.

Immunitate an gaudeat suspensus vel interdictus ab ingressu Ecclesiae. ibid. vers. *Quæro secundo*. p. 36

Immunitate Ecclesiarum an gaudeat excommunicatus declaratus. ibidem. vers. *Quæro tertio*. p. 37

Immunitatis priuilegio an gaudeat Sodomita. ibid. vers. *Quæro quarto*. p. 37

Immunitate an gaudeat Reus effracto carcere confugiens ad Ecclesiam. ibidem. vers. *Quæro quinto*. p. 37

Immunitate Ecclesiarum an gaudeat sacrilegus & periurus. ibid. vers. *Quæro sexto*. p. 37

Immunitate Ecclesiae an gaudeat adulter. ibid. vers. *Quæro septimo*. p. 38

Immunitate Ecclesiarum an gaudeat blasphemia non hæreticalis: ibidem. vers. *Quæro octauo*. p. 38

Immunitate an gaudeat Simoniacus pro delicto Simoniaci confugiens ad Ecclesiam. ibid. *Quæro nono*. p. 38

Immunitate Ecclesiarum an gaudeat Apostata à Religione. ibid. vers. *Quæro decimo*. p. 38

Immunitate an gaudeat falsus Testis, qui causa fuit vt quis morti traditus sit. ibid. vers. *Quæro undecimo*. p. 38. & 39

Immunitate an gaudeat occidens, vel vulnerans aliquem actu & re ipsa confitentem Sacerdoti. ibid. vers. *Quæro duodecimo*. p. 39

Immuni

Index Rerum V I. Partis.

Immunitate Ecclesie an gaudeat occidens aliquem in duello. *ibid.* *vers. Quæro decimo tertio.* p. 39

Immunitate Ecclesie priuatus ob aliquod delictum, an possit ab Ecclesia extrahi propter alia etiam delicta quæ gaudent immunitate. *ibid.* *vers. Quæro decimo quarto.* p. 39

Immunitas Ecclesiarum an primario habuerit originem ab Imperatoribus. tractat. 1. resol. 34. *vers. Sed.* pag. 61. An verò sit de iure diuino, aut originem duxerit à summis Pontificibus. *ibid.* *vers. Verum.*

Immunitate Ecclesie an gaudeat occidens aliquem veneno. Vide, *Occidens.*

Immunitate Ecclesiarum an gaudeat Reus ab aliis violenter extractus è manibus satellitum. tractat. 8. resol. 5. *vers. Sed prorsus.* p. 272

Immunitatem Ecclesiasticam an violet Pragmatica super chartam. Vide, *Pragmatica.*

Incendiarium.

Incendiarij an gaudeant Ecclesie immunitate. tractat. 1. resol. 16. *vers. Sed hac.* p. 27. Et an comburentes fores Ecclesie ad eam prædandam, etiam gaudeant eius immunitate. *vers. Vnde.* *ibid.*

Indulgentia.

Indulgentiæ concessæ alicui diei festo an transferantur si dies festus transferatur. tractat. 7. resol. 31. p. 229.

Indulgentia alicui templo concessa an perseueret si templum aliò transferatur. tractat. 7. resol. 32. p. 230

Indulgentia cui ex duobus granis censetur affixa, si altero iam subrogato, primum granum quod fuerat amissum reperiatur. tractat. 7. resol. 33. p. 230. Vbi an illa electio grani possit fieri per actum merè internum. *ibid.* *vers. Petes.*

Indulgentiæ concessæ ad septennium diuersis Confraternitatibus in eadem Ecclesia, an vna excludat aliam, propter clausulam in fine Breuis appositam: *Volumus autem quòd si alius Christi fidelibus dictam Ecclesiam visitantibus, &c.* tractat. 8. resol. 31. *vers. Ad primum.* p. 294

Indulgentiæ an translata die festiuitatis etiam transferantur. *ibid.* *vers. Ad secundum.*

Infidelis.

Infideles si nolint excipere Prædicatores fidei, an iuste bellum illis indici possit. Vide, *Bellum.* Vbi etiam enumerantur septem casus, in quibus licitum est inferre bellum infidelibus. p. 57

Infidelium filij an possint recipi in Religione & ad prælaturas admitti. tractat. 7. resol. 1. p. 206

Iniurians.

Iniurianti an liceat respondere. *Mentiris.* tractat. 6. resol. 16. *vers. Sed hic.* p. 163

Innocens.

Innocentes an liceat in bello occidere. tractat. 4. resol. 11. Vbi nomine Innocentium veniunt infantes, mulieres, Monachi, Presbyteri, &c. p. 101

Innocentium bona an possint in bello diripi & deuariari. tractat. 4. resol. 12. pag. 102. Et an huiusmodi bona ipsi postea sint restituenda. *ibid.* *vers. Sed difficultas.*

Innocentes an possint in seruitutem redigi. tractat. 4. resol. 13. p. 103

Interdictus.

Interdictus ab ingressu Ecclesie an gaudeat eius immunitate. Vide, *Suspensus.*

Irregularitas.

Irregularitas ex homicidio occulto an sit ab Episcopo dispensabilis. tractat. 6. resol. 51. *vers. Quoad secundum.* p. 190

Irregularitatem an incurrat qui omisâ primâ Tonfurâ ordinatur. tractat. 8. resol. 29. *vers. Sed hic.* p. 291

Iudæi.

Iudæi & alij infideles, si confugiant ad Ecclesiam an gaudeant eius immunitate. tractat. 1. resol. 23. *vers. Sed.* p. 32. Et quid, si persistant in Iudaismo. *ibid.*

Iudæorum templum an fuerit immunitatis priuilegio insignitum. tractat. 1. resol. 55. *vers. Et hac.* p. 66

Iudex.

Iudex Laicus an possit Reum in Ecclesia expoliare armis prohibitis. Vide, *Armatas.*

Iudex Laicus an possit furem in Ecclesia expoliare bonis furatis. tractat. 1. resol. 9. *vers. Sed non.* p. 16

Iudex Laicus an ab Ecclesia possit extrahere reos confugientes è carceribus ad Ecclesiam. tractat. 1. resol. 22. *vers. Vnde.* p. 31. & 32.

Iudices Laici an possint sine licentia Episcopi extrahere reos, qui commiserunt crimina exceptuata, quæ non gaudent immunitate. tractat. 1. resol. 28. *vers. Sed hac.* p. 44

Iudices Laici an saltem ratione consuetudinis possint extrahere reos ab Ecclesia in delictis exceptuatis, & excusationem habere ne obseruent Bullam Gregorij X I V. de immunitate Ecclesiarum. tractat. 1. resol. 29. *vers. Sed.* p. 45

Iudex Laicus, in dubio an reus gaudeat immunitate, an possit definire controuersiam. tractat. 1. resol. 30. *vers. Sed miror.* p. 49

Iudex Ecclesiasticus quando est dubium; an delictum gaudeat immunitate necne; an possit contra reum iudicare, vt priuatur immunitate. tractat. 1. resol. 30. *vers. Et tandem.* p. 50

Iudex Ecclesiasticus, vt ferat sententiam, si reus debeat, necne, gaudere immunitate Ecclesiarum, an debeat stare processui facto à Iudice Laico. tractat. 1. resol. 31. per totam. Vbi referunt duo Consilia. p. 51. & seqq. Et an requiratur plena delicti probatio. *vers. Et propterea.* p. 55

Iudex Laicus an dum causa agitur, An Reus gaudeat immunitate, possit illum ab Ecclesia extrahere; & in suis carceribus detinere. tractat. 1. resol. 32. *vers. Sed.* p. 56

Iudicibus Laicis an liceat in casibus exceptis reponere reos in carceribus secularibus nomine Episcopi, vt ibi tutius custodiantur. *ibid.* *vers. Sed hic insurgit.* p. 57

Iudex Laicus an ex mandato Prælati possit delinquentem extrahere ab Ecclesia, & punire. *ibid.* *vers. Quæro secundo.* p. 57

Iudex Laicus extrahens reum ab Ecclesia, an teneatur ad restitutionem damnorum, quæ inde passus est. *ibid.* *vers. Quæro tertio.* p. 58

Iudex Laicus an teneatur restituere reum extractum ab Ecclesia, etiam si post extractionem commiserit delictum pertinens ad forum sæculare. *ibid.* *vers. Quæro quarto.*

Iudex secularis an possit ad mortem, vel ad pœnam corporalem damnare reum dum existit in Ecclesia. tractat. 1. resol. 33. *vers. Sed iste.* p. 59

Iudex Ecclesiasticus an possit imponere pœnas reis ad Ecclesiam confugientibus. *ibid.* *vers. Sed hic.* p. 60

Iudex Ecclesiasticus qua pœna debeat reos gaudentes Ecclesiarum immunitate punire. *ibidem.* *vers. Resat.* p. 178

Iudex Laicus iubens interfici reum in Ecclesia an incurrat

Index Rerum VI. Partis.

incurrat in excommunicationem constitutionis Gregorij XIV. tam ipse quàm eius ministri. tractat. 1. resol. 35. *vers. His tamen.* p. 63

Iudex Ecclesiasticus an possit punire offendentes Cursores vel alijum Ministrum Episcopi non in executione officij sui, sed ex odio vel inimicitia priuata; an verò cognitio talis delicti spectet ad Iudicem sæcularem. tractat. 8. resol. 3. p. 265

Iuramentum, Iurans.

Iuramentum de non procurando seu acceptando Episcopatum, vel non esse Senatorem, Iudicem, &c. an sit validum. Vide, *Votum.*

Iuramentum factum alicui Ecclesie, vel pauperi, an possit eorum acceptationem possit auctoritate Episcopi, vel propria in melius commutari. tractat. 6. resol. 61. p. 204

Iurans falsum ex consuetudine, & admonitus sæpe in aliis Confessionibus, an sit statim absolendus. tractat. 6. resol. 30. p. 172. Et an teneatur acceptare aliquam pœnam si fortè postea iurer. *ibid.* *vers. Quoad secundum.*

L

Lairo.

Latrones publici, & grassatores viarum an gaudeant immunitate. tractat. 1. resol. 15. p. 25. Vbi, an qui semel, vel bis in via publica, & cum violentia prædatur, priuatur immunitate. *ibid.* Et quid si sæpius tentauerit delicta, sed illa non perfecerit. *ibid.* *vers. Sed.* p. 25. & 26. Vbi etiam, quis dicatur latro publicus. *vers. Notandum.* p. 26

Legatus.

Legati eorumque famuli atrociora scelera perpetrantes, an possint sine violatione iuris gentium à Principibus condigna ultione puniri. tractat. 8. resol. 2. p. 262. & seqq. Et quid de Nunciis & Legatis summi Pontificis. *ibid.* *vers. Verum.* p. 265

Lex.

Lex prohibens alienationem bonorum stabilium in Ecclesias an sit contra libertatem Ecclesiasticam. tractat. 3. resol. 2. p. 82

Lex amortizationis an licite possit à Principibus imponi Clericis, & Ecclesiis tractat. 3. resol. 10. *vers. Ad exemplum.* p. 93

Lex prohibens alienationem bonorum stabilium in Ecclesias an vigeat in Regno Portugallie. tractat. 3. resol. 11. p. 94

Lex pœnalis an possit per consuetudinem quoad pœnam derogari, & manere quod obligationem ad culpam. tractat. 5. resol. 19. *vers. Sed contrarium.* p. 137

Lex quoad culpam an possit per consuetudinem abrogari, manente obligatione quoad pœnam. tractat. 5. resol. 20. p. 137

Lex prohibens consuetudinem contrariam, an consuetudine possit abrogari. tractat. 5. resol. 21. p. 138

Lex, si in ipsa non efficitur mentio de consuetudine in contrarium, an abroget priorem consuetudinem. tractat. 5. resol. 22. p. 139

Lex, si improbat consuetudinem per verba generalia, an non solum de consuetudine præterita, sed etiam de futura intelligatur. tractat. 5. resol. 23. *ibid.*

Lex specialis alicuius ciuitatis, an derogat consuetudini totius Prouinciæ. tractat. 5. resol. 25. *vers. Nota tertio.* p. 140

Lex Pontificia, quæ Romæ est promulgata, an Episcopi teneantur curare vt in suis Diocessibus publicetur, & obseruetur. tractat. 6. resol. 38. p. 178

Leges Pontificie an obligent etiam non publicen-

tur in singulis Diocessibus. tractat. 6. resol. 39. p. 179. Et an, si aliquis sciat Romæ aliquam legem promulgatam teneatur illam seruare. *ibid.*

Lex an possit abrogari per consuetudinem non legitime præscriptam ex conuentione Principis. Vide *Consuetudo.*

Libertas.

Libertas Ecclesiastica an lædatur per Pragmaticam chartæ signatæ, si ipsa comprehendat Clericos. tractat. 8. resol. 1. *vers. Sed hic.* p. 259

Libri.

Libros prohibitos an possit legere qui securus est quòd nocumentum non accipiet ex eorum lectione. tractat. 6. resol. 49. p. 187

Libri Hæreticorum de Religione tractantes, si nullam hæresim contineant, an sint prohibiti. tractat. 6. resol. 55. *vers. Sed hac.* p. 197

Libri hæretici quanta pars debeat legi vt incurratur in censuram Bullæ Cænz. *ibid.* *vers. Notandum.* p. 198. Et an si contineat vnum tantum, & que alterum errorem, si ille debeat, an liber possit legi sine incurfione excommunicationis. *ibid.* *vers. Caendum.* Et quid si sint diuersi tomi, & vnus tantum hæresim contineat. *vers. Si tamen.*

Licentia.

Licentia excipiendi Confessiones præsertim Regularibus concessa ad beneplacitum, an expiret mortuo Episcopo. tractat. 6. resol. 48. *vers. Verum.* p. 186

Licentia præsumpta an liberet Regulares à vitio proprietatis: etiam si Superior adiri facile possit, vel res differri. tractat. 6. resol. 58. p. 201. & 202

M

Mandans, Mandatarius.

Mandans aliquem occidere in Ecclesia, morte sequitur an gaudeat immunitate. tractat. 1. resol. 7. *vers. Vnum.* Et *vers. Sed mihi.* pag. 14. Et quid si existens in Ecclesia mandet occidere aliquem extra Ecclesiam. *ibid.* *vers. Sed quid.* Et *vers. Verum.* pag. 15.

Mandatarius qui accepta pecuniâ alium vulnerauit, sed mortem non intulit, an gaudeat immunitate Ecclesie. tractat. 1. resol. 11. *vers. Verum.* p. 19

Maritus.

Maritus immitens pudenda in os coniugis, an peccet mortaliter. tractat. 7. resol. 7. *vers. Quærendum.* p. 211

Maritus an post sententiam qua vxor hæretica declarata fuit, possit ordinibus sacris manens in sæculo initiari. tractat. 7. resol. 25. p. 225

Matrimonium.

Matrimonium an sit validum, si habitantes in ea Parochia, vbi Concilium Tridentinum de clandestinis matrimoniis publicatum est, & seruatur, transeant v.g. in Galliam non animo ibi habitandi, sed cum voluntate ibi contrahendi, ac mox ad locum habitationis redeundi. tractat. 7. resol. 29. *vers. Sed affirmatiuam.* p. 228

Matrimonium an validè contrahant commorantes in terris infidelium, non seruata forma Concilij Tridentini. tractat. 7. resol. 30. p. 229

Matrimonio rato & non consummato an oriatur impedimentum affinitatis. tractat. 8. resol. 25. p. 287

Matrimonij impedimenta per Concilium Tridentinum sublata, an censentur etiam sublata in Prouinciis vbi illud non est publicatum. tractat. 8. resol. 26. p. 288. & 289.

Mediator

Index Rerum VI. Partis

Mediator.
Mediator assassini an gaudeat immunitate Ecclesiarum. Vide, *Assassinus.*

Mercator.
Mercator, qui decoxit fraudulenter, an gaudeat immunitate Ecclesiarum. tractat. 1. resol. 17. vers. *Sed ego* p. 27. Et an ad Ecclesiam cum bonis confugiens debeat ibi tolerari. ibid. vers. *Notandum est tamen.* p. 28.

Miles.
Militum transitus per alienas terras, an aliquando possit denegari. Vide, *Transitus.*

Milites an teneantur examinare iustitiam belli. tract. 4. resol. 9. p. 101

Milites, an possint retinere bona, quæ ab hostibus eripiuntur, si sint furto sublata. tract. 4. resol. 23. vers. *Sed difficultas.* p. 111

Milites an teneantur cum vitæ periculo non deserere arces & stationem. tract. 4. resol. 25. p. 113. Et an possint relinquere castra. vers. *Quoad secundum.* ibid.

Milites in quo peccent erga eos, apud quos commorantur. tract. 4. resol. 26. p. 113

Milites an teneantur hosti restituere spolia, quæ contra Capitanei generalis legem auerunt. ibid. vers. *Non desinam.* p. 114

Milites an sub mortali obligentur obtemperare Duci militiæ, præcipienti ut in acie & pugna consistant, & non facile fugiant, &c. vers. *Et tandem.* ibid.

Milites gregarij iniuste inuadentes & deprædantes aliquam urbem, an teneantur restituere in integrum. tract. 4. resol. 31. per totam p. 117. Et quid si ignoranter pugnant in causa belli iniusti. ibi vers. *Sed hic.* p. 118

Militibus super naues Indicas, quæ vulgò dicuntur *la Flotta*, quando aliter manus hostium effugere non possunt, an sit licitum ignem adhibere ut ipsi & naues absumantur. tract. 7. resol. 48. p. 241

Militia.
Militia an sit interdicta Clericis. Vide, *Clerici.*

Ministri.
Ministri Curiaë secularis an possint auferre arma prohibita reo in Ecclesia. tract. 1. resol. 8. vers. *Negue.* p. 15. Et an possint per vim auferre res furtivas è manibus furum existentium in Ecclesia. ibid. pag. 16.

Ministri Ecclesiastici an possint capere reum furantem in Ecclesia. tractat. 1. resol. 9. vers. *Notandum.* p. 17.

Ministri Curiaë secularis, qui violententer extrahunt reum ab Ecclesia, si postea ex aliquo delicto ad eam confugiant, an priuentur eius immunitate. tract. 1. resol. 32. vers. *Sed hic obiter.* p. 57

Ministri Laici Curiaë Episcopalis an gaudeant priuilegio fori in delictis extra officium commissis. tract. 2. resol. 6. p. 76

Ministri Iudicis Laici occidit res reum in Ecclesia an incutrant in excommunicationem Gregorij XIV. Vide, *Iudex.*

Missæ.
Missæ duplicatum stipendium an possit accipi à Sacerdote applicando vni fractum Missæ medium, & alteri fractum Missæ sibi proprium. tractat. 6. resol. 8. vers. *Sed ego.* p. 159

Missæ vnus diuersos fructus an Sacerdos possit applicare diuersis personis; & ab illis duplicata, stipendia accipere. Vide, *Sacerdos.*

Missæ plures an possint reuocari ab Episcopis & Generalibus Ordinum ad minorem numerum: &

quæ facultas illis sublata sit per Decreta Sacraë Congregationis de celebratione Missarum. tract. 6. resol. 10. p. 160

Missarum legata perpetua an possint Regulares ex vi priuilegiorum ad certam rationem reducere. tractat. 6. resol. 11. p. 160. Et an per decreta Sacraë Congregationis fuerint reuocata priuilegia Regularium circa legata Missarum. ibid.

Missam celebrare an passim Sacerdotibus sit licitum feria quinta in Cæna Domini, tract. 6. resol. 19. vers. *Non desinam.* p. 166

Missam celebrans an peccaret si aquam rosaceam aut artificiosam vino misceret. Vide, *Consecratio.*

Missam celebrare an possit Sacerdos, & consecrare particulam paruam, si non inueniatur hostia magna. Vide, *Sacerdos.*

Missam an possit quis sine peccato mortali celebrare per tertium, retinendo sibi partem stipendij. tract. 8. resol. 10. p. 277

Missæ duæ an debeant celebrari in Ecclesijs Regularium occurrente festo cum feria in Quadragesima. tract. 8. resol. 11. p. 278

Missam an possint Regulares in grangijs seu cellis particularibus celebrare cum Altari portatili contradicente Episcopo. tractat. 8. resol. 39. p. 299.

Missæ an possit celebrari ante auroram, & post meridiem à Capellanis Cardinalium in eorum Capellis. tract. 8. resol. 40. vers. *Hic præmissis.* p. 301

Missæ plures an possint celebrari in Capellis Cardinalium à diuersis Capellanis. ibid. vers. *Ad secundam.* p. 303

Monasterium.
Monasteria an gaudeant immunitate. tract. 1. resol. 6. vers. *Et tandem.* p. 12. Et quid de Grangijs Religiosorum. ibid.

Monetarius.
Monetarij falsam monetam euentes an gaudeant immunitate Ecclesiarum. tractat. 1. resol. 19. vers. *Videtur.* pag. 29. Et quid de Tôtoribus monetarum. vers. *Et idem.* Et quid non sint proprie perduellionis Rei, neque publici latrones. vers. *Vnde.* ibid.

Monialis.
Monialem deflorans an gaudeat priuilegio immunitatis. tract. 1. resol. 14. vers. *Notandum.* p. 25

Moniales quando à choro absunt, an teneantur priuarim officium recitare. tractatus 8. resol. 12. p. 278.

Monialibus subditis an possint Episcopi vltra tertiam vicem concedere Confessarium extraordinarium. Vide, *Confessarius.*

Monopolium.
Monopolia an licite possint fieri vel concedi à Regibus circa aliquas merces. tractat. 8. resol. 1. vers. *Ad tertium.* p. 262

Mulier.
Mulieres an possint introducere consuetudinem. tract. 5. resol. 15 p. 134

Mulier an peccet reddendo debitum viro, qui saturandæ libidinis causa coitum incipit; sed postea ne sequatur generatio subtrahit se, & effundit semen extra vas. tractat. 7. resol. 7. p. 210. 211.

Munus.
Munera si dentur electoribus, an possint sine onere restitutionis illa recipere. Vide, *Elector.*

Mutilatio.
Mutilatio membri: si fiat in Ecclesia, an gaudeat immunitate. tractat. 1. resol. 7. vers. *Sed contrariam.* p. 13.

Nonisima

Index Rerum VI. Partis.

N

Nonisima.

Nouitij in Religione Clericorum Regularium, an gaudeant intra tempus hospitij priuilegio Canonis. tract. 8. resol. 7. vers. *Sed libenter.* p. 274. Et an gaudeant etiam priuilegio exemptionis gabbellarum. ibid. vers. *Sed difficultas.* p. 275

O

Obses.

Obsides an aliquando sit licitum in bello occidere. tract. 4. resol. 20. vers. *Sed contrariam.* p. 110

Occidens.

Occidens aliquem in Ecclesia, vel Cœmeterio, in rixa orta per accidens, & maximè prouocatus, an gaudeat immunitate. tractat. 1. resol. 7. vers. *Sed quid.* pag. 13.

Occidens, vel vulnerans aliquem in scalis, atrio, seu porticu Ecclesiæ, &c. an gaudeat eius immunitate. tract. 1. resol. 7. vers. *Oritur.* p. 14. Et an occidens in Palatio Episcopi, in domibus Canonicorum & Clericorum, & Monasterijs Religiosorum. ibid. vers. *Et idem.* Et an extrahens aliquem ab Ecclesia violententer, & illum extra Ecclesiam occidens, vel mutilans, gaudeat immunitate. vers. *Et tandem.* Et vers. *Hic tamen* p. 14

Occidens aliquem veneno, an gaudeat immunitate Ecclesiæ. tract. 1. resol. 12. vers. *Sed quod.* & vers. *Sed ego.* p. 22

Occidens inimicum dum dormit, an gaudeat Ecclesiæ immunitate. ibid.

Occidens inimicum à tergo cum sclopo, an gaudeat immunitate. tract. 1. resol. 12. vers. *Notandum est etiam.* p. 23

Occidens aliquem appensatè & animo præmeditato an sit priuandus Ecclesiæ immunitate. tractat. 1. resol. 13. vers. *Sed hoc & segg.* ibid.

Occidens, vel vulnerans aliquem, actu & re ipsa contentem Sacerdoti an gaudeat Ecclesiarum immunitate. tract. 1. resol. 26. vers. *Quæro duodecimò* pag. 39

Occidens aliquem in duello an gaudeat immunitate. tract. 1. resol. 26. vers. *Quæro decimo tertio.* pag. 39

Offendens.

Offendens Cursorem seu alium Ministrum Episcopi non in executione officij sui, sed ex odio vel inimicitia priuata, an sit puniendus ab Ecclesiastico, vel à Iudice seculari. tract. 8. resol. 3. p. 265

Officialis.

Officiales exercitus in quibus peccent. Vide, *Bellum.*

Officiales curiaë secularis occidentes in Ecclesia malefactorem, quem capere non possunt, an incurrant in excommunicationem Gregorij XIV. tractat. 1. resol. 35. vers. *Hic tamen.* p. 63

Officiales Curiaë secularis an possint sine licentia Episcopi extrahere reos, qui commiserunt crimina exceptuata, quæ non gaudent immunitate. Vide, *Iudex.*

Officium.

Officiorum venditio an sit mala. tractat. 6. resol. 3. vers. *Sed ego.* & vers. *Dico secundò.* p. 151. & 152

Omissio.

Omissio vnus integræ Horæ partem an sit pars notabilis ad constituendum peccatum mortale. tract. 6. resol. 6. p. 158

Oratorium.

Oratoria Confraternitatum an gaudeant, immunitate. tract. 1. resol. 1. vers. *Sed non est verum.* p. 2

Ordo.

Ordines suscepturus an possit accipere vnum Ordinem ab Episcopo originis & alium ab Episcopo Beneficij. tractat. 7. resol. 35. p. 232

Ordinari an possint Regulares ab Episcopo originis. ibid. vers. *Notandum.*

Ordinum materia & forma an fuerint instituta à Christo. tractat. 8. resol. 18. p. 284

Ordinem Sacerdotij suscipiens, si teigit tantum calicem & non patenam an validè fuerit ordinatus. tract. 8. resol. 19. p. 284

Ordo an validè suscipiatur si porrecta patena cum hostia, vinum intra Calicem ex incuria non apponatur. tract. 8. resol. 22. p. 286

Ordinibus minoribus & sacris initiatus non suscipiatur primà tonsurà an sit irregularis. tract. 8. resol. 29. vers. *Sed his non obstantibus.* p. 291. Et an teneatur dictam Tonsuram sumere. ibid. vers. *Quoad secundam.* p. 292.

Osculum.

Oscula an aliquando sint licita inter vxoratos cum periculo pollutionis. tract. 7. resol. 65. p. 257

P

Palatium.

Palatium Episcopi an gaudeat Ecclesiæ immunitate. tract. 1. resol. 4. p. 8. Et an distans vltra quadraginta passus ab Ecclesia, immunitatis priuilegio gaudeat. vers. *Sed hac opinio.* Et quid si non habeat Oratorium pro celebratione Missæ. vers. *Tertio.* Et an hoc priuilegio gaudeat Domus Episcopi etiam si sit absens vel mortuus. ibid. Quid tandem de domo Episcopi quando in visitatione per suam Diocesim transcurrit. ibid.

Palatium Episcopi Titularis an gaudeat immunitate. tract. 1. resol. 5. p. 9

Palatium Episcopi etiam remotum ab Ecclesia, & non habens in se capellam, an adhuc gaudeat immunitate. ibid. vers. *Secundò.*

Palatium Episcopi commorantis extra suam Diocesim an gaudeat immunitate. ibid. vers. *Ad secundum.* Et vers. *Quartò.* p. 10

Palatia Cardinalium, vbicumque ipsi extra Romam existant, gaudent priuilegio immunitatis. ibid. vers. *Secundò.* p. 10

Papa.

Papa an possit eximere Laicos à iurisdictione Principum secularium. tract. 2. resol. 7. p. 77

Papa an possit in aliquo casu prohibere, ne Principes Christiani inter se pugnent. tract. 4. resol. 2. p. 97

Papa an possit constare exercitum ex Clericis & Ecclesiasticis viris ad compescendum Principem infidelem. tract. 4. resol. 15. vers. *Dico secundò.* p. 106

Papa an possit dare licentiam inferendi bellum infidelibus propter solam infidelitatem. tract. 4. resol. 15. vers. *Dico tertio.* p. 106

Papa an teneatur sub mortali ad Confessionem peccatorum semel in anno. tract. 7. resol. 3. p. 207. Et quid de Horis canonicis, & de ieiunio. ibid. vers. *Verum.* p. 207. & 208

Parlamentum.

Parlamenta Regni Franciaë approbant acquisitiones rerum stabiliū per Clerum factas. tract. 3. resol. 10. vers. *Ad exemplum.* p. 93

Parochus.

Parochus qui nunquam vel rarò concionem habet ad populum, an peccet, etiam si in sua Parochia non desint Concionatores. tractat. 7. resol. 13. p. 216

H h *Patet*

Index Rerum VI. Partis.

Pater.
Pater an teneatur non solum alimenta, sed etiam do-
tem filiis spiritibus praeberet. tractat. 7. resol. 28. p. 227

Peccatum.
Peccatum confessum ut dubium an debeat cessante
dubio iterum ut certum confiteri. tractat. 6. resol. 31.
p. 173
Peccati species, ad quod quis prauo suo exemplo alios
induxit, an sit in Confessione explicanda. tractat. 6.
resol. 33. vers. *Verum*. p. 175. Et an personarum nu-
merus, quibus datum est scandalum etiam unico
peccato, sit etiam in confessione explicandus. ibid.
Peccatum maius ut vitari possit, an liceat aliquem in-
ducere ad minus. tractat. 7. resol. 43. p. 237

Periurus.
Periurus an gaudeat immunitate. tractat. 1. resol. 26.
vers. *Quero sexto*. p. 37

Poenitens.
Poenitens malitiose discedens à sua Diocesi in qua
sunt casus referuati, & tendens ad Confessarium
alterius Diocesis in qua non sunt referuati, an va-
lide possit absolui. Vide, *Casus referuatus*.
Poenitentes in articulo mortis an debeant habere ex-
pressum & formale propositum de cetero non
peccandi. tractat. 7. resol. 34. p. 231
Poenitens an teneatur aliquam poenam acceptare pro
praua consuetudine tollenda. tractat. 7. resol. 49.
vers. *Notandum est*. p. 243

Poenitentia.
Poenitentia à Confessario imposita ut adimpleatur,
an necessaria sit intentio. tractat. 6. resol. 43. p. 183. Et
quid si poenitens habuerit intentionem contra-
riam, an teneatur illam denuo facere. ibid.
Poenitentia leuis an possit omitti absque peccato
mortalis. tractat. 6. resol. 44. vers. *Notandum*. p. 183
Poenitentia si adimpleatur in peccato mortali, an sit
saltem peccatum veniale. tractat. 6. resol. 45. p. 184
Poenitentia in Confessione imposita, an possit extra
Confessionem ab eodem Confessario commutari.
tractat. 6. resol. 46. p. 184
Poenitentia leuis an possit imponi à Confessario ob
illa verba quae in absolutione adduntur: *Quidquid
boni feceris, &c.* Vide, *Confessarius*.
Poenitentia an sit iniungenda scrupuloso frequenter
intra eandem horam accedenti ad Confessarium.
tractat. 7. resol. 6. p. 209. & 210

Pollutio.
Pollutio eueniens ex copula inchoata cum vxore, à
qua vir se retrahit ob morbi periculum, an sit pec-
catum. Vide, *Coniux*.
Pollutio eueniens, etiam in vigilia, ex aliqua actione
ad quam exercendam subest rationabilis causa, an
sit peccatum. tractat. 6. resol. 37. vers. *Dicendum*.
p. 178. Vbi an liceat sumere medicinam ad corrup-
pendum semen, ut postea possit eici. ibid. vers. *Sed
hic*.
Pollutionis si adsit periculum an licita sint oscula &
tactus inter vxoratos. tractat. 7. resol. 65. p. 257

Pragmatica.
Pragmatica super Chartam vulgò dictam *Papel Sel-
lado*, an violet Ecclesiasticam immunitatem. tractat. 8.
resol. 1. vers. *Sed his*. p. 259

Prædicator.
Prædicatores an possint mitti cum exercitu in terras
infidelium, ad prædicandum ibi Euangelium.
tractat. 4. resol. 15. vers. *Qui etiam*. p. 106
Prædicatores fidei si non excipiantur ab infidelibus,
vel occidantur, aut transitus in alias Prouincias ad
Prædicandum denegetur, an sit iustus titulus bel-
landi. tractat. 4. resol. 17. p. 108

Præfectus.
Præfecti Arcium an possint pauciores Milites in arce
ponere, quàm à Principe constitutum fuerit. tractat. 4.
resol. 27. vers. *Sed non desinam*. p. 115

Prælatus.
Prælatus an in casibus non exceptis possit dare licen-
tiam extrahendi reos ab Ecclesia: & ex illius man-
dato possit iudex Laicus delinquentem capere &
punire. tractat. 1. resol. 32. vers. *Quero secundo*.
p. 57
Prælatus Regularium an possint reconciliare eorum
Ecclesias consecratas pollutas, si Episcopus distet
per duas dietas. tractat. 6. resol. 22. pag. 168. Et
an quando Episcopus defunctus est. ibid. vers. *Ne-
randum*. Vbi, dieta quid significet. ibid. vers. *Et
pro*.
Prælatus an teneatur curare ut leges Pontificiae pro-
mulgentur. tractat. 6. resol. 38. p. 178
Prælatus Regularis si neget pio Confessario licen-
tiam absoluedi subditum à referuatis, an possit
adhuc Confessarius illum absolueret. tractat. 6. reso-
lut. 56. p. 198
Prælatus an assumi possit ex genere Mahometano,
modò ab infantia Baptismum suscepit. tractat. 7.
resol. 1. p. 206
Prælatus Regularis an possit irritare vota, quæ Epi-
scopus emisit dum erat Religiosus. Vide, *Forum*.
Prælatus Regulares an possint absolueret suos subditos
ab hæresi occulta. Vide, *Absolutio*.
Princeps.
Principes sæculares nihil possunt statuere in præiudi-
cium immunitatis Ecclesiarum. tractat. 1. resol. 9.
vers. *Vnde*. p. 17
Princeps prohibens suis subditis alienationem bono-
rum in Ecclesias an infringat libertatem Ecclesia-
sticam. tractat. 3. resol. 3. vers. *Nec obstat*. p. 84
Princeps an possit condere statum super bonis Ec-
clesiæ acquirendis. tractat. 3. resol. 9. p. 91
Princeps an possit imponere ius amortizationis super
bona Clericorum, & Ecclesiæ. tractat. 3. resol. 10. vers.
Ad exemplum. p. 93
Princeps quam satisfactionem possit in bello petere.
tractat. 4. resol. 22. p. 111
Principes in quo peccent, etiam si bellum exercoant, in
ordine ad milites. Vide, *Reges*.
Princeps qui bellum iniustum bona fide gessit; cog-
nita iniustitia belli an teneatur refarcire omnia dama-
na quæ intulit. tractat. 4. resol. 30. p. 117
Principis consensus an requiratur ad stabiliendam
consuetudinem. tractat. 5. resol. 13. p. 131. 132. & 133
Principes ad vitanda maiora mala an possint in ali-
quo casu absque incurfu censurarum permittere
duellum. tractat. 6. resol. 20. p. 166
Principum secreta seu exercitus an licitum sit reue-
lare ad euitanda tormenta & iacturam vitæ.
tractat. 6. resol. 60. p. 203
Principibus an liceat Legatos eorumque famulos
atrociora scelera perpetrantes sine violatione iuris
gentium, condigna ultione punire. tractat. 8. resol. 2.
p. 262. & seqq. Et quid de Nunciis & Legatis sum-
mi Pontificis. ibid. vers. *Verum*. p. 265

Privilegium.
Privilegio fori an gaudeant inseruientes Ecclesiæ in
habitu clericali antequàm ad Ordines promo-
ueantur. tractatu 1. resolutione 36. versu. *Dicen-
dum*. pag. 67
Privilegio fori an gaudeat familia Laica Nuntij Apo-
stolici. Vide, *Familia*.
Privilegio fori an quis gaudeat si non deferat habi-
tum,

Index Rerum VI. Partis.

tum, tonsuram, &c. tractat. 2. resol. 8. p. 78
Privilegia Regularium circa legata Missarum an re-
uocata fuerint per decreta Sacræ Congregationis.
tractat. 6. resol. 11. p. 160
Privilegium præscriptionis centum annorum an ad-
huc competat Ecclesiæ Romanæ. tractat. 7. resol. 8.
vers. *Sed iste*. p. 212
Privilegiorum communicatio inter Mendicantes an
comprehendat etiam Altaria privilegiata. tractat. 7.
resol. 39. p. 234
Privilegium concessum Religiosis B. Mariæ de Guada-
lupe, ministrandi Eucharistiam sæcularibus ipso die
Paschæ, an se extendat ad Ordines Mendicantium.
tractat. 7. resol. 58. p. 247. Et an hoc privilegium
sublatum sit per non usum, aut per Concilium.
ibid. vers. *Obicitur secundo*. Vbi etiam enumerantur
tria necessaria, ut non usus sit indicium renuncia-
tionis privilegij. ibid. vers. *Primum*. p. 248
Privilegio fori an gaudeant vxores Equitum D. Iaco-
bi Alcantaræ, Calatravæ, &c. tractat. 8. resol. 6.
p. 273. Et an sine exemptæ à solutione gabellarum.
ibid. vers. *Sed quid*. p. 274
Privilegium Canonis an gaudeant Nouitij in Religio-
ne Clericorum Regularium intra tempus hospitij.
Vide, *Nouitij*.
Privilegium concessum PP. Franciscanis recitandi
Officium Corporis Christi, singulis quintis feriis
extra Quadragesimam & Aduentum, non impedi-
tis festo nouem lectionum, an se extendat per
Communicationem ad alias Religiones. tractat. 8.
resol. 14. p. 279

Professio.
Professio ut ratificari possit an requiratur scientia nul-
litas professionis præcedentis. tractat. 7. resol. 56.
p. 246

Professus.
Professorum Magister an debeat habere ætatem 35.
annorum, necessariam pro Magistro Nouitiorum
iuxta Constitutionem Clementis VII. tractat. 6.
resol. 29. p. 172

Prorex.
Proreges an possint pro eorum arbitrio aggratiare
delinquentes, qui accusatorem non habent. tractat. 6.
resol. 1. vers. *Dico*. p. 146. Et an peccarent mortaliter
si semel poenam temitterent facinoroso; aut pas-
sim condonarent delicta leuia, ibid.
Proreges an possint in casibus, in quibus licitè poenas
delinquentibus condonarent, recipere pro eis pecu-
nias. ibid. vers. *Sed his*. p. 147. Et an saltem eorum
famuli impetrantes ab ipsis gratias pro delinquenti-
bus possint accipere pretium pro sua diligentia.
ibid. vers. *Notandum*. p. 149
Proreges an teneantur proponere Regi pro officis
digniores. tractat. 6. resol. 2. vers. *Sed his*. p. 149. Et an
licitè pro tali nominatione possint pecuniam acci-
pere. ibid. vers. *Non desinam*. p. 151
Proreges an possint vendere officia, & pecunias sibi
ipsis applicare. tractat. 6. resol. 3. vers. *Sea ego*.
p. 151
Prorex an omnia possit, quæ potest Rex. ibid. vers. *Re-
stat*. p. 153
Proreges an possint concedere Privilegiatis Tractas
pro anno sterili non extractas. tractat. 6. resol. 4.
p. 154. & 155
Proreges an ex concessione Tractarum possint pecu-
niam accipere, & in proprium commodum appli-
care. ibid. vers. *Quoad alteram*. p. 156
Proreges an ex causa necessitatis possint homines ma-
le vitæ in carceribus existentes deponere super re-
giis triribus, donec eorum causa expediantur.

tractat. 6. resol. 5. vers. *Verum*. p. 157. Et an saltem pos-
sint illos compellere in triribus perseverare per
aliquod tempus. ibid. vers. *Sed an*.

Q

Quadragesima.

Quadragesimæ tempore, occurrente festo cum fe-
ria, an teneantur Regulares duas Missas cele-
brare. tractat. 8. resol. 11. p. 278
Quadragesimalis vitæ Minimorum votum an saltem
per Generalem Ordinis dispensari possit. tractat. 8.
resol. 34. vers. *Sed his*. p. 296

R

Raptor

Raptores Virginitatis an sint excludendi ab immu-
nitate Ecclesiæ. tractat. 1. resol. 14. vers. *Sed p. 24*

Regularis.

Regularium privilegia circa legata Missarum an fue-
rint reuocata per decreta Sacræ Congregationis
tractat. 6. resol. 11. p. 160
Regulares an vigore privilegiorum possint dispensare
ratione alicuius vrgentis necessitatis in voto casti-
tatis absolutæ in quo casu potest Episcopus di-
spensare. tractat. 6. resol. 50. p. 188
Regulares an possint absolueret sæculares ab hæresi
occulta. tractat. 6. resol. 54. vers. *Sed si*. p. 197
Regulares an liberentur à vicio proprietatis per li-
centiam præsumptam, etiam si Superior adiri facile
possit, vel res differri. tractat. 6. resol. 58. pag. 201
& 202
Regulares an possint ordinari ab Episcopo originis
tractat. 7. resol. 35. vers. *Notandum*. p. 232
Regularis approbatus in vna Diocesi an censetur
vbique approbatus. tractat. 7. resol. 59. p. 249
Regularis præsentatus, & iniuste ab Episcopo ad
Confessiones non admittus, an possit adhuc Con-
fessiones excipere. tractat. 7. resol. 60. p. 251
Regularis an possit approbari cum limitatione ad
tempus, ad personas, &c. tractat. 7. resol. 61. vers. *Sed
ibi*. p. 253
Regularis semel approbatus an possit ab eodem Epi-
scopo iterum examinari. tractat. 7. resol. 62. vers. *Ca-
uus*. p. 254. Et an licentia data possit reuocari. ibid.
vers. *Sed quoad*.
Regularium Superiores an possint illos absolueret ab
hæresi occulta. tractat. 7. resol. 63. vers. *Sed hac sen-
tentia*. p. 256
Regularium Superiores an possint reconciliare eo-
rum Ecclesias consecratas pollutas, si Episcopus distet
per duas dietas. Vide, *Prælatus*.
Regulares si sint quatuor in Conuentu an teneantur
Horas Canonicas in Choro recitare. tractat. 8. reso-
lut. 12. vers. *Notandum*. p. 279
Regulares an sint ab Episcopis examinandi si munus
prædicationis exercere velint in alienis Ecclesiis.
tractat. 8. resol. 20. p. 289
Regulares an possint dispensare in impedimento affi-
nitatis ad petendum debitum inter coniugatos.
tractat. 8. resol. 32. p. 294
Regulares an satisfaciunt obligationi psallendi in
Choro si canant in Sacristia ex aliqua iusta causa.
Vide, *Hora canonica*.
Regulares an duas Missas celebrare teneantur occur-
rente festo cum feria in Quadragesima. Vide,
Missæ.
Regulares an in grangiis, seu cellis particularibus pos-
sint celebrare cum Altari portatili contradicente
Episcopo. tractat. 8. resol. 39. p. 299. & 300

H h 2

Religio

Index Rerum VI. Partis.

Religio.
Religionis votum an possit quis propria auctoritate commutare in susceptionem Episcopatus. tract. 6. resol. 62. p. 205

Religiosus.
Religiosi subditi an possint conferre se ad exercitum sine venia sui Superioris. tract. 4. resol. 36. vers. *Verum.* p. 121.
Religiosus conducens agros alienos an teneatur solvere gabellam ex fructibus inde perceptis. Vide *Clericus.*
Religiosus an ex graui necessitate parentum, possit non tantum religione egredi; sed etiam habitum Religionis dimittere. tract. 7. resol. 19. p. 220
Religiosus, qui manè ante Professionem recitauit Officium, an teneatur hoc non obstante, illud iterum recitare. tract. 7. resol. 38. p. 234
Religiosus asserens suam professionem esse nullam, an possit matrimonium inire. tract. 7. resol. 51. p. 244.
Religiosus habens casum reservatum, & occasione alicuius negotij eò appellens ubi non est reservatus, an valide absolui possit. tract. 7. resol. 57. p. 246.
Religiosi nondum in sacris constituti, an quando à Choro absunt teneantur priuatim Officium recitare. tract. 8. resol. 12. p. 278

Remiges.
Remiges an saltem ex causa necessitatis possint à Proregibus compelli in trirēibus perseuerare per aliquod tempus. Vide *Prorex.*

Restitutio.
Restitutio duplex an aliquando sit facienda ob amissionem vnius rei. tract. 7. resol. 14. p. 208
Restituere an quis teneatur rem, quam iuxta leges praescripsit, si postea cognoscat fuisse alterius. tract. 7. resol. 12. vers. *Sed his.* p. 215

Reuelans.
Reuelans secreta Principum seu exercitus ad euitanda tormenta & iacturam vitæ, an peccet. tract. 6. resol. 60. p. 203. Et an reuelans alterius crimen occultum ibid. vers. *Notandum.* p. 204

Reus.
Reus si capiat per aliquam pallij partem, vel etiam per pedem extra locum sacrum existentem an gaudeat immunitate. tract. 1. resol. 6. vers. *Sed.* p. 12
Reus quilibet an gaudeat immunitate. tract. 1. resol. 7. p. 13
Reus cum armis prohibitis confugiens ad Ecclesiam an gaudeat immunitate. tract. 1. resol. 8. p. 15
Reus è carceribus, vel aliter detentus ad Ecclesiam an gaudeat eius immunitate. tract. 1. resol. 22. vers. *Vnde.* p. 31 & 32
Reus pro quibuscūque delictis etiam atrocissimis, an gaudeat Ecclesiarum immunitate; si non sint inter crimina à iure exceptuata. tract. 1. resol. 25. vers. *Restat.* p. 35
Reus effracto carcere confugiens ad Ecclesiam, an gaudeat eius immunitate. tract. 1. resol. 26. vers. *Quero quarto.* p. 37
Reus priuatus ob aliquod delictum Ecclesie immunitate, an possit ab Ecclesia extrahi propter alia etiam delicta quæ gaudent immunitate. tract. 1. resol. 26. vers. *Quero decimoquarto.* p. 39
Reus an sit necessariò restituendus Ecclesie à qua fuit violenter extractus. tract. 1. resol. 27. p. 39. & 40
Reus extractus è manibus Satellitum, an sit necessariò restituendus curie seculari, ibid. vers. *Verum.* p. 42. Et quid si se ipsum exemit è manibus Satelli-

rum. ibid. vers. *Confirmantur.* p. 43. Et an si secum rapit Satellitem, & confugit ligatus ad Ecclesiam. gaudeat eius immunitate. vers. *Ad alium.* Vbi etiam an extrahentes Reum è manibus Satellitum eadem gaudeant immunitate. vers. *Sed.* p. 43
Reum, qui commisit crimina exceptuata, quæ non gaudent immunitate, an possit Iudex Laicus extrahere ab Ecclesia absque licentia Episcopi. tract. 1. resol. 28. vers. *Sed hac.* p. 44
Reo an sint dilationes assignandæ vt ius suum defendat. tract. 1. resol. 30. vers. *Quero quarto.* p. 50
Reus extractus ab Ecclesia an sit restituendus, etiam si post extractionem, in carceribus Iudicis Laici commiserit delictum petens ad forum seculare tract. 1. resol. 32. vers. *Quero quarto.* p. 58
Reus qui fuit extractus violenter ab Ecclesia, & deductus ad carceres Laicales, an possit renunciare priuilegio immunitatis. ibid. vers. *Sed hic.* p. 58
Reus dum existit in Ecclesia, an possit à Iudice seculari damnari ad mortem, vel ad pœnam corporalem. tract. 1. resol. 33. vers. *Sed iste.* p. 59. Et an sint ei alimenta præstanda. vers. *Et tandem.* p. 60
Reus ab aliis violenter extractus è manibus Satellitum, si confugiat ad Ecclesiam an gaudeat eius immunitate. tract. 8. resol. 5. vers. *Sed prorsus.* p. 272

Rex.
Rex an possit facere, vel aliis concedere monopolium circa aliquas merces. tract. 8. resol. 1. vers. *Ad tertium.* p. 262
Reges in quo peccent, etiam si bellum iustum exercent, in ordine ad milites. tract. 4. resol. 29. p. 116.

S

Sacerdos

Sacerdos indutus cotta & stola extra Ecclesiam præcedente cruce ad efferendum defunctum, an possit capi à Satellitibus de licentia Episcopi. tract. 1. resol. 25. vers. *Notandum.* p. 36
Sacerdos an possit consecrare particulas pro communicandis Laicis quæ illi dantur non solum post Offertorium, sed etiam post Præfationem. tract. 6. resol. 7. p. 158
Sacerdos an possit applicare partem Missæ sibi competentem, & pro illa stipendium accipere. tract. 6. resol. 8. vers. *Sed ego.* p. 159
Sacerdos an possit applicare diuersos fructus vnius Missæ diuersis personis; & ab illis duplicata stipendia accipere. tract. 6. resol. 9. vers. *Sed.* p. 160
Sacerdos an possit Missam dicere pro vno cui debet ex iustitia, & simul pro alio ex sola charitate & gratitudine. ibid. vers. *Notandum.*
Sacerdos obligatus celebrare in altari priuilegiario an satisfaciatur, si celebret alibi cum numismate, vel calculo priuilegiato. tract. 6. resol. 12. p. 161
Sacerdos Capellanus, si solum constet eum teneri quotidie celebrare in tali Ecclesia vel altari, non autem quibus conditionibus fundata fuerit Capellania, an teneatur applicare valorem Missæ pro fundatore Capellaniæ. tract. 6. resol. 13. p. 161
Sacerdos an possit in Sacristia, dum adhuc sacris vestibus est indutus, sumere reliquias Hostiæ inuentas in Calice. tract. 6. resol. 17. p. 164
Sacerdos qui mane Missam dixit, si post prandium incidat in articulum mortis, an possit eodem die iterum communicare. tract. 6. resol. 18. vers. *Dico.* p. 165.
Sacerdotes an passim feria quinta in Cœna Domini possint Missam celebrare. tract. 6. resol. 19. vers. *Non desinam.* p. 166
Sacerdos

Index Rerum VI. Partis

Sacerdos an possit, post ablutionem sumptam, consumere particularum fragmenta; si in alia Missa fuerint ab alio Sacerdote præconsecratæ. tract. 6. resol. 23. vers. *Sed contrariam.* p. 169
Sacerdos celebrans in Ecclesia polluta ante reconciliationem, an sit irregularis. Vide *Ecclesia.*
Sacerdos si ante celebrationem dubitet an commiserit aliquod mortale, an teneatur confiteri. tract. 6. resol. 32. vers. *Sed hac.* p. 174
Sacerdos simplex non approbatus ab Episcopo an possit valide excipere Confessiones. tract. 6. resol. 52. vers. *Sed hac.* p. 193. Vbi explicat, quomodo ex verbis Christi colligat Ecclesia, Sacerdotes non accipere totam potestatem iudicariam expeditam in sua ordinatione, ibid. vers. *Petes.* Et quid si pœnitens confiteatur bona fide Sacerdoti non approbato, vel etiam sine licentia. ibid. vers. *Nota.* p. 194
Sacerdos ministrans Sacramenta scienter in peccato mortali, an peccet mortaliter. tract. 6. resol. 53. vers. *Sed hac.* p. 196
Sacerdos an possit Missam celebrare, qui cum cubitum iret ori saccharum imposuit, & nescit postea an ante mediam noctem liquefactum fuerit. tr. 7. resol. 5. vers. *His tamen.* p. 217
Sacerdos, si non inueniatur hostia magna, an possit Missam celebrare & consecrare particulam paruum. tract. 7. resol. 17. vers. *Sed hac.* p. 218
Sacerdos præsentatus, & iniunctè ab Episcopo ad Confessiones non admissus, an possit excipere Confessiones. tract. 7. resol. 60. p. 251
Sacerdos an possit sine peccato mortali Missam celebrare per tertium, retinendo sibi partem stipendij. tract. 8. resol. 10. p. 277

Sacerdotium.
Sacerdotij Ordinem assumpturus quam ob causam dispensari possit in interdictis. tract. 8. resol. 23. p. 286

Sacrilegus.
Sacrilegus an gaudeat immunitate. tract. 1. resol. 26. vers. *Quero sexto.* p. 37

Schismaticus.
Schismatici an gaudeant Ecclesie immunitate. Vide *Hæreticus.*

Scrupulosus.
Scrupuloso an sit iniungenda pœnitentia frequenter intra eandem horam accedenti ad Confessarium. tract. 7. resol. 6. p. 209. & 210

Secretum.
Secreta Principum seu exercitus reuelans ad euitanda tormenta & iacturam vitæ, an peccet. Vide *Reuelans.*

Sepultura.
Sepultura Ecclesiastica an aliquis in dubio sit priuandus. tract. 7. resol. 47. p. 240. & 241

Seruus.
Serui in bello capti, si aufugerint, an redire teneantur. tract. 4. resol. 14. vers. *Prior.* pag. 105. Et quid si fugiendo à Dominis recuperentur. vers. *Posterior.* ibidem.

Simoniacus.
Simoniacus pro delicto Simonie confugiens ad Ecclesiam an gaudeat eius immunitate tract. 1. resol. 26. vers. *Quero nono.* p. 38
Simonie crimen an incurrat qui promisit aliquam summam pecuniæ pro beneficio obtinendo, protestans se illam daturum gratitudinis causa, & non ex debito iustitiæ. tract. 7. resol. 42. p. 236

Sodomita.
Sodomita an gaudeat immunitate. tract. 1. resol. 26. vers. *Quero quarto.* p. 37

Sodomiam committens an teneatur in confessione explicare, fuerit ne agens, vel patiens. tract. 6. resol. 36. p. 177

Statutum.
Statutum prohibens ne bona stabilia alienentur in Ecclesias & personas Ecclesiasticas, an sit licitum. tract. 3. resol. 2. p. 82
Statutum disponens, quod ingrediens monasterium non succedat, an sit validum. tract. 3. resol. 8. vers. *Ad tertium.* p. 90
Statutum, quod Ecclesia sibi rem ex testamento reliquam, teneatur alienare intra annum; vel aliud simile, an sit validum. tract. 3. resol. 10. vers. *Ad exempla.* pag. 93
Statutum, ne extrahatur vel introducatur in ciuitate vinum, frumentum, &c. an comprehendat Clericos. tract. 8. resol. 4. vers. *Verum.* p. 267
Statuta Laicorum non comprehendunt Clericos quoad vim coactiuam. ibid. vers. *Cum igitur.* p. 268
Statutum, vt aliqui tantum vendant frumentum, vinum, &c. an excludat Clericos, ita vt positum hoc statuto non possint vendere suum vinum, frumentum, &c. ibid. vers. *Vnde.* p. 270

Suspensus.
Suspensus vel interdictus ab ingressu Ecclesie, an gaudeat eius immunitate. tract. 1. resol. 26. vers. *Quero secundo.* p. 36

T

Tactus.

Tactus an aliquando sint liciti cum periculo pollutionis inter vxoratos. tract. 7. resol. 65. p. 257

Tertiaria.
Tertiariæ, vulgò *Bigube*, an possint à Sacerdotibus suarum Religionum in articulo mortis sumere Viaticum, & Extremam vnctionem. tract. 8. resol. 30. Et an à casibus reservatis possint absolui per eisdem Sacerdotes. ibid. vers. *Circa.* pag. 293. Vbi etiam quis possit eorum vota commutare. ibid. vers. *Non sine.* Et an gaudeant priuilegio Canonis, *Si quis suadente,* &c. vers. *Nec caret.*

Testis.
Testis falsum deponens, qui causa fuit, vt aliquis ad mortem damnatus fuerit, an gaudeat immunitate. tract. 1. resol. 26. vers. *Quero undecimo.* p. 38. & 39
Testes si fuerint examinati in processu informatio, an sint postea repetendi citato sisco Ecclesiastico, & ipso reo. tract. 1. resol. 30. vers. *Quero tertio.* p. 49

Tonfores.
Tonfores monetarum an gaudeant Ecclesiarum immunitate. Vide *Monetarij.*

Tonsura.
Tonsurâ primâ omisâ qui ordinatur an sit irregularis. Vide *Ordo.*

Tracta.
Tracta an possint concedi à Protegibus, pro anno sterili quo non fuerunt extractæ. Vide *Prorex.*

Transitus.
Transitus Militum per alienas terras pro bello inferendo alicui Principi, an aliquando possit denegari. tract. 4. resol. 5. p. 98

Tributum.
Tributa regia fraudulentantes an gaudeant Ecclesie immunitate. tract. 1. resol. 20. vers. *Verum.* p. 29

D

Venditio.
Venditio officiorum an sit mala. Vide *Officium.*

Index Rerum VI. Partis.

- Vicarius.*
- Vicarius Capituli Sede vacante, an habeat facultatē iudicandi, An reus debeat gaudere immunitate Ecclesiarum, necne. tract. 1. resolut. 30. vers. *Quaro primo.* p. 49
- Vicarius Capituli Sede vacante, an possit dispensare sine speciali mandato, in casibus in quibus Episcopus dispensat. tract. 7. resolut. 41. vers. *Hinc sequitur.* p. 236
- Vicarij Superiorum localium an possint eligere Confessarium, etiam præsentē Superiore extra Religionem. tract. 8. resolut. 15. vers. *Sed his.* p. 280
- Votum.*
- Vouens singulis festiuitatibus Annunciationis B. Virginis Communionem, si festum illud accidit feria sexta Hebdomadæ sanctæ, quæritur, an teneatur in illa die sacram Eucharistiam sumere. tractat. 6. resolut. 19. p. 165
- Votum castitatis absolutæ an possit dispensari à Regularibus, ratione alicuius vrgentis necessitatis. tractat. 6. resolut. 50. p. 188
- Votum factum alicui Ecclesiæ, vel pauperi, an post eorum acceptationem possit auctoritate Episcopi, vel propria in melius commutari. tractat. 6. resolut. 61. p. 204
- Votum ingrediendi Religionem an possit quis propria auctoritate commutare in susceptionem Episcopatus. tract. 6. resolut. 62. p. 205
- Votum Religionis si emisit impubes ante 14. annum nondum completum, quo facto pubere moritur pater; & ei legitimus Curator constituitur, an possit Curator votum illud irritare. tract. 7. resolut. 22. vers. *Verum.* p. 223
- Vota filiorum ante pubertatem emissa an pater possit irritare. ibid. vers. *Ex his.*
- Voti dispensatio an sit valida, si bona fide dispensans existimat adesse causam, cum tamen non sit. tract. 7. resolut. 23. vers. *Sed ego.* p. 223
- Votentis leuitas an præstet sufficientem causam dispensationi: etiam si ille non habeat difficultatem exequendi votum. tractat. 7. resolut. 24. vers. *Sed affirmatiuam.* p. 224
- Vota, quæ Episcopus emisit dum erat Religiosus, an possit Prælati Regularis irritare. tract. 7. resolut. 26. p. 226.
- Votum de non procurando, seu acceptando Episcopatum, vel non esse Senatorem, Iudicem, &c. an sit validum. tractat. 7. resolut. 27. vers. *Verum.* pag. 226
- Votum Religionis dispensatum ratione alicuius infirmitatis, an cessante infirmitate obliget ad ingressum Religionis. tract. 7. resolut. 45. p. 239
- Vouens certam Religionem si absolutè à Superioribus illius Religionis repellatur, sed postea inuitetur ab iisdem Superioribus, an teneatur ingredi. tract. 7. resolut. 52. vers. *Verum ego.* p. 244
- Vouens perseuerantiam in Religione, si postea ex iusta causa exeat vel expellatur, an teneatur ea cessante iterum ingredi. tractat. 7. resolut. 53. p. 244
- Votum Religionis an ob grauem fratrum vel fororum necessitatem absque alia dispensatione possit differri. tractat. 7. resolut. 54. p. 245
- Votum conditionale postea confirmatum an possit per Episcopum dispensari. tractat. 8. resolut. 16. p. 280
- Vota vitæ Quadragesimalis Minorum, Redemptionis captiuorum Mercenariorum, non acceptandi Prælaturas extra Religionē PP. Societatis Iesv, & similia, an sint dispensabilia saltem per Generalem. tractat. 8. resolut. 34. vers. *Sed his.* p. 296
- Vulnerans.*
- Vulnerans in Ecclesia, si ex tali vulnere mors non sequatur, an gaudeat immunitate. tractat. 1. resolut. 7. vers. *Vnde.* p. 13
- Vulnerans proditoriè & per insidias animo occidendi, si mors non sequatur, an gaudeat immunitate. tract. 1. resolut. 12. vers. *Sed.* p. 21
- Vulnerans aliquem, actu & re ipsa contentem Sacerdoti, an gaudeat Ecclesiarum immunitate. Vide, *Occidens.*
- Uxor.*
- Uxor an peccet reddendo debitum viro qui saturandæ libidinis causa copulam incipit, sed postea ne sequatur generatio, subtrahit se, & effundit semen extra vas. tractat. 7. resolut. 7. p. 210. & 211
- Uxor an teneatur ad soluenda debita mariti ex sua dote & capitali, si debita contracta sint ad uxorem & familiam alendam. tract. 7. resolut. 20. vers. *Dicendum.* p. 221
- Uxor an teneatur recipere vitum hæreticum semel condemnatum, sed postea Ecclesiæ reconciliatum. tract. 7. resolut. 25. *Hic tamen.* p. 225. Et quid si in occulto coniux hæreticus reconciliatur per inquitores. ibid. vers. *Sed ex his.*
- Uxor an propter notabile damnum salutis corporeæ possit negare debitum petenti, etiam si in illo adsit periculum incontinentiæ tract. 7. resolut. 64. vers. *Sed mihi.* p. 257
- Uxor an possit negare debitum ebrio coniugi. ibid. vers. *Sed hic.*
- Uxores Equitum D. Iacobi Alcantaræ, Calatrauæ, &c. an gaudeant priuilegio fori. tractat. 8. resolut. 6. p. 273
- Et an sint exemptæ à solutione gabellarum. ibid. vers. *Sed quid.* p. 274

F I N I S.

